


Engraved by W.H. Lizars Edinburgh.

# P. VIRGILII MARONIS
# OPERA:

INTERPRETATIONE ET NOTIS

ILLUSTRAVIT

*CAROLUS RUÆUS, SOC. JESU,*

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM SERENISSIMI DELPHINI.

*JUXTA IPSIUS AUCTORIS EDITIONEM PARISIENSEM.*

HUIC EDITIONI ACCESSIT

INDEX ACCURATISSIMUS, ANTE EDITIS LONGE LOCUPLETIOR.

---

ACCESSIT INSUPER

CLAVIS METRICO-VIRGILIANA,

SIVE

DIFFICULTATUM PRÆCIPUARUM IN VIRGILII VERSIFICATIONE SOLUTIO;

NUNQUAM ANTEA EDITA:

STUDIO ET CURA

GULIELMI DUNCAN, E. C. P.

Dup

PRINTED FOR

OLIVER & BOYD, EDINBURGH;

HENRY WASHBOURNE, AND SIMPKIN, MARSHALL, & CO., LONDON:

SOLD ALSO BY W. S. ORR, T. ALLMAN, RELFE & FLETCHER, T. & W. BOONE, DARTON & CLARK, SMITH, ELDER, & CO., EDWARDS & HUGHES, R. GROOMBRIDGE, J. BELL, BOWDERY & KERBY, T. VARTY, SOTHERAN & SON, AND WALLER & SON, LONDON; MOZLEY & SONS, DERBY; J. CUMMING, W. CURRY, JUN. & CO., AND S. J. MACHEN & CO., DUBLIN; AND SIMMS & M'INTYRE, AND H. GREER, BELFAST.

MDCCCXLIII.

Printed by Oliver & Boyd,
Tweeddale Court, High Street, Edinburgh.

# LECTORI BENEVOLO

S. D.

EDITORES.

Usitatum est unicuique sua laudibus efferre, dum aliena aut detrectentur aut omnino prætereantur. Hìc tamen nihil ejusmodi est à te, Benevole Lector, exspectandum. De hâc novâ Delphinianâ Virgilii Editione verbum tantùm habemus dicere, scil. summam diligentiam, ut esset accurata atque ornata, fuisse adhibitam. Textus Ruæi ad exemplaria probatissima, et secundùm optimum literas connectendi modum, expressus est. Elimatæ sunt Notæ non solùm à typothetarum erroribus, sed etiam diversis in locis à multis priorum editorum maculis. In Indice quoque Vocabulorum errata sexcenta emendata sunt.

Prætereà, huic Editioni, ut sit ornatior, accessit in gratiam tironum Clavis Metrica, summâ cum curâ confecta, in quâ præcipuæ difficultates in Virgilium scandendo solutæ sunt.

Talia sunt, Benevole Lector, quæ de hâc Editione te scire potissimùm volebamus. Tuum erit conatibus nostris pro animi tui candore favere. Vale.

*** *A very copious Geographical, Historical, and Biographical Index, in English, is now first added to this Book, which cannot fail to prove highly useful to the Scholar.*

Edinburgh,
November, 1829.

# CAR. RUÆI

# PRÆFATIO

AD

## SECUNDAM EDITIONEM.

*Fuit iis hominibus, qui scripta veterum explanârunt, hoc in omni ætate familiare vitium, ut se primùm, auctorem deinde suum, illustrandos ornandosque susceperint; eos, quorum scriberent gratiâ, nullo admodum in loco ac numero habuerint. Aut enim scribere otiosis videntur voluisse, quibus ad libelli intelligentiam, interdum satis exigui, multa et magna commentationum volumina placere possent; aut eruditis viris et maximarum rerum cognitione jam imbutis, qui levia et communia fastidirent. Qui verò primos juvenum conatus adjuvare non à suâ dignitate alienum duceret, vix è totâ interpretum gente unus atque alter inventus est. Idcirco hanc partem, propè depositam à cæteris, tantò studiosiùs suscipi voluit, qui est ab Rege Christianissimo Serenissimi Delphini institutioni præpositus, Illustrissimus Montauserii Dux, quantò regii alumni indolem ad pernoscenda veterum opera propensiorem videbat; atque ut Princeps optimus prodesse jam tum inciperet suis, et orbis utilitati natum se intelligeret; hæc privatorum ejus studiorum qualiacunque subsidia, publica facere etiam visum est.*

*His ego auctoribus ac ducibus, in hâc Virgilii explanatione, præter brevitatis nitorisque studium, id imprimis mihi proposui: publicis commodis, non meæ me laudi servire. Igitur versibus interpretationem, notas interpretationi subjeci. Et eum quidem interpretationis optimum esse duxi modum; primùm ut esset continua: ne, dum omitto facilia, non ulla etiam, ut fit, difficilia præterirem: tum ut expedita poëticis numeris versuum sententia redderetur, plano rectoque ordine, verbis totidem aliis; ut præter vim sensumque verborum, etiam eorum copia compararetur. In notis, neglexi nihil, cujus in legendo Virgilio usus esse aliquis posset; nihil ad solam literaturæ ostentationem usurpavi.*

*Atque id quidem mihi à summis viris impositum quantâ fide perfecerim, declarabit fructus, ut spero, non mediocris inde percipiendus. Quàm sit autem scite prudenterque institutum, ex iisdem ipsis consilii auctoribus existimare jam nunc licet. Qui enim in informandis maximi Principis moribus tantam, non civilis modò militarisque prudentiæ, sed literatæ etiam sapientiæ vim præ se semper tulit, Carolus Sanctamauræus Montauserii Dux; potuit is ad eandem sapientiam parùm tutum ac facilem ipsi aditum aperire? Potuit ad veram eruditionem non optima quæque præsidia conquirere vir divinis humanisque doctrinis excultissimus, Episcopus Condomiensis, Jacobus Benignus Bossuetius? Horum ego monitis, auctoritati, prudentiæ non decederem, quibus Rex sapientissimus suas regnique sui spes omnes unicè commisit? Præsertim cùm curis meis consilia plerumque accederent Petri Danielis Huetii, cujus in moderandis Serenissimi Principis studiis secundæ sunt partes. Is, cùm et doctrinæ famâ multùm apud cæteros, et morum suavitate plus apud me aliquid possit; effecit amicitiæ suæ lenociniis, communicatis etiam mecum notis in Virgilium quibusdam suis, ne tanto me operi omninò imparem putârim.*

*In quo quid præter alios interpretes præstiterim, facilè intelliget quisquis eos aliquando attigerit; quorum quidem errores notare nolim asperiùs, qui excusari meos peto. Sanè opera non inutilis à me posita est in explicandis ex fide historiæ compluribus locis, obscuris priùs, aut parùm feliciter enodatis; advocata etiam interdum subsidia aliarum artium ac disciplinarum, ne Grammaticum egisse tantùm dicerer; quibus tamen in singulis, si cui videbor nimis pressè strictéque versatus, cujusmodi querelæ jam ad me delatæ sunt; is me, non Geographum, aut Philosophum, aut Rhetorem, sed Virgilii interpretem esse intelligat.*

*Hâc secundâ editione, tum alia multa, quæ primis curis exciderant, adjecta aut emendata; tum verò imprimis textus ipse Virgilii, multis in locis, ex fide Nic. Heinsii, restitutus; cùm ille novissimam editionem suam ex MSS. triginta diligentissimè contexuerit. Cujus viri omnibus, qui literas amant, luctuosa mors, memoria chara semper et jucunda futura est.*

# P. VIRGILII MARONIS

# VITA:

## INCERTO AUCTORE,

### QUEM ALIQUI DONATUM FALSO PUTANT.

Publius Virgilius Maro parentibus modicis fuit, et præcipuè patre Marone: quem quidam opificem figulum; plures, Magi cujusdam viatoris initio mercenarium, mox ob industriam generum tradiderunt: quem cùm agricolationi reique rusticæ et gregibus præfecisset socer, sylvis coëmundis et apibus curandis reculam auxit. Natus est, Cn. Pompeio Magno, et M. Licinio Crasso, primùm Coss. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur, qui est à Mantuâ non procul. Prægnans mater Maia, cùm somniâsset enixam se laureum ramum, quem compactum terræ coaluisse, et excrevisse illicò in speciem maturæ arboris, refertæ variis pomis et floribus, cerneret; sequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere divertit, atque in subjectâ fossâ partu levata est. Ferunt infantem, ut fuit editus, non vagîsse, et adeò miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris genituræ jam tum indicaret. Et accessit aliud præsagium. Siquidem virga populea, more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multò antè satas populos adæquârit: quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque consecrata est, summâ gravidarum et fœtarum religione, suscipientium ibi et solventium vota.

Initia ætatis, id est, usque ad septimum annum, Cremonæ egit: et xvii. anno virilem togam cepit, illis consulibus iterum quibus natus erat. Evenitque ut eo ipso die Lucretius poëta decederet. Sed Virgilius Cremonâ Mediolanum, et inde paulo pòst Neapolim transiit; ubi cùm literis et Græcis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni curâ omnique studio indulsit medicinæ et mathematicis. Quibus rebus cùm ante alios eruditior peritiorque esset, se in urbem contulit: statimque magistri stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, multos variosque morbos incidentes equis curavit. At Augustus in mercedem singulis diebus panes Virgilio, ut uni ex stabulariis dari jussit. Intereà à Crotoniatis pullus equi miræ pulchritudinis Cæsari dono fuit missus: qui omnium judicio spem portendebat virtutis et celeritatis immensæ. Hunc cùm aspexisset Maro, magistro stabuli dixit, natum esse ex morbosâ equâ, et nec viribus valiturum, nec celeritate; idque verum fuisse inventum est. Quod cùm magister stabuli Augusto recitâsset, duplicari ipsi in mercedem panes jussit. Cùm item ex Hispaniâ Augusto canes dono mitterentur, et parentes eo-

rum dixit Virgilius, et animum celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum augmentari Virgilio panes.

Dubitavit Augustus Octavii ne filius esset, an alterius: idque Maronem aperire posse arbitratus est, quia canum et equi naturam parentesque cognôrat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domûs vocat, et solum rogat, an sciat quisnam esset, et quam ad felicitandos homines facultatem haberet. Novi, inquit Maro, te Cæsarem Augustum: et fermè æquam cum Diis immortalibus potestatem habere scio, ut quem vis felicem facias. Eo animo sum, respondet Cæsar, ut si verum pro rogatu dixeris, beatum te felicemque reddam. Utinam, ait Maro, interroganti tibi vera dicere queam. Tunc Augustus: Putant alii me natum Octavio; quidam suspicantur alio me genitum viro. Maro subridens: Facilè, inquit, si impunè, licenterque quæ sentio loqui jubes, id dicam. Affirmat Cæsar jurejurando, nullum ejus dictum ægrè laturum; imò non nisi donatum ab eo discessurum. Ad hæc, oculos oculis Augusti infigens Maro: Faciliùs, ait, in cæteris animalibus qualitates parentum mathematicis et philosophis cognosci possunt; in homine nequaquam possibile est. Sed de te conjecturam habeo similem veri, ut quid exercuerit pater tuus scire possim. Attentè expectabat Augustus quidnam diceret. At ille: Quantùm ego rem intelligere possum, pistoris filius es, inquit. Obstupuerat Cæsar, et statim quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius: Audi, inquit, quo pacto id conjicio. Cùm quædam enunciaverim prædixerimque, quæ intelligi scirique non nisi ab eruditissimis summisque viris potuissent, tu princeps orbis iterum et iterum panes in mercedem dari jussisti; quod quidem aut pistoris aut nati pistore officium erat. Placuit Cæsari facetia. At deinceps, inquit Cæsar, non à pistore, sed à rege magnanimo dona feres. Illumque plurimi fecit, et Pollioni commendavit.

Corpore et staturâ fuit grandi, aquilino colore, facie rusticanâ, valetudine variâ; nam plerumque ab stomacho et faucibus, ac dolore capitis laborabat; sanguinem etiam sæpiùs ejecit. Cibi vinique minimi. Fama est eum libidinis pronioris in pueros fuisse; sed boni ita eum pueros amâsse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, et Plato suos pueros. Verùm inter omnes maximè dilexit Cebetem, et Alexandrum, quem secundâ Bucolicorum eclogâ Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non ineruditum dimisit; Alexandrum grammaticum, Cebetem verò et poëtam. Vulgatum est, consuevisse eum cum Plotiâ Hieriâ. Sed Asconius Pædianus affirmat, ipsum posteà minoribus natu narrare solitum, invitatum quidem se à Vario ad communionem mulieris, verùm se pertinacissimè recusâsse. Cæterâ sanè vitâ, et ore, et animo, tam probum fuisse constat, ut Neapoli Parthenias vulgò appellaretur; ac, si quando Romæ, quò rarissimè commeabat, viseretur, in publico sectantes demonstrantesque se, subterfugere solitum in proximum tectum. Bona autem cujusdam exulantis offerente Augusto, non sustinuit accipere. Possedit propè centies sestertiûm ex liberalitatibus amicorum. Habuitque domum Romæ in Exquiliis, juxta hortos Mæcenatis: quanquam secessu Campaniæ Siciliæque plurimùm uteretur. Quæcunque ab Augusto peteret, repulsam nunquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat: quos jam grandis amisit: ex quibus, patrem oculis captum: et duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum jam adultum, cujus exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cætera studia, ut suprà diximus, medicinæ quoque, ac maximè mathematicæ operam dedit Egit et causam unam omnino, nec ampliùs quàm semel. Sermone tardissimum, ac penè indocto similem fuisse, Melissus tradidit.

Poëticam puer adhuc auspicatus, in Balistam ludi gladiatorii magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit:

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:*
*Nocte, die, tutum carpe, viator, iter.*

Deinde Catalecton, et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras; et Culicem, cùm esset annorum quindecim. Cujus materia talis est. Pastor fatigatus æstu, quum sub arbore obdormîsset, et serpens ad illum proreperet è palude; culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuò culicem contrivit, et visum serpentem interemit, ac supulchrum culici statuit, et distichon fecit:

*Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti*
*Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

Scripsit etiam, de quâ ambigitur, Ætnam. Et mox, cùm res Romanas inchoâsset, offensus materiâ, et nominum asperitate, ad Bucolica transiit: maximè ut Asinium Pollionem, Alphenum Varum, et Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum qui post Philippensem victoriam veteranis, Triumvirorum jussu, trans Padum dividebantur, indemnem se præstitissent. Deinde Georgica in honorem Mæcenatis edidit: cùm sibi vixdum noto opem tulisset adversùs Claudii veterani militis, vel, ut alii putant, Arii centurionis violentiam: à quo in altercatione litis agrariæ parùm abfuit quin occideretur. Novissimè autem Æneidem aggressus est, argumentum varium et multiplex, et quasi amborum Homeri carminum instar: prætereà nominibus ac rebus, Græcis Latinisque, commune: et in quo, quod maximè studebat, Romanæ simul urbis et Augusti origo contineretur. Cùm Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere: non absurdè, carmen se ursæ more parere dicens, et lambendo demum effingere. Æneida prosâ priùs oratione formatam, digestamque in duodecim libros, particulatim componere instituit, ut quidam tradunt. Alii ejus sententiæ sunt ut existiment eum, si diutiùs vixisset, quatuor et viginti libros usque ad Augusti tempora scripturum: atque alia quidem percursurum, Augusti verò gesta diligentissimè executurum: quippe qui dum scriberet, ne quid impetum moraretur, quædam imperfecta reliquit: alia levissimis versibus scripsit, quos per jocum pro tigillis vel tibicinibus interponi à se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidæ columnæ advenirent.

Bucolica triennio, Asinii Pollionis suasu, perfecit. Hic Transpadanam provinciam regebat: cujus favore, cùm veteranis Augusti militibus Cremonensium et Mantuanorum agri distribuerentur, suos Virgilius non amisit. Factâ enim distributione, suos, Claudio seu Ario datos, recuperavit. Hunc Pollionem maximè amavit Maro, et dilectus ab eo magna munera tulit: quippe qui invitatus ad cœnam, captus pulchritudine et diligentiâ Alexandri, Pollionis pueri, eum dono accepit. Hujus Pollionis filium C. Asinium Cornelium Gallum, oratorem clarum, et poëtam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is transtulit Euphorionem in Latinum; et libris quatuor amores suos de Cytheride scripsit. Hic primò in amicitiâ Cæsaris Augusti fuit; posteà in suspicionem conjurationis contra illum adductus, occisus est. Verùm usque adeò hunc Gallum Virgilius amârat, ut quartus Georgicorum à medio usque ad finem ejus laudem contineret; quem posteà, jubente Augusto, in Aristæi fabulam commutavit.

Georgica septennio Neapoli: Æneida partim in Siciliâ, partim in Campaniâ undecim annis confecit. Bucolica eo successu edidit, ut in scenâ quoque per cantores crebrâ pronunciatione recitarentur. At cùm Cicero quosdam versus audîsset, et statim acri judicio intellexisset non communi venâ editos, jussit ab initio totam eclogam recitari; quam cùm accuratè pernotâsset, in fine ait, *Magnæ spes altera Romæ;* quasi ipse linguæ Latinæ spes prima fuisset, et Maro futurus esset secunda. Quæ verba posteà Æneidi ipse inseruit.

Georgica, reverso ab Actiacâ victoriâ Augusto, atque reficiendarum virium causâ Atellæ commoranti, per continuum quatriduum legit; suscipiente Mæ-

cenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronunciabat autem maximâ cum suavitate, et lenociniis miris. Seneca tradidit, Julium Montanum poëtam solitum dicere, involaturum se quædam Virgilio, si et vocem posset, et os, et hypocrisim; eosdem enim versus, eo pronunciante, benè sonare; sine illo inarescere, quasi mutos. Æneidos vixdum cœpta tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitârit sic prædicare;

*Cedite, Romani scriptores, cedite, Graii:*
*Nescio quid majus nascitur Iliade.*

Augustus verò, cùm jam fortè expeditione Cantabricâ abesset, et supplicibus atque minacibus, per jocum, literis efflagitaret, ut sibi de Æneide, ut ipsius verba sunt, vel primas carminis hypographas, vel quodlibet colon mitteret; negavit se facturum Virgilius. Cui tamen multò pòst, perfectâ demum materiâ, tres omnino libros recitavit: secundum videlicet, quartum, et sextum. Sed hunc præcipuè ob Octaviam: quæ cùm recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defecisse fertur; atque ægrè refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari jussit. Recitavit et pluribus; sed neque frequenter, et fermè illa de quibus ambigebat, quò magis judicium hominum experiretur. Erotem librarium et libertum ejus exactæ jam senectutis, tradunt referre solitum: quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complêsse extemporè; et huic, *Misenum Æoliden*, adjecisse, *quo non præstantior alter.* Item huic, *Ære ciere viros*, simili calore jactatum subjunxisse, *Martemque accendere cantu;* statimque sibi imperâsse, ut utrumque volumini adscriberet.

Bucolica Georgicaque emendavit. Anno verò quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Æneidi imponeret, statuit in Græciam et Asiam secedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare; ut in reliquâ vitâ tantùm philosophiæ vacaret. Sed cùm aggressus iter, Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti, unà cum Cæsare redire statuit. At cùm Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratiâ peteret, languorem nactus est; quem non intermissa navigatio auxit; ita ut gravior indies, tandem Brundusium adventârit; ubi diebus paucis obiit, decimo Calend. Octobris, Cn. Plautio et Q. Lucretio Coss. Qui cùm gravari morbo sese sentiret, scrinia sæpe et magnâ instantiâ petivit, crematurus Æneida; quibus negatis, testamento comburi jussit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verùm Tucca et Varius monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc eidem Vario ac simul Tuccæ scriptâ sub eâ conditione legavit, ne quid adderent quod à se editum non esset; et versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent. Voluit etiam ejus ossa Neapolim transferri, ubi diu et suavissimè vixerat: ac extremâ valetudine hoc ipse sibi epitaphium fecit distichon:

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc*
*Parthenope: cecini pascua, rura, duces.*

Translata igitur jussu Augusti ejus ossa, prout statuerat, Neapolim fuere: sepultaque viâ Puteolanâ intra lapidem secundum; suoque sepulchro id distichon, quod fecerat inscriptum est. Hæredes fecit ex dimidiâ parte, Valerium Proculum, fratrem ex altero patre; ex quartâ Augustum; duodecimâ Mæcenatem; ex reliquâ L. Varium, et Plotium Tuccam, qui ejus Æneidem post obitum, prout petiverat, jussu Cæsaris emendaverunt. Nam nullius omnino sententiâ crematu Æneis digna visa fuit; de quâ re Sulpitii Carthaginiensis extant hujusmodi versus:

*Jusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis*
*Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem;*

*Tucca vetat, Variusque simul; tu, maxime Cæsar,*
*Non sinis, et Latiæ consulis historiæ.*
*Infelix gemino cecidit propè Pergamus igni,*
*Et penè est alio Troja cremata rogo.*

Extant et Augusti de ipsâ eâdem re versus plures et clarissimi, quorum initium est:

*Ergône supremis potuit vox improba verbis*
*Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,*
*Magnaque doctiloqui morietur musa Maronis?*

Et paulò pòst:

*Sed legum servanda fides; suprema voluntas*
*Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est.*
*Frangatur potiùs legum veneranda potestas,*
*Quàm tot congestos noctesque diesque labores*
*Hauserit una dies.*——Et ea quæ sequuntur.

Nil igitur auctore Augusto Varius addidit, quod et Maro præceperat: sed summatim emendavit; ut qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit. Hos multi mox supplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem; quòd omnia ferè apud eum hemistichia, præter illud, *Quem tibi jam Troja peperit*, sensum videntur habere perfectum. Nisus grammaticus audîsse se à senioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutâsse: et qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demptis versibus:

*Ille ego, qui quondam gracili modulatus avenâ*
*Carmen; et egressus sylvis, vicina coëgi*
*Ut quamvis avido parerent arva colono,*
*Gratum opus agricolis; at nunc horrentia Martis*
*Arma virumque cano.*

Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt, nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis, innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissimè, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:

*Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?*

Sequentis:

*Dic mihi Damœta, cujum pecus? anne Latinum?*
*Non, verùm Ægonis: nostri sic rure loquuntur.*

Alius, recitante eo ex Georgicis, *Nudus ara, sere nudus,* subjecit: *habebis frigora, febrem.*

Est et adversùs Æneida liber Carbilii Pictoris, titulo Æneido-mastix. M. Vipraneus eum à Mæcenate suppositum, appellabat novæ κακοζηλίας repertorem; dicebatque neque tumidum esse, neque exilem; sed communibus verbis opus illud confecisse. Herennius vitia ejus tantùm contraxit; Petilius Faustinus furta. Sunt et Q. Octavii Aviti volumina; quibus annotatur, quos et unde versus transtulerit. Asconius Pædianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca admodum ei objecta proponit; et potissimùm quòd non rectè historiam contexuit, et quòd pleraque ab Homero sumpsit. Sed hoc crimen sic defendere assuetum ait: Cur non illi quoque eadem furta tentarent? verùm intellecturos, facilius esse Herculi clavam, quàm Homero versum surripere. Et tamen destinâsse secedere ut omnia ad satietatem malevolorum de-

cideret. Refert etiam Pædianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse; et usque adeò invidiæ expertem, ut si quid eruditè dictum inspicerit alterius, non minùs gauderet ac si suum fuisset: neminem vituperare; laudare bonos; eâ humanitate esse, ut nisi perversus maximè, quisque illum non diligeret modò, sed amaret. Nihil proprii habere videbatur. Ejus bibliotheca non minùs aliis doctis patebat, ac sibi; illudque Euripidis antiquum sæpe usurpabat, *τὰ τῶν φίλων κοινὰ, communia esse amicorum omnia.* Quare coævos omnes poëtas ita adjunctos habuit; ut cùm inter se plurimùm invidiâ arderent, illum unà omnes colerent, Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anser verò, quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur. Cornificius ob perversam naturam illum non tulit. Gloriæ verò adeò contemptor fuit, ut cùm quidam versus quosdam sibi adscriberent, eâque de re docti haberentur; non modò ægrè non ferebat, imò voluptuosum id sibi erat. Cùm enim distichon, quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore infixisset, id erat ejusmodi:

*Nocte pluit totâ, redeunt spectacula manè:*
*Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.*

Diu quæritans Augustus, cujusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat. Bathyllus verò, poëta quidam mediocris, tacentibus aliis, illos sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque à Cæsare fuit. Quod æquo animo non ferens Virgilius, iisdem valvis affixit quater hoc principium, *Sic vos non vobis.* Postulabat Augustus ut hi versus complerentur. Quòd cùm frustrà aliqui conati essent, Virgilius præposito disticho sic subjunxit:

*Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.*
*Sic vos non vobis nidificatis aves.*
*Sic vos non vobis vellera fertis oves.*
*Sic vos non vobis mellificatis apes.*
*Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romæ fabula fuit, Maro verò exaltatior.

Cùm is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret; respondit se aurum colligere de stercore Ennii. Habet enim poëta ille egregias sententias, sub verbis non multùm ornatis. Interroganti Augusto quo pacto feliciter civitas gubernaretur: Si, inquit, prudentiores temonem tenuerint, et boni malis præponantur; itaque optimi suos habeant honores, nulli tamen aliorum injusti quicquam fiat. At Mæcenas: Quid, inquit, Virgili, satietatem homini non affert? Omnium rerum, respondit, aut similitudo, aut multitudo stomachum facit, præter intelligere. Idem interrogavit, quo pacto quis altam felicemque fortunam suam servare posset. Cui Maro: Si quantùm honore ac divitiis aliis præstantior sit, tantò liberalitate et justitiâ alios superare nitatur. Solitus erat dicere, nullam virtutem commodiorem homini esse patientiâ; ac nullam asperam adeò esse fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat. Quam sententiam in quinto Æneidos inseruit:

*Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur:*
*Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.*

Cùm quidam ejus amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias sibi narraret; quam putas, inquit, esse hujusce malevolentiæ causam? nam neque unquam Cornificium offendi, et eum amo. An, inquit, Hesiodi sententiæ non meministi, ubi ait, Architectum architecto invidere, et poëtam poëtæ? De malis, inquit, Græcus ille intellexit; nam boni eruditiores amant. Sed magnâ cum meâ laude et gloriâ vindictam in manu habeo. Majore enim curâ virtuti intendam; atque quò elegantior ego fiam, eò vehementiùs invidiâ rumpetur. Erat Augusto

familiaris Filistus quidam, orator, et poësin mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat, quique omnium omnia dicta reprehendere conabatur; non ut verum dignosceret, quod Socrates facere consuevit, sed ut eruditior videretur. Hic Virgilium, ubicunque convenire dabatur, maledictis salibusque vexabat. Quare ille sæpe, aut tacitus discedebat aut suffusus pudore tacebat. Verùm cùm Augusto audiente elinguem ille diceret, et causam etiam suam, si linguam haberet, defendere nequire; Tace inquit, rabula. Nam hæc mea taciturnitas defensorem causarum mearum Augustum fecit, et Mæcenatem; et eâ tubâ, cùm volo, loquor, quæ ubique et diutissimè audietur. Tu loquacitate non modò aures hominum, sed muros rumpis. Augustus verò Filistum gravi vultu increpavit. Tunc Maro: Si tempus, Cæsar, inquit, tacendi hic sciret, rarò loqueretur. Tacendum enim semper est, nisi cùm taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis prosit. Nam qui contendit, et an contentionis finis utilis sit non novit, stultis illum annumerandum sapientes putant. Posteaquam Augustus summâ rerum omnium potitus est, venit in mentem, an conduceret tyrannidem omittere, et omnem potestatem annuis consulibus, et Senatui Rempub. reddere. In quâ re diversæ sententiæ consultos habuit Mæcenatem et Agrippam; Agrippa enim, utile sibi fore, etiamsi honestum non esset, relinquere tyrannidem, longâ oratione contendit; quod Mæcenas dehortari magnoperè conabatur. Quare Augusti animus et hinc ferebatur et illinc. Erant enim diversæ sententiæ variis rationibus firmatæ. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini se in suâ republicâ tyrannum facere. Tum ille; Omnibus fermè, inquit, rempublicam aucupantibus molesta ipsa tyrannis fuit et civibus; quia necesse erat propter odia subditorum aut eorum injustitiam in magnâ suspicione magnoque timore vivere; sed si cives justum aliquem scirent, quem amarent plurimùm; civitati id utile esset, si in eo uno omnis potestas foret. Quare si justitiam, quod modò facis, omnibus in futurum, nullâ hominum factâ compositione, distribues, dominari te, et tibi conducet, et orbi. Benevolentiam enim omnium ita habes, ut Deum te et adorent et credant. Ejus sententiam secutus Cæsar, principatum tenuit. Audivit à Syrone præcepta Epicuri, cujus doctrinæ socium habuit Varum. Quamvis diversorum philosophorum opiniones libris suis inseruisse, de animo maximè, videatur; ipse tamen fuit Academicus. Nam Platonis sententias omnibus aliis prætulit.

*Hanc præstantissimi poëtæ vitam, quòd antiquissima sit, non omisi: quòd tamen et scateat erroribus, et aliis ferè omnibus locum errandi præbuerit; ideò non esse absque censurâ proponendam existimavi. Quamobrem vitam aliam digessi per annos urbis et consules, quos cum annis Augusti Virgiliique contuli; ut ex eâ comparatione series operum rerumque veritas certiùs innotesceret.*

# P. VIRGILII MARONIS

# HISTORIA

## DESCRIPTA PER CONSULES,

## *A. CAROLO RUÆO*, S. J.

*Annus* U. C. 684. *Virgilii* 1.
Cn. Pompeius Magnus 1.
M. Licinius Crassus. 1.

Publius Virgilius Maro nascitur in pago, cui nomen *Andes*, qui ter mille passibus Mantuâ distat; Idibus Octobris, qui dies est illius mensis decimus quintus. Ita vitæ scriptor. Ita Phlegon apud Photium: Οὐιργίλιος Μάρων ὁ ποιητὴς ἐγεννήθη τούτου τοῦ ἔτους εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις, *Virgilius Maro poëta natus est hoc ipso anno, Idibus Octobris.* Ita Martialis Epigr. l. 12. 68. *Octobres Maro consecravit Idus.* Patrem habuit, ex Pseudo-Donato, Maronem; ex Probo Virgilium: matrem, Maiam. Pater, ex Servio, civis Mantuanus fuit; ex Probo, rusticus; ex aliis, opifex figulus; ex Pseudo-Donato mercenarius, à socero Maio gregibus curandis et rei rusticæ præfectus.

*Maium* illum, avum Virgilii, exemplaria vitæ omnia *Magum* vocant. At cùm ejus filia, Virgilii mater, juxta omnes *Maia* dicta sit; omnino Maiæ pater fuit Maius, non Magus: indeque ortum existimo, ut Virgilius magicis artibus imbutus fuisse creditus sit ab Elnando monacho aliisque sequioris seculi scriptoribus; quòd et Eclogâ septimâ magica quædam sacra descripsisset, et peritus esset multarum artium, et præcipuè avum habuisse *Magum* diceretur.

*Virgilius* an *Vergilius* appellandus sit, magna fuit superiore seculo controversia. Stabat Angelus Politianus pro *Vergilio*; pro *Virgilio* Pierius. Certè, neque multitudo veterum lapidum ac monumentorum, quæ *Vergilium* præferunt, quicquam evincit; cùm alia etiam complura *Virgilium* habeant: nec Græca Suidæ scriptio, Οὐεργίλιος; cùm Stephanus scribit in dictione *Mantua*, Βιργίλιος: nec etymon nominis ducit à *Vere* aut *Vergiliis* stellis; cùm alii deducant à *virgâ* laureâ, quam prægnans mater in somnis vidit; alii à *virgâ* populeâ, quæ post ejus ortum more gentis humi defixa est; alii à *virginali* verecundiâ, propter quam Neapoli *Parthenias* appellatus est, à παρθένος, *virgo.* Ego cum Pierio existimo, facilem aliquandò et promiscuam fuisse commutationem elementorum *e* et *i*. Sic, teste Quinctiliano dicebatur apud veteres *Deana*, pro *Diana*; *Menerva*, pro *Minerva*; *leber* et *magester*, pro *liber* et *magister*. Sic reperitur adhuc in quibusdam codicibus *Verginius*, pro *Virginius*. Sic etiam scribi potuit *Vergilius* pro *Virgilius*. Sed in iis omnibus litera *i* denique prævaluit.

Nec mihi videtur *Virgilii* nomen aliunde acceptum quàm à patre. Si enim fuit cognomen à *virgâ* aut *vere*, certè non secundo loco, sed tertio, quæ cognominis sedes est, appellandus fuit, P. Maro Virgilius. Neque movet me, quòd in quibusdàm veteribus libris, *Partheniatis* cognomen secundo ferat loco, hoc nimirum ordine, P. Partheniatis Virgilii Maronis Liber: id enim ex scriptorum inscitiâ contra morem Romanum factum esse manifestum est.

*Annus* U. C. 691. *Augusti* 1. *Virg.* 8.
M. Tullius Cicero.
C. Antonius.

Nascitur Octavius, qui deinde Augustus appellatus est, 9 Kal. Octob. id est 23 Septemb. Patre C. Octavio; Matre Attiâ, M. Attii Balbi et Juliæ illius filiâ, quæ Julii Cæsaris soror fuit. Quare Octavius fuit Cæsaris sororis nepos, non ex sorore nepos, ut malè quidam scripserunt.

*Annus* U. C. 696. *Aug.* 6. *Virg.* 13.
L. Calpurnius Piso.
A. Gabinius.

*Virgilius Cremonæ studiis eruditur.* Ita Hieronymus in Eusebii Chronico. Aliter tamen vitæ scriptor: *Initia ætatis, id est, usque ad septimum annum, Cremonæ egit.* Quæ verba sic emendat Scaliger in Eusebium: *usque ad sedecimum annum;* quo ferè anno Mediolanum concessit. Studia autem illius fuêre Græci præcipuè sermonis, tum medicinæ et mathematicarum disciplinarum: philosophiæ quoque sub Syrone Epicureo, et juxta Jos. Scaligerum sub Catio etiam Insubri, ejusdem sectæ philosopho, qui Mediolani natus erat. Et in eo quidem studio socium habuit Varum illum, cujus gratiâ sextam Eclogam deinde scripsit, Epicureæ philosophiæ placita de rerum origine continen-

tem. De Syrone dicemus in illius Eclogæ argumento: de Varo in eâdem Eclogâ, v. 7.

Poësim imprimis dicitur auspicatus adhuc puer: et *Cirim*, *Ætnam*, *Culicem*, *Moretum*, *Copam*, *Diras*, *Catalecton*, *Epigrammata*, *Priapeia*, junior scripsisse. At Jos. Scaliger, et post eum docti ferè omnes *Ætnam* Cornelio Severo adjudicant: *Moretum*, Auli Septimii Severi esse idem suspicatur: *Diræ*, quin à Valerio Catone scriptæ sint, ne dubitari quidem patitur: *Copam* Virgilio tribuit Priscianus, sed reclamante Scaligero: *Priapeia*, obscœnissimam epigrammatum farraginem, ex Ovidii, Catulli, Petroniique fæcibus collecta esse manifestum est. In *Catalectis* et *Epigrammatis*, ut multa sunt indigna Virgilio, propter maledicos et inverecundos sales; ita paucula quædam eodem adolescente digna possunt videri. De *Ciri* et *Culice* major est controversia.

Ac Virgilii quidem esse hoc utrumque opusculum suaserunt multis versus utrinque complures aspersi, qui in Georgicis et Æneide, aut iidem omninò, aut paulò accuratiùs limati reperiuntur. Non esse autem, mihi persuadet stylus enervis ac vagus, obscura sententia, numeri dissoluti: prorsùs ut qui tam sordidè humilis fuit, non videatur potuisse unquam ad perspicuam illam Bucolicorum tenuitatem, multò minùs ad splendidam Æneidos majestatem assurgere. Benè quidem Scaliger falsum demonstrat, id quod in vitâ Virgilii legitur, scripsisse Culicem, quicunque tandem Culex ille sit, annos quindecim natum. Quippe Statius in Genethliaco Lucani, Sylv. l. 2. v. 74. testatur Lucanum scripsisse Pharsaliam, *ante annos Culicis Maroniani.* At Lucanus post multa opera ultimam condidit Pharsaliam, eamque magnâ ex parte inemendatam reliquit, anno quo mortuus est ætatis vigesimo septimo. Addo ego, Culicem hunc, quem habemus, Octavio dicatum esse. At Octavius tum, cùm numerabat Virgilius annum decimum quintum, ipse tantùm octavum attigerat, quâ ætate, nec ipsi poëmata dicari, nec ea dici de ipso potuerunt: *At tu, cui meritis oritur fiducia tantis;* aut ut habent codices alii: *At tu, cui meritis oritur fiducia castris, Octavi venerande.* Igitur scriptum fuisse Culicem probabile est cùm Octavius aliquo in nomine cœpit esse; circa id temporis, quo donatus à Julio Cæsare militaribus donis, eum in Hispaniensia castra secutus est, anno U. C. circiter 709. Octavii 19. Virgilii 26. Quod quis credat? Virgilium ab illâ Culicis exilitate ita repentè convaluisse; ut anno pòst tertio quartove Bucolica scribere tam æquabili et vivido et puro nitore inceperit? His adducor ut putem, insulsum illum Culicem, quem habemus præ manibus, ab inepto aliquo posteriorum ætatum scriptore fictum esse; qui, cùm apud veteres laudari passim videret juvenilem Maronis Culicem, amissum illum vitio temporum restituere per ludum aut per summam audaciam voluerit, quo modo deinceps à levissimis scriptoribus multa malitiosè conficta sunt, ut Cornelii Galli Elegiæ, et nuper Petronii Fragmentum.

Idem esto de *Ciri* judicium, quam Ovidii tempore posteriorem esse indicat Scyllæ, patris et patriæ ruinam meditantis, cum nutrice colloquium; locus omnino exaratus ad similitudinem illius colloquii, quod habet Myrrha patris amore insaniens, cum nutrice item suâ, Metam. l. 9. Nec abstinet Scyllæ nutrix ab exemplo ipsius Myrrhæ proferendo; ut planè existimem fictorem illum Virgilianæ Ciris, ad Myrrham Ovidianam inter scribendum oculos intendisse. Non est igitur audiendus Scaliger, cùm Cirim illam ipsam ultimum esse statuit opus Virgilii, etiam Æneide posterius; quanquam enim fusum est feliciore venâ, quàm Culex, tamen jacent in eo multa, multa horrent, nitent quàm paucissima: nec à Virgilio senescente, et æquo rerum suarum æstimatore scribi tantillo in poëmatio potuit: *Accipe dona meo multùm vigilata labore;* nec Virgilium juvenem, et Bucolica, Georgica, Æneida meditantem, tantum rei poëticæ jam tum ceperat tædium, ut in hoc tam levi opere desinere non dubitaret: *In quo jure meas utinam requiescere Musas, et leviter blandum liceat deponere amorem.* Nec juvenis itaque, nec senex Virgilius Cirim scripsit.

*Annus* U. C. 699. *Aug.* 9. *Virg.* 16.
CN. POMPEIUS MAGNUS 2.
M. LICINIUS CRASSUS 2.

VIRILEM togam sumpsisse dicitur Virgilius apud Pseudo-Donatum, anno ætatis 17. iisdem illis Consulibus, quibus natus erat. Idipsum agnoscit Scaliger, sed minùs consideratè. Neque enim ab Idibus Octobribus primi Pompeiani Consulatûs, ad Idus Octobris secundi, completos annos reperio plures quàm quindecim. Si ergo Virgilius togâ virili donatus est, Pompeio et Crasso secundùm Coss. id anno Virgilii aut decimo quinto completo, aut decimo sexto ineunte contigit. Sin ad usque decimum septimum ineuntem recedendum est: annus is fuit U. C. 700. Consules, L. Domitius Ænobarbus, et Appius Claudius Pulcher. Si denique decimus septimus completus requiritur, annus fuit U. C. 701. Consules, Cn. Domitius Calvinus, et M. Valerius Messala; quem annum consignat his verbis Hieronymus in Eusebio: *Virgilius sumptâ togâ Mediolanum transgreditur.*

Et verò etsi Romano jure pueritia anno 17. finiretur, tumque sumeretur toga pura, seu virilis; tamen pro arbitrio tempus illud aliquando immutatum reperimus. Augustus ex Suetonio togam sumpsit anno 16. Caligula ex eodem, anno 20. M. Antonius philosophus ex Julio Capitolino, anno 15.

*Annus* U. C. 708. *Aug.* 18. *Virg.* 25.
C. JULIUS CÆSAR 3.
M. ÆMILIUS LEPIDUS 1.

JULIUS CÆSAR mense Octobri quater triumphat de Galliâ, de Asiâ, de Ægypto, de Africâ. Octavius, sororis ejus nepos, *militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quanquam expers belli propter ætatem.* Suetonius in Augusto, c. 8.

*Annus* U. C. 709. *Aug.* 19. *Virg.* 26.
C. Julius Cæsar, 4. *solus.*

Cæsar proficiscitur in Hispanias adversùs Pompeii Magni liberos. Octavius *vixdum firmus à gravi valetudine, per infestas hostibus vias, vaucissimis comitibus, naufragio etiam facto, avunculum subsecutus magnoperè demeruit.* Suetonius ibid. Cæsar redux sub initium Octobris triumphat quintùm de Hispaniis.

*Annus* U. C. 710. *Aug.* 20. *Virg.* 27.
C. Julius Cæsar 5.
M. Antonius.

Cæsar expeditionem destinans in Parthos, Octavium præmittit Apolloniam. Ibi ille, dum studiis vacat, audit Cæsarem in senatu occisum esse Idibus Martiis, se ab eo in nomen et familiam adoptatum. Romam redit: sed adversante M. Antonio Consule, adjungit se optimatibus, quos ei infensos sciebat.

*Annus* U. C. 711. *Aug.* 21. *Virg.* 28.
C. Vibius Pansa.
A. Hirtius.

Octavius mittitur cum Consulibus adversùs M. Antonium, qui Decimum Brutum Mutinæ obsessum tenebat. Solvitur obsidio; Consules tamen bello pereunt. Fit agrorum aliqua inter milites divisio per decemviros, in quibus erat Cicero. Octavius armatâ manu Romam ingressus, Consulatum mortuo Pansâ tunc vacuum, ab invito senatu extorquet, 14 Kal. Septemb. seu 19 Augusti, ante annum ætatis vigesimum expletum. Inito Consulatu, statim in nomen et bona Cæsaris lege transiit, vocatusque est deinceps ab omnibus, Dione teste l. 46. C. Julius Cæsar Octavianus. Paulò pòst, nempe 27 Novembris, ipse ac M. Antonius et M. Æmilius Lepidus, triumviros se reipublicæ constituendæ in quinquennium renunciant; magistratus, absque senatûs et populi consilio, designant in idem tempus; proscriptionem inimicorum suorum indicunt, quâ Cicero 7 Decembris occisus est.

Hinc erroris arguuntur, qui volunt Eclogam Virgilii sextam Romæ auditam à Cicerone fuisse in theatro, cum à Cytheride mimâ cantaretur; eundemque Romanæ eloquentiæ principem, ad suam et novi poëtæ laudem exclamâsse: *Magna spes altera Romæ:* quæ verba deinceps Virgilius in Æneida retulerit. Tum enim, cùm Cicero occisus est, Eclogas scribere nondum Virgilius cœperat; necdum venerat Romam: sed adhuc, aut Mediolani, aut in rure suo versabatur, ut mox deinde ostendemus.

*Annus* U. C. 712. *Aug.* 22. *Virg.* 29.
L. Munatius Plancus.
M. Æmilius Lepidus 2.

Kalendis Januariis Triumviri, inter cæteros Julio Cæsari habitos honores, sacellum ipsi dedicant in foro, ejus simulacrum ludis Circensibus cum Veneris simulacro circumferendum decernunt. Hinc Octavianus se *Divi filium* appellavit. Circa Novembrem pugnatur ad Philippos in Macedoniâ, pereuntque Cassius et Brutus, duobus præliis, mensis ferè unius intervallo dissitis, ex Plutarcho. M. Antonius abit in Asiam: Octavianus in Italiam redit, ut agros suis Antonianisque veteranis dividat.

*Annus* U. C. 713. *Aug.* 23. *Virg.* 30
L. Antonius.
P. Servilius Isauricus.

Fit agrorum divisio, ex optimis quibusque urbibus Italiæ, ejectis per vim dominis, non iis tantùm qui contra Triumviros steterant, sed etiam aliis, ut habent Appianus et Dio. Fulvia M. Antonii uxor, et Lucius Antonius Consul Marci frater, cùm divisionis illius administrationem et gratiam apud milites derivare ad se non potuissent, veterum possessorum querelis in speciem commoti, bellum in Octavianum suscitant. Asinius Pollio, M. Antonii singularis amicus, Galliam Cisalpinam interim copiis tenet, et Alpium transitum Octaviani legionibus intercludit, ut constat ex Appiano, lib. 5. Idem Lucio Perusiæ obsesso suppetias ferre frustrà conatus, sub anni sequentis initium deditâ Perusiâ, cum septem legionibus Venetiam, in quâ regione Mantua est, in potestate Antonii diu retinet, ut testatur Velleius.

Atque hæc illa est Agraria largitio, quâ Virgilius Andino patrimonio suo mulctatus est. Neque enim est, cur Corradus calamitatem illam accidisse poëtæ suspicetur decemvirali illâ divisione, quæ Mutinense bellum secuta est, et cui intererat Cicero: tum enim levis erat ac ferè nulla Romæ Octaviani auctoritas, ut optimates et ipse Cicero de eo occidendo cogitarent. Quare Virgilius dicere tum de illo non potuit id Ecl. 1. *Deus nobis hæc otia fecit;* neque istud: *Hìc illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis Bis senos cui nostra dies altaria fumant;* potuit verò hâc Philippensi divisione; cùm se jam Octavianus *Divi Julii* filium appellaret, summâque polleret triumviratûs auctoritate. Multò minùs ferendi Probus et Pomponius Sabinus, qui id ad Actiacam divisionem rejiciunt, et annum U. C. 723. Cùm enim è plerisque omnibus Virgilianæ vitæ scriptoribus certum sit, Bucolica triennio esse perfecta; certum item, ut mox demonstrabitur, Eclogam quartam anno U. C. 714. Pollione Consule, esse editam; certum id quoque habendum est, spatium illud triennii circa Consulatum Pollionis omnino esse numerandum. Adde quòd idem ipse Pomponius Virgilium dicat edidisse Bucolica anno ætatis 23. aut 24. Probus et Prædianus, anno 28. Servius, anno 29. Atqui divisionis Actiacæ tempore annos numerabat plenos atque integros novem ac triginta, quod incuriam scriptorum ejusmodi manifestam facit.

Igitur sic statuo: Virgilium Asinio Pollioni, tum in Galliâ Cisalpinâ et Venetia, cujus pars est ager Mantuanus, cum imperio versan-

ti, sive per Varum quocum philosophiæ studuerat, sive per Cornelium Gallum, sive per seipsum innotuisse: Per Pollionem commendatum esse Mæcenati: per hunc ad Octaviani gratiam irrepsisse. Quanquam enim tunc diversarum erant partium Mæcenas et Pollio; similitudo tamen studiorum et æqua probitatis fama sic utrumque sociabat, ut anno proximè sequente administri Brundusinæ pacis unà adhibiti sint. Certè Pollionis in Virgilium priora fuisse merita, Mæcenatis potiora, vel ea res probat, quòd prior à Virgilio gratia Pollioni, major Mæcenati relata sit: Eclogâ unicâ mox in illius honorem editâ; Georgicis deinde libris quatuor hujus nomine nuncupatis.

Fretus eâ commendatione Virgilius, agros ut reciperet suos, Romam sub anni hujus initio primùm venit. Quidni enim Virgilio de se fides habeatur? At Eclogâ primâ sub Tityri personâ testatur, sibi ante amissos agros Romam ignotam fuisse: *Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi Stultus ego huic nostræ similem, &c.* se libertatis obtinendæ gratiâ eò profectum: *Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi? Libertas, &c.*

Eam ob rem inter fabulas puto quicquid habet vitæ scriptor de ejus ad Octaviani gratiam aditu: quòd magistro stabuli charus primùm fuerit: quòd panes eidem ut uni è stabulariis in singulos dies dati: quòd Octavianus, de genere ac patre suo aliquando solicitus, consuluerit eâ de re stabularium Maronem; ejusque operâ speraverit patrem se posse suum certò intelligere, quia is de canum equorumque genere ac parentibus scitè interdum respondebat. Fuerit enim verò Maroni singularis illa, quam reipsâ fuisse libri Georgici declarant, rei veterinariæ peritia; fuerint hæc omnia quæ narrantur temporum rationi accommoda, ut minimè sunt: quis tantum Octaviani fuisse stuporem credat, ut veterinariæ medicinæ eam esse vim sibi persuaderet; aut tantam Romani moris inscitiam, ut se *regem magnanimum* appellaret? aut ipsi Virgilio tantam futurorum eventuum notitiam, ut Octavianum *Augusti* nomine appellaret, ante annos ad minimùm quatuordecim, quàm esset honorifica illa appellatio ejus in gratiam instituta. Quid? jocus ipse quàm insulsus! pistoris filium sibi Octavianum videri quòd panes liberaliter erogaret. Cui fabulæ locum puto præbuisse quod apud Suetonium legitur: Antonium Octaviano inter cætera probra solitum objicere, quòd proavum haberet pistorem.

Hoc itaque anno scripta est Ecloga prima, quâ poëta suam in agro recuperando felicitatem sub Tityri nomine repræsentat. Proinde exorsus est Bucolica, cùm annum decurreret nonum ac vigesimum: necdum Idus Octobres attigisset, quo tempore trigesimum erat ingressurus. Statimque Româ profectus Mantuam, novosque possessores conatus ex agro ejicere, Arium nempe Centurionem, aut primipilarem Milienum Toronem, aut veteranum Claudium: ab eo, quisquis fuerit, malè habitus, ægrè vitæ suæ consuluit, Mincio natatu trajecto. Romam regressus, ut vim novo Octaviani edicto repri meret; Eclogam, quæ ordine nona legitur, obtulisse videtur Varo, apud Octavianum gratioso, quasi libellum supplicem indicemque calamitatis; eamque, ut res urgebat, subitario impetu è variis carminum, quæ meditabatur, fragmentis concinnâsse; quod legenti persuasum fore facilè confido.

*Annus* U. C. 714. *Aug.* 24. *Virg.* 31.
CN. DOMITIUS CALVINUS.
C. ASINIUS POLLIO.

Octavianus Lucium Antonium urbemque Perusiam deditione accipit. Marcus in Italiam veniens, maximo belli metu facto, Brundusii pacem cum Octaviano componit; administris, ex parte Octaviani, Mæcenate; ex parte Marci, Pollione. Octavia, soror Octaviani, mortuo Marcello priore viro, Marco Antonio conjux datur. Redeunt Romam Triumviri: sed Sexto Pompeio Magni filio mare Siculum infestis navibus obtinente, fames in urbe sæviens urbem in Triumviros concitat. Octavianus et Antonius, à plebe tantùm non laniati, de pace cum S. Pompeio conveniunt ad Puteolos, in litore Campaniæ. Ita compositis rebus, lætitia communis et rerum omnium copia in urbem redit. Decedunt è magistratu Consules, Calvinus et Pollio, in paucos qui supererant anni hujus dies, more illorum temporum. Antonius exercitûs sui partem, ut per hyemem exerceret, mittit adversùs Parthinos, gentem Illyricam, et olim Bruti Cassiique studiosam; expeditionemque Pollioni suo committit, ut colligitur ex ejus triumpho de Parthinis anno proximè consequente.

Virgilius, cùm filius Pollioni natus esset, ejus genethliacon canit Eclogâ quartâ; antequam Pollio magistratum abdicâsset, nam v. 11. *Teque adeò decus hoc ævi, te Consule, inibit, Pollio;* post Brundusinam pacem Pollionis operâ constitutam, nam v. 17. *Pacatumque reget patriis virtutibus orbem;* post pacem etiam Puteolanam, invectâ scilicet in urbem abundantiâ, nam v. 21. *Ipse lacte domum referent distenta capellæ Ubera, &c.* Igitur sub extremos anni dies: parùm enim sani fuisset illa ætatis aureæ promissio, imminente aut Brundusini belli, aut Pompeianæ famis metu.

*Annus* U. C. 715. *Aug.* 25. *Virg.* 32.
L. MARTIUS CENSORINUS.
C. CALVISIUS SABINUS.

POLLIO bellum adversùs Parthinos feliciter gerit; de quibus triumphum agit 8 Kal. Novembris.

Dum inde Pollio Romam redit ad triumphum, perlustratque Illyrici et Venetiæ litora; Virgilius Eclogam octavam componit, ubi perstringit bellicas ejus laudes, v. 6. *Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi, Sive oram Illyrici legis æquoris, &c.*

Nec procul ab eo tempore, nempe circa medium Octobrem, videtur scripta etiam illa, quæ ordine tertia legitur: cùm scilicet victimæ et

sacra triumphalia pro Pollionis victoriâ pararentur. Ideò commendat poëta, ut vituli taurique Pollioni pascantur, v. 84. *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam: Pierides, vitulam lectori pascite vestro. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum, &c.* Quam si quis levem conjecturam putet; de illâ non admodum pugnabo mecum ut sentiat.

*Annus* U. C. 716. *Aug.* 26. *Virg.* 33.
APPIUS CLAUDIUS PULCHER.
C. NORBANUS FLACCUS.

BELLUM inter Octavium et S. Pompeium renovatur, adversâ primùm Octaviani fortunâ.

Virgilius Bucolicis finem imponit, postquam ea triennio antè incepisset. Tunc ergo scripta est Ecloga, quæ decima numeratur, quam hâc ipse consignat notâ: *Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.* Cæteræ, quas hìc omisimus, quo tempore scriptæ sint, nihil certò indicat.

*Annus* U. C. 717. *Aug.* 27. *Virg.* 34.
M. VIPSANIUS AGRIPPA 1.
L. CANINIUS GALLUS.

DUM adversùs S. Pompeium Octavianus bellum instaurat, orditur Virgilius Mæcenatis suasu Georgica, quæ septem annis consequentibus exequitur, maximâ ex parte Neapoli.

*Annus* U. C. 718. *Aug.* 28. *Virg.* 35.
L. GELLIUS POPLICOLA.
M. COCCEIUS NERVA.

S. POMPEIUS ab Octaviano navali pugnâ vincitur. Octavianus divinis honoribus coli nunc primùm incipit, ut habet Appianus, *lib.* 5. *Civil.* M. Antonius, re adversùs Parthos malè gestâ, concedit in Ægyptum ad Cleopatram, ubi se luxui et voluptatibus tradit.

*Annus* U. C. 719. *Aug.* 29. *Virg.* 36.
L. CORNIFICIUS.
S. POMPEIUS S. F.

S. POMPEIUS fugâ se recipit ad Antonium, ejusque jussu in Phrygiâ occiditur à Titio. Octavianus victor inter Deos tutelares oppidatim consecratur, cùm jam annos 28. exegisset, ut habet disertè Appianus, lib. 5.

Quicquid ergo hactenus de divinitate Octaviani apud Virgilium reperitur, id ab eo dictum, aut per adulationem, aut quia jam inde ab anno 712. Divi Julii se filium appellabat.

*Annus* U. C. 720. *Aug.* 30. *Virg.* 37.
M. ANTONIUS 2.
L. SCRIBONIUS LIBO.

*Annus* U. C. 721. *Aug.* 31. *Virg.* 38.
C. CÆSAR OCTAVIANUS 2.
L. VOLCATIUS TULLUS.

*Annus* U. C. 722. *Aug.* 32. *Virg.* 39.
CN. DOMITIUS ÆNOBARBUS.
C. SOSIUS.

HIS annis tribus jacta sunt belli semina, Octavianum inter et Antonium.

*Annus* U. C. 723. *Aug.* 33. *Virg.* 40.
C. CÆSAR OCTAVIANUS 3.
M. VALERIUS MESSALA.

DEBELLATUR apud Actium, Epiri promontorium, 2 Septembris, M. Antonius ab Octaviano, cum immensis auxiliis, quæ ex Armeniâ, Mediâ, Ægypto, Arabiâ, Indiâ, totâque fermè Asiâ collegerat. Mox in Ægyptum cum Cleopatrâ bellum reparaturus fugit.

*Annus* U. C. 724. *Aug.* 34. *Virg.* 41.
C. CÆSAR OCTAVIANUS 4.
M. LICINIUS CRASSUS.

REVERSUS in Italiam Octavianus, ut quartum consulatum acciperet, obvium habet Brundusii Senatum, à quo Consul renunciatur; ibique dies, juxta Suetonium, septem et viginti, juxta Dionem triginta, cùm substitisset, inde statim abit in Asiam, ubi reliquam hyemem traducit, in instruendo belli Ægyptii apparatu.

Falsum igitur, quod in vitâ Virgilii legitur: hunc Cæsari ex Actiaco bello reduci, et ad reficiendas vires Atellæ, quæ urbs est Campaniæ, commoranti, legisse Georgica: Mæcenate suscipiente legendi vices, quoties is vocis offensione interpellaretur. Aut id si verum est: non post Actiacum bellum, sed post Ægyptium necesse est accidisse.

Alexandriam, Ægypti regiam, Octavianus capit, mense Sextili, qui deinde Augustus appellatus est. Tum Cleopatræ et Antonii obitu solus universi orbis potitus imperio; primum Ægypti præfectum, sub procuratoris nomine, instituit Cornelium Gallum, eum, de quo decima Ecloga scripta est. Inde Octavianus per Syriam in Asiam revertitur, ibidemque hyemat non longè ab Euphrate; tum Tiridatem et Phraatem de regno Parthiæ contendentes victoriæ suæ terrore composuit: tum denique divinos honores affectavit palàm, permisitque sibi templa exstrui Nicomediæ, Pergami, &c. Quæ omnia contigere per hyemem anni hujus, ex Dione, lib. 15.

Interim Virgilius Neapoli ultimam Georgicis manum et clausulam adhibebat his verbis: *Hæc super arvorum cultu pecorisque canebam, Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat jura, viamque affectat Olympo. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope, &c.* Idem tunc prioribus libris quosdam attexuit versus, hujus ipsius anni et Ægyptiacæ victoriæ indices: ut G. 2. 171. *Te, maxime Cæsar, Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris, Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* Item G. 3. 28. *Atque hìc undantem bello, magnumque fluentem Nilum, et navali surgentes ære columnas, Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphatem, &c.* Quâ eâdem hyeme statim animum ad Æneida convertit, eamque per annos undecim executus est, ut communiter vitæ scriptores habent.

*Annus* U. C. 725. *Aug.* 35. *Virg.* 42.
C. CÆSAR OCTAVIANUS 5.
S. APULEIUS.

CÆSAR Romam reversus ter triumphat Sextili mense: de Dalmatis, de Macedoniâ et Ac-

tio, de Cleopatrâ et Ægypto. Atque ita pace per universum orbem Romanum constitutâ, templum Jani claudit tertiùm à Romulo. Quod inseruit Virgilius Æneidos libro primo, quem tunc habebat in manibus, v. 295. *Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis, Claudentur belli portæ, &c.*

Eodem anno Censuram exercet Cæsar, et collegam sibi assumit M. Agrippam, quo in munere, ad expurgandos ordines reipublicæ, moresque, ambo multa fecerunt. Id quoque significat Virgilius eodem libro, v. 296. *Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabunt.*

Dicitur et hoc anno Cæsar deliberâsse de imperio deponendo, eâque de re consultores adhibuisse Mæcenatem et Agrippam. Et suadebat quidem Agrippa deponendum; negabat Mæcenas, cujus consilio obsecutus est. Id vero perquàm absurdum; quod si esset, non fuisset à solo Pseudo-Donato, sed à gravissimis etiam historicis memoratum; Maronem nempe ab Cæsare vocatum etiam in consilium, Mæcenati assensum esse, nutantemque principis animum assensu hoc suo confirmâsse.

*Annus* U. C. 726. *Aug.* 36. *Virg.* 43.
C. Cæsar Octavianus 6.
M. Vipsanius Agrippa 2.

Cæsar, perfectâ hoc anno censurâ, solemnibus sacrificiis, Romano more, lustrum condit; ludos Actiacos quinquennales, ad æternam victoriæ suæ memoriam à se priùs institutos, primùm exhibet, nobilium puerorum equestri decursione et gymnicâ exercitatione præcipuè insignes; ex Dione lib. 51. et 53. Quæ omnia sub Æneæ personâ repræsentat Virgilius, lib. 3. v. 279. *Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras, Actiaque Iliacis celebramus litora ludis; Exercent patrias oleo labente palæstras Nudati socii, &c.*

*Annus* U. C. 727. *Aug.* 37. *Virg.* 44.
C. Cæsar Octavianus 7.
M. Vipsanius Agrippa 3.

Augusti nomine donatur Octavianus à Senatu, Munatii Planci sententiâ, Januario mense.

*Annus* U. C. 728. *Aug.* 38. *Virg.* 45
C. Cæsar Augustus 8.
T. Statilius Taurus 2.

Cornelius Gallus, amicus Virgilii, primus Ægypti procurator ab Augusto constitutus, ob multa ibidem violenter acta eidem invisus, et à Senatu damnatus, seipsum interficit. Aiunt ejus laudes fusè à Virgilio fuisse celebratas Georg. l. 4. indeque post ejus necem jussu Augusti sublatas, et Aristæi fabulam earum loco substitutam. Sed fidem ii apud me non faciunt: tum quòd Aristæi fabula sic cum apum culturâ connexa est, ut nata è re ipsâ, non huic attexta videatur: tum quòd Virgilius tantam operis partem laudando Gallo minimè debuit tribuisse, qui non nisi pauculos versus Mæcenati dederat suo, cui totum ipsum opus dedicabat: tum quòd Augustus ipse, qui Suetonio teste luxerat Galli necem, non ita videtur infestus ejus fuisse memoriæ, ut inanes ei laudes invideret.

*Annus* U. C. 729. *Aug.* 39. *Virg.* 46.
C. Cæsar Augustus 9.
M. Junius Silanus.

Augustus movet expeditionem in Cantabros: quà dum abesset, supplicibus, ut Pseudo-Donatus ait, minacibusque literis partem Æneidos aliquam efflagitat à Virgilio; nec obtinet Virgilianæ ad Augustum epistolæ fragmentum profert Macrobius Saturn. lib. 1. cap. ultimo: *Ego verò frequentes à te literas accipio.... De Æneâ quidem meo, si mehercule jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res est, ut penè vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cùm præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multóque potiora impertiar.*

*Annus* U. C. 730. *Aug.* 40. *Virg.* 47.
C. Cæsar Augustus 10.
C. Norbanus Flaccus.

Marcellus, Octaviæ sororis Augusti filius, fit Ædilis, annos natus 18. Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur, ex Hieronymo in Euseb. Horatius de hujus obitu Virgilium consolatur, Od. lib. 1. 24. Hunc grammatici, nullo veteri auctore, *Varum* appellant. Sed Quintilium Cremonensem, à Quintilio Varo debere distingui, ostendemus Ecl. 6. v. 7.

*Annus* U. C. 731. *Aug.* 41. *Virg.* 48.
C. Cæsar Augustus 11.
Cn. Calpurnius Piso.

Moritur Marcellus, anno circiter ætatis 20. maximo Augusti et Octaviæ totiusque populi Romani luctu, apud Baias. Corpus ejus ingenti pompâ crematur in Campo Martio. Virgilius non multò post sextum Æneidos librum perficit, ornatque pulcherrimis de Marcelli obitu ac funere versibus: quos cùm recenti adhuc dolore Augusto recitaret, dicitur Octavia defecisse, et pro singulis hujus argumenti versibus poëtæ dena sestertia jussisse numerari.

Tiridates, Armeniæ rex, cui cum Phraate Parthorum rege malè conveniebat, Romæ ab Augusto accipitur. Quo tempore accidit, quod innuit Dio, ut captivos et signa, bellis superioribus Romanis erepta, Augustus à Partho repeteret. Hæc Virgilius, cùm in Parthicum bellum vergere tum suspicaretur, inseruit libro septimo, cui tunc dabat operam, v. 604. *Sive Getis inferre parat lacrymabile bellum, &c. Seu tendere ad Indos, Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa: Sunt geminæ belli portæ, &c.* Igitur annis minùs quatuor, sex ferè ultimos operis libros poëta perfecit: nec verò tanta in iis elucet, quanta in superioribus, cura.

*Annus* U. C. 732. *Aug.* 42. *Virg.* 49.
M. Claudius Marcellus.
L. Arruntius.

Sub anni hujus finem, antequam sequentes Consules magistratum inierent, ex Dione, iter in Græciam Augustus suscipit.

*Annus* U. C. 733. *Aug.* 43. *Virg.* 50.
Q. Æmilius Lepidus.
M. Lollius.

Augustus perlustrat Græciæ et Siciliæ civitates: hyememque transigit in insulâ Samo.

*Annus* U. C. 734. *Aug.* 44. *Virg.* 51.
M. Apuleius.
P. Silius Nerva.

Trajicit Augustus in Asiam, mulctat Syriæ civitates: ibique amissas à Crasso aquilas recipit à Parthis. Romam revertitur; iterumque in Samum hyematurus consedit.

*Annus* U. C. 735. *Aug.* 45. *Virg.* 52.
C. Sentius Saturninus.
Q. Lucretius Vespillo.

Virgilius, Æneïde confectâ, proficiscitur in Græciam, ut divinum opus per otium expoliret. Cùm tamen Augusto Romam revertenti occurrisset, de reditu cum eo cogitans, languore correptus est: auctâque per navigationem valetudine, Tarentum, aut, juxta plures, Brundusium appulit, ibidemque decessit, 22 Septembris, annos natus 50. menses 11. dies 7. Dicitur moriens Æneïda, cùm nondum ad eam quam instituerat animo formam perduxisset, petiisse comburendam; negatamque sibi ab amicis, per testamentum legâsse Plotio, Tuccæ, et Vario, qui eam aut comburerent, aut emendarent. Fabulam putat Corradus; sed cùm id apertè Gellius, Macrobius, imprimisque Plinius, Historiæ suæ lib. 7. c. 30. testentur; non video contra testes ejusmodi quæ vis possit esse tanta rationum. Plotii Variique mentio frequens apud Horatium: è quibus Varius Epici carminis eâ ætate princeps fuit. Sat. lib. 1. 5. 39. *Postera lux oritur multò gratissima; namque Plotius et Varius Sinuessæ, Virgiliusque, Occurrunt: animæ, quales neque candidiores Terra tulit, nec queis me sit devinctior alter.* Corpus Virgilii Neapolim, ut cupierat, translatum, viâ Puteolanâ sepultum est. Scripta, sublatis aliquot versibus, nullo addito, dicuntur expurgata.

Morum et famæ cognitio, è veterum testimoniis mox afferendis, potiùs quàm ex Pseudo. Donato repetenda est.

# TESTIMONIA VETERUM DE VIRGILIO.

### HORATIUS, *Sat. l.* 1. 10.

———Forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

### IDEM, *Sat.* 6.

———Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quis essem.

### PROPERTIUS, *lib.* 2. *Eleg. ult.*

Me juvet æternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus:
Actia Virgilium custodis litora Phœbi,
Cæsaris et fortes dicere posse rates:
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus, &c.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poëtæ,
Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen doctâ testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

### OVIDIUS, *Artis amat. lib.* 3.

Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus.

### IDEM, *Amorum, lib.* 1.

Tityrus, et Segetes, Æneïaque arma legentur:
Roma triumphati dum caput orbis erit.

### IDEM, *Trist. l.* 2.

Et tamen ille tuæ felix Æneïdos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
Quàm non legitimo fœdere junctus amor.
Phyllidis hic idem, teneræque Amaryllidis ignes,
Bucolicis juvenis luserat antè modis.

### SILIUS, *lib.* 8.

Mantua Mùsarum domus, atque ad sidera cantu
Evecta Andino, et Smyrnæis æmula plectris.

### STATIUS, *Thebaïda alloquens.*

Vive precor, nec tu divinam Æneïda tenta
Sed longè sequere, et vestigia semper adora.

### JUVENALIS, *Satyrâ* 11.

Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

### MARTIALIS, *Epig. l.* 8.

Temporibus nostris ætas cùm cedat avorum,
Creverit et major cùm duce Roma suo:
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quenquam tantâ bella sonare tubâ?
Sint Mæcenates: non deerunt, Flacce, Marones:
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt, &c.

### IDEM, *lib.* 14.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Ne nugis positis arma virumque canas.

### SULPICIUS CARTHAGINIENSIS.

Jusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul; tu, maxime Cæsar,
Non sinis, et Latiæ consulis historiæ.
Infelix gemino cecidit propè Pergamus igni,
Et penè est alio Troja cremata rogo.

### ALCIMUS.

Mæonio vati qui par aut proximus esset,
Consultus Pæan risit, et hæc cecinit:
Si potuit nasci quem tu sequereris, Homere;
Nascetur qui te possit, Homere, sequi.

### VELLEIUS, *lib.* 2.

Inter quæ maximè nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, &c.

### SENECA, *Controv. lib.* 3.

Virgilium illa felicitas ingenii in oratione solutâ reliquit; Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.

### PLINIUS, *Hist. l.* 7. *c.* 30.

D. Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit: majusque ita Vati testimonium contigit, quàm si ipse sua carmina probavisset.

### PLINIUS, *Epist.* 21. *lib.* 3.

Virgilii ante omnes imaginem venerabatur Silius, cujus natalem religiosiùs quàm suum celebrabat: Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire ut templum solebat.

### TACITUS, *Dialogo de Orat.*

Malo securum et secretum Virgilii secessum; in quo tamen, neque apud D. Augustum gratiâ caruit, neque apud populum Romanum notitiâ. Testes Augusti Epistolæ: testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus, et fortè præsentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.

### QUINTILIANUS, *lib.* 10.

Utar verbis iisdem, quæ ab Afro Domitio juvenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maximè accedere: Secundus, inquit, est Virgilius; propior tamen primo quàm tertio.

### IDEM, *lib.* 9.

Vetustatis amator unicè fuit Virgilius.

### MACROBIUS ET GELLIUS.

Totis capitibus, quæ exscribere longum esset.

### LAMPRIDIUS, *de Alexandro Severo.*

Virgilium, Platonem poëtarum vocabat: ejusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, et Achillis, et magnorum virorum.

# CLAVIS

## METRICO-VIRGILIANA;

SIVE

## DIFFICULTATUM PRÆCIPUARUM IN VIRGILII VERSIFICATIONE SOLUTIO.

---

Editoribus hoc opus prelo parantibus visum est de Metris Virgilianis aliquid in gratiam tironum adjicere; atque ut votis obsequerer, Tabulam sequentem, in quâ fere omnia saltem difficiliora sunt exhibita atque soluta, constitui. De hâc paucis expediam.

Notissimum est vel tironibus Carmen Virgilianum esse *Hexametrum*, sive Heroicum. Hexametrum autem constat sex pedibus; quorum quintus est Dactylus, sextus Spondæus: quatuor verò priores sine discrimine sunt vel Dactyli vel Spondæi. Interdum quintâ regione ponitur Spondæus; unde et versus *Spondaicus* dicitur: quando scil. vel rei alicujus gravitas atque amplitudo, vel tarditas, vel ingens mœror, vel simile quid declaratur. Sed in versu Hexametro præcipuè spectanda est *Cæsura.*

Cæsura est cùm post perfectum pedem superest syllaba vocem finiens. Sic vocatur à *cædendo*, quia sic cæditur sive secatur vox; ut posterior ejus pars sit initium pedis sequentis. Cæsuræ duplex est effectus:

1. Versui conciliat gratiam et suavitatem, dum voces inter se aptè connectit.

2. Syllabam naturâ brevem sæpe producit, imprimis post pedem secundum et tertium.

Post primum: ut, Æn. 4. 64.

Pēctŏrĭ- | -būs inhians, spīrantia consulit exta.

Post secundum: ut, E. 10. 69.

Ōmnĭă | vīncĭt ă- | -mōr, et nos cedamus amorī.

Post tertium: ut, Æn. 3. 464.

Dōnă dĕ- | -hīnc aū- | -rō grăvĭ- | -ā, sectoque elephanto.

Post quartum: ut, Æn. 10. 720.

Graīŭs hŏ- | -mo, īnfēc- | -tōs līn- | -quēns prŏfŭ- | -gūs hymenæos.

Præterea, Cæsura vocales naturâ breves non solùm producit, sed etiam eas, unà cum diphthongis, ab elisione servat. In Tabulâ sequente visendæ sunt

omnes syllabæ, vocales, et diphthongi, Cæsurâ affectæ, notis quantitatis conservationisque unicuique appositis.

In versibus scandendis, præter Cæsuram, observandæ sunt hæ septem Figuræ, *Synalœpha*, *Ecthlipsis*, *Synæresis*, *Diæresis*, *Systole*, *Diastole*, et *Apocope*.

Synalœpha est cùm vocalis vel diphthongus in fine vocis alicujus, propter vocalem vel diphthongum à quâ vox sequens incipit, dimetiendo absorbetur, sive eliditur; ut, Æn. 2. 1.

Cōntĭcŭ- | -ēr' ōm- | -nēs īn- | -tēntī- | -qu' ōră tĕ- | -nēbānt.

Synalœpha interdum negligitur; et quidem regulariter, ut in interjectionibus *O*, *heu*, *proh*, &c. Sic Æn. 10. 18.

ō pătĕr, ō hŏmĭnum Divûmque æterna potestas.

Vocales autem longæ et diphthongi, quando non eliduntur, fiunt communes.

Ecthlipsis est, cùm *m* finale cum præcedente vocali eliditur, propter sequentem vocalem: ut, Æn. 3. 658.

Mōnstrum hōr- | -rēndum, īn- | -fōrme, īn- | -gēns; cuī | lūmĕn ă- | -dēmptūm.

Utraque et Synalœpha et Ecthlipsis, etiam invenitur in extremâ versûs syllabâ; ubi elisio fit à vocali versûs sequentis.

Synæresis est duarum syllabarum ejusdem vocis in unam contractio; ut *aë* in *æ*, *eï* in *ei*. Sic *Phæthon* pro *Phaëthon*, *Thesei*, *Orphei*, &c. dissyl.

Ad hanc quoque refertur, cùm, vocalibus *i* et *u* in consonantes *j* et *v* mutatis, duæ syllabæ in unam contrahuntur; ut in *genva* vel *gen-wa*, *tenvis*, *abjete*, &c. pro *genua*, *tenuis*, *abiete*.

Diæresis est unius syllabæ in duas dissolutio; ut in *aulaï*, &c. pro *aulæ*.

Systole est syllabæ alioquin longæ correptio; ut *tulĕrunt*, &c. pro *tulērunt*. Sic poëtæ primam nonnunquam in *Orion* corripiunt: ut, Æn. 1. 535.

Cum subitò assurgens fluctu nimbōsŭs ŏrīōn.

Diastole est syllabæ alioquin brevis productio; ut in *Prīamides*, &c. Sic Æn. 3. 346.

Prīămĭdēs mūltīs Hĕlĕnūs cŏmĭtāntĭbūs āffērt.

Huc pertinet et cùm syllaba brevis geminatione consonantis fit longa; ut in *relligio*, *relliquiæ*, *repperit*, et similibus cum *re* compositis. Sed ut Virgilius eas pro longis fere semper usurpat, cautum est in hâc Editione ne cum geminatis consonantibus scriberentur.

Apocope est ablatio literæ vel syllabæ à fine vocis; ut, *peculî*, *tanton'*, &c. pro *peculii*, *tantone*.

Hæ figuræ fere omnes metricas Virgilii difficultates complectuntur.

His etiam adjunxi catalogum Diphthongorum; unà cum paucis Miscellaneis, quorum ratio non sit omnino tironibus obvia.

GULIELMUS DUNCAN.

Edinburgi,
Cal. Jul. 1820.

# CLAVIS

# METRICO-VIRGILIANA.

## CÆSURA.

E. 1. 39. aberāt
— 2. 24. Actæō, *o servato.*
— 3. 6. pecorī, *serv.*
—— 63. laurī, *serv.*
—— 97. erīt
— 4. 51. terrasquē
— 6. 44. lītŭs Hȳlā, *serv.*
—— 53. fultūs
— 7. 53. jūnĭpĕrī, *serv.*
—— cāstănĕæ, *serv.*
— 8. 41. pĕrĭī, *serv.*
—— 44. Rhŏdŏpē, *serv.*
— 9. 66. puēr
— 10. 12. Aŏnĭā, *serv*
—— 13. laurī, *serv.*
—— 69. amōr
G. 1. 31. Tethȳs
—— 138. Plēĭădās
—— 153. lappæquē
—— 164. tribulaquē
—— 221. Eoæ, *serv.*
—— 281. conatī, *serv.*
—— 352. æstusquē
—— 371. Euriquē
— 2. 5. gravidūs
—— 71. fagūs
—— 86. rădĭī, *serv.*
—— 211. ēnĭtŭīt
— 3. 60. patī, *serv.*
—— 76. ingreditūr
—— 118. labōr
G. 3. 155. pecorī
—— 189. invalidūs
—— 332. Jovīs
—— 385. lappæquē
— 4. 92. meliōr
—— 222. terrasquē
—— 336. Drimoquē
—— 343. Ephyrē, *serv.*
—— 453. nulliūs
—— 463. Getæ, *serv.*
Æ. 1. 16. Samō, *serv.*
—— 308. vidēt
—— 478. pulvīs
—— 617. Dardaniō, *serv.*
—— 651. peterēt
—— 668. jactetūr
— 2. 369. pavōr
—— 411. obruimūr
—— 563. domūs
— 3. 74. matrī, *serv.*
—— Neptunō
—— 91. liminaquē
—— 112. nemūs
—— 464. graviā
—— 504. casūs
—— 606. manibūs
—— 702. Gelā
— 4. 64. pectoribūs
—— 146. Cretesquē
—— 222. alloquitūr
—— 235. spē, *serv.*
—— 667. femineō
— 5. 284. datūr
—— 337. Euryalūs

Æ.5. 521. paritēr
—— 735. colō, *serv.*
—— 853. amittebāt
— 6. 768. Numitōr
— 7. 174. erāt
—— 178. cedrō, *serv.*
—— 186. spiculaquē
—— 226. Oceanō, *serv.*
—— 398. canīt
—— 631. turrĭgĕræ, *serv.*
— 8. 98. procūl
—— 363. sŭbĭīt
—— 425. Brontesquē
— 9. 291. tuī, *serv.*
—— 477. femineō, *serv.*
—— 610. fatigamūs
—— 647. Dardaniō, *serv.*
—— 767. Nŏēmŏnăquē
— 10. 136. buxō, *serv.*
—— 141. domō, *serv.*
—— 156. ducī, *serv.*
—— 383. dedīt
—— 394. capūt
—— 720. profugūs
—— 872. amōr
— 11. 69. languentīs
—— 323. amōr
—— 469. patēr
—— 522. vallīs
— 12. 13. patēr
—— 31. generō, *serv.*
—— 89. ensemquē
—— 181. fontesquē
—— 232. manūs
—— 363. Chlōrĕăquē
—— 422. dolōr
—— 443. Antheūsquē
—— 550. domitōr
—— 668. amōr
—— 772. stabāt.

---

## SYNALŒPHA, passim.

*In fine versûs.*

G. 2. 69. hōrrī- | -d' Et
—— 344. călōrēm- | -qu' Inter
—— 443. cŭprēssōs- | -qu' Hinc
— 3. 242. fĕrārūm- | -qu' Et
—— 377. tōtās- | -qu' Advolvēre
—— 449. sūlphū- | -r' Idæasque
Æ. 1. 332. lŏcōrūm- | -qu' Erramus
—— 448. nexæ- | -qu' Ære
— 2. 745. Dĕōrūm- | -qu' Aut
— 4. 558. cŏlōrēm- | -qu' Et
— 5. 422. lăcērtōs- | -qu' Exuit
—— 753. rŭdēntēs- | -qu' Exigui
— 6. 602. cădēntī- | -qu' Imminet
— 7. 470. Lătīnīs- | -qu' Hæc
— 8. 228. ōmnēm- | -qu' Accessum
— 9. 650. cŏlōrēm- | -qu' Et
— 10. 781. cœlūm- | -qu' Adspicit
—— 895. Lătīnī- | -qu' Advolat
— 11. 609. frĕmēntēs- | -qu' Exhortantur.

*Synalœpha neglecta.*

E. 3. 79. vălē, vălĕ, ĭnquĭt
— 6. 44. Hȳlă ōmnĕ
— 8. 108. ān quĭ ămānt
G. 1. 281. Pēlĭŏ ŏssām
—— 332. aūt Ăthŏ, aūt Rhŏdŏpēn
—— 437. Glaūcŏ, ĕt Pănŏpēaĕ, ĕt Īnŏō
Æ. 1. 405. pătŭīt Dĕă. Īlle ŭbĭ mātrēm
— 3. 211. īnsŭlaĕ Īŏnĭo īn māgnō
— 5. 261. sŭb Īlĭŏ āltō
— 6. 507. sērvānt. Tĕ, ămīcĕ, nĕquīvī

*Interjectio* o *interdum corripitur; ut,* E. 2, 65. ŏ Ălēxi; *sed nunquam eliditur.*

---

## ECTHLIPSIS, passim.

*In fine versûs.*

G. 1. 295. hūmō- | -r' Et
Æ. 7. 160. Lătīnō- | -r' Ardua.

---

## SYNÆRESIS.

E. 1. 50. insuēta
— 3. 96. reīce, *per* Sync. *et* Synær.
— 4. 57. Orpheī
— 6. 30. Orpheā
—— 42. Prometheī
—— 78. Tereī
— 7. 7. deērraverat
— 8. 70. Ulysseī
—— 81. ūno eōdem, *per* Synal. *et* Synær.
G. 1. 165. Celeī
—— 279. Tȳphō-eā
—— 482. flūviōrum
— 2. 129. miscuērunt
—— 180. tenuīs, *q.* tēn-vīs, *vel* tēn-wīs
—— 233. deērunt
—— 453. alveō
—— 480. ōbĭcĭbus, *q.* ob-jicibus
— 3. 168. assuērint
—— 283. miscuērunt
— 4. 34. alveāria
—— 38. tēnuĭă, *q.* ten-wia
—— 243. stēllio ēt, stell-y' et
—— 297. pārĭĕtĭbus, par-yetibus
—— 355. Pēneī
—— 422. ōbĭcĕ, ob-jice
—— 545. Orpheī
—— 553. Orpheī
Æ. 1. 30. Achilleī
—— 41. Oïleī
—— 120. Ilioneī
—— 220. Oronteī
—— 698. aureā
—— 726. aureīs
— 2. 7. Ulysseī
—— 16. ābiĕtĕ, ab-yete
—— 90. Ulysseī
—— 436. Ulysseī
—— 442. pārĭĕtĭbus
—— 492. ārĭĕtĕ

Æ.2. 654. īīsdem, *vel* īsdem, *ut fere scrib.*
— 3. 87. Achilleī
—— 158. īdem
—— 541. īdem
—— 564. īdem
—— 613. Ulysseī
—— 691. Ulysseī
— 5. 184. Mnestheō
—— 352. aureīs
—— 432. gĕnuă, gen-wa
—— 589. pārĭĕtĭbus
—— 663. ābĭĕtĕ
— 6. 33. omniā
—— 201. grāveŏlēntis
—— 280. ferreī
—— 412. alveō
—— 839. Achilleī
— 7. 33. alveō
—— 70. īsdem
—— 175. ārĭĕtĕ
—— 190. aureā
—— 249. Ilioneī
—— 262. deērit
—— 303. alveō
—— 532. Tyrrheī
—— 609. æreī
— 8. 194. sēmihŏmĭnis, sem-yominis
—— 227. ōbĭcĕ, ob-jice
—— 292. Eurystheō
—— 372. aureō
—— 383. Nereī
—— 553. aureīs
—— 599. ābĭĕtĕ
—— 639. īdem
— 9. 32. alveō
—— 501. Ilioneī
—— 674. ābĭĕtĭbus
—— 716. Tўphō-eō
— 10. 116. aureō
—— 129. Mnestheō
—— 377. ōbĭcĕ, ob-jice
—— 378. deēst
—— 396. sēmiănĭmēs, sem-yanimes
—— 404. sēmiănĭmis
—— 487. ūna eādem, *per* Synal. *et* Synær.
—— 496. balteī
—— 764. Nereī
— 11. 200. sēmiūstă
—— 262. Proteī
—— 265. Idŏmĕneī
—— 383. proīndĕ
—— 400. proīndĕ
—— 635. sēmiănĭmēs
—— 667. ābĭĕtĕ
—— 890. ārĭĕtāt, ar-yetat
———— ōbĭcĕ, ob-jice.
— 12. 84. āntĕīrēnt
—— 356. sēmiănĭmi
—— 541. æreī
—— 706. ārĭĕtĕ
—— 847. ūno eōdem, *per* Synal. *et* Synær.
—— 905. gĕnuă, gen-wa.

*Apud Virgilium* deinde *semper dissyllabum;* Dii *et* Diis *ubique monosyllaba, et hic fere scrib.* Dî *et* Dîs. *Genitivus* ei, *ex nom. propr. in* eus *diphthongo, non exceptis* Achillei *et* Ulyssei, *constanter monosyllabum per* Synæresin.

## DIÆRESIS.

E. 6. 21. Æglē Nāĭădūm pulcherrima
Æ. 1. 119. Trōĭă gaza, *et sic alibi.*
— 3. 354. Aūlāi īn mĕdĭo
— 5. 417. Trōĭŭs ārmă, *et sic alibi.*
— 9. 26. Pictaï.

## SYSTOLE.

E. 4. 61. tulĕrunt
Æ.2. 774. stetĕrunt
— 3. 48. stetĕrunt
—— 681. constitĕrunt
— 10. 334. stetĕrunt.

## DIASTOLE.

Æ.3. 185. Ītala
— 9. 37. telā
—— 698. Ītala
— 12. 648. istīūs.

## SYNCOPE, passim.

*Sic* Deûm, virûm, currûm, &c. *sed in textu omnia fere notata sunt.*

## APOCOPE.

E. 1. 33. peculī
—— 69. tugurī
G. 4. 564. otī
Æ. 1. 247. Patavī
—— 258. Lavinī
—— 270. Lavinī
—— 532 Œnotrī
— 3. 319. Pўrrhīn'
— 5. 269. tænīs
— 6. 84. Lavinī
—— 123. mī
—— 779. vĭdĕ'n'
— 7. 797. Numicī
— 9. 9. petīt
—— 448. Capitolī
— 10. 167. Clusī
—— 668. tāntōn'
— 11. 7. Mezentī.
— 12. 503. tāntōn'
—— 797. mōrtālīn'
—— 874. tālīn'.

## DIPHTHONGI.

E. 4. 55. Orpheūs, *et sic alibi.*
G. 4. 368. Enīpeūs
—— 388. Proteūs, *et sic alibi.*
—— 392. Nereūs, *et sic alibi.*
—— 447. Proteū
—— 463. Orithyīă, *et sic alibi.*
—— 494. Orpheū
Æ. 1. 521. Ilĭŏneūs, *et sic alibi.*
— 2. 318. Pantheūs
—— 322. Pantheū, *et sic alibi.*
—— 339. Rhipheūs, *et sic alibi.*
— 3. 212. Hārpyīæ, *et sic de cæteris.*
—— 401. Idŏmĕneūs
— 4. 469. Pentheūs
— 5. 116. Mnestheūs, *et sic alibi.*
—— 263. Phēgeūs, *et sic alibi.*
—— 537. Cisseūs
— 6. 287. Brĭăreūs
—— 448. Cæneūs
—— 479. Tydeūs
—— 618. Theseūs
— 7. 389. ēvœ, *vel* ēvŏĕ
—— 508. Tyrrheūs, *et sic alibi.*
— 8. 298. Tўphō-eūs
— 10. 402. Rhœteūs
— 11. 260. Căphāreūs
—— 612. Aconteūs
—— 768. Chlōreūs
— 12. 443. Antheūs.

## MISCELLANEA.

E. 4. 57. Orphĕī, *vel* Orpheī *per* Synær.
—— Callĭŏpēă
— 6. 2. Thălīă
G. 2. 97. Sūnt ĕtĭam Āmmĭnĕæ
—— 383. Thēsĕīdæ, *vel* Thēsīdæ.
—— 464. Ephўrēĭă
—— 487. Sperchīus
—— 488. Tāўgĕta, ō
— 4. 232. Tāўgĕtē
—— 233. Pleīăs ĕt
Æ. 1. 131. dehīnc, *per* Synal.
—— 256. dehīnc, *per* Synal.
—— 611. Ilĭŏnēă, *Ionum more.*
— 2. 264. Mĕnĕlāūs
—— Epēūs
— 3. 122. Idŏmĕnēă, *Ionum more.*
— 4. 52. ăquōsŭs ŏrīōn
— 5. 186. praĕĕūntĕ
— 6. 678. dehīnc, *per* Synal.
— 7. 484. Tyrrhĕīdæ, *vel* Tyrrhīdæ.
— 9. 102. Nērēĭă
—— 418. Īīt, *vel* īt *per* Synær.
—— 480. dehīnc, *per* Synal.
—— 673. Hĭēra, *metri causâ.*
— 10. 129. frātrē Mnēstheō, *al.* frātrĕ Mĕnes.
—— 220. Cўbĕle, *more Græco.*
—— 763. māgnŭs ŏrīōn
— 11. 659. Thermōdōntis
— 12. 515. Echīŏnĭūm.

# ARGUMENTUM

IN

# BUCOLICA.

*BUCOLICUM carmen idem est ac pastorale, deducto nomine à pastoribus ; quorum sunt præcipui qui curant boves, sive bubulci, Græcè* βουκόλοι, *à* βοῦς, bos. *Quo in genere Virgilius Theocritum, Syracusanum poëtam, imitandum sibi proposuit.*

*Carmina ejusmodi sua vocavit Theocritus* Idyllia, *Virgilius* Eclogas. *Est autem* ἐκλογὴ Ecloga, *delectus paucorum aliquot opusculorum è pluribus, quæ fecerit auctor, nec luce digna judicârit ; vel, delectus quorundam versuum quos è Theocrito per imitationem expresserit. Est enim* ἐκλέγειν eligere, secernere. *Malè autem scribitur à quibusdam Ægloga, quasi ab* αἴξ capra *et* λόγος sermo : *Tum quia non* ἐκλογὴ, *sed* αἰγολογία *dicenda esset ; tum quia minima pars hujus operis ad capras pertinet ; ad oves, cantus, amores, multò maxima : tum denique quia nomen Eclogæ aliis operibus tribuitur benè multis, in quibus pastoritium nihil, imò nihil omnino præter* delectum *significat. Tales habemus hodie Polybii, Diodori, Strabonis* Eclogas, *sive excerpta è majori opere ; Odas Horatii vocat Sidonius Apollinaris,* varii carminis Eclogas : *Ejusdem Horatii Satyræ in quibusdam codicibus* Eclogæ *inscribuntur.*

*Cœpta sunt Bucolica anno Virgilii* 29. *exeunte, U. C.* 713, *et triennio perfecta ; ut jam in Vitâ, moxque singulis in Eclogis disseremus.*

# P. VIRGILII MARONIS

# B U C O L I C A.

## E C L O G A I.

## TITYRUS.*

### ARGUMENTUM.

CÆSAR *Octavianus cùm agrum Cremonensem et Mantuanum veteranis militibus in præmium attribuisset, Virgilius Mantuanus inter cæteros agello suo spoliatus est: sed Mæcenati commendatus per Asinium Pollionem, qui tunc in illâ regione cum aliquot legionibus versabatur; et per Mæcenatem in Octaviani gratiam inductus, quod amiserat, recuperavit. Hæc igitur ecloga laudes Octaviani et Romæ, suam felicitatem, Mantuanorum calamitatem, commemorat. Tityrus Virgilium repræsentat, Melibœus Mantuanos.*

*Scripta est anno Virgilii 29. Urbis conditæ 713. Coss. P. Servilio et Lucio Antonio, Marci fratre; quo anno facta est celebris agrorum divisio, ex quâ bellum Perusinum statim erupit: veteribus agrorum dominis confugientibus ad Lucium, et cum eo adversùs Triumviros conspirantibus. Accidit autem agraria illa divisio post victoriam Philippensem Octaviani et M. Antonii, de Bruto et Cassio Julii Cæsaris percussoribus, anno proximè præcedente relatam: non verò post victoriam Actiacam Octaviani de M. Antonio, ut malè in Pomponii et Probi commentariis legitur. Cadit enim hæc in annum Virgilii 39. at Bucolica ante annum ejus 32. absoluta sunt; quippe anno 29. incepta, et triennio perfecta. Quos errores in vitâ Poëtæ fusiùs emendavimus.*

### NOTA.

* TITYRUS.] Aptum argumento nomen. Est enim Tityrus, Hesychio, *Satyrus, calamus, avis quædam:* Servio, *aries major:* Interpreti Theocriti, *otiosus.*

### MELIBŒUS, TITYRUS.

MEL. Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Sylvestrem tenui Musam meditaris avenâ.
Nos patriæ fines, et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: Tu, Tityre, lentus in umbrâ
Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.
TIT. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram

INTERPRETATIO.

MEL. *Tityre, tu jacens sub umbraculo fagi opacæ, modularis cantilenam pastoralem* cum *parvâ fistulâ: nos deserimus terminos patriæ, et agros amœnos; nos eximus è patriâ: tu, Tityre, otiosus sub umbrâ doces arbores referre* nomen *pulchræ Amaryllidis.* TIT. *O Melibœe, Deus nobis dedit hanc quietem. Nam habebo semper illum Dei loco:*

### NOTÆ.

*Melibœus.*] Boum curator, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, *quia cura est ipsi de bobus.*

1. *Fagi.*] Fagus, quæ et æsculus dicitur, arbor glandifera, BEECH, ex quâ olim homines victitârunt: unde dicta Græcis quidem φηγὸς *fagus,* à φάγειν sive φήγειν, *edere;* Latinis autem Æsculus pariter ab esu. Utramque aliqui non malè distinguunt.

2. *Avenâ.*] Musica instrumenta inter pastores concinnata, primò ex avenis calamisque triticeis inter se cerâ compactis: tum ex arundinibus et cavatis buxi fistulis; mox è gruum tibiis, animalium cornibus, metallis, &c. Unde *avena, stipula, calamus, arundo, fistula, buxus, tibia, cornu, æs, &c.* pro musicis instrumentis usurpantur.

5. *Amaryllida sylvas.*] Per sylvas, Echo intellige, quæ frequens in sylvis. *De Amaryllide* infrà, vers. 31.

6. *Deus nobis hæc otia fecit.*] Octavianus.

Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.
  Mel. Non equidem invideo: miror magis: undique [totis
Usque adeò turbatur agris. En ipse capellas
Protenùs æger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco:
Hìc inter densas corylos modò namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nudâ connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe sinistra cavâ prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, ille Deus qui sit, da, Tityre, nobis.
  Tit. Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpè solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Nôram: sic parvis componere magna solebam.
Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,
Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

*sæpe tener agnus* electus *ex ovili nostro tinget illius aram* sanguine. *Ille permisit vaccas meas vagari, ut vides, et* me *ipsum canere fistulâ rusticâ quicquid vellem.* Me. *Ego quidem non invideo, imò admiror,* cùm *tantus sit tumultus toto rure. Ecce ego mœrens abigo præ me capellas; et hanc, ô Tityre, difficilè traho: modò enim enixa geminos* fœtus, qui erat *spes gregis, proh* dolor! *deseruit eos rigido in saxo, inter spissas corylos. Memini quercus afflatas fulmine sæpe prænunciâsse nobis hanc calamitatem, nisi animus imprudens fuisset; sæpe cornix funesta admonuit ex ilice putri. Attamen dic nobis, Tityre, quinam sit ille Deus.* Tit. *Ego demens, ô Melibœe, existimavi urbem, quæ vocatur Roma, similem esse nostræ* Mantuanæ, *ad quam* nos *pastores consuevimus deducere agnos tenellos. Quemadmodum sciebam catulos canibus, et hœdos capellis esse similes: quemadmodum solebam comparare magna parvis. Sed urbs illa tantùm eminet inter cæteras, quantùm cupressi solent eminere inter viburna flexilia.*

## NOTÆ.

quem Deum per adulationem appellat. Errant quippe qui sacrificia volunt ejus in honorem jam tum fuisse instituta. Non enim coli cœpit divinis honoribus, nisi post ultimam de Sexto Pompeio victoriam, anno ætatis 28. ut habet disertè Appianus 1. 5. *Civil.* hoc est annis tribus post edita à Virgilio Bucolica simul omnia.

14. *Corylos.*] Corylus, THE HAZEL. Nux avellana sylvestris.

16. *Si mens non læva.*] Læva, seu sinistra pars, ambiguè à Romanis accepta: sæpe in malum omen, ut hìc, et v. 18. sæpe in bonum, ut Æn. 2. 693. *Intonuit lævum.* Perinde igitur dextra pars, aliquando boni, aliquando mali ominis fuit. Unde autem vis eidem parti tam diversa? An quòd in interpretandis ostentis, aliquando situm Deorum, à quibus illa dabantur, aliquando situm augurum, qui illa petebant, attenderent? Dextra enim dantis, læva petentis est. Ita volunt aliqui, auctore Plutarcho lib. de quæstionibus Romanis. Aliud quiddam suggerit Cicero de divin. 2. 82. Cùm enim dicat Græcis quidem et barbaris dextra auspicia, Romanis sinistra visa esse meliora: hinc dici possunt Romani sæpe suo more, sæpe Græco more in re divinatoriâ locuti esse. Unde autem utrique sinistras dextrasque partes sumerent, dicetur Ecl. 9. 15.

18. *Sæpe sinistra, &c.*] Non quidem *à sinistrâ parte:* quippe ex augurum doctrinâ, *cornix à sinistrâ, corvus à dextrâ ratum facit:* ut docet Cicero de divin. lib. 1. 85. et Plautus in Asin. At *sinistra* hìc simpliciter *funestum* significat, ex quâcunque parte venerit. Nam sic ait idem Cicero de divin. lib. 2. 82. *Haud ignoro, quæ mala sunt, sinistra nos dicere, etiamsi dextra sint.* Quæ vox, *mala*, quanquam suggesta sit à Lambino, ubi priùs legebatur *bona:* tamen constat emendationis veritas ex eo, quòd alioqui locus ille totus sensu careat, et aliis à Lambino patentissimis erroribus purgatus sit. Porrò funesta hæc est Virgiliana cornix, 1. quia cornix omnis per se funesta. 2. quia ex ilice, arbore item funestâ. 3. quia ex ilice cavâ et putri.

18. *Ab ilice.*] Ilex, arbor glandifera, è genere quercuum, THE HOLM OAK.

19. *Da, Tityre.*] *Dare* et *accipere* pro *dicere* et *audire.* Terentius Heaut. *Nunc quamobrem has artes didicerim, paucis dabo.* Æn. 2. 65. *Accipe nunc Danaûm insidias.* Audaciùs etiam sequioris ævi scriptores *datur* usurpavere pro *traditur, dicitur.* Statius 7. Theb. *Asopus genuisse datur.* Claud. 3. de Raptu. *Illic posuisse cruentam Ægida, captivamque pater post prœlia prædam Advexisse datur.* Quod contra Jul. Scaligerum defendit Barthius, sed malè: quicquid enim affert è veteribus eam in rem, probat *dare* pro *dicere* activè dici, non passivè.

23. *Sic canibus, &c.*] Sensus juxta Servium legitimus hic est: Putabam anteà Romam ita similem esse urbibus aliis, ut sunt catuli canibus similes, qui solâ magnitudine differunt: in quo errabam: nunc enim probavi, eam à cæteris genere etiam et naturâ distare: nam sedes est Deorum, tamque nostris urbibus antecellit quàm cupressi viburnis: quæ arbores duæ, naturâ inter se, non solâ magnitudine differunt.

26. *Inter viburna cupressi.*] Viburnum, virgulti species, THE WAY-FARING-TREE.—à *vico*, to

Mel. Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
Tit. Libertas: quæ sera, tamen respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, et longo pòst tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculî:
Quamvis multa meis exiret victima septis,
Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi,
Non unquam gravisære domum mihi dextra redibat.
Mel. Mirabar, quid mœsta Deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere suâ patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsæ te, Tityre, pinus,

Mel. *Et quæ tanta necessitas te coëgit Romam petere?* Tit. *Libertas: quæ* licèt *tarda, tamen aspexit me desidem, cùm jam cana barba decideret secanti: tamen aspexit, et venit post multos annos* servitutis: *ex quo secutus sum Amaryllida, et reliqui Galateam. Scilicet, quamdiu amavi Galateam (fatebor enim) nec speravi libertatem, nec curavi patrimonium: licèt educerem ex ovilibus meis multas victimas, et coagularem optimos caseos* ad usum *ingratæ urbis; nunquam referebam domum manus plenas pecuniâ.* Mel. *Mirabar cur tristis invocares Deos, ô Amarylli, cui servares poma pendentia suis* quæque *arboribus. Tityrus hinc aberat: ipsæ pinus,*

NOTÆ.

bind, and refers to the way-faring-tree. Cupressus, cypress; arbor nota.

29. *Candidior postquam, &c.*] Grave hìc dissidium interpretum. Causa dissidii, quòd Virgilius, qui hìc Tityrus, anno ætatis 29. quo scripsit hanc eclogam, canus esse non potuit. Quatuor modis solvitur hic nodus. I. Si *candidior* referatur ad *libertas*, hoc pacto: Postquam tondenti barba cadere cœpisset, id est, postquam cœpi barbam alere; tum inertem respexit me *libertas candidior*, id est, *speciosa et benigna.* Ita Servius. II. Si per candidiorem barbam prima intelligatur lanugo, quæ tenerior est, necdum colorem induit: hoc pacto Libertas respexit me, tum, cùm tondenti cœpit lanugo decidere. Ita Pomponius. Malè tamen uterque, quia deinde Tityro expressè dicitur: *Fortunate senex, &c.* III. Meliùs, junior poëta latere sub senili personâ dicetur voluisse, ideò, quia servum se fingit esse, deque receptâ libertate gloriatur, quam obtinere servi, nisi jam senes et multis laboribus probati, non solebant. Ita Cerdanus. IV. Putem ego non ubique servatam allegoriam, quod mox clariùs patebit. *Igitur,* ut ait Probus, *eâdem lic. ntiâ senem se dixit, cùm sit juvenis, quâ pastorem se fecit, cùm sit urbanus; aut Tityrum nominat, cùm sit Virgilius.*

31. *Postquam nos, &c.*] Amicarum nomina: *Galatea* quidem à lacte deductum, quod Græcè est γάλα, γάλακτος. *Amaryllis* ab incilibus per quæ in agris aquæ derivantur: hoc enim est ἡ ἀμάρα, rusticum utrumque etymon. Qui volunt his nominibus Romam ac Mantuam adumbrari, multa garriunt. Politianus quidem, Romam dicit arcano nomine Amaryllida vocatam esse: quo id auctore? ut enim constet ex Plinio arcanum Romæ nomen fuisse, quod evulgare nefas esset, sanè quid illud nominis fuerit à nemine proditum est. Nonnius verò, Fabii Pictoris auctoritate fultus, Argeum campum, qui septem collibus includebatur, inundatione Tyberis inhabitabilem aliquando fuisse ait: factis deinde Vertumno sacris exsiccatum: quod per incilia factum esse suspicatur, atque inde tributum Romæ nomen *Amaryllidis:* ut et *Galateæ* nomen, Mantuæ, quòd illìc Galatæ togati sedes haberent, tractusque ille *Gallia togata* vocaretur. His omissis nugis, ego nullam hìc allegoriam agnosco: I. Quia poëta bis in hâc eclogâ Romam disertè ac proprio nomine appellat, quum quid esset causæ, cur modò Romam, modò Amaryllida appellaret? II. Distinguit pariter, Mantuam à Galateâ, cùm dicit se, dum serviret Galateæ, sine fructu caseos ingratæ urbi pressisse. III. Si stet allegoria, inextricabilis est versus ille, *Mirabar quid mœsta Deos, &c.* ut mox constabit. IV. Monet Servius in vitâ Virg. *Illud tenendum esse, in bucolicis, neque nusquam, neque ubique aliquid figuratè dici, hoc est, per allegoriam.*

33. *Nec cura peculî*] Pro *peculii. Peculium* autem, I. juxta Pomponium, patrimonium universim significat, à *pecu,* sive *pecore;* unde et *pecunia* dicta: sive quòd omnia veterum bona olim in pecoribus consisterent, ut habent Varro et Plutarchus: sive quòd prima pecunia facta sit ex incisis pecudum coriis, ut volunt Cassiod. et Suidas: sive quòd æs antiquissimum, cùm signari cœpit, ovis aut bovis capite signatum sit, ut refert Plinius. II. *Peculium* propriè est privata pecunia, quam servus, domini permissu, separatim à domini rationibus comparabat aut ad redimendam libertatem, aut alios in usus. Atque eo quoque modo hìc sumi potest, ubi Tityrus servi personam induit.

36. *Gravis ære.*] Pecuniâ, quæ primùm apud Romanos ære rudi, necdum signato, constitit.

37. *Mirabar quid, &c.*] Hic versus ita cruciat allegoriæ patronos, ut mendam irrepsisse huc velint, et reponi, *Galateam* pro *Amaryllida,* de quo sibi constet allegoria. Fatentur quippe in Romam cadere ista non posse: quia neque Melibœus, Romanarum rerum inscius, Romæ dolorem de absente Virgilio seu Tityro scire potuit, cùm doceatur ab ipso Tityro quid sit Roma; *Urbem quam dicunt Romam, &c.* Neque Virgilius, poëtarum modestissimus, ita de se

Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.
Tit. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hìc illum vidi juvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hìc mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut antè, boves, pueri: submittite tauros.
Mel. Fortunate senex! ergo tua rura manebunt:
Et tibi magna satis: quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua junco:
Non insueta graves tentabunt pabula fœtas,
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

*ipsi fontes, hæ ipsæ arbores te repetebant.* Tit. *Quid fecissem? nec poteram* aliter *abire è servitute: nec Deos experiri tam propitios in alio loco,* quàm Romæ. *Illic vidi juvenem illum, ô Melibœe, propter quem aræ nostræ fumant singulis annis per duodecim dies. Illic ipse prior* ita *respondit roganti mihi: Pueri, pascite boves, ut prius: et subligate tauros* jugo. Mel. *O felix senex! itaque agri tui relinquentur* tibi, *iique tibi satis ampli: licèt nuda saxa tegant cæteros undique, et palus operiat pascua cœnoso junco: insolita pabula non vitiabunt gravidas pecudes, neque noxia contagies vicini gregis inficiet eas.*

## NOTÆ.

sentiebat jam tum, ac scribebat magnificè, ut tantam de se fuisse Romæ solicitudinem putaret. Planus absque allegoriâ sensus est, si de amicis puellis intelligatur. Abjecit Galateam Tityrus, amat Amaryllida, proficiscitur Romam: Amaryllis interim, quæ Mantuæ relinquitur, absentis desiderio tabescit: Meliboeus, qui dolorem Amaryllidis noverat non item causam doloris; nunc demum à Tityro profectionis causam intelligit, eidemque absentiam exprobrat quasi leviter amanti: unde purgat se Tityrus: *Quid facerem,* inquit, quid aliud remedii malis meis esse poterat, quàm Romam proficisci? &c.

40. *Arbusta.*] Non arbusculæ sunt et fruticeta, ut quidam putant. Nam *convalles et arboreta magna erant,* inquit Gellius, l. 17. c. 2. ex Q. Claudii annalibus; additque *arboreta ignobilius verbum est, arbusta celebratius.* Igitur loca sunt arboribus consita fructiferis, vel non fructiferis; ut scitè quidem Valla et Ramus colligunt ex auctoribus rei rusticæ. Nec obest quod legatur Ecl. 4. 2. *Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ. Si canimus sylvas, &c.* Sensus enim est, *Non omnibus placent myricæ, at ne ipse quidem arbores: sed sylvæ altiores, &c.*

43. *Juvenem.*] Octavianum, annos natum tunc circiter 22. *Decreverat enim Senatus,* inquit Servius, *ne quis eum puerum appellaret, ne majestas imperii minueretur.*

44. *Bis senos.*] Singulas duodecim anni mensium Calendas aut Idus intellige cum Servio, quibus fortè sacrificia fiebant, ad conciliandos quidem Octaviano Deos; non verò tum in ipsius Octaviani honorem, ut diximus ad vers. 6.

45. *Primus.*] Prævenit beneficio preces meas.

46. *Pueri.*] Pueri appellatio tres habet significationes, ex Paulo in *Verb. Signif.* Unam quâ servi pueri dicuntur, alteram quâ puer puellæ opponitur, tertiam quâ puerilis ætas demonstratur. Addi potest et quarta, quæ ad blanditias pertinet: quando patronus aut dominus subditos, etiam ætate grandiores, populariter et amicè compellat. Quarta hæc, et prima conveniunt Tityro, qui servum se fingit, et *senex* appellatur.

*Submittite tauros.*] Secuti sumus interpretationem Servii, utpote simpliciorem et convenientiorem loco: sensus enim erit: *Pascite et arate,* quâ duplici curâ res ferè omnis rustica continetur. Aliò tamen deduci potest. I. Cum Nonnio, *superinducite ad propagationem;* aliquando enim in compositis *sub* usurpatur pro *super,* ut Æn. 12. 287. *corpora saltu Subjiciunt in equos:* hoc est, *superjiciunt.* II. Cum Cerdano, *proferte et producite in pascua:* est enim apud Lucret. l. 1. *Lætificos nequeat fœtus submittere tellus,* i. e. *proferre.* III. Cum Erythræo, *supplete gregem,* et substituite novos tauros, in locum eorum qui belli tempore perierunt: est enim in Justin. Instit. l. 2. de rerum divis. *Si gregis usumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius submittere debet.*

48. *Quamvis lapis.*] Volunt plerique omnes describi his verbis Virgiliani sterilitatem agri, qui, ut innui putant Ecl. 9. 7. à colle lapidoso, ad fluvium usque Mincium vicinasque paludes, pertinebat: adeóque nec erat frumento, nec pascuis opportunus. Ego iis non assentior: tum quòd ejus agri descriptio, quæ fit Ecl. 9. non sterilitatem sed ubertatem potiùs notet; tum quòd hìc frequens de Tityri gregibus, pascuis et umbraculis mentio fiat. Igitur de cæteris Mantuanorum agris locum explico. Tibi scilicet agri tui colendi et exercendi permittentur: quamvis reliqua omnis regio, tam culta priùs, nunc belli calamitate horrescat.

50. *Graves tentabunt pabula fœtas.*] *Fœtas* et *graves* conjungit, ut significet *prægnantes:* quia *fœtas* sine addito, de iis etiam dici posset, quæ jam fœtum sive partum ediderunt. Et verò *fœta* aliquando est *gravida, plena.* Æn. 1. 55. *Loca fœta furentibus Austris.* Æn. 2. 238. *Fœta armis,* machina equi Trojani. Aliquando est *jam enixa:* Æn. 8. 630. *Fœtam Mavortis in antro Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros.*

*Non insueta, &c.*] Quia non cogeris, ut cæteri, exul abire in novas et insuetas regiones cum gregibus.

51. *Nec mala, &c.*] Quia ex difficultate pastionis fames oritur in gregem, et fame morbus, qui semper in grege contagiosus est.

Fortunate senex! hìc inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes
Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc altâ sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen intereà raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo.
Tit. Antè leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces:
Antè, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.
Mel. At nos hinc alii sitientes ibimus Afros,

*O felix senex! hic prope amnes cognitos, et fontes dicatos* Nymphis *frueris umbrâ frigidâ. Ex aliâ parte sepes limitis propinqui, in quâ flos salicum carpitur semper à Siculis apibus, sæpe tenui murmure* apum *te invitabit, ut somno indulgeas. Ex aliâ parte putator frondium excelso in colle cantabit ad auras. Neque tamen interim raucæ palumbes,* quæ sunt *tuæ deliciæ, neque turtur desinet queri ex ulmo sublimi.* Tit. *Priùs igitur agiles cervi pascent in aëre, et maria deserent in litore pisces defectos aquâ: Priùs extorris Parthia potabit Ararim, aut Germania Tigrim, regionibus mutuò permutatis, quàm forma illius* juvenis *excidat mihi ex animo.* Mel. *Nos verò hinc* pulsi *partim ibimus in Africam aridam,*

## NOTÆ.

52. *Flumina nota.*] Mincium, *Menzo*, de quo Ecl. 7. 13. et Padum, *le Po*, de quo Geor. 1. 182.

54. *Hinc tibi, &c.*] Sensus hujus loci satis intricatus, his notis explanabitur. I. Sepes quædam Virgilium inter ejusque vicinum agri limes ac terminus fuit. II. Sepes illa salicibus constabat. III. Delectantur flore salicum apiculæ, et levi susurro soporem conciliant. IV. Apes Hyblæ figuratè dicuntur pro apibus optimis: *Hybla* enim oppidum est Siciliæ, et mons oppido vicinus; loca melle commendatissima. V. Familiaris est Græcis hæc loquendi forma, *florem depasta*, ut Æn. 8. 593. *Os humerosque Deo similis, &c.* i. e. *secundum florem, secundum os et humeros.* VI. *Salicti* dicitur, pro *saliceti*. *Salicetum* locus est salicibus consitus, ut *arbustum* arboribus.

58. *Palumbes.*] Columbæ sylvestres, WOOD-PIGEONS. Dic. etiam palumbus et palumba.

61. *Freta.*] *Fretum*, synecdoche pro mari: *fretum* enim propriè est angustum mare inter duas terras: ut, *fretum Siculum, Gaditanum, &c.* à fervendo dictum, quòd in eo mare compressum effervescat, ac veluti ebulliat.

62. *Antè pererratis, &c.*] *Parthi* oriundi è Scythis, eam Asiæ regionem occupavere, quæ ab occasu, Mediâ; à septentrione, mari Caspio; ab oriente, Bactrianâ et Arianâ; à meridie, Carmaniæ desertis terminabatur. Mox in imperium propè immensum evasere sub Arsacidis regibus, regna duodeviginti complexi, juxta Solinum c. 59. Romanum jugum nunquam omnino subiere, sagittis formidolosi præcipuè, quas inter fugiendum in insequentes retorquebant, mirâ arte versis equis et instauratâ pugnâ. *Germani.*] Rheno ab occidente; Oceano et mari Balthico à septentrione; Vistulâ ab oriente; Danubio à meridie, olim circumscripti: nunc terminis ab oriente paulò angustioribus utuntur; à meridie verò latioribus, nempe Alpibus ab Italiâ divisi. *Araris.*] Non Germaniæ, sed Galliæ fluvius, *la Saone*, oritur ex Vogeso monte, *Vauge*, et placidissimè fluens, ad Lugdunum Rhodano rapidissimo amni commixtus, cum eo in mare Mediterraneum fluit: unde Claudianus, *lentus Arar, Rhodanusque celer.* *Tigris.*] Non est in Parthiâ propriè dictâ: sed ortus ex Armeniæ montibus, aliquanto pòst spatio in terras mergitur, mox erumpens auctior, per Assyriam ac Mesopotamiam in Euphratem influit, quocum in Persicum sinum defertur. *Amborum.*] Insulsè Pomponius explicat de Ambis, Arabiæ populis, qui nihil hìc ad rem. Meliùs Ramus de utroque fluvio: sed optimè Servius de utrisque populis, Parthis et Germanis. Porrò quidam sugillant Virgilium, quòd videatur Tigrim in Parthiâ, Ararim in Germaniâ perperam collocare. Excusant errorem aliqui ex decoro inscitiæ pastoralis. Alii meliùs animadvertunt, hoc esse Virgilio familiare, non ex inscitiâ, sed potiùs ad majorem dignitatem, regionum limites, quantùm sine veritatis dispendio fieri potest, extendere: quod sæpiùs deinde videbimus: G. 1. 490. et G. 4. 287. Atqui verum est Ararim et Tigrim, non in Germaniâ quidem aut Parthiâ propriè dictâ, sed saltem in subditis Germanorum et Parthorum imperio regionibus tunc fuisse. Sanè Parthos longo spatio Tigrim esse prætergressos, patet ex clade Crassi: qui paulò antè cæsus fuerat ab iisdem, ad Carrhas Mesopotamiæ urbem, non procul ab Euphrate. Germani autem, ut constat ex Cæsare l. 1. de bello Gal. ad CXX. millia, consederant in Sequanis, quos Araris interfluit: ac licèt inde pulsi ab eodem fuissent ultra Rhenum, id tamen de Ariovisto dumtaxat ejusque exercitu, non etiam de pacatis et inermibus familiis, intelligi potest.

65. *Sitientes Afros.*] Africa mundi quarta pars, *sitiens* dicta, quia zonæ torridæ magnâ ex parte subjecta: maribus undequaque alluitur tribus, Mediterraneo ad septentrionem, Oceano ad occidentem et meridiem, Erythræo ad orientem: planè triangularis insula, nisi eam con-

Pars Scythiam, et rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En unquam patrios longo pòst tempore fines,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna; videns mirabor aristas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? En quò discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!
Insere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites:
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosâ pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me pascente, capellæ

*partim petemus Scythiam: aut celerem Oaxem Cretæ, aut Britannos omnino separatos à cæteris populis. Nunquamne post diuturnum tempus, post aliquot annos, revisam cum admiratione patriam regionem, et tectum casæ pauperis extructum è glebâ,* quæ *tota* erat *mea possessio? Sceleratus miles possidebit hæc arva tam culta? peregrinus has messes? Ecce quò* calamitatis *dissensio adegit cives infortunatos! ecce propter quos seminavimus arva! Nunc, ô Melibœe, insere pyros, digere vineas in ordinem. Ite, ite, meæ capellæ, grex olim fortunate. Non ego deinde stratus viridi in speluncâ aspiciam vos procul spinosâ è rupe pendere: cantilenam nullam modulabor: non tondebitis, ô capellæ,*

NOTÆ.

tinenti Asiæ conjungeret aliquot leucarum Isthmus inter Erythræum et Mediterraneum mare interjectus.

66. *Scythiam.*] Scytharum nomine Septentrionales omnes Asiæ populos antiqui complexi sunt, qui vagi, sine urbibus, tectis, et legibus, opes in armentis habebant omnes, uxores et liberos plaustris corio tectis hinc inde circumferebant: Martem sub specie acinacis adorabant ex Herod. 1. 4. Tartari regionem illam nunc occupant, quæ monte Imao, qui Tauri pars est, ferè dividitur duas in partes: quarum quæ ad occidentem est, Scythia sive Tartaria citerior, et intra Imaum: quæ ad orientem vergit, ulterior et extra Imaum dicitur.

66. *Cretæ veniemus Oaxem.*] Exstat fluvius hujus nominis non in Cretâ, sed in Mesopotamiâ, de quo sermonem hìc esse contendit Servius, eumque *rapidum Cretæ* vocari ait, quòd cretam, seu terram albam cursu secum rapiat, unde sit turbulentus. Quod vix cuiquam sano placeat. Volunt alii Oaxem reipsà fuisse in Cretâ: quòd etsi in Geographis veteribus disertè non habeatur, tamen conjicitur ex eo, quòd Apollonius Argon. 1. v. 1131. Cretam vocat *tellurem Oaxida;* tum Herodotus 1. 4. *Oaxi,* urbis in Cretâ olim regiæ, meminit: cui quidem tributum nomen ab *Oaxe* quodam Apollinis filio refert ex Varrone Servius. Quidni fluvius ejusdem cum urbe nominis fuisse ibidem dicatur? quod malim vel uno auctore Virgilio affirmare, quàm ad vanum inscitiæ pastoralis effugium cum aliis recurrere.

67. *Divisos orbe Britannos.*] Britannia, olim Albion, insula Europæ maxima in Oceano, Galliæ obversa, duas divisa in partes, Angliam et Scotiam. *Divisos orbe.*] Quia orbem antiqui vocabant terram continentem quæ Oceano alluitur: unde, ut notat Vives, insulæ Oceani extra orbem dicuntur esse, non item insulæ Mediterranei maris, ut Sicilia, Cyprus, &c.

68. *En unquam.*] Servius explicat *unquamne aliquandone.* Fruterius, *an unquam.* Non satis diligenter: sunt enim ista omnia dubitantis tantùm et interrogantis: Virgiliana autem vox, etiam optantis, qui affectus per negationem aptiùs exprimetur, *nunquamne:* ut manifestum est ex Ecl. 8. 7. *En erit unquam ille dies, mihi cùm liceat, &c.*

69. *Tugurî.*] Pro tugurii, ut supra *peculî* pro peculii: estque omne ædificium rusticæ rei custodiendæ conveniens à tegendo dictum. *Cespite.*] Cespes herba est cum propriâ terrâ excisà, A TURF. *Culmen.*] Tectum, quia apud antiquos tecta fiebant è culmis, seu paleis, inquit Servius.

70. *Post aliquot mea regna, &c.*] Locus difficilis. I. *Aristæ* hìc communiter pro messibus, et messes pro annis capiuntur: quo exemplo dixit Claudian. 4. Cos. Honorii, *decimas emensus aristas.* Non placet Germano et Cerdano: si enim, inquiunt, *vix unquam et longo pòst tempore;* quomodo *post aliquot aristas* sive annos, quod breve tempus notat, rura sua revisurus est? II. Itaque idem illi *post,* non præpositionem, sed adverbium esse volunt: et interpretantur *deinde,* hoc sensu: nunquamne, ne longo quidem post tempore, dabitur hoc ut videam mea regna pauculas *deinde* aristas; id est, ex florenti messe, qualis erat cùm ibi regnarem, pauculas jam ac steriles aristas superstites? Sed hoc extortum videtur. III. Conjicerem ego cum Germano, *post aristas,* eâdem formâ dictum esse quâ Ecl. 3. 20. *post carecta latebas,* BEHIND THE STANDING CORN: et esse descriptionem agelli Melibœi, cujus regnum constiterit in pauculis aliquot jugeribus, adjacentibus pauperi casulæ; cujus quidem tectum ita humile foret, ut vix emineret grandioribus aristis: adeóque inter eas, sive post eas, latere dici posset.

71. *Novalia.*] Dicitur *hæc novalis* et *hoc navale;* estque terra, vel, juxta Servium, ex quâ sylva recens eradicata est; vel potiùs in quâ satum jam aliquid fuit, et quæ, priusquam aliâ satione renovetur, cessat per annum et requiescit; idque sæpe fit alternis annis. Ita Geor. 1. 71. *Alternis idem tonsas cessare novales.*

74. *Insere nunc.*] Apostrophe ironica Meli-

Florentem cytisum et salices carpetis amaras. 79
Tit. Hìc tamen hanc mecum poteris requiescere noc-
Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma, [tem
Castaneæ molles, et pressi copia lactis.
Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

*cytisum florentem et salices amaras, me custode.* Tit. *Tamen poteris hâc nocte quiescere hìc mecum super foliis virentibus. Habemus matura poma, castaneas molles, et multum coacti lactis. Et jam summa pagorum tecta procul fumant, et umbræ grandiores porriguntur ex altis montibus.*

NOTÆ.

bœi ad se ipsum, quâ indignatur se frustrà laborem colendis hortis et vitibus impendisse, cùm in barbarorum commoda cessuræ sunt. *Nunc.*] Particula ironiis et insectationi apta. Juven. Sat. 12. 57. *I nunc, et ventis vitam committe, &c.* *Inserere* est surculum, vel diversi, vel ejusdem generis, sylvestri arbori immittere, ut fructus mitiores ferat, TO GRAFT. Vide Geor. 2. 73.

79. *Cytisum.*] Genus fruticis sive herbæ, cujus species multiplex, et descriptio apud diversos diversissima. Constat greges inde imprimis pinguescere et augeri lac. In insulâ Cythno, quæ Cycladum una est, primò inventus memoratur, ex eâque nomen accepisse.

82. *Castaneæ molles.*] Servio, *maturæ;* Erythræo, *novæ, recentes:* malè utrique: quo enim maturiores et recentiores, eo duriores. Igitur mollitiem, vel ad coctionem refert, quâ edules fiunt: vel ad corticem: castanearum enim aliud genus est densiore, aliud molliore cortice, ex Nicandri interpr. Καστάνων τὸ μὲν λοπιμὸν τὸ δὲ μαλακόν. Unde et Ecl. 7. 53. *Castaneæ hirsutæ:* hìc, *Castaneæ molles.*

---

# ECLOGA II.

## ALEXIS.*

### ARGUMENTUM.

*Amabat Virgilius puerum: hunc Alexidis, se Corydonis nomine dissimulat, et I. Duritiem ipsi exprobrat. II. Jactat apud eum suas opes, musicæ peritiam, elegantiam formæ. III. Invitat eum in sylvas commendatione vitæ agrestis. IV. Promittit munuscula. Agnoscit insaniam suam, et ad curam rei familiaris redit. Puerum hunc innuit Apuleius Apologiâ* 1. *fuisse Pollionis; Martialis* 1. 5. *Ep.* 16. *fuisse Mæcenatis: nihil prohibet quò minùs ita sit. Prohibet verò blanditiarum ejusmodi levitas, quo minùs eas Octaviano dictas putem, in quem sanè orbis dominum cadere ista non possunt,* delicias domini: *imò ne in Cornelium quidem Gallum, virum, ut Ecl.* 10. *videbitur, muneribus gravem. Quarum opinionum primam Servius, secundum Lud. Vives perperam tuentur. De tempore, quo scripta est, nihil conjici potest.*

NOTA.

* ALEXIS.] Ab ἀλεξέω, *arceo, opitulor:* seu quia puer arcebat à se Corydonem; seu quia voluptas erat ac solatium domini.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec, quid speraret, habebat.
Tantùm inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assiduè veniebat: ibi hæc incondita solus

INTERPRETATIO.

*Pastor Corydon amabat pulchrum Alexim,* qui erat *voluptas domini: nec erat ipsi spes ulla: solummodo veniebat frequenter ad spissas fagos,* quarum *cacumen opacum* est: *illìc solus fundebat inutiliter*

NOTÆ.

1. *Corydon.*] A κορυδὸς vel κορυδαλὸς, *alauda,* A LARK. De *fagis,* Ecl. 1. 1.

4. *Incondita.*] Incomposita, sine arte, sed quasi naturali impetu. Quo sensu Donatus in-

Montibus et sylvis studio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostrî miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant:
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos:
Thestylis et rapido fessis messoribus æstu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimiùm ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quæris, Alexi:
Quàm dives pecoris, nivei quàm lactis abundans.

*montibus et nemoribus hæc verba incomposita. O dure Alexi! nullo modo curas meos cantus? nullo modo miserescis mei? denique coges me mori. Nunc ipsa pecora fruuntur umbrâ et frigore: nunc lacerti ipsi virides latent in vepribus: et Thestylis conterit herbas odoriferas, allium et serpyllum, messoribus fatigatis ob gravem æstum. Interim, dum sequor tua vestigia, mecum ad solem ferventem raucæ cicadæ strepitant per loca consita arboribus.*

*Nonne fuisset melius tolerare graves iras et imperiosa fastidia Amaryllidis? Nonne* fuisset melius tolerare *Menalcan? licet ille fuscus sit, licèt tu albus sis. O formose puer, ne nimis confidas colori. Ligustra jacent humi,* quamvis *candida; vaccinia colliguntur,* quamvis *nigra. Me contemnis, ô Alexi, nec consideras quis ego sim, quàm multas possideam oves, quàm multum habeam lactis can lidi.*

## NOTÆ.

terjectiones, quales sunt *Ah! ô!* vocavit *inconditas:* quia naturâ, non hominum instituto proferuntur.

8. *Nunc etiam pecudes, &c.*] Commendat vim amoris sui à labore, laborem ex comparatione alienæ quietis. Pecudes, inquit, lacertique vilissimi fruuntur umbrâ; messores æstu defessi cibo reficiunt vires; ego æstuans et impransus te quæro; nec ullus ardorem hunc meridianum tolerare mecum potest, præter cicadas, quibus undique strepitant arbores.

9. *Spineta lacertos.*] Lacertus, et lacerta, A LIZARD.

10. *Thestylis.*] Hîc famulæ nomen, veneficæ apud Theocritum, Idyl. 2. 1. Unde insulsè derivat Servius à Latinâ voce *testa,* quia herbas ad cibum messorum in testaceis poculis tundebat.

11. *Allia serpyllumque.*] *Allium,* oleris et bulbi species, GARLIC. *Serpyllum,* herba odorata *serpens* humi ramusculis tenuibus, WILD THYME; any herb with a strong scent.

*Olentes.*] Ambiguum vocabulum, tam ad bonos quàm ad malos odores pertinens. Ad bonos quidem qualis est serpylli; ad malos, qualis alliorum. Sic ap. Hor. l. 1. Sat. 2. 27. *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum: Nil medium.* Contrà, *olidus* malam in partem ubique sumitur.

12. *Cicadis.*] *Cigale,* Gall. A GRASSHOPPER, insecti genus, stridulum potiùs quàm canorum. De *arbustis,* Ecl. 1. 40.

13. 14. *Amaryllidis, &c. Menalcan.*] De nomine *Amaryllidis,* Ecl. 1. 31. *Menalcæ,* Ecl. 3. 1.

17. 18. *Ne crede colori. Alba, &c.*] Ut enim ligustra, quamvis alba, ne humo quidem colliguntur, quia nihil habent utilitatis; vaccinia verò, quamvis nigra, in pretio sunt, quia utilia tingendis vestibus: ita tu, quamvis candidus, negligêris propter superbiam; Menalcas, quamvis niger, propter ingenuam indolem amabitur.

18. *Ligustra.*] Ligustrum, PRIVET, arbor flores Maio mense racematim ferens candidissimos.

*Vaccinia.*] Volunt aliqui baccas nigras, sive acinos esse ligustri, quasi *baccinia,* quæ scriptorio atramento inserviant. Alii mora agrestia, quæ è rubo sentis producta, ad tingendas servorum vestes olim legebantur. Tamen constat, vel florem esse, vel plantam, ex hoc hujus Eclogæ v. 50. *Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.* Meliùs igitur cum Turnebo et Salmasio dicemus hyacinthum esse: tum ob alia, tum quia Virgilius hyacinthum Theocriti, per vaccinium Latinè reddidit Ecl. 10. 39. *Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra:* planè ex illo Idyllii 10. καὶ τὸ ἴον μέλαν ἔντι καὶ ἀγραπτὰ ὑάκινθος. Adde quòd et vaccinium tingendæ servorum purpuræ usui erat, ex Plinio, et hyacinthus hysgino colori, qui purpuræ species est, conficiendo parabatur, item ex Plinio. Sic Salmas. in Solin. 7. 272. et 1225. qui vaccinium ad eam hyacinthi, speciem refert, quæ *gladiolus* dicitur, CORN FLAG. Ruellius tamen fretus similitudine nominis, ad eam speciem quam Galli vocant *vaciet.* Vide Ecl. 3. 62

*Nigra.*] Non proprie nigra, sed ferruginea sunt; unde Geor. 4. 183. *ferrugineos hyacinthos.* Ferrugineus autem color est, non rubiginosi quidem ferri, ut quidam volunt: sed politi ac levigati ferri, postquam candefactum refriguit, Angl. BRIGHT BROWN. Is autem color non admodum à violaceo diversus est: videturque è rubro, nigro, ac cæruleo temperatus: unde pro tribus his coloribus passim usurpatur: pro rubro quidem Æn. 11. 772. *ferrugine clarus et*

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.
Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec sum adeò informis; nuper me in litore vidi,
Cùm placidum ventis staret mare: non ego Daphnim,
Judice te, metuam, si nunquam fallat imago.
O tantùm libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Hœdorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum unà in sylvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit; Pan curat oves, oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis

*Mille oves meæ vagantur in montibus Siciliæ: lac novum non deest mihi per æstatem, nec per hyemem. Cano ea quæ Amphion Thebanus solebat canere in Aracyntho maritimo. Nec sum tam deformis: nuper vidi me in litore, cùm mare tranquillum non moveretur vento. Ego non timerem Daphnim, te ipso arbitro: nisi aliquando forma* me *decipiat. Utinam velis tantummodo mecum incolere agros tibi viles, domosque parvas: et transfodere cervos, et ducere gregem hædorum ad hibiscum virentem. In sylvis simul mecum imitaberis Pana cantando. Pan primus in morem induxit nectere cerâ multas arundines: Pan protegit oves et pastores ovium. Nec pigeat te labra atterere fistulâ. Quid non faciebat Amyntas, ut disceret hæc eadem à me? Habeo fistulam conflatam è septem cicutis inæqualibus,*

NOTÆ.

*ostro*; pro nigro Æn. 6. 303. de Charonte, *Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ*; pro cœruleo apud Plaut. in Mil. 4. 43. *palliolum habeas ferrugineum; nam is color thalassicus est,* id est, marinus et cœruleus. Talis est hyacinthi et vaccinii color.

21. *Siculis in montibus.*] Vel quia scena hujus eclogæ forte in Siciliâ constituitur; vel quia poëta imitatur Siculum Polyphemum, qui iisdem ferè verbis Galateam apud Theocritum alloquitur, Idyl. 11. vel potiùs quia Sicilia fertilissimis abundat pabulis; unde olim Romani imperii horreum vocata est, ob vina, frumenta, et pascua. De *Siciliâ* insulâ, Italiæ adjacente, fusè Æn. 3. 687.

24. *Amphion Dircæus.*] Jovis filius et Antiopes, quæ Lyci Thebarum regis uxor fuerat, ab eodemque repudiata, et à Dirce, cum quâ Lycus secundas nuptias contraxerat, carcere inclusa; instante partûs tempore à Jove liberata est, et in Cytheronem montem fugiens, ibi gemellos edidit in bivio. Hos inventos pastores educaverunt: et alterum quidem appellaverunt Zetum, à ζητεῖν, *quærere;* alterum Amphionem, quod ἀμφὶ ὁδὸν, *circiter viam* editus esset. Hi posteà adulti matrem ulti sunt suam, occisâ Dirce, quam Bacchus in fontem hujus nominis mutavit, non procul à Thebis. *Amphion* citharæ sono, quam à Mercurio dono acceperat, Thebarum muros exstruxit. *Dircæus,* vel à Dirce occisâ, vel à fonte ipso Thebano dictus.

24. *Actæo Aracyntho.*] Mons Aracynthus Vibio quidem in Atticâ est, quæ Ἀκτὴ, vocata est, unde et mons ille *Actæus:* Sed Vibio plerique omnes repugnant, et Aracynthum in Bœotiâ communi fermè suffragio collocant, prope Thebas, in mare prominentem: his adhærendum est. At unde hic vocatur *Actæus?* Probus ab *Actæone* Thebano deducit, qui circa hunc montem fortè venabatur, cùm à canibus, ob visam in lavacro Dianam, laniatus est. Servius Actæum vocatum putat, quasi *litoralem:* est enim ἀκτὴ *litus.* Quâ voce usus est Virgilius Æn. 5. 613. *At procul in solâ secretæ Troades actâ.*

26. *Non ego Daphnim.*] Alius pastor formâ nobilis. Nomen à δαφνὴ, *laurea.*

30. *Compellere hibisco.*] *Hibiscus* planta è genere malvarum sylvestrium, folio major et caule pilosior, THE LARGER MALLOWS. Hanc Scaliger in Varr. refert inter pascua purgantia, unde greges ait ad eam plantam medicinæ causâ compelli solitos: atque ita *hibisco,* erit *ad hibiscum,* ut, *it clamor cœlo,* pro *ad cœlum.* Stephanus verò ait in Seminario, ita interdum hibiscum grandescere, ut ex herbaceâ naturâ velut in arborem transeat, unde pastores conficere baculos possint: et ita *compellere hibisco,* erit *deducere baculo.* Servius *compellere* interpretatur, à *lacte depellere, et ad pastionem herbarum cogere,* hibisco proposito.—Martinus ex Stephano vocat, A SWITCH.

31. *Pana.*] Pan rusticæ et pastoritiæ rei præses Deus, quem habuerit patrem haud satis constat; Mercurium plerique dicunt. Sic appellatus à πᾶν, *omne:* vel, juxta Homerum in hymnis, quia Deorum omnium delectaverat mentes, cùm citharam recens natus scitè pulsâsset; vel, juxta alios, quia naturam omnem repræsentabat; cornibus, radios Solis et Lunæ cornua; rubicundâ facie, Ætherem; caprinis pedibus, terræ soliditatem; pilis hispidis, terræ arbores et feras, &c. Fistulam compegisse dicitur primus ex arundineis calamis, cùm Syringem nympham, quam deperibat, sociarum precibus mutatam vidisset in arundinem, unde fistula Græcis σύριγξ dicta.

35. *Amyntas.*] Ab ἀμύνω, *succurro.*

36. *Disparibus, &c.*] Fistula continebatur

Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas: invidit stultus Amyntas.
Prætereà duo, nec tutâ mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.
Jampridem à me illos abducere Thestylis orat:
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, ô formose puer. Tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Naïs
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit benè olentis anethi:
Tum casiâ, atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.
Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

*quam Damœtas quondam donavit mihi: et dixit moriens: Tu nunc istam secundus possides. Damœtas* hoc *dixit, Amyntas stolidus invidit. Insuper duo capreoli inventi à me in valle, non sine periculo: quorum pelles* sunt *adhuc distinctæ* maculis *candidis, quotidie exhauriunt gemina ovis ubera: hos servo tibi. Jamdudum Thestylis conatur precibus obtinere illos à me, et obtinebit, siquidem dona mea tibi vilescunt. Huc veni, ô formose puer. En Nymphæ offerunt tibi lilia plenis canistris: alba Naïs tibi colligens violas pallidas et capita papaverum, addit narcissum et florem anethi odoriferi: deinde miscens* cum *casiâ et aliis herbis dulcibus, ornat mollia vaccinia calthis croceis. Ego verò colligam poma albentia molli lanugine, et nuces castaneas, quas mea Amaryllis diligebat.*

NOTÆ.

olim septem calamis, apud Theocritum etiam novem, Idyl 8. ut vocum discrimina totidem imitaretur. Calami porrò cerâ inter se conjuncti eâ proportione decrescebant, ut in summo, quâ inflabantur, æquales essent; inæquales in imo, quâ exibat spiritus. *Cicutam.*] Scaliger vult hìc plantam illam esse venenatam cujus succo Athenienses ad publicum mortis supplicium, caule autem cavo ad musicam utebantur, HEMLOCK. Servius putat esse calamorum quorumlibet internodia, sed sine teste.

39. *Damœtas.*] Doricè pro Δημοίτης, quasi δημότης, *popularis:* à δῆμος, *populus.*

46. *Nymphæ.*] Nympha quasi νέα φαίνουσα, *nova apparens:* et significat, tum *novam nuptam;* tum fœminea illa numina, quæ juxta Pausaniam, non immortalia quidem, sed longissimi et penè innumerabilis ævi putabantur. Præerant autem aquis fluvialibus *Naïdes*, sive *Naides*, à νάειν, *fluere;* marinis *Nereides*, Nerei et Doridis filiæ: montibus *Oreades*, ab ὄρος, *mons;* sylvis *Dryades*, à δρῦς, arbor, *quercus;* singulis arboribus *Hamadryades*, ab ἅμα, *simul*, et δρῦς, *arbor*, quia cum iisdem arboribus occidebant; hortis et lucis *Napææ*, à νάπη, *saltus, viretum;* pratis *Limoniades*, à λειμὼν, *pratum;* stagnis *Limniades*, à λίμνη, *stagnum.*

*Calathis.*] Græcum est κάλαθος, Latinè *canistrum, qualum, qualus, quasillum, quasillus.* Calathi forma patenti lilio similis. Lilium enim ita describit Plin. l. 21. c. 5. *Effigie calathi, resupinis per ambitum labris.*

47. *Pallentes violas.*] Plin. l. 21. 6. Violas ait alias esse purpureas, alias luteas, alias albas; ad albas revocantur pallentes, quas eligit Corydon, ut amantium tinctas colore. Horat. enim l. 3. Od. 10. 14. *Nec tinctus violâ pallor amantium.*

*Papavera.*] Papaver, Narcissus et Anethum pulcherrimi pueri fuerunt, qui, juxta Servium, in flores suorum nominum conversi sunt: quos dum offert Corydon, Alexim quasi admonet, ne ipse tale aliquid ex amore olim patiatur. De *Narcisso* quidem nota est fabula. Fuit Cephisi Bœotiæ amnis et Liriopes Nymphæ filius: quem prædixerat Tiresias tamdiu victurum, quamdiu à sui conspectu abstineret. Is cùm Echûs nymphæ amorem sprevisset, suamque in fonte imaginem conspexisset, amore sui contabuit, et in florem cognominem est mutatus. De *Anethi* autem et *Papaveris* metamorphosi nihil apud veteres legi.

49. *Tum casiâ.*] Casia multiplex. I. Frutex cinnamomo affinis, odorato cortice, *de la canelle*, BASTARD CINNAMON. II. Fistula cujus medulla medicinalis est, *de la casse*, CASSIA. III. Herba coronaria, quam etiam Cneorum ex Hygino Plinius vocat, l. 21. c. 9. Cneorum autem album, *Lavendulam*, LAVENDER; nigrum *Rosmarinum*, ROSEMARY, esse putat Dalecampius. De hâc tertiâ specie solùm hìc sermo est.

50. *Vaccinia calthâ.*] De *Vacciniis* suprà v. 18. *Caltha* flos lutei sive crocei coloris, THE TURNSOLE, quasi *solsequium*, quia, præsertim cùm tenerior est, ad solem inflectitur.

51. *Cana legam, &c.*] Mala intelligit Cydonia sive Cotonia, QUINCES, ut ex canitie et lanugine colligitur: item ex fragmento Petronii, quod ex hoc loco manifestè expressum est

*Sordent velleribus hirsuta Cydonia canis,*
*Sordent hirsutæ munera Castaneæ:*
*Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna;*
*Rusticus hæc Corydon munera magna putet.*

52. *Castaneasque nuces.*] Nux genus est fructuum omnium qui duriore corio muniti sunt: species sunt, avellanæ, amigdalæ, juglandes, castaneæ, &c.

Addam cerea pruna: et honos erit huic quoque pomo:
Et vos, ô lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis:
Nec si muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu, quid volui misero mihi! floribus Austrum
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah, demens! habitârunt dî quoque sylvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia sylvæ.
Torva leæna lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon, ô Alexi: trahit sua quemque voluptas.
  Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras.
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
Ah, Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosâ vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget usus,

*Adjungam pruna flava, et laus erit quoque huic fructui. Et vos decerpam, ô lauri; et te, myrte,* lauris *vicina: quia ita junctæ emittitis gratos odores. Agrestis es, ô Corydon, et Alexis non movetur tuis donis: et si contendas donis, Iolas non cedet tibi. Heu miser, quid feci? immisi Austrum floribus, et apros puris fontibus, imprudens! ah, stulte, quem fugis? Dii ipsi incoluerunt nemora, et Paris Trojanus. Pallas incolat ipsa urbes quas exstruxit: sylvæ autem placeant nobis præ cæteris* rebus. *Ferox leæna sectatur lupum, lupus ipse capellam, petulans capella sectatur cytisum: te Corydon* sectatur, *ô Alexi: unusquisque rapitur suâ voluptate. Vide,* en *juvenci referunt domum aratra sublevata jugo: et sol occidens auget crescentes umbras: me tamen amor inflammat: nam quis* potest *esse finis in amore? Ah Corydon, Corydon, quænam insania te occupavit! Habes in ulmo frondosâ vitem mediâ ex parte recisam: cur non potiùs conaris saltem texere vimine, aut junco flexili,*

NOTÆ.

53. *Cerea pruna.*] Cerea vel ob mollitiem, ut Horat. de A. P. 163. *Cereus in vitium flecti.* Vel ob colorem croceum, ut in Priapeis, *magisque cerâ luteum novâ prunum.*

*Honos erit huic pomo.*] Commendatione accipientis Alexidis: sicut castaneis ob amorem Amaryllidis.

54. *Proxima myrte.*] Myrtus perpetuò virens, Veneri sacra, vel quia propter odorem accommoda est ad delicias; vel quia maris litoribus gaudet, unde et Venus orta. *Proxima* lauro, vel situ, vel odore, vel etiam dignitate, quia laureæ coronæ Romæ usui fuerunt in triumpho, myrteæ in ovatione, quæ minor triumphus erat, in equo, non in curru.

56. *Rusticus es.*] Tria amoris impedimenta; Corydon ignobilis et rusticus, Alexis munerum negligens, rivalis Iolas muneribus potentior.

57. *Iolas.*] Fortè ab interjectione ἰὼ, quæ modò lætitiam, modò luctum signat.

58. *Eheu, quid volui, &c,*] Multiplex explicatio. I. Lud. Vives: Inanem operam sumo, fundo carmina surdis auribus; perinde ac si flores ventis rapiendos exponerem, aut puram aquam suibus proculcandam. II. Nonnii: Res meas florentes hoc amore corrupi. Quam sententiam hìc duplici proverbio, ventorum et porcorum, deinde expressis verbis exponit: *Quæ te dementia cepit? Semiputata tibi, &c.* III. Abrami: Quænam vox excidit mihi, cùm Iolam nominavi, et munerum feci mentionem? Alexis enim, si me audierit, Iolam ditiorem sanè mihi præponet. Perinde igitur feci, ac si *floribus austrum, &c.*

*Austrum.*] Auster sive Notus, ventus à meridie flans, magnos humores colligens, quibus infert floribus et valetudini perniciem.

60. *Dî quoque sylvas.*] Apollo scilicet, cùm Admeti gregem pavit, cœlo pulsus ob cædem Cyclopum qui fulmina Jovi fabricaverant, ad occidendum Phaëthonta filium Apollinis.

61. *Dardaniusque Paris.*] Priami et Hecubæ filius: à patre expositus in sylvis, quia cùm Hecuba facem ardentem parere se somniâsset conjectores responderant, infantem, quem in utero gestabat, Trojani excidii causam futurum. Itaque educatus inter pastores, in agonali certamine, quod ad Trojam celebrabatur, cùm Hectorem vicisset, et ab eodem irato propè esset occidendus, pro ejusdem fratre agnitus est. Cætera passim in Æn. *Dardanius.*] Id est, Trojanus, à Dardano Electræ Jovisque filio, uno è Trojæ conditoribus.

*Pallas, quas, &c.*] Pallas, nata è cerebro Jovis, armata et hastam quassans: unde nomen habuit à πάλλω, *quatio.* Artium Dea, prima ædificiorum inventrix: et apud Athenienses conditrix habita ejus arcis, quæ Ἀκρόπολις est dicta, quia in summâ urbis parte posita erat. De *Cytiso,* Ecl. 1. 79.

66. *Aspice, aratra, &c.*] Colligit animum Corydon, et ex occasu solis, et cessatione operum rusticorum, agnoscit jacturam temporis et insaniam amoris sui. Mox illud quasi exprobrando sibi objicit, *Me tamen urit amor: quis enim modus, &c.* Tum negligentiam sibi suam ponit ob oculos: *Semiputata tibi, &c.* Denique ad saniora consilia præ desperatione mentem revocat: *Quin tu aliquid, &c.*

71. *Quorum indiget usus.*] Quæ postulat usus et consuetudo quotidiana vitæ rusticæ: ut sunt nassæ, crates, calathi.

*aliquid* earum rerum, *quarum eget vita rustica? Reperies alium Alexim, si hic te despicit.*

Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

NOTÆ.

72. *Detexere.*] Non minuendi, sed augendi verbum: estque *perfectè texere.* Sic Plaut. Pseud. 1. 4. 7. *Neque exordiri primum unde occipias habes, neque ad detexendam telam certos terminos.*

73. *Alexim.*] Ad exemplum Theocr. *εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλον. Invenies Galateam fortè et pulchriorem aliam.* Idyl. 11. 76.

---

# ECLOGA III.

## PALÆMON.*

## ARGUMENTUM.

*EST Amœbæa contentio inter Menalcam et Damœtam, pastores: ac primò continet jurgia, deinde musicum certamen, denique judicium Palæmonis de utroque: unde à judice Palæmone nomen habet. Vives allegoricam hanc eclogam putat: et Virgilium, sub personâ Damœtæ: poëtam ex ejus obtrectatoribus aliquem, sub personâ Menalcæ agnoscit.*

*Amœbæum verò carmen,* alternum, *sive* reciprocum *est, ἀμοιβαῖον. hujus lex est, ut, qui posterior dicit, aut majora dicat, quàm qui prior, aut certè paria: sensu, vel eodem, vel diverso: alioqui victus habeatur.*

*Tempus editæ hujus eclogæ erui potest ex his ejusdem versibus:* Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, musam: Pierides vitulam lectori pascite vestro. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum, &c. *Hæc enim tauri et vitulæ mentio facit, ut credam, scriptum hoc opus fuisse tum, cùm Asinius Pollio missus à M. Antonio ad expeditionem Dalmaticam adversus Parthinos, inde reversus esset victor, et jam triumphi apparatus fierent. Hujus autem pompæ pars erat non ultima, deductio taurorum aliarumque victimarum, pendentibus vittis, deauratisque cornibus; quæ Jovi Capitolino mactandæ à triumphante offerebantur. Præscribit igitur poëta bucolicus, ut taurus et vitula ad sacrificia Pollionis triumphalia saginentur: idque præscribit Musis ipsis: quia Pollio non solùm bello, sed literis etiam et poësi clarus fuit.* Ecl. 4. in argum. *Porrò cùm triumphus ille notetur in Fastis, ad 8. Kal. Nov. A. U. C.* 715. *scripta fuit hæc ecloga circa medium Octobrem illius anni, qui fuit Virgilii* 31. *desinens, aut* 32. *incipiens. Hæc quanquam levis conjectura, non inutilis tamen quibusdam videbitur.*

NOTA.

* PALÆMON.] A verbo *παλαίειν, luctari,* pro quo poëtæ dicunt *παλαιμονεῖν.*

## MENALCAS, DAMŒTAS, PALÆMON.

INTERPRETATIO.

MEN. *O Damœta, dic mihi, cujus* est *grex iste? an Melibœi?* DAM. *Minimè, sed* est *Ægonis: Ægon mihi nuper* illum *commisit,* MEN. *O oves, pecudes semper infaustæ! dum* Ægon *ipse demulcet Neæram,*

MEN. Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?
DA. Non, verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
ME. Infelix ô semper, oves, pecus! ipse Neæram

NOTÆ.

*Menalcas.*] A *μένος, robur,* vel *μένω, duro, maneo;* et *ἀλκὴ, auxilium. Damœtas* v. Ecl. 2. 37.

1. *Cujum pecus.*] Antiquum nomen, *cujus, cuja, cujum.* Terent. in Eun. 2. 3. 29. *Virgo cuja est!* Plaut. in Curcul. 2. 1. 14. *Cujam vocem audio?* Idem in Rud. 3. 4. 39. *Argentum pro istisce ambabus, cujæ erant domino dedi.*

2. *Ægon.*] Pastor rivalis Menalcæ in amore Neæræ, et herus Damœtæ. *Ægon* ab *αἶξ αἰγὸς, capra. Neæra.*] A *νέαιρα, sumen, abdomen. Melibœus,* v. Ecl. 1. sub initium.

3. *Infelix ô semper, oves, pecus.*] Legunt aliqui

Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur;
Hic alienus oves custos bis mulget in horâ:
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.
 DA. Parciùs ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphæ risêre, sacello.
 ME. Tum, credo, cùm me arbustum vidêre Myconis,
Atque malâ vites incidere falce novellas.
 DA. Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et cùm vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliquâ nocuisses, mortuus esses.
 ME. Quid domini facient, audent cùm talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multùm latrante lyciscâ?
Et cùm clamarem; “Quò nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus:” tu post carecta latebas.
 DA. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
 ME. Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cerâ
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas

*ac timet ne illa me anteponat ipsi: mercenarius iste pastor* Damœtas *exprimit lac ovibus bis* singulis *horis: Et succus subripitur gregi, et lac agnis.* DAM. *Memineris tamen ista cautiùs esse exprobranda viris. Scimus et qui te* corruperint, *hœdis obliquè spectantibus, et quo in delubro, sed bonæ Nymphæ riserunt.* MEN. *Tunc, puto,* riserunt, *cùm viderunt me amputare improbâ falce arbores, et novas vites Myconis.* DAM. *Vel potiùs hic prope fagos antiquas, quando rupisti arcum et sagittas Daphnidis: quæ tu, maligne Menalca, quando vidisti data esse puero,* illi *et invidebas, et periisses, nisi damnum aliquod* ipsi *intulisses.* MEN. *Quid faciet herus* Ægon, *siquidem* servus *furax audet talia* mihi dicere? *Nonne ego te vidi, nequissime, dolo furari caprum Damonis, lyciscâ multùm latrante? Et cum clamarem: “Quem in locum fugit ille? Tityre, collige gregem:” tu delitescebas post carecta.* DAM. *An ille, canendo superatus, mihi non reddidisset caprum, quem avena mea meruerat cantilenis? si ignoras, caper ille erat meus, et ipse Damon id fatebatur, sed dicebat se non posse reddere.* MEN. *Tu illum* vicisti *canendo? an unquam habuisti avenam cerâ compactam? Nonne tu, imperite, solebas*

## NOTÆ.

*ovis.* Quod Servius pessimè interpretatur: O infelix pecus, semper ovis, id est, semper imbecille futurum: Ramus verò sic: O semper infelix pecus ovium; ita ut *ovis* in genitivo sit singulari, pro plurali, *ovium.* Sed sincerissimi codices habent, *oves:* plano sensu: O oves, pecus semper infelix! Quare autem *infelix?* et propter pastorem, qui ut vacet amoribus, curam ejus abjecit; et propter custodem, à quo exhauritur et expilatur.

6. *Et succus pecori, et lac.*] Idem lac, qui matribus quidem nativus est succus; fœtibus autem, sive agnis alimentum. Notetur hìc defectus synalœphæ.

7. *Parciùs ista viris, &c.*] Scito moderatiùs et cautiùs ea esse exprobranda viris, et pudicis; iis præsertim, qui te mollem et corruptum sciunt. Servius non insulsè explicat, et interpungit aliter; *Parciùs: ista viris tamen objicienda memento. Novimus, &c.* hoc est: Parce quicquam mihi exprobrare: si tamen exprobres, memineris ea esse ejusmodi, quæ viro objici possint: ut novimus tua scelera viro indigna.

8. *Transversa tuentibus hircis.*] Servius *hirquis* legit, et *hirquos* explicat, angulos oculorum, in quos retorti oculi, libidinem notent. Alii simpliciùs de *hircis* intelligunt, libidinosis eò usque animalibus, ut iis etiam dicantur invidere, quos libidini indulgentes viderint: transversa autem tueri invidiæ signum est.

9. *Sacello.*] Sacellum, locus sacer numini, parva ædicula: sæpe, præsertim apud rusticos, antrum erat. *Nymphæ.*] Vel Dryades, vel Napææ. Nemesian. Ecl. 2. 20. *Quæ colitis sylvas Dryades, quæque antra Napææ.*

10. *Tum credo, cùm, &c.*] Ironicè loquitur, et scelus alienum quasi de se narrat; sed eo vultu et nutu, ut reipsà Damœtas ejus auctor esse intelligatur. *Arbustum.*] Non arbuscula est, sed locus arboribus consitus, præsertim hoc loco ad falciendas vites, quæ ideò *arbustivæ* à Columellâ dicuntur. Ecl. 1. 40. *Mycon.*] Pastoris nomen à *μυκάω, mugio. Daphnis,* à *δαφνὶς, corona laurea.*

17. *Damonis.*] Quasi *δαήμων, peritus.*

18. *Lyciscâ.*] Canis ex lupo et cane editus, à *λύκος, lupus,* et *κύων, canis.*

20. *Carecta.*] Locus ubi multæ sunt carices. *Carex* planta est ex arundineo genere; SEDGE. De *Tityro,* Ecl. 1. in argum.

25. *Cantando tu illum.*] Supple *vicisti:* reticentia ad subsannationem: ut ista ad furorem et impetum, Æn. i. 139. *Quos ego,* supple *si corripuero.*

*Aut unquam tibi, &c.*] Negat eum habere fistulam illam nobilem, septiforem: non negat habere ignobilem, simplicem, atque unius calami, è cicutâ, è stipulâ, de quo genere Ecl. 2. 36. Ait enim, *non tu in triviis, &c.*

26. *In triviis.*] *Bivium, trivium, quadrivium,*

*raucâ cicutâ spargere in plateis miserabiles cantilenas?* Dam. *Visne igitur* ut *privatim videamus, quid uterque* nostrûm *valeat alterno carmine? ego do pignori hanc juvencam: ne fortassè rejicias eam, bis mulgetur, educat lacte geminos vitulos: tu dic quo pignore contendas mecum.* Men. *De grege non ausim collocare quicquam in sponsione tecum: habeo enim domi patrem, habeo novercam difficilem: et bis quotidie recensent uterque gregem, alteruter* verò *hœdos. At, siquidem tibi placet stultum esse, opponam id quod tu ipse fateberis esse longè pretiosius, calices è fago* confectos, *opus incisum à præstantissimo Alcimedonte: in quibus vimen* hederæ *superadjectum* ope *torni facilis,*

Stridenti miserum stipulâ disperdere carmen?
Da. Vis ergo inter nos, quid possit uterque vicissim,
Experiamur? ego hanc vitulam (ne fortè recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
Me. De grege non ausim quicquam deponere tecum.
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter et hœdos.
Verùm, id quod multò tute ipse fatebere majus,
Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis

NOTÆ.

locus in quem duæ, tres, quatuorve concurrunt viæ. Rustici per trivia ululare certis diebus solebant, et flebile aliquid cantillare in honorem Dianæ, sive Proserpinæ: idque ad imitationem Cereris, eam à Plutone raptam per trivia cum clamore vestigantis. Unde Diana dicta *Trivia;* sive ex illis clamoribus; sive, ut ait Varro, quòd ejus simulacrum in triviis apud Græcos poneretur.

29. *Vitulam.*] Propriè *juvencam*, siquidem jam fœtus binos enixa est. Sic Ecl. 6. 47. Pasiphaën *virginem* vocat, pro muliere quæ jam viro sit conjuncta.

*Ne fortè recuses.*] Vel sensus est: Ne fortè recuses mecum gratis certare, vitulam in pignus depono: ut saltem lucri spe ad certamen movearis. Vel, ne fortè, quia vitulam nominavi, pignus quasi leve rejicias: binos fœtus alit, &c.

30. *Ad mulctram.*] *Mulctram, mulctrum, mulctrale*, vas rusticum excipiendo lacti comparatum: *Mulctra* etiam dicitur pro ipsâ actione mulgendi.

34. *Bisque die, &c.*] I. Servius sic explicat, ut *alter* ad novercam referatur: et sic recensio totius pecoris videatur uni patri attribui. Malè, tum quia *ambo* pecus numerant, ergo non solus pater: tum quia *alter* ad masculinum genus pertinet, ergo non ad novercam. II. Cerdanus sic Ambo pecus numerant; *alter*, id est, pater, seorsum hœdos. III. Nonnius verò, quem sequimur, sic: Ambo pecus, id est, matres numerant; *alter*, id est, alteruter, hœdos, id est fœtus, eò quòd ad majorem numerum bini custodes adhibendi sint; ad minorem unus sufficiat.

36. *Insanire.*] Mecum certando, qui te multò doctior sum.

37. *Fagina.*] Vasa è fago, of beech, juxta Plin. 16. 38. fuere aliquando in honore, et in usu sacrorum: recensentur tamen à poëtis in pauperum supellectili. Ovid. Fast. 5. 522. *Terra rubens, crater, pocula, fagus erat.*

37. *Cælatum.*] Impressum, incisum, per cavitatem exsculptum, à κοῖλον, *cavum:* unde et cœli nomen per *œ* scribi potest: sive pro superiore illâ et concavâ mundi parte, sive pro scalpro sumatur.

*Alcimedontis.*] Sculptoris nomen ab ἀλκὴ, *auxilium*, et μεδέω, *rego, curo:* nomen, heroi, quàm sculptori, aptius.

38. *Lenta quibus, &c.*] Salmasius et Cerdanus duplicem hìc artem agnoscunt, tornaturam et cælaturam: aiunt quippe, vitem, corymbos, hominum figuras torno fieri non posse, quo ligna teruntur tantùm et levigantur, sed solius cæli sive scalpri opus esse, quo sive ligna, sive metalla inciduntur et excavantur. Hi locum istum ita explicant, ut velint *quibus* esse ablativi casûs, *torno* dativi, hoc pacto: *in quibus lenta vitis per cælaturam addita est torno, sive materiæ jam tornatæ.* Ego I. vix putem *tornum* pro materiâ tornatâ, Latinè dici. II. Video *toreumata*, quæ propriè in veteribus gloss. exponuntur, *opera torno rasa*, sumi promiscuè à probatissimis scriptoribus pro cælato opere: cujusmodi sunt calices, crateres, signa hominum ac ferarum exeuntia extantiaque. Sic Martialis, l. 4. 39. *Solus Phidiaci toreuma cœli.* Sic Cicero frequenter in Verr. eodem sensu. III. Plinius l. 34. 8. artis toreutices inventorem memorat Phidiam, consummatorem Polycletum: quos sculptores ac statuarios, non solùm tornatores fuisse constat. Unde existimo, licèt exactè tornus à cælo, et scalpro distinguatur: usu tamen esse factum, ut promiscuè haberentur. Favet insuper etymon, *tornus* enim à τερέω, vel τείρω, τέτορα, *tero, trivi.* Teritur autem materia non solùm cùm versando raditur, sed et cùm repetitâ scalpri impressione inciditur.

*Torno facili.*] I. *Facile* alii explicant, *rude*, et facili nec longiori operâ elaboratum. II. Alii, *versatile*, quemadmodum Virg. Æn. 8. 310. *Facilesque oculos fert omnia circum.* III. Alii, *facilè obsequens*, et ad ligni teneritudinem referunt, quemadmodum Tibul. l. 1. 1. 40. *pocula de facili composuitque luto.*

Diffusos hederâ vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Da. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circùm est ansas amplexus acantho:
Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectes, nihil est quòd pocula laudes.
Me. Nunquam hodie effugies: veniam quocunque vocâris.
Audiat hæc tantùm vel qui venit: ecce, Palæmon:
Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas.

*implicat* frondibus *hederæ pallidæ corymbos* suos *dispersos. In medio duæ* sunt *effigies, Conon: et quis fuit alter, qui virgâ distinxit populis totum mundum, et tempora quæ essent apta messori, quæ curvo aratori? Neque adhuc illos* calices *attigi labiis, sed servo abditos.* Dam. *Mihi quoque idem Alcimedon fabricavit duos calices, et circumambiit ansas acantho flexili, et locavit in medio Orpheum et arbores sequentes. Neque adhuc illos attigi labiis, sed servo abditos. Si* tamen *ad juvencam respicias, non est cur æstimes calices.* Men. *Nullatenus hodie evitabis* certamen: *descendam ad quascunque conditiones* me *adduxeris. Tantummodo, idem ille qui venit, ea audiat. En Palæmon: faciam ne deinceps ullum provoces cantu.*

## NOTÆ.

39. *Diffusos hederâ.*] Multi vitem et hederam hìc implexas fuisse volunt. Ego cum Nonnio solam hìc hederam agnosco, vitemque accipio pro ipso hederæ vimine, quod *viticula* vocatur à Plinio; hederam verò pro foliis, hoc sensu: vimen hederaceum implicat foliis, pallentibus corymbos suos. Lenta vitis significationem hìc habere videtur, A BENDING BRANCH. *Hederæ.*] IVY. Ideò poculis insculpta, quia Baccho sacra.

*Corymbos.*] Κόρυμβος Isidoro est annulus in hederâ, quo proxima quæque comprehendit atque alligat: sed Plinio, est racemus hederæ in orbem circumactus. Corymbus primò appellatus est subrectio quædam et suggestus capillorum in Atticorum capite: quare derivat Vossius à κάρα, *caput*, unde et κόρυς *galea*

40. *Conon.*] Non dux ille celebris Atheniensium, sed nobilis Mathematicus, patriâ Samius, qui in gratiam Ptolemæi Euergetæ Ægypti regis, comam Berenices ejus conjugis inter sidera finxit esse relatam: ut habet Callimachus in epigr. quod à Catullo redditum extat. Æqualis et amicus fuit Archimedis: immò, ut opinatur Pomponius, etiam in Mathemat. magister.

*Et quis fuit alter, &c.*] Oblitus pastor Mathematici alterius, seipsum interrogat; et non occurrente nomine, personam describit ab operibus, iis maximè, quæ ad agrestem usum pertinent: qualis est divisio temporum sationis et arationis. *Alter* autem ille, vel Aratus est, poëta Solensis, qui scripsit Græcè *Phænomena*, sive motum situmque stellarum: quo quidem opere sic Romani delectati sunt, et illud Cicero adolescens, Claudius item, ut Germanicus, Latinum reddiderint. Vel Hesiodus est, poëta ex Ascrâ Bœotiæ oppidulo, qui inter alia scripsit *Opera et dies*, sive *Georgica*. Vel denique probabiliùs Archimedes, Cononis vel discipulus, vel saltem amicus, celebris ante alios Mathematicus et bellicarum machinarum inventor: qui in expugnatione Syracusarum, ab ignoto Marcelli victoris milite interfectus est, cùm figuras in arenâ describeret.

41. *Radio.*] Radius hìc virga est, sive baculus mathematicus, quo variæ cœli terrarumque partes assignantur, et figuræ in arenâ describuntur.

45. *Acantho.*] Herba est acanthus longo la toque et flexuoso folio, BEARSFOOT, capitulis columnarum, in ordine Corinthio, adhiberi solita ad ornatum: unde Romanis *Marmoraria* dicta est, auctore Fuschio.

46. *Orpheaque.*] Orpheus, Thrax, Apollinis et Calliopes filius: lyram à patre, aut à Mercurio acceptam ita suaviter impellebat, ut fluminum sistere cursus, et sylvas ferasque trahere dictus sit. Ejus cum Eurydice amores, profectionem ad inferos, et mortem lege Georg. 4. 454.

49. *Nunquam hodie effugies, &c.*] Deposuerat juvencam; negaverat Menalcas se ob patris metum posse juvencam deponere, et pocula obtulerat: hærebat tamen in sponsione juvencæ Damœtas, *Si ad vitulam spectes, nihil est, &c.* atque adeò videbatur certamen subterfugere, quod hâc sponsione admitti à Menalcâ non poterat. Ergo Menalcas, ne adversarius effugiat, admittit juvencæ conditionem, deposito, per spem victoriæ, patris et novercæ metu. *Veniam quocunque vocâris.* Unde arbiter Palæmon de præmio deinde judicium ferens, nullam poculo rum, sed juvencæ duntaxat mentionem facit. *Et vitulâ tu dignus, et hic.*

50. *Audiat hæc tantùm.*] Adsumus hìc uterque, adsunt pignora, deest tantùm judex: audiat ille qui venit. *Vel qui venit.*] Menalcas, viso eminùs pastore, necdum inspecto vultu, cujus se subjicit arbitrio, quicunque tandem ille sit: inest quippe ea vis huic voci, *vel qui venit.* Mox agnito Palæmone, ipsum nomine compellat, et æmulum audaciùs alloquitur, *efficiam posthac ne, &c.*

DA. Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla:
Nec quemquam fugio: tantùm, vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas.
PA. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herbâ:
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damœta: tu deinde sequêre Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camenæ.
DA. Ab Jove principium, Musæ: Jovis omnia plena:
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.
ME. Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud
Munera sunt, lauri, et suavè rubens hyacinthus. [me
DA. Malo me Galatea petit, lasciva puella:
Et fugit ad salices, et se cupit antè videri.
ME. At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
DA. Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi

DAM. *Ergo age, si habes aliquid; ego nullo modo morabor: neque recuso ullum judicem. Unum precor, ô Palæmon* mi *vicine: id penitus defige animo, res est non levis.* PAL. *Canite, siquidem sedimus in tenero gramine; et nunc omnis arbor, nunc omnis campus parit; nunc nemora virescunt, nunc annus pulcherrimus est. Incipe, ô Damœta; tu deinde succedes, ô Menalca: canetis vicissim, vicissitudo placet Musis.* DAM. *A Jove ducamus initium, ô Musæ: omnia plena* sunt *Jove: ille fæcundat terras, ille curat meos versus.* MEN. *Phœbus quoque me amat: sunt semper apud me dona* sacra *Phœbo, lauri, et hyacinthus suaviter purpurascens.* DAM. *Galatea, jocosa puella, me ferit malo, et fugit ad salices, et optat se videri* à me *priusquam* fugiat. MEN. *Amyntas verò, meus amor, se sponte exhibet mihi:* ita *ut jam Delia* ipsa *non sit familiarior canibus meis.* DAM. *Dona* jam *parata sunt amicæ meæ: nam observavi*

NOTÆ.

59. *Camenæ.*] Musæ: priùs dictæ *Carmenæ*, et *Casmenæ*, ex Varr. Radix, *carmen*, quod priùs dictum est, *casmen:* sicut *arbor, arena, janitor;* priùs *arbos, asena, janitos*, ex eodem Varr. Unde errant qui scribunt *Camœnæ*, et deducunt à *cantu amœno.*

60. *Ab Jove principium, Musæ.*] Ex illo Theocriti ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε, μοῖσαι. *à Jove incipiamus, et in Jovem desinite, ô Musæ!* Idyl. 17. 1. Unde malè quidam hìc legunt *Musæ* in genitivo: quasi esset, *Ab Jove principium Musæ*, id est, carminis. *Jovis omnia plena.*] Tum quia deorum ille princeps, et rerum omnium anima: tum quia Jovis nomen aëri tributum est undique diffuso, G. 2. 325. *Tum pater omnipotens, fæcundis imbribus æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit magno, commixtus corpore fœtus.*

*Musæ.*] Jovis et Mnemosynes filiæ novem, artium præsides; Calliope, Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Euterpe, Polyhymnia, Urania; natæ in Pieriâ regione Macedoniæ: sedem habere dicuntur in Helicone Bœotiæ, et Parnasso Phocidis, montibus inter se vicinis.

62. *Phœbus.*] Idem qui Apollo et Sol, Jovis et Latonæ filius, eodem partu cum Dianâ editus in insulâ Delo, medicinæ repertor: divinationis, musicæ, et poëseos Deus. Phœbus dictus quasi φάος βίου, *lumen vitæ.*

*Sua semper apud me munera.*] Sacra munera Phœbo, laurus et hyacinthus: de *lauro* quidem, Ecl. 2. 54. *Hyacinthus* flos ortus è vulnere pueri cognominis, qui Zephyro et Apollini cùm placeret. et aliquando disco luderet cum Apolline, Zephyri invidiâ inter ludendum periit disco, quem Apollo libraverat, in pueri caput malignè deflexo. Quis autem flos ille sit quæritur. Certè non is est qui vulgò sic nominatur cœruleus totus, et absque ullis literarum notis. Certissimè is est, qui Græcis ξίρις vel ξύρις dicitur, hoc est, *acutus:* Latinis autem, *gladiolus*, ob acutorum utrimque longorumque foliorum cum gladio similitudinem: Anglicè vero GLADER; et communi Græcis, Latinis, Gallisque vocabulo, *Iris;* vel ob colorum diversitatem, vel deformato nomine à ξίρις. Hoc multis probat Salmasius in Solin. p. 1224. I. Ex Columellâ l. 9. 4. *Cœlestis nominis hyacinthus*, non *numinis*, ut multi habent codices: quid porrò cœleste nomen, nisi *Iris?* II. Ex Palladio, l. 1. 37. *Hyacinthus, qui Iris, vel gladiolus*, dicitur. III. Gladiolus habet in folio discurrentes lineas, quæ multa A. et multa I. confusè saltem exprimunt: et hyacinthus, *ai ai flos habet inscriptum.* Ovid. Met. 10. 215. IV. Gladiolus magnitudine et specie accedit ad lilium: at hyacinthus, *formamque capit quam lilia, si non purpureus color his, argenteus esset in illis.* Ovid. Met. 10. 212. V. Gladiolus purpureus est; unde et ferrugineus, et niger, et rubens, ut explicuimus Ecl. 2. 18. Qui omnes colores tribuuntur hyacintho à poëtis. Reliqua infrà, v. 107.

67. *Delia.*] Diana, Luna, venationis Dea, cujus in tutelâ canes: Latonæ filia: soror Phœbi, Delia dicta, ut ille Delius. Vel quòd luce suâ omnia δῆλα, id est, *manifesta*, faciat. Vel ab insulâ Delo: quæ cùm anteà lateret, aut juxta alios erraret mari, Latonæ locum ad partum quærenti, subitò emersit, et sese obtulit: unde in præmium affixa est uni loco, et conspicua deinceps ac stabilis facta: dicta Delos quasi δῆλος, *manifesta.* Tamen hìc *Delia* fortè non Dea, sed Menalcæ famula, ex insulâ Delo: cui sanè multò quàm Deæ convenit magis illa cum canibus familiaritas. De *Amyntâ.* Ecl. 2. 35.

68. *Meæ Veneri.*] Amatorum blanditiæ:

Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.
Me. Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.
Da. O quoties, et quæ nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.
Me. Quid prodest, quòd me ipse animo non spernis,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? [Amynta,
Da. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola.
Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.
Me. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit:
Et, "longum, formose, vale, vale," inquit, Iola.
Da. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ.
Me. Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori: mihi solus Amyntas.
Da. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam.
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

*ipse locum, in quo palumbes aëriæ nidificaverunt.* Men. *Misi Amyntæ decem mala flava electa ex arbore sylvestri: quod* unum *potui* facere; *cras mittam* totidem *alia.* Dam. *O quoties, et quæ* verba *mihi dixit Galatea! O venti, ferte ad aures Deorum aliquam* eorum *partem.* Men. *Quid prodest mihi, ô Amynta, quòd tu me non aspernaris animo, si ego servo retia, dum tu apros insequeris?* Dam. *O Iola, mitte ad me Phyllida, meus est* dies *natalis. Quando immolabo vitulam pro terræ frugibus, tu ipse veni.* Men. *O Iola, diligo Phyllida præ aliis, me enim abeunte ploravit, et diu, dixit, vale, vale, ô formose.* Dam. *Lupus funesta res est gregibus, pluvia segetibus maturis, venti arboribus: nobis ira Amaryllidis.* Men. *Humor grata res est* teneris *segetibus, arbutus hœdis* à lacte *depulsis: salix flexilis gregi prægnanti: mihi solus Amyntas.* Dam. *Pollio diligit mea carmina, licèt sint agrestia: ô musæ, nutrite juvencam* Pollioni, *qui vos legit.*

## NOTÆ.

amicas Veneres vocant. Lucret. 4. 1178. *Nec Veneres nostras hoc fallit.* Mariti autem, uxores suas Junones; uxores vicissim, maritos Joves appellant. Plaut. in Cas. 2. 3. 14. *Eja mea Juno, non decet te esse tam tristem tuo Jovi.*

69. *Aëriæ quo, &c.*] Palumbes, WOOD-PIGEONS: Veneri sacræ, cujus trahendo currui addicuntur. *Aëriæ.*] Vel quia aërii sunt coloris, inquit Servius, et *liviæ* appellantur; vel potiùs, quia editis in arboribus nidificant. *Congessere.*] Accumulavere festucas, floccos, alia id genus: quæ Plautus in Rud. 3. 6. 51. *nidamenta* nuncupat.

73. *Divum referatis ad aures.*] Vel quia inest his verbis tanta suavitas, ut beatissimos Deos beare possint; vel ut Dii testes sint promissorum Galateæ.

74. *Quid prodest, quòd, &c.*] Damœtas ostendit anteà gaudium suum de colloquiis cum amicâ præsente. Nunc Menalcas majori amoris testimonio dolorem suum testatur, primò de amici absentiâ; secundò, de ejusdem periculo: *sectaris apros:* tertiò, de suâ securitate, *ego retia servo.* In quo sic hæret, ut Amyntæ amorem inutilem putet, nisi societatem pariat etiam periculorum.

76. *Phyllida, &c. Iola, &c.*] Iolas pastor, ab interjectione *ἰώ, heu.* Iolæ famula *Phyllis,* communis amica Damœtæ et Menalcæ: à *φύλλον, folium.*

*Meus est natalis.*] Natali in sacrificio licebat voluptati indulgere: non item in ambarvali, quod pro terræ frugibus Cereri offerebatur; ter ductâ circum agros, aut agnâ, aut vitulâ immolatâ. Unde puella invitatur ad natale; solus pastor ad ambarvale. De ambarvali, Geor. 1. 345.

77. *Cùm faciam vitula.*] *Facere* et *operare* sine addito, est *sacra facere, sacris operari.* Et *facere vitula,* est *sacra facere ex vitulâ.*

79. *Vale, inquit, Iola.*] Illa vox *Iola,* non est Phyllidis ad Iolam, cui vale dicat; sed Menalcæ ad Iolam. Ut enim Damœtas compellaverat priùs Iolam: *O Iola, mitte mihi Phyllida.* Ita nunc Menalcas eundem compellat: *O Iola, amo Phyllida, nam dixit mihi longum vale.*

81. *Amaryllidis iræ.*] Cùm videat Damœtas Menalcam in amore Phyllidis rivalem sibi obstare, imò præferri; ad alium amorem deflectit, et jam Amaryllidi dicit blanditias. De nomine *Amaryllidis,* Ecl. 1. 31.

82. *Arbutus.*] Arbor foliis lauro affinibus, sed raris, THE STRAWBERRY-TREE: in deliciis ejus umbra fuit apud antiq. Hor. Od. 1. 1. 21. *Nunc viridi membra sub arbuto stratus.* Fructus profert instar cerasorum, aut fragorum, cum aliquâ dulcedine asperos: Vocantur à Plinio *unedones;* quòd, inquit, plures edi non possint propter asperitatem; à Virgilio *arbuta.* Geor. 1. 148. *Cùm jam glandes, atque arbuta sacræ deficerent sylvæ.* Et Geor. 2. 520. *Dant arbuta sylvæ.*

83. *Mihi solus Amyntas.*] Ut ostendat Menalcas, quicquid à se de luctu Phyllidis, deque suo in eam amore dictum est, per jocum dictum esse, quò Damœtam aliquâ invidiâ stimularet: nunc ultro profitetur se præter Amyntam, amare neminem.

85. *Pierides.*] Musæ novem, de quibus v. 60. Sic dictæ, vel à Pierio Thessaliæ monte, ubi ex Jove et Mnemosyne natæ dicuntur: vel ex victoriâ, in Pieri Macedonis novem filias, relatâ; quæ Musas ausæ ad cantum provocare, et ab

MEN. *Ipse etiam Pollio componit novos versus: nutrite* illi *taurum, qui jam cornibus feriat, et spargat arenam calcibus.* DAM. *Quisquis te diligit, ô Pollio, perveniat* ad ea, *ad quæ lætatur te quoque pervenisse: illi mel fluat, et vepres rigidi producant amomum.* MEN. *Quisquis non odit Bavium amet tuos versus, ô Mævi! idemque subliget jugo vulpes, et exprimat lac ex hircis.* DAM. *O pueri, qui colligitis flores, et fraga nascentia humi, hinc fugite: serpens lethalis occultus est sub gramine.* MEN. *O oves, abstinete longiùs ire, non tutò fiditur ripæ: ipse aries siccat adhuc villos.* DAM. *O Tityre, remove à fluvio pascentes capellas: ego purgabo* eas *omnes in fonte, cùm erit opportunum.* MEN. *O pueri, colligite oves* in ovile: *si vis caloris corruperit lac, ut antè paucos dies, incassùm prememus mammas manibus.* DAM. *Heu! quàm macilentos habeo tauros in fertili agro: idem amor perdit gregem, et dominum gregis.* MEN. *Non certè amor id importat his* ovibus meis: tamen *vix stant ossibus. Nescio quis oculus corrumpit mihi juniores agnos.*

ME. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
DA. Qui te, Pollio, amat; veniat quò te quoq; gaudet:
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
ME. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.
DA. Qui legitis flores, et humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri! fugite hinc, latet anguis in herbâ.
ME. Parcite oves nimiùm procedere: non benè ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
DA. Tityre, pascentes à flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
ME. Cogite oves, pueri: si lac præceperit æstus,
Ut nuper, frustrà pressabimus ubera palmis.
DA. Eheu, quàm pingui macer est mihi taurus in arvo!
Idem amor exitium pecori est, pecorisque magistro.
M. His certè neq; amor causa est: vix ossibus hærent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

NOTÆ.

iisdem superatæ, totidem in picas ab iis mutatæ sunt.

86. *Pollio et ipse.*] Quis fuerit, fusè habetur in argum. Ecl. 4. pervenit ad summam oratoris, historici, et poëtæ laudem; ad consulatum anno U. C. 714. ad triumphum anno 715. E quibus laudibus poëticam solam hoc loco ei tribuit apertè Virgilius: *Pollio et ipse facit nova carmina:* cæteros honores, ut pastoritiis modulis graviores, tantùm innuit his vocibus: *veniat quò te quoque gaudet:* nempe ad consulatum, et triumphum.

89. *Mella fluant illi, &c.*] Vota sunt ejus in gratiam, quicunque Pollionem amaverit.

*Amomum.*] Parvus est frutex, magni inter aromata nominis, ex ligno sese convolvens in racemi modum: aureo colore, flore exiguo, ceu violæ albæ; ligno subrufo et valdè odorato: in Assyriâ, Armeniâ, Ponto, et Mediâ optimum. Ita ferè à Dioscoride describitur. Plerique tamen ab eâ descriptione dissentiunt

90. *Qui Bavium non odit, &c.*] Bavius et Mævius, poëtæ pessimi, Virgilio pariter et Horatio infesti. Imprecatio est respondens è contrario votis Damœtæ pro Pollione: si quis non odit Bavium, ita stultus fiat, ut et amet Mævium, et jugo supponat vulpes.

94. *Parcite oves, &c.*] Sensus est juxta Servium et Farnabium: O pueri, cavete ne oves longiùs procedant: quod durius et absque exemplo est. Nostra interpretatio, tum nititur exemplis, est enim apud Catul. in Argon. 146. *Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:* tum conformis est Theocritæo exemplo, Idyl. 5. 100. *σίττ' ἀπὸ τὰς κοτίνω ταὶ μηκάδες, ὧδε νέμεσθε,* &c. *discedite ab oleastro, capellæ, hìc pascite.*

*Non benè ripæ Creditur.*] Quia periculum est, ne vel oves lapsæ in profluentem rapiantur, vel ripa ipsa, fluctuum allapsu subtus exesa, ruinam faciat.

96. *Reice capellas.*] Est hìc primò syncope, *rejice* in *re-ice*; tum contractio geminæ vocalis brevis, in diphthongum longam: *re-ice* in *reice.* Sic *eicit,* pro *ejicit,* apud Lucret. 3. 891. *Nec radicitùs è vita se tollit et eicit.*

98. *Si lac præceperit æstus.*] Vel exsiccaverit; vel ita corruperit, ut vanescat, et nimis liquescat.

100. *In arvo.*] Alii legunt in *ervo. Ervum* autem, THE BITTER VETCH, leguminis genus est, pisis affine, bobus saginandis utile.

101. *Pecorisque magistro.*] Damœtæ mercenario pecoris custodi, qui dum amat Phyllida, Galateam, Amaryllida, videtur pecus è tam multiplici magistri solicitudine maciem contrahere.

103. *Oculus mihi fascinat agnos.*] *Fascinum* species incantationis: sic dictum, I. Vel à fasciis, sive liciis et filis, quibus ad illigandos et incantandos homines magicis in sacris utebantur, de quo more, Ecl. 8. 74. II. Vel à fando, ut vult Festus: quia verbis, ac præsertim laudatione immodicâ, perficiebatur: de quâ specie Ecl. 7. 27. III. Vel ut probat Vossius in Etym. à *βασκαίνειν, invidere*; quod est, quasi *φάεσι κταίνειν, oculis occidere,* quia oculorum intuitu præcipuè fit fascinatio: cùm scilicet maligni spiritus, ex invido aut malè affecto pectore emissi per oculos aërem circumfusum inficiunt; idemque sic infectus aër eos inficit, in quos, vel ore, vel oculis, vel naribus commeat. Ita ferè Heliod. Æthiop. l. 3. Junioribus verò, utpote

DA. Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non ampliùs ulnas.
ME. Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: et Phyllida solus habeto.
PA. Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitulâ tu dignus, et hic et quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt.

DAM. *Dic quâ in regione, cœli spatium opertum sit ulnis non plusquam tribus, et eris mihi magnus vates.* MEN. *Dic quâ in regione oriantur flores notati regum nominibus: et possidebis solus Phyllida.* PAL. *Non meum est dirimere tantam contentionem inter vos: Tu mereris vitulam, et hic* quoque: *et quicunque aut diffidet amoribus prosperis, aut experietur tristes. Nunc obstruite rivos, ô juvenes: prata satis irrigata sunt.*

## NOTÆ.

tenerioris naturæ, sæpiùs fascinum adhærescit.

104. *Dic quibus in terris, &c.*] Uterque, quasi de victoriâ desperans, ad ænigmata confugit.

*Apollo.*] Vatum Deus, de quo suprà v. 62. Cur sic appelletur, docet Macrob. Saturn. l. 17. 1. I. Quia radios ἀεὶ πάλλει, id est, *semper vibrat.* II. Quia radiorum vi morbos frequenter excitat, quibus mortales ἀπολλύει, id est, *enecat.* III. Quia caloris benignitate morbos omnes ἀπελαύνει, id est, *fugat.* IV. Quia ἀναπολεῖ, id est, *inter utrumque mundi polum vertitur.* V. Quia unus est, non multiplex: idem enim aliquando est atque Sol. Ab α privativo, et πολλοὶ *multi.*

105. *Tres pateat, &c.*] Ænigma difficile, in quo Virgilium crucem fixisse Grammaticis refert Servius ex Asconio, qui hoc ipsum è Virgilio audisse se professus est. Servius interpretatur, I. De Cœlio quodam Mantuano: qui dilapidato patrimonio sepulchrum sibi duntaxat trium ulnarum, seu pedum sex, reservaverat; idque mirè placet Salmasio in Solin. p. 1222. II. De Syene urbe in confinio Ægypti et Æthiopiæ, sub tropico Cancri; quem locum ita recto lumine sol irradiare putabatur, medio solstitii die; ut ne altissimo quidem in puteo, eam in rem à philosophis effosso, umbram ullam efficeret. III. Alii de Ajacis clypeo, qui cœli figuram præferebat, eratque trium ulnarum, id est, trium cubitorum: sic enim aliquando ulna sumitur, ut ostendit Vossius in Etym. IV. Alii de specu in Siciliâ, ubi rapta fertur à Plutone Proserpina. V. Ciacconius et Cerdanus de fossâ quâdam Romæ in comitio factâ more Etruscorum: quæ mundus dicebatur, et toto anno claudi solita, patebat certis duntaxat diebus tribus: hi autem *cœlum* pro mundo accipiunt, ulnas tres, pro diebus tribus. VI. Pomponius de Cœlo quodam, cujus statura trium duntaxat erat cubitorum. VII. Alciatus de clibano, cujus ostium ad ulnas tres apertum sit. VIII. Alii de quolibet puteo: in quem qui descenderit, spatium cœli tantum conspiciat, quantum putei latitudo permiserit. Elige.

107. *Nascantur flores, &c.*] Cerdanus explicat de argenteo nummo qui extat, cujus altera pars Augusti effigiem cum his verbis, *Augustus Cæsar;* altera florem præfert, cum hoc elogio, *Lucius Aquilius Florus triumvir.* Sed non advertit vir doctissimus, Augusti cognomen Octaviano non tributum esse nisi anno U. C. 727. Virgilii 43. Octavio VII. et Agrippa III. Coss. ut habet Consorinus. Edita autem sunt Bucolica anno Virgilii circiter 32. Igitur ad vulgarem et pastoralem sensum confugio, qui est de hyacintho flore, in quem Hyacinthus primùm, Phœbo dilectus puer; tum Ajax Græcorum post Achillem fortissimus, mutati sunt. Videntur enim in illo scriptæ quodammodo literæ αι, quæ primæ sunt in Ajace; et, si retrorsum legantur, primæ etiam aliquo modo in Hyacintho, si, ut vult Nannius, per *j* non per *y*, scribatur, contra communem Græciæ totius fidem. Atque illa difficultas Hyacinthi nominis Ovidium movit, ut floris illius literas ad Ajacis quidem nomen referret; ad Apollinis verò gemitus, mortem Hyacinthi deplorantis. Quippe αι gemitum notat, unde est αἰάζω, *gemo.* Ita Met. 10. 215. *Ipse suos gemitus foliis inscripsit, et ai ai flos habet inscriptum.* Tum l. 13. 397. *Litera communis mediis, pueroque, viroque, inscripta est foliis; hæc nominis, illa querelæ. Ajax* porrò et *Hyacinthus,* non reges, sed regum filii fuere. Ajax quidem Telamonis, Hyacinthus Amyclarum regis. Reges tamen vocat Virgilius eo more, quo Laviniam et Ariadnem reginas alibi vocabit.

109. *Et quisquis amores, aut &c.*] Non uni digni estis vitulâ pro præmio, sed etiam quicunque vobis similes ita bellè expriment affectus amantum: sive ejus qui felix in amore felicitati suæ diffidit, qualis Menalcas. *Dulce satis humor, &c. Quid prodest, si me, &c.* sive ejus qui amaritiem in amore experitur, qualis Damœtas: *Triste lupus stabulis, &c. nobis Amaryllidis iræ.*

111. *Claudite jam, &c.*] Allegoria est. Jam cantare desinite: satis enim aures nostræ cantu vestro delectatæ sunt, quemadmodum aquarum humore prata reficiuntur.

# ECLOGA IV.

## POLLIO.*

### ARGUMENTUM.

*CONFECTO bello Perusino, de quo dictum est in argum. Ecl.* 1. *M. Antonius multis de causis infensus Octaviano, cum ingenti exercitu venerat in Italiam. Reconciliati tamen circa Brundusium, administris L. Cocceio communi amico, et, ex parte Octaviani, Mæcenate; ex parte Antonii Asinio Pollione, tum consule, ambo cum ovationis honore Romam ingressi sunt. Sed paucis pòst diebus, cùm Sext. Pompeius, Magni filius, occupatâ Siciliâ commeatum intercluderet, ideóque Roma fame premeretur, Octavianus et Antonius, lapidibus palam appetiti à populo, coacti sunt pacem cum Sext. Pompeio componere. Pax composita ad Puteolos. Sublato igitur famis metu, cibariis in urbem confluentibus, civilibus bellis tanto pòst tempore extinctis, quædam aureæ species ætatis affulsit. Hæc autem omnia cùm accidissent sub extremum Pollionis consulatum, et ipso Pollione administro, cui tunc temporis filius natus erat; huic Pollionis filio genethliacon Virgilius cecinit; ejusdemque, et temporum illorum in laudem detorsit, quicquid in Cumanæ Sibyllæ libris, de Christi ortu, ejusque matre atque ætate legerat.*

*Scripta est anno Virgilii* 31. *ineunte: U. C.* 714. *exeunte: sub ipsum pacis Puteolanæ tempus; Coss. Domitio Calvino, et Asinio Pollione: paulò antequam hi consules magistratum abdicarent; quod more illorum temporum fecerunt, ad paucos qui supererant ex illo anno dies: in gratiam L. Cornelii Balbi Gaditani, et P. Canidii, qui consules in annum reliquum appellati sunt.*

### NOTÆ.

* POLLIO.] C. Asinius Pollio, à Julio Cæsare, paulò ante cædem, Hispaniæ ulteriori præfectus; post ejus cædem amicissimus fuit M. Antonio, ut ipse profitetur suis in Epistolis, quæ extant apud Ciceronem, l. 10. *Famil.* in ejusdem Antonii partes cum duabus legionibus transiit, paulò ante triumviratum. Triumviratu instituto, et triumviris urbanos magistratus in quinquennium assignantibus, ipse in an. U. C. 714. Consul destinatus est; adnitente, ut credibile est, amico Antonio. Quo eodem tempore Fescenninis versibus ab Octaviano laceratus dicitur. *Macrob. Saturn.* 2. 4. Et tunc in Galliâ Cisalpinâ versanti videtur Virgilius innotuisse, et per eum commendatus esse Mæcenati, ut aditum haberet ad Octavianum, qui agrorum dividendorum in suos et Antonianos milites negotium unus in se susceperat. Orto deinde Perusino bello, L. Antonio, Marci fratri, suppetias tulit Pollio contra Octavianum. *Appian.* l. 5. *Civil.* Sed victo Lucio, ipse tum consul, diu retentâ in potestate Marci Venetiâ, ejus in partes Domitium Ænobarbum ejusque classem allexit. *Velleius lib.* 2. Consecuta est pax Puteolana: statimque in Parthinos, Illyricam gentem, et Bruti olim Cassiique studiosissimam, auspiciis M. Antonii, expeditionem duxit: triumphavitque anno sequente 715. Reliquam ætatem traduxit in Italiâ, et licet *post enervatum amore Cleopatræ Antonii animum, partibus ejus nunquam se miscuerit,* ad bellum tamen Actiacum proficisci noluit cum Octaviano, *propter notiora in se Antonii beneficia,* ut ait *Velleius* l. 2. Historiam scripsit bellorum civilium, item tragœdias; accusavit juvenis Catonem: orator egregius, sed Ciceronis eloquentiæ infestissimus. *Quintil.* l. 8. 1. et l. 10. 12. fortassè ob memoriam M. Antonii, quem ille Philippicis laceraverat. Vixit fermè ad extremum Augusti principatum et an. U. C. 757. obiit octogenarius, ut colligitur ex *Eusebii Chron.*

Filium habuit nullum *Saloninum* nomine, sed nepotem; qui certè, cùm edita est hæc ecloga, nondum ortus erat; quippe qui annis, post editam hanc eclogam, 60. juvenis obiit, Tiberio *progener destinatus,* inquit Tacit. *Annal.* 2. 75.

Filius autem Pollionis dictus est C. Asinius Gallus, non *Saloninus:* diris deinde suppliciis à Tiberio Cæsare necatus anno U. C. 789. Ille igitur Pollionis Saloninus, qui à Servio dicitur *inter ipsa primordia periisse,* aut Servii commentum est, aut certè tunc, cùm scripta est ecloga, *Saloninus* dici non potuit; cùm *Salonæ* à Pollione non captæ sint nisi anno editionem eclogæ consequente. Vide Ecl. 8. 13

SICELIDES Musæ, paulò majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quò ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.

INTERPRETATIO.

*O Musæ Siculæ, cantemus paulò grandiora. Arbores, et parvæ myricæ non placent omnibus. Si cantamus sylvas, sylvæ deceant consulem. Nunc attigimus extremum sæculum vaticinii Cumeæ* Sibyllæ. *Magna series temporum oritur de novo. Nunc Astræa revertitur, regnum Saturni revertitur: nunc novum genus* hominum *mittitur è summo cœlo. Tu tantùm, ô pudica Diana, adsis nascenti puero: sub quo ferrea ætas primùm finietur, et aurea per totum orbem orietur: tuus* frater *Apollo jam imperat.*

## NOTÆ.

1. *Sicelides.*] A Græco nomine Σικελὶς: à Latino enim *Sicilia*, esset *Sicilides*; absona vox propter exiguitatem literæ *i*, sæpiùs repetitæ. Eas invocat Musas, quia Theocritus Siculus, ex urbe Syracusis, bucolicorum princeps fuit. Unde et *Syracusium versum* dicit, pro *Bucolico* Ecl. 6. 1. et *Arethusam* Siciliæ fontem invocat Ecl. 10. 1.

2. *Myricæ.*] Myrica, frutex humilis; hanc alii Tamaricen vocant; alii Bruyam sylvestrem, TAMARISK. De *arbustis*, Ecl. 1. 40.

3. *Sylvas.*] Per *sylvas* hìc, et per *sylvestrem musam* Ecl. 1. 2. bucolica sive pastoritia carmina intelligit. Cœlius Rhodig. auctor est tamen, per *sylvas consule dignas*, allusum ad sylvarum curam: quæ minima erat provinciarum illarum, quæ consuli è magistratu abeunti mandabantur. Unde apud Suetonium legimus, optimates ex invidiâ conatos esse, ut ea Jul. Cæsari provincia committeretur, quasi minimi negotii; hunc verò contrà perfecisse, ut sibi Gallia daretur.

4. *Ultima.*] Vel *postrema* est; vel *prima*, et ab ætate nostrâ remotissima, utroque enim sensu dicitur *ultimum*. Hæc autem ætas, de quâ hìc Virgilius, *postrema* dici potest: quòd eam Sibylla quasi quinto loco constituerit, post alias quatuor per metalla designatas, auream, argenteam, æream, et ferream. *Prima* verò dici etiam potest: quòd hæc eadem instauratio sit primæ ætatis aureæ, et eadem veluti ætas rediviva.

*Cumæi carminis.*] Sibyllini. *Cumæam* verò Sibyllam aliqui distinguunt à Cumanâ, ut altera Italica, altera Æolica sit. *Cumæ* enim duæ percelebres, inter urbes alias ejusdem nominis: alia in Æolide Asiæ; alia in Campaniâ Italiæ. Utrumque tamen nomen confundi debet. De Sibyllarum nomine, numero, auctoritate, dicemus Æn. 6. 36. De *Cumis*, Æn. 6. 2.

5. *Magnus ab integro, &c.*] *Sæclorum* pro *sæculorum: Sæculum* vulgò centum annorum spatium est; hìc *ætas* et *tempus* indefinitè. *Magnus sæclorum ordo*, et posteà *magni menses* explicantur à plerisque de magno anno Platonico, qui ex Cicerone 2. de Nat. Deor. *tum efficitur, cùm Solis, et Lunæ, et quinque errantium, ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis, est facta conversio*; id est, reditus ad eundem situm, unde primò cursum inceperint. Quo tempore *quidam volunt*, inquit Clavius in c. 1. sphæræ, *tunc omnia quæcunque in mundo sunt, eodem ordine esse reditura, quo nunc cernuntur.* Addunt autem fabulosi hujus anni auctores, hunc spatio contineri 49000 annorum; alii tantùm 25760; alii etiam plurium. Quicquid sit, de hoc anno Virgilium loqui vix putem: malimque *magnum* hìc, esse *illustrem;* quomodo heroës Alexander, Pompeius, *magni* dicti sunt. Multa tamen eruditè docet Jos. Scaliger de magno anno, magnisque mensibus Chaldaicis, quæ huic loco convenire possint. In Canon. Isagog. p. 252.

6. *Virgo.*] Astræa, seu Justitia, Jovis et Themidis filia: quæ, finito aureo sæculo, quo Dii cum hominibus habitaverunt, Diis propter hominum iniquitatem abeuntibus, terram quoque reliquit, sed omnium ultima.

*Saturnia regna.*] Felicissima, aurea, qualia fuerunt Saturno imperante: sub Jovis enim ejus filii imperio, deflexerunt omnia in pejus. Geor. 1. 125. *Saturnus*, Cœli et Vestæ filius à Titane fratre ob regni contentionem carcere inclusus, à Jove filio liberatus: deinde ab eodem Jove, cui struebat insidias, regno pulsus, in Italiam aufugit ad Janum regem. Unde regio in quâ latuerat, *Latium* dicta. Hæc omnia fabulis poëtarum corrupta sunt.

8. *Tu modò nascenti puero.*] Quasi dicat: novum genus hominum orietur, dummodo Lucina faveat huic puero nascenti: qui princeps illius novi generis, id est, primus esse debet.

10. *Lucina.*] Dea certè fuit partui præsidens: dicta sic, à *luce* quam infantibus dabat. Quænam verò fuerit, ambigitur. Alii Junonem fuisse colligunt ex hâc solenni parientium formulâ: *Juno Lucina, fer opem.* Alii Dianam è plurimis poëtarum locis. Alii distinctum ab utrâque numen ex hymno in Apoll. apud Homerum: ubi Lucina dicitur à Junone impedita, quò minùs Latonæ, Dianæ matri, parturienti opem ferret. Virgilius adhæret secundæ opinioni: cùm eam Apollinis sororem hìc dicat: *tuus jam regnat Apollo:* id est, *tuus frater.*

*Apollo.*] Multi de Octaviano interpretantur, ut et Lucinam de Octaviâ ejus sorore: quæ et

Teque adeò decus hoc ævi, te consule, inibit,
Pollio: et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, Divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis:
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgò nascetur amomum.
At simul heroum laudes, et facta parentis

*Porrò sub tuo consulatu, ô Pollio, gloria illa ætatum inchoabitur, et magni menses incipient currere. Te auctore, si aliquæ nostri criminis reliquiæ supersunt,* tunc *deletæ liberabunt mundum æterno metu. Ipse* puer *particeps erit vitæ divinæ, et videbit heroas sociatos diis, et ipse videbitur* ab *illis, et gubernabit mundum pacatum patris virtute. Terra autem ubique sine culturâ producet tibi parva munera, ô puer!* nempe *vagas hederas passim cum baccare, et colocasia mixta grato acantho. Ipsæ capræ reportabunt in stabulum mammas lacte tumentes, nec greges timebunt magnos leones: ipse cunæ proferent tibi jucundos flores: angues quoque morientur, et morientur plantæ venenatæ, quæ colligentem decipiunt: amomum Syriacum orietur ubique. Sed statim atque poteris*

## NOTÆ.

multum apud fratrem poterat; et pudicitiæ laude insignis fuit, et mortuo priore conjuge Marcello, hoc ipso tempore vinculum fuit pacis illius, quæ hâc eclogâ celebratur, ab Octaviano conjux Antonio tradita. Cur autem Octavianus Apollo dicitur? An quòd in cœnâ quâdam, convivis duodecim Deorum habitu discumbentibus, ipse Apollinem repræsentaverit? Certè Antonius deinceps id ei quasi impiè factum objecit: videturque cœna illa cadere in hoc ipsum tempus, ut ex Suetonio colligitur. Meliùs tamen Virgilium hìc explicandum puto de Lucinâ ipsâ, quæ ad pueri ortum invitatur: deque ipso Apolline, qui regnare dicitur ac triumphare, quia jam constat veritas vaticiniorum, quæ per Sibyllam suam ediderat, de reditu ætatis aureæ.

11. *Inibit.*] Incipiet, orietur. Sic *ineunte anno*, id est, *incipiente*, dicitur absolutè.

12. *Magni menses.*] Quintilis et Sextilis, aiunt Servius et Pomponius. *Magni* ideò, quia *Julius* et *Augustus*, ex Imperatorum nominibus appellati sunt. Malè. Licèt enim hoc de Julio verum sit, de Augusto mense tamen falsum: cui nomen illud, non ante mortuam Cleopatram, et tres Octaviani triumphos, à senatu tributum est: immò non ante an. U. C. 727. *Magni* ergo *menses* dicendi, quomodo suprà *magnus ordo sæclorum*, v. 5.

13. *Sceleris vestigia nostri.*] Scelus illud, vel sunt perjuria Trojanorum, quibus omnes posterorum Romanorum calamitates tribuuntur, Geor. 1. 501. *Jampridem sanguine nostro Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.* Vel bella civilia Cæsaris et Pompeii. Vel cædes ipsa Cæsaris, spectante senatu, patrata; cujus in pœnam atrocissima bella Octaviani principatûs initium infestârunt.

15. *Ille Deum vitam, &c.*] Alludit ad auream ætatem, quâ Dii cum hominibus familiariter degebant: innuitque puerum in eâdem, quâ pater est, futurum quoque gratiâ apud Triumviros et alios deinde reipublicæ administratores, quos per adulationem Deos vocat, ut Octavianum vocaverat, Ecl. 1. 6.

17. *Pacatumque reget patriis, &c.*] Addit eundem puerum rectorem orbis, id est, consulem futurum. Sic enim loqui tunc adhuc potuit poëta, nondum scilicet extinctâ republicâ: imò spe tum vigente maximâ restituendæ mox à Triumviris antiquæ libertatis, ut ex Appiano constat. *Patriis virtutibus.*] Vel refertur ad *reget:* Reget orbem, usu et exemplo virtutum omnium patriarum, id est, Romanorum. Vel refertur ad *pacatum:* Reget orbem pacatum virtute atque industriâ Pollionis patris, qui cum Mæcenate administer fuit pacis inter Octavianum et M. Antonium.

19. *Hederas passim cum baccare.*] *Baccar*, herba est radicis odoratæ, quæ vim ad fascinationem depellendam habere putabatur. Nomine Gallico caret: quibusdam videtur esse *nardus rustica:* quibusdam verò, *digitalis:* Anglicè LADIES' GLOVES. Despauterio fœminini generis: at verò, ut probat exemplis veterum Vossius, semper neutrius, *hoc baccar.* Hederam puero promittit, ut futuro poëtæ, quemadmodum Ecl. 7. 25. *Pastores hederâ crescentem ornate poëtam:* baccar, ut puero formoso, qui proinde fascinationi invidentium magis obnoxius sit, quemadmodum ibid. 27. *Baccare frontem cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

20. *Colocasia fundet acantho.*] *Colocasium, i,* vel *colocasia, æ,* faba est Ægyptia: cujus radix et caulis, ad cibum; flos ad coronas adhibebatur. De *acantho*, Ecl. 3. 45.

24. *Fallax herba veneni.*] Generatim omnem herbam intelligit latentioris veneni. De *amomo*, Ecl. 3. 89

26. *At simul heroum, &c.*] Prosecutus pue-

Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paullatim flavescet campus aristâ,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella:
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
  Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet et ipse mari vector: nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suavè rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:

*jam legere laudes heroum, et gesta* tui *patris, ac percipere quid sit virtus;* tunc *agri sensim flavescent spicis maturis, et racemi rubentes pendebunt è rubis agrestibus, et duræ quercus stillabunt mel instar roris. Tamen latebunt nonnullæ reliquiæ malitiæ veteris, quæ cogant adire navibus mare, et claudere urbes mœnibus, et sulcare terram. Tunc erit alter Tiphys, et altera Argo, quæ portet electos duces: erunt quoque bella alia; et ingens Achilles rursus ibit adversùs Trojam. Deinde, postquam ætas jam robusta te reddiderit virum, ipse etiam nauta recedet è mari, nec naves è pinu* fabricatæ *transferent merces: omnis terra producet omnia: nec ager scindetur rastris, nec vitis falce. Tum quoque fortis agricola auferet jugum bobus: nec assuescet lana simulare diversos colores: sed aries ipse in pascuis tinget vellus purpurâ suaviter rubenti, et croco luteo:*

## NOTÆ.

ritiæ ludos, nunc tria studia adolescentiæ enumerat. I. Poësim, *heroum laudes.* II. Historiam, *facta parentis,* quæ vide in arg. III. Philosophiam, *et quæ sit poteris cognoscere virtus.* Deinde ad virilis ætatis laudes ascendit, *Hinc ubi jam firmata, &c.*

31 *Pauca tamen, &c.*] Gradus quosdam ponit ætatis aureæ, simul cum pueri ætate procedentis; ita ut in ipsius ortu reflorescere natura videatur, *fundent cunabula flores:* in ejus adolescentiâ fructus ferre, *aristas, uvas, mella;* cum aliquibus tamen priscæ fraudis, et ætatis ferreæ vestigiis: firmatâ denique ejus ætate quasi plenâ pace gaudere, bellis et laboribus extinctis, *omnis feret omnia tellus.* Quod exprimit abundantiam rerum omnium, quâ gaudebat Roma post pacem Puteolanam.

32. *Thetim.*] Est et *Thetis,* Græcè Θέτις, genitivo *Thetidis,* primâ brevi: Et Τηθὺς, *Tethys,* genitivo *Tethyos,* primâ longâ. Ista *Tethys,* uxor Oceani, sive Neptuni, Nympharum marinarum mater. Hæc verò *Thetis* Nerei et Doridis filia, quam cùm amaret Jupiter, uxoremque ducere decrevisset, monitus est à Prometheo sic esse in fatis, ut qui ex eâ nasceretur, patre major esset futurus: quo audito, Jupiter ab ejus nuptiis abstinuit. Hanc itaque duxit Peleus, Æaci filius, ex eâque Achillem suscepit.

34. *Tiphys.*] Gubernator navis quæ dicta est Argo. *Argo.*] Navis, sive prima juxta fabulas, sive apparatu et mole maxima omnium, quæ priùs in usu fuerant: constructa ad expeditionem Colchicam, ex pinis Pelii montis in Thessaliâ: inserto è quercubus Dodoneæ sylvæ malo, qui oracula reddebat. Nomen, vel ab architecto, quem *Argum* nominat Valer. Flaccus; vel ab *Argivis,* id est, Græcis ducibus, quos vehebat, ut ait Ennius apud Cic. 1. Tuscul. vel à celeritate: ἀργὸς enim *velox* est. Inventrix ejus Minerva. Locus fabricationis, *Pagasæ* promontorium et oppidum Thessaliæ, non procul à Pelio monte. Unde *Pagasæa navis* dicta est.

35. *Delectos heroas.*] *Argonautas,* nobiles Græcos, è Thessaliâ præcipuè; qui numero circiter quinquaginta navi Argo vecti sunt in Colchidem, ad diripiendum vellus aureum, à Tauris ignivomis et Dracone custoditum. Dux Jason: post eum notissimi Castor, Pollux, Hercules, Theseus, Orpheus, Zetes et Calais.

36. *Achilles.*] Thetidis et Pelei filius, de quo Æn. 1. 34. Per Achillem verò quemcunque virum fortem: per Trojam, quamcunque civitatem; per Argo, quamcunque navem: per Tiphym, quemcunque gubernatorem significari, benè admonet Servius; et est expositio illius, quod antè dixerat: futura nempe bella et navigationes.

38. *Vector.*] Tam activè dicitur pro eo qui vehit, quàm passivè pro eo qui vehitur.

39. *Mutabit merces.*] Ante nummos repertos commercia omnia per rerum commutationem fiebant; ut adhuc fit cum peregrinis multis gentibus.

40. *Rastros.*] *Rastrum:* plur. *rastri,* vel *rastra;* instrumentum quo franguntur glebæ: à radendo dictum.

44. *Murice.*] Murex, piscis est marinus è concharum genere, paululùm à purpurâ diversus: caro in escam, sanguis in colorem assumitur, ex Martiale Epigr. l. 13. 87. *Croceo luto.*] Alii pro croco luteo dictum volunt: crocus autem, SAFFRON, lutei coloris est, id est, flavi rubescentis. Alii lutum herbam agnoscunt: quæ

Sponte suâ sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia sæcla suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
  Aggredere, ô, magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum !
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum :
Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo.
  O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta !
Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus : huic mater quamvis, atque huic pater adsit :
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadiâ mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicat se judice victum.
  Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem :
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer, cui non risere parentes,

*Sandyx ultro induet agnos inter pascendum. Parcæ, firmo fatorum ordine unanimes dixerunt suis fusis : ô talia tempora, currite. Accede ad magnos magistratus,(mox veniet tempus* accedendi) *ô dilecta proles deorum, magne Jovis alumne! Vide mundum rotundâ mole vacillantem, terramque, et spatia maris, et altum cœlum; vide, ut cuncta exultant ob adventum ætatis* aureæ. *Utinam restet mihi pars extrema tam prolixæ vitæ, et anima, quantum sufficiet ut tua gesta celebrem. Non me cantu superabit, aut Orpheus Thracius, aut Linus : licet huic Orpheo mater faveat Calliopea ; et huic Lino pater pulcher Apollo. Si Pan ipse contendat mecum Arcadiæ arbitrio ; ipse Pan fatebitur se superatum esse, Arcadiæ arbitrio. Incipe, parve puer, agnoscere matrem* ex ipsius *risu : decem menses attulerunt matri diuturna tædia. Incipe, parve puer, cui parentes non arrisere,*

## NOTÆ.

vel *glastum* sit, WOAD, vel *calthæ* quædam species, MARIGOLD.

45. *Sandyx.*] Vel color est compositus ex æquâ sandarachæ et rubricæ commixtione ex Plin. l. 35. 6. flammæ, vel minio concolor ; VERMILION, *coleur de feu ;* vel frutex, aut herba, cujus dicitur à quibusdam flos similis cocco, SCARLET.

47. *Parcæ.*] Erebi et Noctis filiæ : sic dictæ vel à partu quasi *Partæ*, juxta Varronem ; quia nascentibus bonum malumque in partu conferunt ; vel per antiphrasim à parcendo, juxta alios ; quia nemini parcunt. Tres finguntur, quia tria sunt tempora : colo instructæ, quâ vitæ humanæ stamina deducunt. Prima est *Clotho*, à *κλώθω, volvo.* Secunda *Lachesis*, à *λαγχάνω, sortior.* Tertia *Atropos*, ab *α* privativo, et *τρέπω, verto*, quia inflecti non potest.

49. *Jovis incrementum.*] Jovis filius, alumnus ; ideò incrementum et augmentum, quia patres prole dicuntur augeri. Jovis autem Deorumque sobolem vocat et alumnum : eo modo, quo Homerus heroës suos, *διοτρεφεῖς*, et *θρέμματα Διὸς, nutritos à Jove.*

50. *Nutantem convexo, &c.*] Gestientem et præ lætitiâ commoventem se. *Convexum*, est curvatura exterior cœli, *concavum*, curvatura interior : utrumque promiscuè sumitur à poëtis. Æn. 4. 451. *Tædet cœli convexa tueri*, id est, *concava* quæ sola intuemur. *Convexum*, dixit pondus, quia mundi pondus et gravitas rotundum illum, adeoque convexum efficit : omnibus ejus partibus æqualiter ad centrum nitentibus.

56. *Linus.*] Apollinis et Terpsichores filius, pastor idem et musicæ peritissimus, Orphei et Herculis eâ in arte præceptor. Hunc ab ipso Hercule occisum ferunt, impactâ in caput citharâ, quòd ipsum Herculem rusticè canentem irrideret.

57. *Orphei.*] Dativus Græcus, hìc dissyllabus Ὀρφεὺς, έος, ει vel εῖ. Sic apud Catullum est *Pelei*, *τῷ Πηλεῖ.* De *Orpheo*, Ecl. 3. 46. *Calliopea.*] Vel *Calliope :* ut *Penelopea*, vel *Penelope.* Una è novem Musis, mater Orphei, heroici carminis præses : à *κάλλος, pulchritudo*, et *ὄψ, ὀπὸς, vox.*

58. *Pan etiam Arcadiâ, &c.*] De *Pane*, Ecl. 2. 31. *Arcadia*, Peloponnesi regio intima, à mari undique remota, ubique in montes assurgens ; unde pastioni pecorum, quàm agriculturæ aptior ; ideoque Pana pastorum Deum singulari cultu venerata.

61. *Longa decem.*] Vulgò mense nono nascuntur infantes : unde hìc Vives et Turnebus decem Lunæ menses agnoscunt, qui breviores. Alii mensem decimum ineuntem intelligunt, vel etiam completum : cùm ad hoc usque tempus partum differri posse constet ; immo etiam ulteriùs. *Tulerunt.*] Penultimâ brevi, cùm vulgò habeatur longa. Sic Æn. 2. 774. et 3. 48. *Steteruntque comæ.* Geor. 2. 129. *Miscueruntque herbas.* Lucret. 3. 86. *Prodiderunt.* 1042. *Occiderunt, &c.*

62. *Cui, &c. parentes, &c.*] De hâc duplici voce controversia est. *Cui.*] Quintilianus l. 9. 3. legit *Qui*, plurali nominativo, hoc sensu : *qui pueri non risere ; hunc*, id est, *hos* (per enallagen, sive commutationem numerorum) *nec Deus mensâ dignatur, nec, &c.* II. Servius legit *Cui*, dativo singulari ; sive, *Quoi*, quomodo veteres Latini scripserunt, usque ad ipsius Quintiliani pueritiam, ut ait ipse, l. 1. 7. Et hic erit sensus : *Cui puero parentes non arrisere, hunc nec*

Nec Deus hunc mensâ, Dea nec dignata cubili est.

*hunc nec Deus ad mensam, nec Dea in lectum,* excipere *dignata est.*

NOTÆ.

*Deus, &c.* Qui quidem sensus ut constet magis, hæc superiora verba, *risu cognoscere matrem,* de risu matris, non de pueri risu, accipio: cum Erythræo et Bembo. Solent enim parentes ante cæteros à liberis agnosci ex blandiore risu, et est in liberis omen ingenii bonæque indolis, ex illo risu citissimè parentes agnoscere. Quare poëta puerum invitat, ut ex risu citò parentes agnoscat. *Parentes.*] Qui legunt cum Servio *Cui,* nihil hìc habent negotii: et *parentes,* nominativo plurali intelligunt. Qui verò cum Quintiliano legunt *Qui,* I. vel parentes esse volunt in vocativo, *ô parentes;* ita Politianus, Miscel. 89. II. vel in accusativo: pro, *qui non risere ad parentes;* ita Jos. Scaliger in Catull. 62. 208. quomodo Plautus in Cap. 3. 1. 21. *Quasi muti silent, neque me rident:* pro, *mihi arrident.* Servium sequor, quia figura Quintiliani durior hoc videtur.

63. *Nec Deus hunc, &c.*] Certè comminatio est imminentis puero calamitatis: si matrem risu non agnoscat. Quæ autem sit illa calamitas dubium est. I. Servius explicat de Vulcano, cui puer similis sit futurus: Vulcanus verò, cùm ei nascenti parentes, Jupiter et Juno, propter deformitatem non arrisissent, ab iis in Lemnum insulam dejectus est: quo ex casu claudus factus, deinceps, nec à *Jove* ad mensam Deorum, nec à *Minervâ* in maritum admissus est. Obstat tamen Servio Homerus, qui Vulcano dat locum in cœlesti convivio, Iliad. 1. 595. II. Politianus, Miscel. 89. explicat de *Genio* et *Junone,* qui puero propitii non sint futuri. Constat enim ex Senecâ Ep. 110. ex Plin. 1. 2. 7. veteres hominibus singulis Genium et Junonem, tutelares Deos, ab ipso ortu attribuisse. Sed constat etiam apud eruditos omnes, Genium solis masculis, Junonem solis fœminis fuisse attributam: atque ita uni eidemque Pollionis filio Genius et Juno non conveniunt. Minimè autem constat id, quod hoc loco Philargyrius commentatur: nempe pueris nobilibus editis in atrio Junoni Lucinæ lectum sterni solitum, et mensam Herculi; sive juxta alios, Genio. Refert quidem Politianus duplicem Varronis locum: quorum alter docet, *initiari pueros Educæ, Potinæ et Cubæ; divis edendi, potandi, et cubandi:* alter docet, *natus si erat sublatus, Diis conjugialibus, Pilumno et Picumno, in ædibus lectum sterni.* At ex iis locis nihil erui potest; nisi quòd mensa Deabus, lectus Diis poneretur: cùm Virgilius contrà, mensam Deo, lectum Deæ attribuat. Quare ego duplici modo nodum solvo. I. Per *mensam,* educationem et nutritionem pueri intelligo, cui rei fatentur omnes præfuisse Genium; per *cubile,* conjugium intelligo, cui constat præfuisse Junonem. Atque ita sensus erit: *Hunc puerum Genius ali non permittet, nec per cibum incrementa capere; aut si permiserit, certè non permittet Juno ad felices nuptias pervenire.* II. Sic prætereà commodè potest explicari: *Si non agnoscas matrem risu, infelix eris, neque ad illam poteris Deorum vitam et consortium pervenire, quod priùs tibi promiseram, versu* 15. Illa autem Deorum vita, sive apotheosis, gemino capite præcipuè continebatur: convictu Jovis, et Deæ alicujus conjugio. Sic apud Horatium l. 4. Od. 8. Herculis divinitas inde statuitur, quòd, *Jovis interest optatis epulis impiger Hercules.* Idemque, ut notum est, Heben juventutis Deam accepit in conjugem. Sic et Virgilius Georg. 1. 31. Immortalitatem, quam promittit Augusto, ita exprimit: *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.* Eò itaque recident Virgilii minæ in puerum: *Non frueris Deorum vitâ, quia te nec Jupiter admittet ad mensam, nec Dea ulla in cubile.*

# ECLOGA V.

## DAPHNIS.

### ARGUMENTUM.

*PASTORES duo funebres ac divinos honores amico Daphnidi exhibent: Mopsus illius epitaphium, Menalcas apotheosim canit. Quis autem sit ille Daphnis, ambiguum est. I. Aliqui pastorem esse putant Siculum, de quo Diodor. lib.* 4. *Mercurii filium, natum laureo in nemore, unde nomen habuerit à δάφνις,* laurea: *peritum illum quidem musices, et Bucolici carminis apud Siculos inventorem. Qui cùm amaretur à Nymphâ, eique datam fidem fefellisset, ob amorem filiæ Regis, oculis in pœnam captus, carminis argumentum deinde pastoribus fuit. Nec sanè*

*vero absimile Virgilium, qui toties in Bucolicis rerum Siculorum meminit, juvenis illius laudes esse prosecutum: exemplo Theocriti, qui videtur ejus in memoriam scripsisse Idyllium primum. II. Alii Pollionis filium esse conjiciunt: cujus genethliacon eclogâ superiore, hìc mors immatura celebratur. At si inter ipsa ut volunt, obiit primordia; quomodo* curru subjungere tigres instituit, *et* thiasos inducere Baccho? *III. Sentit Vives à Virgilio, quamquam inscie et imprudente, mortuum atque redivivum Christum esse laudatum. Sed pius magis, quàm verus ille sensus est. IV. Pierius vult esse Quinctilium Cremonensem Virgilii atque Horatii familiarem. At ejus obitus hâc eclogâ posterior est, annis circiter quindecim; caditque in an. U. C.* 730. *ut patet ex Euseb. Chron. V. Alii de Quinctilio Varo interpretantur, illo, qui in Germaniâ cæsus est an. U. C.* 762. *post obitum ipsius Virgilii* 27. *quàm scitè, ipsi viderint. VI. Jul. Scaliger Poët. l.* 1. 4. *suspicatur Flaccum esse quendam ipsius Virgilii fratrem: idque alii probant hoc incerti auctoris veteri disticho:* Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci, Docte Maro, fratrem Diis immortalibus æquas. *Non putem tamen à modestissimo poëtâ tam superbè defletum fratrem fuisse, obscurum hominem ac semipaganum; nec fidem habeo versiculis incertis. VII. Meliùs Jos. Scaliger in Euseb. Chron.* p. 143. *et alii, de cæde et apotheosi Julii Cæsaris rem explicant. Quàm commodè constabit ex notis. Scripta est, fortè quibusdam ludis, aut sacrificiis, in honorem Julii celebratis. Quo præcisè tempore, non liquet. Certè post secundam, ac tertiam eclogam: siquidem extremis hujus versibus mentio fit secundæ et tertiæ.*

## MENALCAS, MOPSUS.

ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hìc corylis mixtas inter consedimus ulmos?
MO. Tu Major: tibi me est æquum parere, Menalca.
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potiùs succedimus: aspice ut antrum
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
MO. Quid si idem certet Phœbum superare canendo?
ME. Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

INTERPRETATIO.

MEN. *Mopse, siquidem unà sumus; periti uterque, tu fistulâ canere, ego canere versus: cur nondum hìc procubimus inter ulmos mixtas corylis?* MO. *Tu* natu *major, justum est ut tibi obediam, ô Menalca: seu subimus umbracula fluctuantia ventis agitantibus, seu potiùs cavernam. Vide quomodo vitis agrestis prætexit cavernam uvis raris.* ME. *Amyntas unus tecum potest contendere in montibus nostris.* MO. *Quid* mirum, *cùm ipse contendat vincere Phœbum cantu?* ME. *Mopse, incipe, primus, si habes, aut aliquos amores Phyllidis, aut laudes Alconis, aut rixas Codri.*

NOTÆ.

4. *Tu major.*] Ambo tamen juniores. Sic tum deinde, v. 19. Mopsus ad Menalcam: *sed tu desine plura, puer.* Et vicissim Menalcas ad Mopsum, v. 49. *Fortunate puer, tu nunc.*

5. *Zephyris.*] *Zephyrus* ventus flans ob occasu æquinoctiali: dictus quasi ζωηφόρος, *vitam ferens.* Latinis *Favonius. Hic est genitalis mundi spiritus, à fovendo dictus,* inquit Plinius lib. 16. 25. sive, ut habent quidam codices, *à favendo.*

7. *Labrusca.*] Vitis sylvestris: sic dicta vel quia circa macerias et septa, in terræ marginibus et labris nascitur; vel quia à sapore acerbo labra lædit. De *Amyntâ,* Ecl. 2. 35. De *Phœbo,* Ecl. 3. 62.

10. *Phyllidis ignes.*] *Phyllis* Lycurgi Thraciæ regis filia; quæ Demophoonta Thesei regis Atheniensis ex Phædrâ filium amavit, exceptique à Trojano bello redeuntem. Is cùm Athenas ad componenda regni negotia reversus, illìc longiores contra fidem datam traheret moras; Phyllis spretam se rata, amoris impatientiâ vitam laqueo finivit, et in arborem amygdalum foliis carentem est conversa. Reversus deinde Demophoon cùm arborem amplexus esset, illa sponsi adventum veluti sentiens emisit folia: unde folia quæ ante πέταλα dicebantur, ab ejus nomine dicta sunt φύλλα.

11. *Alconis.*] Alcon celebris sagittarius Cretensis, qui in serpentem Phaleri filii sui corpori circumplicatum tam industriè sagittam direxit, ut eam in serpente defigeret, nec filium tangeret. *Jurgia Codri.*] Codrus rex Atheniensium fuit; qui bello adversus Laconas, ut ait Servius; aut Dorienses, ut Justinus; aut Thraces, ut Plutarchus; cùm ab oraculo responsum esset, eum populum victorem fore, cujus rex periisset; atque adeò edictum fuisset ab hostibus, ne quis regem Atheniensem læderet: ipse sumpto lignatoris habitu, jurgiis aliquos ex hostibus lacessivit, ab iisque occisus est: hostes re cognitâ sine prælio victi domum abierunt. *Phyllis* tamen, *Alcon,* et *Codrus,* fortassè hìc pastoritia nomina sunt. Fuit et *Codrus* poëta, de quo Ecl. 7. 22.

Incipe: pascentes servabit Tityrus hœdos.
Mo. Immò hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
Me. Lenta salix quantùm pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantùm saliunca rosetis:
Judicio nostro tantùm tibi cedit Amyntas.
Mo. Sed tu desine plura, puer: successimus antro.
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli testes et flumina Nymphis:
Cùm, complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egêre diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigres

*Incipe: Tityrus custodiet hœdos pascentes.* Mo. *Meditabor potiùs illa carmina, quæ nuper scripsi in cortice fagi, et per vices canens insculpsi: tu posteà fac ut contendat Amyntas.* Me. *Quantò salix flexilis inferior est olivâ, quantò parva saliunca rubentibus rosis, tantò tibi inferior est Amyntas, meâ* quidem *sententiâ.* Mo. *At tu, puer, omitte plura loqui, ingressi sumus in antrum. Nymphæ lugebant Daphnim defunctum ferâ morte: vos, ô coryli et fluvii, testes* fuistis *Nympharum* luctûs: *dum mater amplexa miserandum cadaver filii sui, et Deos et sidera fera appellaret. O Daphni, nullus boves deduxit è pastu ad fluvios frigidos, per illos dies: nulla quadrupes nec degustavit aquam nec attigit herbam graminis. O Daphni, et montes inculti, et sylvæ, dicunt leones ipsos Africæ doluisse mortem tuam. Daphnis etiam induxit* morem *subligandi tigres Armenias ad currum,*

NOTÆ.

14. *Modulans alterna notavi.*] Ita ut modò canerem, modo quæ cantaveram, describerem in fagi cortice. De *fago*, Ecl. 1. 1.

17. *Puniceis.*] *Puniceus*, sive *phœniceus*, color splendidè rubet: *quales fructus palmæ arboris non admodum sole incocti: unde spadicis et phœnicei nomen est;* inquit Gellius, l. 2. 26. σπάδιξ enim Doricè significat, *avulsum è palmâ termitem cum fructu:* et communiter, φοῖνιξ *palma* est, et *palmæ fructus.*

*Saliunca.*] Ex Plinio l. 27. 7. *foliosa quidem est, sed brevis, et quæ necti non possit, radici numerosæ cohæret herba veriùs quàm flos. Vestibus interponi eam gratissimum.* Alii Lavendulam esse putant; alii nardum Celticam.

20. *Crudeli funere Daphnim.*] Aptum mihi videtur Julio Cæsari nomen: Lauream enim significat. At Cæsar, ex Suet. c. 45. *Calvitii sui deformitatem cùm iniquissimè ferret, ex omnibus decretis sibi à senatu, populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentiùs, quàm jus laureæ coronæ perpetuò gestandæ.* Benè item, *crudeli funere.* Quia Cæsar medio in senatu, tribus et viginti pugionum ictibus occisus est, ducibus conjurationis Bruto et Cassio, ejusdem familiaribus, idibus Martiis.

23. *Mater.*] Cerdanus transfert hunc affectum ad uxorem Julii Calpurniam, quæ paulò ante diem cædis, somniavit maritum *in gremio suo confodi:* ex Suet. 81. ego matrem *Romam* puto: quæ corpus ejus medio in foro, pro rostris, insolito tumultu et gentium omnium comploratione combussit: igne ex ipsis tribunalibus ac subselliis excitato: ut est apud Sueton. 84.

24. *Non ulli pastos, &c.*] Huc refero Suetonii verba, c. 81. de prodigiis quæ mortem Cæsaris præcesserunt. *Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrârat, ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, ubertimque flere.* Equi per *Quadrupedem* hìc significantur, ut Æn. 11. 714. *Quadrupedemque citum ferratâ calce fatigat.*

26. *Libavit.*] Gustavit, attigit, Æn. 1. 740.

27. *Pœnos leones.*] Punicos; id est Carthaginienses, seu Africanos. Carthago enim urbs Africæ præcipua, cujus incolæ Pœni dicti, quasi Phœni: quia è Phœniciâ profecti, duce Elisâ, sive Didone, Æn. 1. 348. Ferax autem leonum et monstrorum est Africa. In quâ Cæsar Catonem, Scipionem, Jubam vicerat.

29. *Daphnis et Armenias, &c.*] *Hoc apertè ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam, et Liberalia instituisse,* inquit Servius. Quo tamen in auctore dicat, ignoratur: immò sacra Liberi multò antè nota fuisse Romæ manifestum est. Nisi fortè dicatur magnificentiùs ea deinceps à Julio celebrata: eò quòd periculosissima certamine Pompeii filios ad Mundam vicisset, ipso Liberalium die, ἐν Διονυσίοις, inquit Plutarchus in Cæsare; quo eodem die, ante quadriennium, Pompeius ad bellum exiisse quoque dicebatur. Præcipua autem Bacchi insignia fuere *Tigres:* quibus currui subligatis circumvehi solitus est. *Thyrsus* hasta erat, vestita pampinis et hederâ, armata cuspide in coni formam desinente: Bacchi gestamen, et comitum ejus fœminarum, quas *Bacchas* vocabant. Thyrsus quippe dicitur, quicquid ita surgit, ut in gracilitatem tenuetur: quemadmodum caulis medius fruticum et plantarum. *Thiasus* est chorus, sive sacra sodalitas canentium, saltantium, convivantium; non semper ad Bacchum, sed ad alia etiam divina per-

Instituit: Daphnis thiasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
  Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.
Pro molli violâ, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
  Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
"Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus;
Formosi pecoris custos, formosior ipse."
  Me. Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solùm æquiparas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo:
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
  Mo. An quicquam nobis tali sit munere majus?

*et celebrandi choreas* in honorem *Bacchi, et induendi flexiles hastas teneris frondibus. Ut vitis est ornamentum arborum, ut racemi vitium, ut tauri armentorum, ut messes agrorum fertilium:* sic *tu* eras *ornamentum omne tuorum; ex quo mors te abstulit, ipsa Pales atque ipse Apollo deseruit arva. Sæpe miserum lolium, et infœcundæ avenæ regnant in sulcis, quibus commisimus magna hordea. Carduus, aut paliurus* armatus *spinis acutis nascitur pro dulci violâ, et narcisso purpureo. Spargite frondes per terram, tegite fontes umbraculis, ô pastores! Daphnis jubet hæc sibi præstari: et statuite sepulchrum, et adjicite sepulchro epitaphium: "Ego Daphnis* hìc jaceo, *celebris in sylvis hinc usque ad cœlum, magister pulchri pecoris, ipse pulchrior."* Me. *Tales mihi sunt versus tui, ô divine poëta, qualis res* est *fatigatis somnus in herbis, et qualis res* est *æstuantibus sedare sitim scaturiente rivo dulcis aquæ. Nec tantùm æquas magistrum fistulâ, sed etiam voce. Felix juvenis, tu modò eris primus post eum. Nos tamen vicissim tibi qualicunque modo canemus hæc nostra, et Daphnim tuum tollemus in cœlum: Daphnis nos etiam dilexit.* Mo. *An ulla res mihi sit pretiosior, quàm hoc munus?*

## NOTÆ.

tinens. Diciturque à θεῖα ᾄσαι, divina canere. De *Baccho*, infrà v. 69.

29. *Curru subjungere tigres.*] *Curru* pro *currui*. Veteres enim in nominibus quartæ, genitivum extulere per *uis, curruis:* et dativum per *ui, currui*. Unde posteà sicut genitivum contraxere in *us, curruis, currûs;* ita aliquando contraxere dativum in *u, currui, curru*. Hoc innuit Gellius l. 4. 16. qui multa congerit exempla Virgilii et aliorum. Sic Æn. 1. 261. *parce metu.* 6. 465. *teque aspectu ne subtrahe.* 9. 605. *venatu invigilant pueri.*

*Tigres.*] Benè *Armenias*. Tigris enim vox est Armena, ex Varr. aut Medica, ex Plinio: quæ celeritatem significat. Unde apud eos, feram illam, sagittam, et flumen celebre significat.

35. *Ipsa Pales, &c.*] Pales Dea pastorum et pabuli: quam tamen Varro vult esse masculini generis.

*Apollo.*] Hìc Apollo Nomius intelligitur: sic dictus à νομὴ, *pascuum;* quia greges olim Admeti regis pavit, Geor. 3. 2.

36. *Grandia hordea.*] Speciem pro genere, hordeum pro quolibet frumento.

37. *Infelix lolium, &c.*] Lolium, COCKLE-WEED: Græcis ζιζάνιον.

*Avena.*] Duplex: altera sativa, et ad equinum pabulum utilis; altera planè inanis ac sterilis, de quâ hìc sermo. In hanc ultimam, et in lolium dicuntur frumenta degenerare.

38. *Purpureo narcisso.*] Duplex narcissi species; præcipua, ex Dioscoride, l. 4. 161. *Flos albus*, inquit, *intùs croceus*, κροκώδεις; *in quibusdam purpureus*, πορφυροειδεῖς.

39. *Carduus, &c. &c.*] Carduus agrestis, THE THISTLE.

*Paliurus.*] Herba, vel juxta alios frutex asperrimus: quidam spinam albam putant.

49. *Alter ab illo.*] Secundus; non dignitate quidem, quia doctrinâ par utrique esse dicitur, *Nec calamis solùm æquiparas, sed voce magistrum:* sed ordine tantùm temporis: Ita ut alter alteri sit similis, sed magister primus et antiquior, Mopsus verò secundus et junior. *Magister* autem ille Mopsi, videtur ipse fuisse Daphnis.

52. *Amavit nos quoque Daphnis.*] At, inquiunt, Menalcas Virgilius est, siquidem deinde dicit de suâ fistulâ: *Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexim: Hæc eadem docuit, &c.* Virgilium autem non amavit J. Cæsar, quippe ignotum adhuc tunc temporis: atque adeò Daphnis non est J. Cæsar. Sed nihil obstat, quò minùs dicamus amatos à Cæsare Mantuanos, et cæteros Galliæ Cisalpinæ populos: utpote ex eâ provinciâ, quam Cæsar tantoperè expetiisset. Virgilius autem Mantuanus fuit.

Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Jampridem Stimicon laudavit carmina nobis.
 Me. Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris sylvas et cætera rura voluptas,
Panaque, pastoresque tenet, Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi lætitiâ voces ad sidera jactant
Intonsi montes: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: Deus, Deus ille, Menalca.
 Sis bonus ô felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi:
Et multo imprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbrâ,
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

*et puer ipse meruit celebrari, et jamdudum Stimicon laudavit mihi* tuos *istos versus.* Me. *Daphnis splendens miratur portas cœli à se non antè visas, et despicit sub pedibus nubila et astra. Ergo læta voluptas occupat nemora, camposque omnes, et Pana, et pastores, et Dryadas virgines. Neque lupus struit insidias gregi, neque ullæ plagæ moliuntur fraudem cervis: Daphnis bonus diligit pacem. Ipsi montes inculti emittunt clamores ad astra* præ *gaudio, ipsæ rupes* modulantur *versus, ipsæ arbores modulantur* hoc: *Deus, ô Menalca, Deus ille* est. *Utinam sis commodus et propitius tuis! ecce quatuor aras, ecce duas tibi, et duo altaria Phœbo* erecta. *Singulis annis offeram tibi duo vasa recenti lacte undantia, et duo vasa pinguis olei. Præsertimque lætificans epulas copioso vino; ad ignem, si* fuerit *hyems; sub umbraculis, si* fuerit *æstas: effundam è calicibus vina Chia,* quæ sunt *novum nectar.*

## NOTÆ.

54. *Et puer ipse.*] Negat Servius posse id convenire J. Cæsari, qui non puer, sed annos natus 56. interfectus est. Ego existimo Cæsarem consultò hìc vocari puerum; quia relatus fuerat inter cœlestes Deos: Dii verò censebantur vigorem semper habere juvenilem; nec aliam ob causam *Heben*, sive juventam, Diis ad pocula ministranda adhibebant. Contrà *Senectus* inter inferna numina numerabatur. Æn. 6. 275. *Primisque in faucibus Orci, &c. pallentesque habitant morbi, tristisque Senectus.* Sic Ovid. Met. l. 4. 17. de Baccho canit: *Tibi enim inconsumpta juventa: Tu puer æternus, tu formosissimus alto conspiceris cœlo.*

56. *Candidus.*] Color Diis superis addictus, ut niger inferis et mortuis. Tibull. l. 3. 6. 1. *Candide Liber, ades.* Ovid. Trist. 5. 515. ad Natalem Deum; *Candidus huc venias.* Adde quòd heroas in lacteo circulo crederent habitare, ex Cicer. in Somnio Scip. qui circulus non malè cæli vestibulum et limen vocari potest.

*Limen.*] Est transversum in januâ lignum, inferius vel superius. Sic dicitur vel à *limes*, quia terminatur hìc domus; vel à *limus*, id est, *obliquus* et *transversus*, ut vult Festus.

*Olympi.*] Montes duodecim hoc nomine insigniti sunt. Præcipuus in eâ parte Thessaliæ, quæ ad Macedoniam vergit: cujus vertex ita editus, ut nubes penetrare, et ad cælum usque pertinere dicatur; immò et pro cælo sumatur à poëtis. Dictus quasi ὁλολαμπὴς, *totus lucidus*, quia nubes excedit, et sole semper illustratur. De *Dryadibus*, Ecl. 2. 46. De *Pane*, Ecl. 2. 31.

64. *Deus, Deus ille, &c.*] Constat honores divinos J. Cæsari à Triumviris decretos esse, paulò post Triumviratum constitutum, anno U. C. 712. Lepido 2. et Munatio Planco Coss. Hi autem honores præcipuè fuerunt: ut ædes ei in foro, ubi crematum ejus cadaver fuerat, construeretur: ut simulacrum ejus ludis Circensibus unà cum simulacro Veneris circumferretur: ut, si qua victoria nunciaretur, ei seorsum quasi victori sacrificaretur: ut qui in ejus ædem confugisset, ab injuriâ tutus esset. Et ab eo tempore Octavianus se *Divi* filium appellavit.

65. *Felixque tuis.*] *Felix* dicitur, tam is qui habet felicitatem, quàm is qui facit alios felices, Æn. 1. 334.

68. *Craterasque.*] *Crater* Græca vox, κρατὴρ, à κεράννυμι, *misceo;* istud autem à κέρας, *cornu:* quòd veteres cavis cornibus, aut effictis in figuram cornuum poculis biberent, in iisque vinum aquâ miscerent.

69. *Baccho.*] Vino, cujus inventor Bacchus à poëtis dicitur: Jovis ex Semele filius: διμήτωρ, *bimater* dictus, quia ex utero matris fulminatæ translatus in Jovis femur, inde maturo partûs tempore iterum prodiit. Orbem terrarum peragravit, Indos domuit, primus omnium triumphavit invectus elephanto: turbâ stipatus temulentarum et vociferantium fœminarum, quas ab eo *Bacchas* dixere. Suprà v. 29.

71. *Arvisia.*] Ab Arviso, promontorio Chii insulæ, in mari Ægeo, ubi vinum exquisitissimum.

*Nectar.*] Potus Deorum, ut *ambrosia* cibus: sæpe tamen promiscuè sumuntur: utrumque immortalitatem significat. *Nectar* enim à νη privativa particula, et κτείνω, *occido: ambrosia*, ab α privativo, et βροτὸς, *mortalis.* Utrumque ministrârunt diis Hebe, sive Juventa, et Ganymedes.

*Calathis.*] Poculis ad speciem calathorum formatis. Ecl. 2. 46. Et Martialis apophor. 107.

Cantabunt mihi Damœtas, et Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt; et cùm solennia vota
Reddemus Nymphis, et cùm lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
 Mo. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantùm venientis sibilus Austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
 Me. Hâc te nos fragili donabimus antè cicutâ.
Hæc nos, "Formosum Corydon ardebat Alexim;"
Hæc eadem docuit, "Cujum pecus? an Melibœi?"
 Mo. At tu sume pedum, quod me, cùm sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes (et erat tum dignus amari)
Formosum paribus nodis atque ære, Menalca.

*Damœtas, et Ægon Cretensis mihi canent: Alphesibœus exprimet choreas Satyrorum. Hæc in honorem tuum semper fient, et cùm solvimus Nymphis vota annua, et cùm circuimus campos* cum hostiâ. *Quamdiu aper amabit culmina montium, quamdiu piscis amnes, et quamdiu apes alentur thymo, quamdiu cicadæ rore: semper gloria, et nomen tuum, et laudes durabunt. Agrestes singulis annis sic tibi vota facient, quemadmodum Baccho et Cereri. Tu quoque adiges* eos *ad vota solvenda.* Mo. *Qualia tibi, qualia munera reponam pro tali cantu? Neque enim susurrus Austri ingruentis, nec ripæ undis verberatæ, sic me delectant, neque fluvii qui inter lapidosas valles volvuntur.* Me. *Priùs tibi dabo hanc tenuem fistulam: quâ ego didici* canere, "*Formosum Corydon amabat Alexim;*" *eâdemque didici,* "*Cujum pecus? an Melibœi?*" Mo. *Tu verò, Menalca, accipe pedum insigne nodis æqualiter* distantibus, *et ære: quod Antigenes non obtinuit, licèt sæpe à me peteret; et tunc tamen merebatur amari.*

## NOTÆ.

de calathis ait: *Nos Satyri, nos Bacchus amat:* unde patet calathum poculum quoque esse, non tantùm canistrum.

72. *Damœtas, &c.*] Ecl. 3. 1.

*Ægon.*] Ab ἀἴξ, *caper;* dictus *Lyctius,* à Lycto Cretæ insulæ civitate.

73. *Alphesibœus.*] Ab ἀλφέω, *invenio,* et βοῦς, *bos.* Hoc loco nomen pastoris proprium est: sed apud Homerum Il. 18. 593. epithetum est puellarum, quæ propter formam reperiebant multos juvenes, à quibus boves accipiebant munerum loco: quia opes omnes illis temporibus in gregibus sitæ erant. De *Satyris,* Ecl. 6. in arg.

74. *Et cùm solennia vota.*] Sacra Nymphis fieri solita: vel in agris, ut Turnebo placet; vel etiam in domibus, ut Victorio. *Solennia* sunt quæ *solùm in anno* fiunt, id est, semel singulis annis.

75. *Et cùm lustrabimus agros.*] Sacrificium innuit dictum *Ambarvale.* De quo Geor. 1. 345.

79. *Cererique.*] Ceres Saturni et Opis filia, mater Proserpinæ, quam à Plutone raptam fertur laboriosissimè toto orbe quæsivisse: frugum, et cultûs terræ, magnâ ex parte repertrix.

80. *Damnabis tu quoque votis.*] Qui vota suscipit, postulat aliquid à Deo, eidemque aliquid promittit. Si Deus promissa annuat; tum vovens quasi damnatur, et judicio tenetur promissa exsolvere. Unde Deus dicitur *damnare votis* vel *voti,* cùm postulata annuit; et sic adigit voventem ad exsolvenda promissa. Livius, dec. 3. l. 7. *Deos, Deasque precabantur, ut illis faustum iter felixque pugna esset: et damnarentur ipsi votorum, quæ pro iis suscepissent.* Æneid. 5. 237. eodem sensu dicitur, *voti reus.*

82. *Venientis sibilus Austri.*] Venientis, id est, nascentis: tunc enim potiùs est aura, quàm ventus. Sic Æn. 5. 344. *gratior et pulchro veniens in corpore virtus:* id est, *nascens et crescens.* De *Austro,* Ecl. 2. 58.

86. *Hæc nos, "Formosum," &c.*] Hâc eâdem fistulâ cecinimus Eclogam 2. quæ incipit: *Formosum pastor Corydon, &c.* Item Eclogam 3. quæ incipit: *Dic mihi, Damœta, cujum pecus, an Melibœi?*

88. *Pedum.*] Virgam pastoralem incurvam: *formosum ære,* quo suppactum est, et *nodis paribus,* id est, nodis qui æquali intervallo à se invicem distant.

# ECLOGA VI.

## SILENUS.*

### ARGUMENTUM.

*SILENUS pueros Chromin et Mnasilum docet primam rerum originem, juxta doctrinam Epicuri, additque varias fabulas. Per Silenum, Syronem Epicureum philosophum; per Chromin et Mnasilum, Virgilium et Varum, Syronis eâ in philosophiâ discipulos, intelligunt interpretes. Certè Romæ tunc temporis vigebat hæc secta plurimùm. Et* Virgilium *quidem ostendit hæc ecloga disciplinæ huic aliquando adhæsisse.*

*Nam consequentibus annis videtur ad Pythagoram aut Platonem deflexisse, cujus philosophiam sequitur, Æn.* 6. 724. Varum *autem illum, de quo hìc sermo, ab Epicuri disciplinâ, etiam in moribus, non abhorruisse conjicio, ex Ode Horatii* 18. *lib.* 1. *quæ ad eum scripta est, et planè Epicurum sapit. De* Syrone *utriusque præceptore habemus apud Ciceronem, et quòd ipsius Ciceronis amicus fuerit,* Epist. famil. *l.* 6. 11. *et quòd vir optimus, doctissimusque Epicureus,* De finib. *l.* 2. 119. *Quo eodem ex opere facilè colligitur, eum in Italiâ floruisse ultimâ Ciceronis ætate: quâ ætate Virgilius, tum juvenis, operam ei dare potuit.*

*Ex hoc primo eclogæ versu,* Prima Syracosio, &c. *sunt qui probent, hanc inter cæteras ordine temporis primam esse; eamque à Cicerone fuisse auditam in theatro, cùm à Cytheride sive Licoride mimâ cantaretur; unde ad suam et Virgilii laudem Cicero exclamârit:* Magnæ spes altera Romæ. *Sed hæc Donati somnia sunt, qualia multa somniavit. Videtur quippe poëta profiteri Ecl.* 1. *venisse se primò Romam, ut agros recuperaret suos: at Cicero annis ante divisionem agrorum fermè duobus obiit, nempe sub initium Triumviralis proscriptionis, anno U. C.* 711. *cùm agri divisi non sint nisi anno U. C.* 713. *ineunte. Immò probo ego ex iisdem versibus, hanc non esse primam:* Prima Syracosio dignata est ludere versu: *igitur non jam primùm; sed anteà etiam luserat, idque unum significat, se primum omnium inter Latinos, Bucolicum scribendi genus è Græciâ seu Siciliâ transtulisse.*

*Quo autem ordine ac tempore hæc scripta sit, incertum est.*

### NOTÆ.

* *SILENUS.*] Senex, Bacchi nutritius et pædagogus; semper asino vehi, semper ebrius describi solitus; cornuto capite, simis naribus: magnæ tamen solertiæ, unde dicitur multa sapienter edisseruisse regi Midæ; memoraturque rex Antigonus vertisse sibi laudi, quòd ab hostibus propter deformitatem quasi Silenus rideretur, ut est apud Senec. de Irâ, l. 3. 22. Nomen a *σιλλαίνειν*, *scommata jacere, cavillari,* ex Æliano, l. 3. Var. Hist. c. 40. Sileni autem dicuntur omnes Satyri seniores, ex Pausaniâ in Attic. Quanquam aliqui pingunt Silenum pedibus humanis, Satyros caprinis.

*Satyri* autem è Bacchi comitibus etiam fuerunt, salacitate insignes. Plutarchus in Syllâ refert, unum ex illo genere ad Syllam esse adductum. Hieronymus in vitâ Pauli Eremitæ, unum quoque à S. Antonio visum esse testatur: itemque alium ab omni Alexandrino populo, Constantini temporibus. Alii tamen hos inter spectra aut naturæ monstra referunt, totumque id genus revocant ad fabulas. Nomen deducit Ælianus à *σεσηρέναι*, quod est, *os habere in modum rictûs canini conformatum:* Casaubonus à Doricâ *σάταρ*, *jocari:* aliunde alii.

*Panes* his non absimiles, quorum primus *Pan*, Mercurii filius: à *πᾶν*, *omne:* de quo multa Ecl. 2. 31.

*Fauni*, à *fando* dicti: quia sylvestribus in locis affari homines et alloqui putabantur: quod aiunt in prælio Romanos inter et Etruscos de restituendis in regnum Tarquiniis accidisse: voce è sylvis erumpente, quæ Romanos bono esse animo juberet.

*Sylvanus* et *sylvani*, à *sylvis* dicti. Ecl. 10. 24.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit sylvas habitare, Thalia.
Cùm canerem reges et prælia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano: si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget; te nostræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quàm sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasilus in antro

INTERPRETATIO.

*Musa mea, prima* omnium *dignata est canere Sicula carmina: nec eam puduit incolere nemora. Cùm canerem reges et bella, Apollo* mihi *vellicavit aurem, et me* sic *admonuit: Tityre, decet pastorem pascere pingues oves, et componere tenues versus. Ego nunc, ô Vare, exercebo fragili fistulâ rusticam musam: siquidem multi suppetent tibi, qui optabunt celebrare laudes tuas, et scribere funesta bella. Canto ea, quæ à* Phœbo *jussus sum* cantare. *Si tamen aliquis, si aliquis hæc etiam legat, horum amore percitus; te nostræ myricæ, te omnis sylva resonabit, ô Vare: nullaque pagina magis placet Apollini, quàm quæ sibi præfixit Vari nomen. Pergite, ô Musæ. Chromis et Mnasilus pueri viderunt*

## NOTÆ.

1. *Prima Syracosio.*] Primus è Latinis non sum dedignatus scribere carmina bucolica, ad imitationem Theocriti Syracusani. *Syracosio:* ut brevis esset syllaba tertia quæ alioqui longa est in *Syracusio*, *Συρακουσίῳ*. *Syracusæ*, urbs Siciliæ tunc amplissima: urbes olim quatuor, ex Cicerone; quinque, ex Strabone, ambitu suo complectens. Nunc *Saragusa.*

2. *Thalia.*] Una è novem Musis, comœdiæ, et ludicrorum præses, à *θάλλω*, *viresco, floreo, exhilaror.*

3. *Cum canerem reges.*] Dicitur Virgilius res Albanas primò tractandas suscepisse, sed abjecisse deinde opus, et ad bucolica studium convertisse. *Cynthius.*] Et *Cynthia*, nomina Apollinis et Dianæ: quia nati ambo in insulâ maris Ægæi *Delo*, ubi mons est *Cynthus.*

4. *Aurem vellit.*] Proverbialiter dictum, pro *admonuit:* sive quia, ut vult Erasmus, in jus ituri vellicabant aurem illius, quem esse testem volebant: unde Hor. Sat. l. 1. 9. 75. *Licet antestari? ego verò oppono auriculam, rapit in jus.* Vel quia, ut vult Servius, auris memoriæ consecrata est; quemadmodum frons Genio, et digiti Minervæ. *Tityrum* hìc se appellat Virgilius, ut Ecl. 1. 1.

5. *Deductum carmen.*] Id est, tenue: à lanâ, quæ ad majorem tenuitatem nendo deducitur. Hor. Epist. l. 2. 1. 225. *Tenui deducta poëmata filo.* Tibull. l. 1. 3. 86. *Deducat plenâ stamina longa colo.*

7. *Vare, &c.*] De illo magna lis apud interpretes. Alii enim laudes illas attribuunt *P. Alpheno Varo;* alii *P. Quintilio Varo;* alii *Quintilio Cremonensi*, quem item *Varum* vocant. Constat hos tres Virgilii æquales fuisse. Et *Alphenus* quidem *Varus*, Servii Sulpicii jurisconsulti discipulus, jurisconsultus ipse fuit celebris: qui ex arte sutoriâ, aut, ut volunt alii, tonsoriâ, ad consulatum adrepsit, an. U. C. 755. Digestorum libros scripsit quadraginta. Laudatus à Gellio propter studium antiquitatis, lib. 6. 5. Ab Horatio memoratur proper vafritiem, Sat. lib. 1. 3. Ab interpretibus Horatii, Cremonensis dictus. Tamen huic non puto dicatam esse hanc eclogam; tum quia nullâ laude bellicâ, sed unâ forensi claruit: tum quia, cùm sutor dicatur fuisse, nec ad consulatum nisi diu post obitum Virgilii pervenerit; non videtur ejus fortuna tum, cùm eclogæ scriberentur, satis Virgilii fortunæ præstitisse, ut hìc illi tam effusis laudibus adularetur. *Quintilius* verò *Cremonensis*, de quo sic Eusebii Chron. ad annum primum Olymp. 189. qui respondet anno U. C. 730. *Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur.* Item ille est, quem Servius Virgilii cognatum appellat; et cujus morte Horatius Virgilium consolatur, Od. l. 1. 24. Sed huic à nemine, præterquam Grammaticulis, *Vari* cognomen tribuitur. Omninò igitur laudes istæ ad *P. Quintilium Varum* referendæ sunt: qui magnis muneribus sub Augusti imperio perfunctus est. Consul anno U. C. 741. Syriæ deinde præses per annos octo. Denique missus in Germaniam cum tribus legionibus; quas ingenti clade amisit, insidiis ab Arminio circumventus, anno U. C. 762. tanto suo dolore, ut sibi consciverit mortem; tanto Augusti luctu, ut caput illidens parieti exclamaret, *Vare, legiones redde.*

7. *Et tristia bella.*] Miror hìc Nonnium et alios, qui bella intelligunt Germanica, Varo tam funesta; illa enim anno, post obitum Virgilii septimo circiter et vigesimo, gesta sunt. Bella igitur significantur alia, quibus Varus per Triumvirales tumultus interfuerat: *tristia*, non illi, sed ejus hostibus, et patriæ generatim.

9. *Si quis tamen, &c.*] Quanquam Apollo me deterruerit à tuis factis heroico versu describendis: si quis tamen hæc legat bucolica: is nomen tuum nostris in sylvis, seu bucolicis, undique sparsum reperiet; quod quidem ideò undique sparsi, quia scio scripta Phœbo placere magis nulla, quàm quæ nomen tuum præferunt. Et verò etiam nona ecloga mentionem Vari crebram facit. De *myricis*, Ecl. 4. 2. De *Pieridibus*, Ecl. 3. 85.

13. *Chromis et Mnasilus.*] Juniores Satyri.

Silenum pueri somno vidêre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.
Serta procul tantùm capiti delapsa jacebant:
Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle:
Ægle Naïadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens: Quò vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite: carmina vobis;
Huic aliud mercedis erit: simul incipit ipse.
Tum verò in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantùm Phœbo gaudet Parnassia rupes,
Nec tantùm Rhodope miratur et Ismarus Orphea.
Namque canebat utì magnum per inane coacta

*Silenum in cavernâ prostratum somno: venis tumentibus hesterno vino; ut mos est. Erant procul humi coronæ, tantùm lapsæ è capite: Et grande poculum suspensum erat per ansam attritam. Hunc invadentes, injiciunt vincula* confecta *ex ipsis coronis: sæpe enim* ille *senex utrumque deceperat spe versuum. Ægle adjungit se sociam, et accedit pavidis: Ægle formosissima Naïadum: Et* ipsi, *jam oculos aperienti, linit frontem et tempora moris rubris. Ille ridens fraudem: Cur, ait, implicatis* mihi *vincula? expedite me* ex iis, *O pueri: sufficit quòd potuerim deprehendi* à vobis. *Audite versus quos petitis: vobis versus; huic Ægle, aliud præmium erit: simul ipse incipit. Tunc verò aspiceres Faunos et feras saltare ad cantum, tunc duras quercus cacuminibus nutare. Nec mons Parnassus adeò lætatur Apolline; nec Rhodope et Ismarus adeò mirantur Orpheum. Cantabat enim quomodo*

## NOTÆ.

*Chromis* à χρόμη, *hinnitus, audacia.*

*Mnasilus.*] A μνάω, *meminisse facio:* et σίλλος, *scomma.*

15. *Iaccho.*] Bacchi nomen, ab ἰαχὴ, *clamor:* ob vociferantes in ejus comitatu ebrias mulieres.

16. *Serta procul tantùm, &c.*] Sic explicat Turnebus hanc vocem, *tantùm:* serta procul jacebant: tantùm delapsa è capite, non rupta, non calcata. Sic Cerdanus: Jacebat, dormiebat, vinum inhalabat, omnes habebat ebrietatis notas: hæc una tantùm nota deerat, quòd serta non gereret in capite. Hic enim erat ebriorum mos. *Capiam coronam mî in caput, assimilabo me esse ebrium,* Plaut. in Amphit. 3. 4. 16. *Capiti.*] pro capite. Sic G. 1. 267. *Nunc torrete igni fruges.*

17. *Cantharus.*] Vas vinarium, in formam Scarabæi, qui κάνθαρος dicitur. Baccho sacer est: unde notatus superbiâ C. Marius, quòd post victoriam Cimbricam cantharis potare Liberi patris exemplo ausus fuerit, ex Plin. l. 33. 11.

18. *Ambo.*] *Ambos* Latina forma; *ambo* Græca ἄμφω. Sic *duos* et *duo,* δύο. Ecl. 5. 68. *Craterasque duos statuam.* Æn. 11. 285. *Si duo prætereà tales Idæa tulisset terra viros.*

21. *Ægle Naïadum pulcherrima.*] Ab αἴγλη, *splendor.* Nymphæ nomen, Neæræ et Solis filiæ. De *Naiadibus,* Ecl. 2. 46. Dicuntur *Na-i-a-des* quadrisyllabâ voce, ut hìc; vel *Naiades,* aut *Naïdes,* trisyllabâ voce, ut Ecl. 10. 10. *Naiades, indigno cùm Gallus amore periret.*

22. *Sanguineis frontem moris.*] *Morum* fructus arboris *mori:* MULBERRY. Vocat *sanguinea;* quòd, candida cùm essent priùs, è sanguine Pyrami et Thisbes ruborem induerint. Ovid. Met. 4. 54.

24. *Satis est potuisse videri.*] Supple, ad impetrandum quod vultis: *quia,* inquit Servius, *semidei, cùm volunt tantùm, videntur:* atque adeò, si videri volunt, signum est eos velle videntibus postulata concedere. Vel sensus est, Solvite me, satis enim ludi est, quòd is visus sim vobis, qui ligari possem.

27. *In numerum ludere.*] Saltare, ita ut motuum ratio et mensura, cantuum rationi et mensuræ respondeat. De *Faunis,* in notis ad argumentum hujus eclog.

29. *Parnassia rupes.*] Mons in Phocide, Cithæroni et Heliconi vicinus; gemino vertice: quorum alter *Nisa* vocatur, Baccho sacer: alter *Cirrha* Phœbo Musisque dicatus.

30. *Rhodope.*] Mons Thraciæ, nivibus semper horrens, ad Euxinum mare protensus, ex quo Hebrus profluit. *Ismarus.*] Plur. *Ismara:* mons alter, in maritimâ regione Thraciæ, non procul ab ostiis Hebri. Hæc loca peragravit Orpheus vates, de quo G. 4. 454. De *Orpheo,* ibid.

31. *Namque canebat utì, &c.*] Origo mundi, juxta opinionem Epicuri philosophi Atheniensis, ex oppido Gargetto: qui natus anno ante Christum circiter 341. regnante in Macedoniâ Philippo, Alexandri patre: ex calculo senex obiit. Cujus philosophiam de rerum naturâ versibus persecutus est Lucretius. Statuebat igitur duo rerum principia, *plenum* et *inane:* quia quicquid est, vel continetur, et est *plenum;* vel continet, et est *inane. Inane* vocabat, spatium usquequaque diffusum, carens corporibus; *plenum* appellabat, atomos, sive minuta corpuscula, toto inani volitantia; quæ hìc à Virgilio *semina* vocantur: quorum ex fortuito concursu coaluerint illa quatuor, quæ dicimus elementa, ignis, aqua, terra, et aër. Aërem hìc *animam* vocat post Lucretium l. 6. 577. *Ventus ubi, atque animæ subitò vis maxima quædam.* Quia *animabilis et spirabilis est, ex Cicer.*

Semina, terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.
Tum durare solum, et discludere Nerea ponto
Cœperit, et rerum paullatim sumere formas.
Jamque novum ut terræ stupeant lucescere solem,
Altiùs atque cadant submotis nubibus imbres:
Incipiant silvæ cùm primùm surgere, cúmque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamâssent: ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implêrunt falsis mugitibus agros:

*semina terrarum, et aëris, et maris, et simul puri ignis, congregata fuerint in immenso vacuo: ut* ex *his primis omnia principia, et ipsa moles recentis mundi coaluerit. Deinde* quomodo *terra cœperit solidari, et aquas dispellere* à se *in mare, et accipere sensim species rerum. Posteà quomodo terra miraretur solem recentem emicare, et* quomodo *pluviæ deciderent è nimbis altè remotis* à terrâ: *cùm nemora tunc inciperent crescere, et cùm animalia* adhuc *rara vagarentur per montes* nondum *cognitos. Deinde narrat saxa projecta à Pyrrhâ, tempora Saturni, et aves Caucasi, et ignem subreptum à Prometheo. Addit* his rebus, *quem ad fontem Argonautæ altè vocâssent Hylan amissum: quomodo ripa omnis referret: Hyla, Hyla. Et ob amorem tauri condolet Pasiphaë: felici, si nunquam tauri fuissent. Ah, mulier misera, quæ insania te occupavit? Filiæ Prœti repleverunt campos falsis mugitibus:*

## NOTÆ.

de Nat. Deor. 2. 91. Ex his porrò elementis, inter se ordinatis ac temperatis, cœlum, sol, animalia, cæteraque deinde formata sunt.

35. *Solum.*] Primò dicitur de plantâ pedis. Sic Lucr. 1. 924. *Avia Pieridum peragro loca, nullius antè Trita solo.* Hinc *solea* dicta, quæ partem illam pedis obtegit. Hinc et *solum* pro terrâ vulgò sumitur, ex Varr. l. 4. de L. L. quia *solo*, id est, plantâ pedis teritur. Nequè pro terrâ tantùm, sed pro unâquâque re, quæ alteri supponitur, eamque sustentat. Pro mari Æn. 5. 198. *Vastis tremit ictibus ærea puppis, subtrahiturque solum.* Pro cœlo etiam: Ovid. Met. 1. 73. *Astra tenent cœleste solum.* Frequentiùs tamen pro terrâ, tam in singulari, quàm in plurali numero G. 1. 80. *Ne saturare fimo pingui pudeat sola.*

*Discludere Nerea ponto.*] *Pontus* hìc usurpatur, non pro aquis, sed pro loco, sive cavitatibus terrarum, in quibus aquæ segregatæ sunt. *Nereus* verò sumitur pro aquis ipsis. Is juxta Orpheum, Deorum antiquissimus est: juxta alios, Oceani et Tethyos filius. Idem ex Doride, sorore et uxore suâ, maximam Nympharum marinarum turbam suscepit, quæ *Nereides* dicta: *Nerea*, accusativus Græcus.

41. *Lapides Pyrrhæ, &c.*] Pyrrha Deucalionis uxor fuit, quo apud Thessalos regnante, contigit diluvium: ex quo servati duntaxat hi duo, et naviculâ delati in Parnassum; qui montium omnium unus aquis submersus non fuerat. Ibi Themidis oraculum consuluerunt de reparatione generis humani: acceptoque responso, ut magnæ matris ossa post tergum projicerent, lectos è terrâ omniparente lapides projecere, quorum qui sunt à Deucalione projecti, in mares; qui è Pyrrhâ, in fœminas continuò mutati sunt. Ov. M. 1. 318. De *Saturni regno*, Ecl. 4. 6

42. *Caucaseasque, &c.*] Prometheus, Japeti filius ex Asiâ conjuge, Deucalionis pater; cùm ignem è cœlo furatus esset, admotâ Solis currui face è ferulis confectâ: eoque igni, vel hominem à se è luto formatum animâsset; vel, ut narrant alii, plurimas artes ad usum hominum reperisset; à Mercurio jussu Jovis in Caucasi scopulo ligatus est: vultur, aut aquila jecori ejus assiduè pertundendo adhibita. *Caucasus*, Asiæ mons notissimus, inter mare Euxinum et Caspium.

43. *Hylan nautæ quo fonte, &c.*] Hylas puer, deliciæ Herculis, ejusque comes in Argonauticâ expeditione. Is cùm è navi descendisset ad aquationem, in ripam fontis incumbens urnæ pondere demersus est: à Nymphis, ut fabulantur, raptus; ab Hercule et Argonautis diu frustrà inclamatus. Unde in ejus memoriam solennes eo in loco institutæ sunt inclamationes, et cursitationes populi, ex Solino, c. 42.

*Quo fonte.*] Quis enim fuerit ambigitur; Solinus *Hylam* fontem et lacum assignat, qui Prusiadem Bithyniæ urbem alluit. Alii *Ascanium* ejusdem regionis fluvium, &c.

44. *Hyla, Hyla, omne.*] Græci vocalem longam ante aliam vocalem raro elidunt, et sæpe corripiunt: ita hoc loco Virgilius.

46. *Pasiphaën.*] Filia Solis fuit: nomen à patre deductum, qui πᾶσι φάει, *omnibus lucet*; uxor Minois regis Cretæ; quæ tauri amore capta, et Dædali artificis ope vaccæ ligneæ inclusa, Minotaurum è tauro peperit, semihominem et semibovem. Reliqua Æn. 6. 26. *Virginem* vocat, etsi jam Phædræ, Ariadnes, et Androgei matrem: Plauti, Terentii, et Euripidis exemplo; qui sic appellant corruptam etiam quamlibet fœminam, modò junior sit.

48. *Prœtides.*] Filiæ Prœti regis Argivorum, et Antiæ, vel Sthenobœæ. Hæ cùm se Junoni formâ æquipararent, ab illâ in eam rabiem actæ

At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus: quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in levi quæsîsset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras!
Ille latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigrâ pallentes ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphæ,
Dictææ Nymphæ, nemorum jam claudite saltus:
Si quà fortè ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia. Forsitan illum,
Aut herbâ captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum;
Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis:

*nulla tamen* earum *quæsivit tam infames amplexus pecudum; licèt metueret suo collo* jugum *aratri, et sæpe exploraret cornua in fronte politâ. Ah, mulier misera,* tu *jam vagaris per montes! taurus* verò *reclinans candidum latus in teneris hyacinthis, sub umbrosâ ilice regustat herbas pallidas: vel consectatur aliquam* vaccam *in numeroso armento. O Nymphæ, Cretenses Nymphæ! claudite, jam claudite saltus sylvarum:* ut videamus, *an fortassè alicubi vaga vestigia tauri se nostris oculis offerant obviam. Forsitan aliquæ vaccæ allicient illum ad stabula Gortynia, aut sectantem greges, aut cupidum viridis herbæ. Deinde cantat virginem admiratam poma Hesperidum. Deinde cingit sorores Phaëthontis musco corticis amaræ, et attollit è terrâ excelsas alnos. Deinde cantat quemadmodum una è Musis deduxerit in colles Bœotiæ* Cornelium *Gallum, deambulantem circa fluenta Permessi: et quemadmodum totus chorus Apollinis assurexerit* huic *viro:*

## NOTÆ.

sunt, ut vaccas se putarent: posteà sanatæ sunt à Melampo. *Falsos* mugitus vocat, quia re ipsâ non erant vaccæ, sed vano errore deceptæ sæpe frontem tentabant, explorabantque num cornutæ essent.

54. *Ruminat.*] *Rumen* est pars eminens gutturis, cujus in cavitatem demissi cibi à quibusdam animalibus revocantur, et regustantur: quod *ruminare* dictum est.

*Pallentes herbas.*] Quia calore stomachi viriditatem amiserunt, cùm remanduntur. De *hyacinthis*, Ecl. 3. 63. De *ilice*, Ecl. 1. 18.

55. *Claudite Nymphæ, &c.*] Verba sunt, vel Pasiphaës, quam Silenus loquentem inducit ad Nymphas; vel ipsius Sileni Pasiphaën solantis, et Nymphas precantis, ut ei in inveniendo tauro opem ferant.

*Claudite.*] Retibus, sive indagine: quomodo feræ clauduntur in venatione, ne aufugiant.

*Saltus.*] A saliendo: pars est sylvarum, vel in quâ spissæ arbores exiliunt et assurgunt altiùs, ut Isidoro placet; vel potiùs, ut Varroni, pars vacua et expedita ab arboribus, ubi pecudes liberè pascant et exiliant. Ita. G. 3. 143. *Saltibus in vacuis pascant. Dictææ.*] A Dicte, qui mons est in Cretâ celebris, cujus in antro apes Jovem infantem aluere. G. 4. 152.

58. *Forsitan illum, &c.*] Fortassè, nisi clauditis sylvas, effugiet *stabulo ad Gortynia. Gortyna*, vel *Cortyna* oppidum Cretæ mediterraneum, lætioribus pabulis insigne, ubi propterea Solis armenta fuerunt.

61. *Hesperidum miratam mala puellam.*] Atalanta est, filia Schœnei regis in Scyro, maris Ægei insulâ; quæ cum procis cursu contendebat eâ lege, ut victori nuberet, victum occideret. Victa tandem est ab Hippomene, Martis, vel Neptuni nepote; dum aureis malis, quæ ab illo projecta inter currendum fuerant, colligendis occuparetur. Mala Hippomeni dederat Venus, ex horto Hesperidum. *Hesperides* fuere tres, Ægle, Arethusa, et Hesperethusa, filiæ Hesperi, qui frater Atalantis fuit. Hæ ad Lixum Mauritaniæ oppidum, hortos incolebant, aureis arboribus pretiosos, et à pervigili dracone custoditos; quem Hercules occidit, fructusque deprædatus est.

62. *Phaëthontiadas.*] Sorores Phaëthontis, filiæ Solis, à quo dictæ quoque sunt *Heliades*, Phaëthusa, Lampetie, et Lampethusa: quæ nimio luctu ob fratrem dejectum è curru Solis in Eridanum, mutatæ sunt, vel in alnos, ut hìc narrat Virgilius; vel in populos, ut Æn. 10. 190. Ovidius verò M. 2. 365. ait ex earum ramis electrum, sive succinum, in Eridanum, lacrymarum instar stillare. *Muscus*, est quicquid extimo arborum cortici quasi lanuginosum et villosum adhæret. *Cortex* masculini et fœminini generis.

64. *Permessi ad flumina Gallum.*] *Permessus* fluvius Bœotiæ, ex Helicone profluens. *Gallum.*] De eo, Ecl. 10. in argumento.

65. *Aonas in montes.*] Heliconem, et Cithæronem, montes Bœotiæ, quæ primò Aonia dicta est, ab Aone Neptuni filio, qui montanis ejus regionis gentibus imperavit: deinde Bœotiæ, à bove; cujus ductu Cadmus pervenit ad eum locum, ubi Thebas condidit. Ovid. Metam. 3. 14. Hinc Musæ *Aonides* appellatæ, quia sacer est ipsis Helicon.

66. *Phœbi chorus.*] Musæ novem, vel poëtæ.

Ut Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ,
Ascræo quos antè seni: quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar? aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexâsse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerâsse marinis?
Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona parârit?
Quo cursu deserta petiverit, et quibus antè
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus

*Quemadmodum Linus pastor, coronatus floribus et acri apio, hæc illi dixerit divinis versibus: En sume, Musæ dant tibi hanc fistulam; quam priùs* dederant *Ascræo seni; quâ ille canendo solebat evocare duras ornos è montibus: hâc fistulâ celebretur à te origo Grynææ sylvæ; ut nulla sit sylva quâ magis Apollo glorietur. Quid dicam* ut memoraverit, *aut Scyllam Nisi* filiam; *quam rumor tulit, cinctam latrantibus monstris* circa *alba crura, disturbâsse naves Ulysseas, et in profundo mari laniâsse, heu! nautas pavidos canibus marinis? Aut ut memoraverit corpus Terei conversum* in upupam; *quos cibos, quæ munera Philomela illi præparaverat: quâ celeritate abierit in deserta; et quibus pennis miser volaverit super domum* priùs *suam. Silenus cantat omnes fabulas quas felix*

## NOTÆ.

*Assurrexerit.*] Surrexerit è sedibus, honoris causâ. *Linus,* Apollinis et Terpsichores filius, Ecl 4. 56.

68. *Apio.*] *Apium,* PARSLEY: herba coronaria, quâ et sepulchra spargi solebant, ex Suidâ, et victores Isthmicis Nemæisque ludis, itemque epulantes, coronari, ex Horatio Od. 2. 7. 23. *Quis udo deproperare apio coronas, curatve myrto? Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Ergo ad luctus et delicias idonea.

70. *Ascræo quos antè seni.*] Hesiodo, cujus patria, *Ascra* vicus Bœotiæ, in dextro Heliconis latere situs: qui, ut ipse de se fabulatur initio Theogoniæ, cùm agnos in Helicone pasceret, accepit à Musis non calamos quidem, sed lauri virentis ramum. Strabo Cumam Æolicam illi patriam assignat, unde cum Dio patre commigravit Ascram. Hunc alii Homero antiquiorem, alii æqualem, nonnulli juniorem putant. Lis adhuc pendet.

71. *Ornos.*] *Ornus,* Fraxinus sylvestris et montana, WILD ASH.

72. *Grynæi nemoris.*] *Grynium* juxta Strabonem, oppidum fuit Æolidis; ubi templum Apollinis candido è lapide, et lucus eidem sacer fuit: locus oraculis insignis. *Gallus* autem, de quo fusè dicemus Ecl. 10. fertur reddidisse Latinis versibus quædam ex Euphorione poëtâ Chalcidensi: Suidas verò, inter illius Euphorionis opera, memorat *Mopsopia,* sive *Confusa:* in quibus varias historias, in primisque multa de oraculis, narrabat. Quo in opere probabile est originem Grynæi oraculi fuisse descriptam, eamque partem à Gallo Latinè redditam esse.

74. *Quid loquar? aut Scyllam, &c.*] Duplex vulgò *Scylla* distinguitur: altera *Nisi* Megarensis regis filia, quæ patrem, exsecto fatali ejus capillo, prodidit hosti Minoi, cujus amore flagrabat; et in avem ceirim est conversa. *Ceiris* quibusdam est A HERON; quibusdam A BITTERN. Altera *Phorci* filia, quæ cùm amaretur à Glauco, per Circes invidiam mutata est inferiori parte corporis in caninos rictus, fonte quo lavari solebat, veneficiis infecto: cujus deformitatis horrore Siculum in fretum se præcipitem dedit, ibique in scopulum est conversa; non longè à celebri voragine cui *Charybdis* nomen est: de quâ Æn. 3. 420. Hoc loco validâ tempestate jactatæ sunt naves Ulyssis, regis Ithacæ et Dulichii, insularum in Ionio mari. Igitur plerique Virgilium accusant, quòd utramque fabulam confuderit; tribueritque *Scyllæ Nisi,* quæ ad *Scyllam Phorci* pertinent. Iidemque non malè versum emendant ex fide MSS. leguntque. *Quid loquar, an Scyllam Nisi, aut quam fama, &c.* Vel: *Quid loquar, aut Scyllam Nisi, aut, &c.* Cerdanus tamen vulgarem lectionem tuetur. Exemplo Ovidii, Amorum l. 3. 12. 21. qui *Scyllæ Nisi* canes quoque attribuit: *Per nos, Scylla, patri cano furata capillos, Pube premit rabidos inguinibusque canes.* Item Propert. l. 4. 4. 4. *Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos, Candidaque in sævos inguina versa canes?*

78. *Terei, &c.*] Philomela et Progne filiæ fuerunt Pandionis Atheniensium regis. Tereus rex Thraciæ Prognen uxorem duxit, ex eâque suscepit Itym filium. Posteà Philomelæ stuprum intulit, eique linguam abscidit, ne scelus evulgaret: quo tamen in telâ descripto, utraque soror Itym jugulavit, et Tereo dedit epulandum: prolato deinde sub finem epularum capite pueri, cùm Tereus stricto ense in ultionem raperetur, ipse in upupam avem mutatus est, A LAPWING; Philomela in lusciniam, A NIGHTINGALE; Progne in hirundinem, A SWALLOW; Itys in Phasianum, A PHEASANT.

82. *Omnia quæ, &c.*] Quas omnes fabulas audiit Eurotas fluvius ab Apolline; cùm Apollo ejus in ripis versaretur, ob amorem Hyacinthi, Laconis pueri.

Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles;
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

*Eurotas olim audiit, Phœbo canente; et jussit ut lauri discerent: valles repercussæ referunt cantus ad cœlum; quousque Hesperus apparuit, cœlo invito, et coëgit* pastores *colligere oves in stabulis, et recensere numerum* earum.

NOTÆ.

83. *Eurotas.*] Laconiæ fluvius nobilis, ortus in Arcadiâ, lauris frequentibus inumbratus. Nunc *Basilipotamo.*

86. *Invito processit Vesper Olympo.*] *Vesper,* sive *Venus,* è septem planetis unus, Solem ferè comitatur. Et mane quidem dicitur *Lucifer;* Græcè φωσφόρος, quâ etiam voce Latinè usus est Martialis Epig. l. 8. 22. 1. *Phosphore, redde diem.* Dicitur et *Eous,* id est, matutinus, Geor. 1. 288. *Aut cùm Sole novo terras irrorat Eous.* Serò cùm apparet, vocatur *Vesper, Hesperus,* apud Plautum *Vesperugo.* Hunc unico equo vehi putabant, ut Solem quadrigis, et Lunam bigis: sed equo mane albo, serò fusco: unde, quia ex equo in equum desiliebat, equos ei dicabant *desultorios,* ex Isidoro et Cassiodoro. Stellam hanc alii Venerem ipsam dixere, alii Auroræ filium, alii fratrem aut filium Atlantis, Hesperum nomine: qui cùm altissimum conscendisset montem, ut inde sidera meliùs contemplaretur, in cœlum raptus creditur, et in stellam mutatus.

*Invito Olympo.*] Quia cantûs suavitate quasi captus ægrè ferebat noctem cum Vespero procedere quæ cantum abrumperet. De *Olympo,* Ecl. *5. 56.*

---

# ECLOGA VII.

## MELIBŒUS*.

---

### ARGUMENTUM.

*NARRAT Melibœus pastor contentionem amœbæam, sive alternam, Thyrsidis et Corydonis: se coram et Daphnide judicibus, qui Corydoni palmam addicunt. In Corydone possumus agnoscere Cornelium Gallum, aut Asinium Pollionem, utrumque poëseos laude florentem: in Thyrside poëtam aliquem ex eorum æmulis: in Daphnide, communem eorum amicum, apud quem illi contenderent: in Melibœo, Virgilium, qui dum amicos consulit, de recuperandis agris et pecoribus solicitus, assumitur ab iis in judicem, jubeturque de re suâ securus esse. Certè sub his pastoribus non infimæ sortis homines latere, vel ex eo conjici potest, quòd aureas marmoreasque Diis voveant statuas. Virgilium verò nihil prohibet hìc* Melibœum *vocari, qui non unam in eclogis personam, sed multiplicem induit.* Tityrum *enim se, in primâ ecloga;* Corydonem, *in secundâ:* Menalcam, *in nonâ, nuncupat. De scriptionis tempore, nihil certum. Affinis est Idyllio Theocriti octavo.*

NOTA.

* MELIBŒUS.] A curâ boum dictus: *μέλει, curæ est, βοῦς, bos. Corydon,* à *κορυδὸς, alauda, alouette,* A LARK. *Daphnis,* à *δαφνὶς, laurea. Thyrsis,* à *θύρσος, hasta* pampinis vestita in Bacchi sacris.

MELIBŒUS, CORYDON, THYRSIS.

ME. Forte sub argutâ consederat ilice Daphnis,

INTERPRETATIO.

ME. *Fortè Daphnis recubuerat sub ilice susurrante,*

NOTÆ.

1. *Ilice.*] Arbore glandiferâ, HOLM. Eclog. 1. 18. *Argutâ,* seu stridula; vel ob avium in eâ sedentium concentus; vel ob ventorum inter folia susurrum.

Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum :
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo :
Et cantare pares, et respondere parati.
Hìc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat: atque ego Daphnim
Aspicio : ille ubi me contrâ videt ; Ocyus, inquit,
Huc ades, ô Melibœe ; caper tibi salvus et hœdi ;
Et si quid cessare potes, requiesce sub umbrâ.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci :
Hìc viridis tenerâ prætexit arundine ripas
Mincius, éque sacrâ resonant examina quercu.
Quid facerem ? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos :
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere : alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
Co. Nymphæ, noster amor, Libethrides : aut mihi carmen,

*et Corydon atque Thyrsis conjunxerant simul greges : Thyrsis oves, Corydon capellas tumentes lacte. Uterque in flore ætatis, uterque ex Arcadiâ : et pares cantu, et parati ad certandum. Circa hunc locum aberraverat à me hircus ipse dux gregis, dum munio teneras myrtos contra frigus. Ego verò statim Daphnim video. Daphnis ubi me videt è regione: dixit, Veni huc citò, ô Melibœe: hircus et hœdi tui sunt in tuto : et si potes aliquantulùm morari, quiesce sub hâc umbrâ. Juvenci* tui *venient ipsi huc per prata ad potandum : hìc Mincius virens tegit ripas tenerâ arundine, et apes susurrant è quercu sacrâ. Quid egissem? Namque non habebam Alcippen, nec Phyllida, quæ domi superaret à* matribus *agnos abductos ab ubere.* Præterea *magna erat contentio Corydonis cùm Thyrside. Attamen postposui mea negotia cantui illorum. Itaque cepit uterque certare versibus alternis : Musæ enim volebant per vices ut cantarent. Hos Corydon, illos Thyrsis dicebat,* suâ quisque *vice.* Co. *Nymphæ Bœotiæ, nostræ deliciæ: vel inspirate mihi carmina,*

## NOTÆ.

4. *Arcades.*] Vel ex Arcadiâ oriundi, vel Arcadibus arte canendi similes. Scena enim hujus eclogæ, non in Arcadiâ ; sed in Galliâ Cisalpinâ statuitur, ad Mincii ripas, non procul à Mantuâ. De *Arcadibus*, Ecl. 4. 58. De *myrtis*, Ecl. 2. 54.

7. *Vir gregis ipse caper.*] Caper pro hirco dictus ; et *vir* per translationem : nam *vir* propriè hominum est. Sic G. 3. 125. de tauro : *Quem legere ducem, et pecori dixere maritum.* Horat. Od. l. 1. 17. 7. de capellis et hirco : *Olentis uxores mariti.* Auctor hujus licentiæ Theocritus, Idyl. 8. 49. Ὦ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ· *O hirce albarum caprarum vir.*

13. *Mincius.*] Fluvius Galliæ Cisalpinæ lenissimè fluens, *Menzo :* è Benaco lacu emissus, Mantuam alluens, indeque influens in *Padum.*

*Eque sacrâ, &c. quercu.*] Sacrâ apud Græcos, qui eam dicabant Jovi, et singulis addicebant Dryadas et Hamadryadas ; quæ cum illis, et viverent et occiderent : ab ἅμα, *simul*, et δρῦς, *quercus.* Apud Romanos item, qui Nymphas sive *Viras querquetulanas* colebant, præsides illius querceti, quod Romæ intra portam fuit, appellatam ideò *querquetulanam :* ex Festo. Apud Gallos etiam, quorum sacerdotes Druidæ inde quoque appellati, sacra nulla faciebant sine querneo visco, MISLETOE OF THE OAK, ex Plinio l. 16. 44.

*Examina.*] Apum coloniæ, ad novas sedes quærendas emissæ : dictæ sic, vel ab *exeundo*, quia ab alvearibus exeunt : vel meliùs, ut probat Vossius in Etym. *quasi* ἐξημμένα, *simul ligata. Apes* enim dictæ sunt ab antiquo verbo, *apo :* hoc autem deductum ab ἅπτω, *ligo :* quia sæpe apes colligatæ in cumulum videntur. G. 4. 257. *Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.* Et adhuc Latinè *aptum* dicitur, quicquid ligatum et conjunctum est. G. 3. 168. *Ipsis è torquibus aptos junge pares, &c.*

14. *Alcippen, nec Phyllida, &c.*] Famularum Melibœi nomina. *Alcippe*, ab ἀλκή, *subsidium*, et ἵππος, *equus ;* quasi, curans equos. *Phyllis*, à φύλλον, *folium.*

16. *Et certamen erat Corydon, &c.*] Antiptosin hìc Ramus agnoscit, casum pro casu, *Corydon*, pro *Corydoni.* Erat Corydoni magnum certamen cum Thyrside. Alii *certamen* accipiunt, quasi *certator :* quâ figurâ dicitur Æn. 5. 339. *Nunc tertia palma Diores :* id est, *tertius victor.* De *Musis*, Ecl. 3. 60.

21. *Nymphæ, &c. Libethrides.*] Primum hoc amœbæum continet vota pro poësi ; petitque Corydon à Musis, ut sibi dent vim condendi carminis, qualem Codro concesserant : alioquin se artem depositurum. *Nymphæ.*] Musæ. *Libethrides.*] Præsides Libethrii fontis: quem Solinus, c. 8. in Magnesiâ locat ; vocatque *præsidium poëtarum :* cæteri in Bœotiâ, ad Helico-

Quale meo Codro, concedite: proxima Phœbi
Versibus ille facit: aut si non possumus omnes,
Hìc arguta sacrâ pendebit fistula pinu.
Th. Pastores hederâ crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidiâ rumpantur ut ilia Codro.
Aut si ultra placitum laudârit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
Co. Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
Th. Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis

*qualia* inspiratis *meo Codro: ille componit proxima carminibus Apollinis: vel si non omnes possumus* id assequi, *hoc loco canora* mea *tibia suspendetur è sacrâ pinu.* Th. *Pastores Arcadiæ, coronate hederâ* me *poëtam crescentem, ut Codro rumpantur viscera* præ *invidiâ: aut si laudaverit me ultrà quàm volo, coronate mihi frontem baccare; ne lingua maligna fascinet poëtam crescentem.* Co. *O Diana, puer Mycon* offert *tibi hoc caput pilosi apri, et arborea cornua cervi longævi. Si hoc sit* mihi *stabile, statueris integra è polito marmore ligata calceamento purpureo* circa *tibias.* Th. *O Priape, satis est te singulis annis*

## NOTÆ.

nem, auctore Pausaniâ in Bœot. qui addit, signa ibidem esse Nympharum et Musarum.

22. *Codro.*] Codrus poëta fuit Virgilii temporum æqualis: ut probat Servius ex elegiis Valgii, quæ perierunt.

24. *Hìc arguta sacrâ, &c.*] Mos fuit emeritorum aliquâ in arte, ut artis instrumenta Diis ejus præsidibus suspenderent. Sic Vejanius gladiator apud Horat. Epist. l. 1. 4. *Vejanius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro. Sacrâ pinu.*] Sacrâ magnæ Deorum matri Cybele, propter amicum Atyn in pinum commutatum.

25. *Pastores hederâ.*] Hederâ, non tantùm lauro, coronantur poëtæ. Vel quia, sicut lauri, sic hederæ semper virent: ideoque carminibus portendunt æternitatem. Vel quia poëtæ Baccho etiam sacri sunt, propter furorem quo interdum Bacchantium instar corripiuntur. Unde è duobus Parnassi jugis, alterum dictum *Cirrha*, sacrum est Apollini: alterum dictum *Nisa*, sacrum Baccho.

27. *Laudârit, baccare frontem, &c.*] Erat in laude immodicâ species quædam fascinationis: quia *Nemesis* Dea, scelerum ultrix, et bonorum remuneratrix, inde iram concipere putabatur; et ab eo qui sic laudatus fuerat, pœnas repetere. Ait et Plinius l. 7. 2. *esse in Africâ familias quasdam effascinantium: quarum laudatione intereant probata, crescant arbores, emoriantur infantes.* Ad avertendum igitur fascinum, vel baccaris coronâ quasi amuleto utebantur: vel laudi præmittebant voculam *præfiscini*, sive, *præfiscine*, hoc est, *sine fascino:* ut innuerent se laudare sincerè, non animo fascinandi. Ita Plaut. Asin. 2. 4. 84. *Præfiscine hoc nunc dixerim: nemo etiam me accusavit merito meo: neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi rectè æquè putent.* Sensus igitur eclogæ est: Coronate me, aut lauro, ut invidiâ rumpatur Codrus; aut baccare, ne me fascinet malignâ, id est, immodicâ laudatione. De *baccare*, Ecl. 4. 19. De *fascino*, Ecl. 3. 103.

29. *Setosi caput hoc apri, &c.*] Secundum amœbæum habet vota pro venatione, reque rusticâ. Ac primò Corydon offert Dianæ, per Myconem amicum, caput apri, et cervi cornua; vel arbori, vel fani valvis aut parietibus affigenda; tum statuam integram promittit è marmore. Thyrsis primò jocosè agit cum Priapo ludicro numine: mox ei, vincendi studio et inani jactantiâ, marmoream, aureamque statuam vovet. De *Deliâ*, Ecl. 3. 67. De *Mycone*, Ecl. 3. 10.

31. *Si proprium hoc fuerit.*] Si hoc mihi proprium, et quasi meum ac perpetuum addicas. Sic enim Æn. 1. 76. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.* Et Æn. 3. 85. *Da propriam, Thymbræe, domum.* Item Æn. 6. 871. *Propria hæc si dona fuissent.* Quid autem est illud *hoc?* Ut talia carmina faciam, qualia Codrus, inquit Servius. Malè: quid enim Diana, aper, et cornua ad poësim? Meliùs; ut quod in apri hujus et cervi venatione mihi contigit, hoc mihi sit proprium: nempe feliciter venari.

32. *Puniceo.*] Hujus quoque sive rubri coloris, marmor est, *porphyrites:* in Ægypto frequens ex Plin. l. 36. 7. *Suras.*] Sura pars est tibiæ maximè carnosa et mollis, quæ solis inest hominibus. *Cothurno.*] Cothurnus est calceamenti genus utrique aptum pedi, et utrique sexui. Non multùm differre videtur ab ocreis, siquidem alter suras includit. Æn. 1. 341. *Purpureoque altè suras vincire cothurno.* Fuit in usu, tam in venatione, ut hinc patet, quàm in theatro, quo primùm à Sophocle inductus est. Sed tragicus à venatorio in eo differt, quòd tragicus spissiori subere suppactus esset, ad augendam dicentis staturam: ut innuit Juvenal. Sat. 6. 504. *Breviorque videtur virgine Pygmæâ, nullis adjuta cothurnis.*

33. *Sinum lactis.*] *Sinum, sini*, vas est à *sinu*, dictum, *quòd majorem cavationem quàm pocula habeat*, inquit Varro. Sed cùm prima syllaba in *sino*, sit longa, in *sinu* brevis: videtur Vossio deducendum à δινέω, *verso, circumago;* quia in eo butyrum versando conficiebatur. *Liba.*] *Libum*, placentæ genus, ex farinâ, melle, et oleo: sic dictum, quia pars ejus in ignem sacrificiorum

Expectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.
Co. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hederâ formosior albâ:
Cùm primùm pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
Th. Immò ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projectâ vilior algâ;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.
Co. Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quæ vos rarâ viridis tegit arbutus umbrâ,
Solstitium pecori defendite: jam venit æstas
Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.
Th. Hìc focus, et tædæ pingues: hìc plurimus ignis

*expectare* à me *vas lactis, et has placentas: tu es custos horti pauperis. Nunc te posuimus è marmore, juxta præsentem* facultatem. *Sed si fœtus reparaverint gregem,* tu *eris ex auro.* Co. *Galatea, Nerei filia, gratior mihi quàm thymus Hyblæ, candidior quàm cycni, pulchrior quàm alba hedera: statim atque saturati tauri redibunt in stabula; accede, si habes aliquam curam tui Corydonis.* Th. *Ego verò appaream tibi asperior quàm herba Sardonica, spinosior quàm ruscus, abjectior quàm alga ad litus ejecta; si hæc dies non mihi jam videtur prolixior quàm annus integer. Abite in stabulum ô boves* jam *saturati: abite, si* vobis *est aliquis pudor.* Co. *Fontes muscosi, et gramen dulce ad somnum, et virens arbutus quæ vos inumbrat raris foliis, protegite pecus contra calorem solstitialem: æstas nunc imminet calidissima, nunc gemmæ tument in fœcundo palmite.* Th. *Hìc semper est focus, et tædæ pingues, et multus ignis,*

## NOTÆ.

injecta Diis libabatur: *Libare* autem pro sacrificare sæpe sumitur, etsi propriè de liquidis tantùm debeat dici, quæ paulatim effunduntur: λείϐω, enim est *stillo. Priape.*] Priapus Veneris et Bacchi filius; Lampsaci, quæ urbs est ad Hellespontum, natus et imprimis cultus: custos hortorum, quorum in limine statuam ei rudem et quasi informem ponebant.

36. *Si fœtura gregem suppleverit.*] Si damnum, quo grex meus affectus est, fœtus novi reparaverint. *Fœtura* enim, sunt agni novi. *Supplere,* est, quod deest sufficere: talia sunt in exercitu *supplementa,* novi milites.

37. *Nerine Galatea.*] Tertium amœbæum continet amicæ desideria. Corydon invitat eam tribus mollissimis blanditiis, ut sub noctem ad se veniat. Thyrsis tria imprecatur sibi, quo testetur diem sibi anno esse longiorem: et juvencos incusat suos, quasi diutiùs pascendo producerent diem, et noctem removerent. *Nerine,* id est, Nerei filia et Doridis. Nympha fuit à Polyphemo amata, qui cùm Acim, Siculum pastorem, Fauni filium, sibi ab eâ præferri intelligeret, eum rupe impactâ interfecit. Galatea mortuum pastorem miserata, mutavit in fluvium cognominem, qui in Ætnâ monte ortus in mare Siculum defertur. Corydon Galateam suam rusticulam, *Nerinen Galateam* hìc vocat, quasi Nymphæ illi formâ supparem.

*Thymo mihi dulcior, &c.*] Dulcior odore, non gustu. *Hybla* mons in Siciliâ, thymo abundans, atque apibus.

41. *Sardois herbis.*] Sic dictis quia nascuntur in Sardiniâ insulâ: et mandentium ora sic contrahunt, ut ii quasi ridentes earum veneno emoriantur. Unde proverbium: *Sardonicus risus. Ruscus,* virgultum acutis foliis et pungentibus, A HOLLY BUSH. *Alga,* herba vilis, foliis lactucæ similis, in mari nascens, unde ad litus ejectatur.

45. *Muscosi fontes.*] Quartum amœbæum continet commendationem agrorum et tectorum: agrorum quidem à fontibus, gramine et umbrâ: tectorum autem, à foco et igne. De *musco,* Ecl. 6. 62.

*Somno mollior.*] Mollis et commoda ad somnum. Sic dixit Propert. l. 3. 15. 29. *Et durum Zetum, et lacrymis Amphiona mollem,* id est, mollem ad lacrymas. Aliam lectionem hic locus pati potest, "grass softer than sleep;" quæ defenditur ex Theocriti Idyl. 5. 50.

Ἦ μὰν ἀρνακίδας τε καὶ εἴρια τᾷδε πατησεῖς
Αἴκ' ἔνθῃς, ὕπνω μαλακώτερα.

47. *Solstitium pecori defendite.*] *Solstitium* duplex est, unum æstivum, in 1. gradu Cancri, de quo hìc agitur; tunc æstas est summa, diesque nobis longissimus: brumale alterum, in 1. gradu Capricorni; et tunc hyems summa, diesque brevissimus. Solstitia dicta non quòd ibi Sol stet immotus, sed quòd ulteriùs non progrediatur, et iter suum incipiat relegere: unde quia eundo et redeundo bis eidem viæ videtur insistere, ideò nobis quasi immotus apparet. *Solstitium* tamen, et *solstitia,* præter Columellam veteres omnes de æstivo tantùm intelligunt, ut hic Virgilius; hyemale verò *brumam* vocant. Ita Cerdanus in G. 1. 100. Dicitur porrò, Defendere aliquem ab aliquâ re, suprà v. 6. *teneras defendo à frigore myrtos;* et defendere aliquam rem alicui, ut hìc, et apud Horat. Od. l. 1. 17. 3. *Igneam defendit æstatem capellis.*

48. *In palmite gemmæ.*] Palmes propriè de vitibus dicitur, id quod in arboribus *surculus:* nempe lignum illud quod ex ipsâ stirpe quotannis emergit, gemmasque producit; quæ deinde abeunt in virgulas; virgulæ autem veluti palmæ digitos exhibent. *Gemmæ.*] Nodi sunt palmitum, qui corticem rumpunt, et in pampinos aut racemos evadunt. Dicuntur quoque *oculi,* ob figuram.

49. *Hìc focus et tædæ.*] *Focus* locus est con-

Semper, et assiduâ postes fuligine nigri.
Hìc tantùm Boreæ curamus frigora; quantùm
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Co. Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ:
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma:
Omnia nuñc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.
Th. Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba:
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit:
Jupiter et læto descendet plurimus imbri.
Co. Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho:
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
Th. Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Sæpiùs at si me, Lycida formose, revisas;
Fraxinus in sylvis cedat tibi, pinus in hortis.

*et limina perpetuo fumo nigrantia: hìc non magis timemus frigus Boreæ, quàm lupus* timet *multitudinem* ovium, *aut fluvii rapidi* timent *ripas.* Co. *Hìc sunt juniperi, et castaneæ hirsutæ: jacent hinc inde sub arbore sui quique fructus: nunc omnia pulchra sunt: sed si pulcher Alexis discedat ex his collibus, videbis fluvios ipsos arentes.* Th. *Campi arescunt, gramina pereunt exusta cœli æstu nimio. Bacchus abstulit montibus pampinos umbriferos: sed omnis sylva revirescet ad adventum nostræ Phyllidis, et multus aër solvetur in pluviam fertilem.* Co. *Populus acceptissima est Herculi, vinea Baccho, myrtus pulchræ Veneri, Apollini sua laurus; Phyllis amat corylos: quamdiu Phyllis amabit illas, nec myrtus nec laurus Apollinis superabit corylos.* Th. *Fraxinus formosissima est in nemoribus, pinus in hortis, populus in fluminibus, abies in montibus excelsis; sed si me sæpe invisas, ô pulcher Lycida, fraxinus in nemoribus, pinus in hortis, cedet tibi.*

## NOTÆ.

tinens et *fovens* ignem. *Tædæ* ligna quælibet, materies ignis. Propriè tamen *tæda* arbor est, à *piceâ* non admodum diversa, ignem facilè concipiens propter pinguedinem: in sacrificiis pro face adhiberi solita: unde sæpe apud poëtas, *tædæ* pro facibus.

51. *Boreæ.*] Ventus est flans à septentrione, frigidus et siccus: à *βοάω, clamo,* et *ῥέω, decurro;* quia flat cum sonitu. Vocatur et *Aquilo,* à vehementiori flatu et volatu: quasi *Aquila,* inquit Festus. Strymonis Macedoniæ fluvii filius, Orithyiam Erechthei Athenarum regis filiam rapuit, ex quâ suscepit Calaïm et Zetem, quibus deinde ex patriâ origine alæ succreverunt.

53. *Stant et Juniperi.*] Quinto amœbæo describuntur effectus varii præsentiæ et absentiæ amici et amicæ. *Stant hirsutæ,* nempe nucibus, quæ cùm hirsutis echinis inclusæ sint, arborem ipsam, si multæ sint, amœnâ quâdam hirsutiâ spectabilem reddunt. Ita Æn. 6. 300. *Stant lumina flammâ. Juniperus.*] Arbor foliis, spinarum in modum, angustis et acutis: baccis parvis rotundis, et odoratis; juniper. De *castaneis,* Ecl. 1. 82. Versus gravitate insignis, propter spondæum quinti pedis, et hiatum geminum syllabæ longæ, absque synalœphâ, more Græco.

54. *Sua quæque sub arbore poma.*] Multiplex est interpretatio. I. *Quæque poma jacent, suâ sub arbore.* At tum *suâ* vel contrahitur unam in syllabam, ut in *suavis, aureus;* vel *sa,* non *sua* dictum est, more veterum, qui *sus, sa, sum* dixere; imprimis Ennius, cujus in fragmentis extat; *Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.* II. *Quâque sub arbore, sua jacent poma.* At tum legitur *quâque* non *quæque,* ut ad arborem referatur: sed sine veterum librorum auctoritate. III. Absque hìs tricis, quidni dicas: *Sub arboribus jacent sua quæque poma.*

58. *Liber.*] Bacchus, de quo Ecl. 5. 30. sic dictus, vel quia Bœotiam, in quâ natus erat, liberam fecit, ut ait Plutarch. vel quia vinum liberat animum curis, aut loquendi libertatem inducit.

60. *Jupiter et læto, &c.*] Jovem veteres aërem dixere; eundemque Vestæ, sive Terræ conjugem, quam imbre fœcundat. G. 2. 325.

61. *Populus Alcidæ.*] Sextum et ultimum amœbæum laudes prosequitur amici et amicæ, easque laudes à variis arboribus petit. *Populus,* the poplar, sacra Herculi, quia is populo coronatus adiit inferos: unde pars ea foliorum, quæ capiti appressa erat, ex capitis sudore palluit; quæ pars ad auras obversa erat, loci fuligine nigram quamdam viriditatem contraxit. De *populo,* G. 2. 13. De *Alcide,* Æn. 5. 414. *Vitis.*] Baccho sacra, quia vini inventor apud profanos auctores habetur. De *Iaccho,* Bacchi nomine, Ecl. 6. 15.

62. *Myrtus.*] Veneri sacra, vel propter odoris delicias; vel quia frequens in litore maris, cujus è spumâ Venus orta fingitur, Ecl. 2. 54. *Laurea.*] Sacra Phœbo, propter Daphnen in laurum mutatam. Sumitur sæpiùs pro coronâ è lauro: hìc tamen pro ipsâ arbore: ut et apud Hor. Od. 1. 2. 15. 9. *Tum spissa ramis laurea.* De *lauro,* Ecl. 2. 54. De *corylis,* Ecl. 1. 14.

65. *Fraxinus, &c.*] the ash. *Abies,* the fir, *&c.*

Me. *Recordor illorum* carminum, *et quòd Thyrsis superatus frustrà pugnaverit. Ab illo tempore Corydon, habetur à nobis* verè *Corydon.*

Me. Hæc memini, et victum frustrà contendere Thyrsin.
Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

NOTÆ.

69. *Et victum frustrà, &c.*] Victoria penes Corydonem. Quia Corydon in primo amœbæo, orditur à pietate in Deos: Thyrsis à rabie, quâ inimicum incessit. In secundo Corydon invocat Dianam castum numen; Thyrsis Priapum, obscœnum Deum. In tertio Corydon blandissima vota facit: Thyrsis dira imprecatur sibi. In reliquis Corydon læta; Thyrsis tristia ut plurimùm canit.

70. *Ex illo, &c.*] I. Servius vult hìc sensum abruptum esse, ex decoro pastoralis rusticitatis: et sic supplet: Ex illo tempore Corydon est nobis, habetur à nobis, victor nobilis supra omnes. Sed hoc durum. II. Nannius unus omnium legit, non quidem *nobis*, sed *noblis*, seu *nobilis* per contractionem: sed hoc durius et absque auctoritate. III. Simpliciùs: ex illo tempore Corydon habetur à nobis verè Corydon, id est, verè dignus eâ famâ quâ floret apud omnes.

---

# ECLOGA VIII.

## PHARMACEUTRIA.*

### ARGUMENTUM.

*DUÆ sunt hujus eclogæ partes. Prima è tertio; secunda è secundo Theocriti Idyllio, ferè deprompta. In primâ, juvenis, Nisæ puellæ procus, Mopsum rivalem sibi prælatum dolet. In secundâ, venefica Daphnim, à se aversum, incantationibus magicis ad se suumque amorem pellicit. Primam canit Damon, secundam Alphesibœus: neuter in suâ; sed hic in veneficæ, ille in proci personâ. Utrumque pastorem inducit Virgilius. Tum opus dicat Asinio Pollioni: non, ut multi putant, Octaviano Cæsari: quemadmodum notæ docebunt.*

*Scripta est anno U. C.* 715. *Virgilii* 31. *L. Marcio Censorino, et C. Calvisio Sabino, Coss. Cùm Pollio, subactis Parthinis, et perlustratis oræ Illyricæ populis, per Venetiam et Timavi fluvii ostia, Romam ad triumphum rediret.*

NOTA.

* PHARMACEUTRIA.] Id est, *veneficia: φάρμακον* enim ambigua vox est: et modò remedium, modo venenum significat: unde *φαρμακεὺς, veneficus,* et *φαρμακεύτρια, veneficia.* Titulus autem ad secundam tantùm eclogæ partem attinet, quæ canitur ab Alphesibœo.

### Damon, Alphesibœus.

INTERPRETATIO.

*Narrabimus carmen pastorum, Damonis et Alphesibœi, quos canentes admiratæ sunt vaccæ oblitæ pabuli: quorum ad cantum obstupuere lynces, et fluvii turbati cohibuerunt suos cursus.*

Pastorum Musam, Damonis et Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca,
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requiêrunt flumina cursus:
Damonis Musam dicemus et Alphesibœi.

NOTÆ.

*DAMON.*] Ecl. 3. 17. *ALPHESIBŒUS.*] Ecl. 5. 73.

3. *Lynces.*] *Lynx,* animal acutissimi visûs, è luporum cervariorum genere, maculosâ et variâ pelle.

4. *Requiêrunt; &c.*] Vel neutrum est, hoc sensu: Flumina mutata secundùm suos cursus, id est, mutato cursu deflectentia ab alveo, ut ad pastores currerent; quieverunt et steterunt, postquam ad eos pervenere. Vel activum est

Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi:
Sive oram Illyrici legis æquoris: en erit unquam
Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta!
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno!
A te principium: tibi desinet: accipe jussis
Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

*Tu mihi* fave, ô Pollio! *sive jam transcendis rupes Timavi: sive veheris circum litus maris Illyrici. Nunquamne aderit illud tempus, quo permittetur mihi narrare tua gesta! Nonne aderit* illud tempus, *cum potero laudare per totum orbem tuas tragœdias:* quæ *solæ dignæ* sunt *cothurno Sophoclis! A te incœpi; in te finiam; accipe versus inchoatos ex mandato tuo; et permitte* ut *hæc hedera repat circum caput tuum, inter lauros triumphales.*

## NOTÆ.

hoc sensu: flumina stiterunt cursum; *mutata*, id est, *turbata*: undis quæ affluebant, in eas quæ jam steterant, incurrentibus. Sic Propert. l. 2. 22. 25. *Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos.* Et Seneca in Hercule Œtæo, 1586. *Quàm tuas laudes populi quiescant.*

6. *Tu mihi, seu, &c.*] Pollionem hìc appellat, non Octavianum: bellum enim Illyricum et Dalmaticum ab Octaviano Cæsare non gestum est, nisi post devictum occisumque Sextum Pompeium. Pollionis autem expeditio in Parthinos, Illyrici populos, omninò in hoc ipsum tempus cadit, ut constat ex fastis Capitol. et animadversionibus Jos. Scaligeri ad Euseb. Errat tamen in eo Scaliger, quòd per *saxa Timavi*, res intelligat ab eodem Pollione gestas circa Altinum, urbem in Venetiâ: quibus de rebus ita Velleius l. 2. postquam Lucii Antonii Perusinam deditionem descripsit. *Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retentâ in potestate Antonii Venetiâ, magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium et propriæ classis factum ducem, consiliis suis illectum ac fide datâ, junxit Antonio.* Unde manifestum est res illas à Pollione, contra Octavianum, et pro M. Antonio Lucii fratre, gestas esse: neque Virgilius adeò expers fuit bonæ mentis, ut in ipsis Octaviani oculis Pollionem laudaret, ob ea ipsa, quæ adversùs ipsum præclarè gesserat. Igitur meliùs hæc intelligo de reditu Pollionis è Dalmatiâ Romam: non recto quidem itinere, sed oram Illyricam, et ipsa Venetiæ litora lustrando.

6. *Timavi, &c.*] *Timavus*, fluviis Carnorum, qui populi sunt in Forojuliensi ditione, *dans le Frioul.* Latissimus, sed brevissimus, ejus decursus: quippe novem fontibus è monte erumpens, ad fanum Diomedis, nunc *S. Giovanni;* non longo post spatio in mare Hadriaticum devolvitur. Ad ejus ostia insulæ parvæ quædam sunt, insignes calidis fontibus, qui maris æstu increscunt. Has fortè insulas vocat hìc poëta, *saxa Timavi.* Vide Æn. 1. 248.

7. *Illyrici.*] *Illyricum*, regio amplissima, in longitudinem obversa Italiæ, à quâ per mare Hadriaticum dividitur: universim hodie dicta *Sclavonia.* Vulgò duas in partes apud veteres divisa, *Liburniam*, quæ ad occasum; et *Dalmatiam*, quæ ad ortum est. *En erit.*] Ecl. 1. 68.

10. *Sophocleo, &c.*] Scripsit quidem Augustus tragœdiam *Ajacem;* sed posterioribus, ut verisimile est, pacatisque temporibus. Adde quòd in lucem non edidit; ac ne perfecit quidem, sed delevit: unde dicere solitus erat, Ajacem suum in spongiam incubuisse, ut est apud Suetonium. At ex Horatio Od. l. 2. 1. constat Pollionem, triumphi sui tempore, tragœdiarum scriptorem fuisse nobilem. *Paulùm severæ Musa tragœdiæ desit theatris, &c.* Per *cothurnum*, altiorem calceum, tragœdia ipsa intelligitur: ut per soccum, calceum humilem, comœdia, versusque humiles. Horat. de Art. Poët. 89. *Indignatur enim privatis ac propè socco dignis carminibus narrari cœna Thyestæ. Sophocles* Atheniensis, tragicæ poëseos princeps, exhibuit fabulas 123. in quibus ter et vicies victoriam retulit; quarum postrema cùm ei præter spem contigisset, repentino gaudio expiravit. Cothurnum primus induxit in theatrum. De *Cothurno*, Ecl. 7. 32.

11. *A te principium; tibi desinet, &c.*] Videri potest hoc ad Augustum spectare: cujus in honorem primam Eclogam, et ultimum opus *Æneida* conscripsit. Meliùs tamen ad Pollionem, cujus gratiâ recuperaverat agros, indeque scribendi occasionem arripuit. Quòd si *non desinit* in ejus laudibus, ut promiserat; memineris multa poëtas promittere, quæ non exsolvunt.

13. *Hederam, &c.*] Permitte ut cingam tibi caput hâc hederâ poëticâ; dum te milites tui triumphantem coronant lauro victrici, id est, ut te laudem poëtam poëta; dum te victorem laudant ii, qui tecum victores sunt. Olim corona poëtarum ex hederâ, triumphantium è lauro; quanquam deinde poëtis etiam è lauro data est. Vide Ecl. 7. 25.

*Victrices lauros.*] Triumphum intelligit Pollionis de Parthinis; anno U. C. 715. 8. Kal. Novemb. de quo, in argumento Ecl. 4. dictum est. *Parthini* autem, sive *Parthinei*, qui fuerint ambigitur. Hos in Macedoniâ Plinius, in Epiro Strabo collocat: in Illyrico cæteri, eâque Illyrici parte, quæ Dalmatia propriè dicitur. Rursus quâ in parte Dalmatiæ, dubitatur. Urbs enim eorum præcipua statuitur à Cæsare in eâ Dalmatiæ orâ, quæ Dyrrhachio et Macedoniæ confinis est. Alii Dionem secuti *Epidaurum* esse volunt, *Raguse*, in mediâ ferè Dalmatiâ. Alii

Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cùm ros in tenerâ pecori gratissimus herbâ est:
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.
Da. Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum:
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, et divos (quanquam nil testibus illis
Profeci) extremâ moriens tamen alloquor horâ.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet: semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Œtam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,

*Vix frigidæ tenebræ noctis abierant ex aëre, cùm ros in molli gramine jucundissimus est pecudibus.* Tunc *Damon innitens oleæ tereti, sic orsus est.* Da. *Orire, Lucifer, et prævius advehe lucem: dum conqueror, delusus insano amore Nisæ sponsæ, et moriens appello Deos* in *ultimâ horâ vitæ: quamvis nihil mihi profuit attestari eos. Incipe mecum, ô mea fistula,* pastorales *cantus Mænali! Mænalus habet semper sylvam canoram, et pinus resonantes: semper ille* mons *audit amores pastorum, et Pana, qui primus non reliquit arundines inutiles. Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. Nisa datur Mopso.* Nos *amatores quid non possimus expectare? Jam gryphes copulabuntur equis, et futuris temporibus pavidi damæ venient potum cum canibus. Mopse, præcide novas tædas, sponsa deducitur ad te. Abjice nuces, ô sponse! Hesperus pro te relinquit Œtam. Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. O sociata digno marito! Dum contemnis reliquos, dumque odio habes meam fistulam, et capellas,*

## NOTÆ.

*Salonas* esse putant, in eo Dalmatiæ litore, quod à Macedoniâ remotissimum est: idque auctore Servio, qui de Salonis urbe Dalmatiæ triumphâsse Pollionem ante consulatum refert. Hinc factum est, ut Josephus ipse Scaliger in Eusebium, p. 162. duplicem ejus triumphum perperàm distinxerit, primum de Salonis Dalmatiæ, ante consulatum; alterum de Parthinis Macedoniæ, post consulatum: sed contra fastorum fidem, contra fidem historiæ: quæ res ab eo gestas usque ad consulatum, immò itinera ejus omnia ferè describit, absque ullâ prioris illius in Dalmatas expeditionis mentione. Dicendum igitur, unicâ expeditione Pollionem Illyricum perlustrâsse: eamque victoriam et *Dalmaticam* fuisse dictam, quia Dalmatia præcipua pars Illyrici; et *Parthinicam,* quia Parthini tum in Dalmatiâ fortè plurimùm poterant; et *Saloninam,* quia Parthinorum ditio ad hanc usque urbem pertinere etiam potuit.

16. *Incumbens tereti olivæ.*] Dicitur *teres,* quicquid rotundum et oblongum est, ut columna, truncus arboris, baculus. *Incumbens,* vel innitens baculo ex olivâ; vel trunco arboris ipsius defensus.

18. *Conjugis, &c.*] Non quæ erat, sed quæ fore sperabatur conjux. Sic Æn. 4. 536. *Quos ego jam toties sum dedignata maritos,* id est, *procos,* qui Didonis conjugium ambiebant.

19. *Nil testibus illis, &c.*] Nihil mihi profuit, quòd Nisa suam mihi fidem dederit, ejusque testes appellaverit Deos.

21. *Incipe Mænalios, &c.*] Versus *intercalaris,* qui sæpiùs aliis interponitur. *Mænalios.*] Quales à pastoribus cani solent in Mænalo monte Arcadiæ, qui Pani sacer: in plurali numero *Mænala. Argutum.*] Ecl. 7. 1. *Pana.*] Ecl. 2. 31.

27. *Gryphes.*] Vel *gryphi,* toto corpore leones, alis et rostro aquilæ, equis vehementer infesti, Apollini sacri, inquit Servius. Plinius tamen fabulosa monstra putat, ut et *Pegasos,* l. 10. 49.

28. *Damæ.*] E genere caprarum sylvestrium, DEER. Virgilio, masculini; cæteris fœminini generis.

29. *Mopse, novas, &c.*] Rivali suo, Nisæ, marito, invidè gratulatur: eumque hortatur, cum amarâ indignatione, ut ritus omnes exequatur nuptiarum, cùm nox immineat. I. Enim, præviis facibus quinque, ducebatur uxor sub noctem in mariti domum: faces è spinâ, vel corylo, vel pinu, incidebantur in summâ parte minutas in virgulas, spicarum instar et aristarum, quò faciliùs ignem conciperent: unde Geor. 1. 292. *Ferroque faces inspicat acuto.* II. Maritus nuces spargebat pueris, vel ut ostenderet se pueritiam relinquere: *nuces enim relinquere,* adagium est, hoc ipsum significans. Vel ob alia mysteria, quæ apud Rosinum videre est.

30. *Hesperus Œtam.*] *Œta,* Thessaliæ mons, in sinum Malliacum desinens, altissimus: ita ut Attici et Bœoti, qui hunc habebant ad Occidentem, ex eo stellas cadere dicerent: quemadmodum ex *Idâ,* Phrygiæ monte item altissimo, quem habebant ad Orientem, oriri easdem fabulabantur. Qui loquendi mos, ad aliarum

Hirsutumque supercilium, prolixaque barba:
Nec curare Deum credis mortalia quemquam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala,
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem:
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus:
Jam fragiles poteram à terrâ contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio quid sit amor. Duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sævus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus, crudelis tu quoque, mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultrò fugiat lupus, aurea duræ
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricæ.
Certent et cycnis ululæ: sit Tityrus Orpheus:

*et supercilia* mea *pilosa, et barbam longam: et putas nullum Deum providere mortalibus* rebus. *Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. In septis* horti *nostri, vidi te* adhuc *parvam, colligentem cum matre poma perfusa rore: ego vos ducebam* illuc. *Tunc ordiebar annum duodecimum. Tunc poteram ab humo attingere tenues ramos. Statim ac* te *vidi, quomodo perii! quomodo noxius error me rapuit* mihi! *Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. Jam cognosco quid sit amor. Ismarus, aut Rhodope, aut Garamantes ultimi, producunt in rigidis rupibus illum puerum,* qui *non* est *nostræ naturæ et originis. Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. Durus amor suasit matri fœdare manus cruore liberorum. Tu etiam immitis* fuisti, *ô mater. Magisne immitis mater* fuit, *an puer ille improbus? Improbus* fuit *ille puer:* sed *tu etiam immitis fuisti, ô mater. Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. Nunc et lupus sponte fugiat oves, rigidæ quercus producant poma aurea, alnus floreat narcisso, myricæ stillent cortice pingue succinum. Ululæ quoque contendant cum cycnis: Tityrus fiat Orpheus;*

## NOTÆ.

etiam regionum poëtas transiit, etsi alio situ positos. Noctem igitur jam procedere significat. De *Hespero*, Ecl. 6. 86.

34. *Hirsutumque, &c.*] Hoc addit, vel ut robur commendet suum, cujus indicium est pilorum densitas: ita Polyphemus apud Theocrit. Idyl. 3. et apud Ovid. Met. 13. Vel, potiùs ut suum exaggeret de amissâ Nisâ dolorem, quo factum est ut capillitium incultum summiserit.

38. *Cum matre.*] Vel *tuâ*, vel *meâ*. Meliùs *tuâ*. Tamen apud Theocrit. est *meâ*. Idyl. 11. 26. Ἦλθες ἐμᾷ σὺν ματρὶ, *Venisti meâ cum matre.* Discrimen est quòd apud Theocritum puer matrem ducat in montes: apud Virgilium verò in hortum, et domesticas sepes; quem in locum duce puero non egebat sua mater.

39. *Alter ab undecimo.*] An duodecimus est, an decimus tertius? Certè *alter* de duobus tantùm dicitur. Unde concludit Servius hìc annum decimum tertium signari: *ut*, inquit, *unus ab undecimo, sit duodecimus; alter, decimus tertius.* Ego annum intelligi duodecimum puto; ita ut undecimus unum aliquid cum aliis superioribus componat; *alter* verò huic adjectus, sit post illum primus, adeóque de numeris veluti duobus dicatur. Sic Ecl. 5. 49. *Alter ab illo* est omnium judicio *primus post illum*, adeóque secundus, non tertius.

31. *Ut vidi, ut perii, &c.*] Omnino è Theocrito, Idyl. 3. 42. Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα, *Ut vidit, ut periit, ut in profundum saltavit amorem!*

44. *Ismarus, aut Rhodope.*] Ecl. 6. 30.

*Garamantes.*] Interioris Libyæ populi, sine legibus et matrimoniis. Regio nunc dicitur *Guangara.*

47 *Matrem.*] Medeam, Æetæ Colchorum regis filiam: quæ cùm Jasoni Argonautarum duci artem dedisset expugnandi aurei velleris, et cum eo è paternis regnis aufugisset, repudiata deinde ab eodem, ob amorem Creüsæ, Corinthiorum regis filiæ; Creüsam cum Creonte patre magicis ignibus absumpsit; filios ipsa suos, ex Jasone susceptos, in oculis patris jugulavit: tumque alatis serpentibus alium in locum devecta est.

54. *Electra myricæ.*] *Electrum, de l'ambre,* AMBER; sic Græcis dictum, quia refert fulgorem Solis, qui vocatur ἠλέκτωρ. Latinis *succinum:* quia succus est arborum quarundam è pineo genere, ex quibus quasi gummi diffluit in Oceanum, ibique induratum defertur ad litus, aut à piscatoribus extrahitur, maximè in insulis Septentrionalibus. Vide Ecl. 6. 62. De *myricis*, Ecl. 4. 2. De *Narcisso*, Ecl. 2. 48.

55. *Cycnis ululæ, &c.*] *Cycni,* non nisi apud poëtas canori: re autem ipsâ et vivi et morientes ferè muti, aut striduli. Quò magis mirum videtur, unde tanta apud Græcos Latinosque de Cycnei cantûs deliciis consensio. Nazianzenus

Orpheus in sylvis; inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite sylvæ.
Præceps aërii speculâ de montis in undas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
Desine Mænalios, jam desine, tibia, versus.
  Hæc Damon: vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite, Pierides: non omnia possumus omnes.
  AL. Effer aquam et molli cinge hæc altaria vittâ:
Verbenasque adole pingues, et mascula thura,
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus. Nihil hìc nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primùm triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum

*Orpheus inter arbores; Arion inter delphinos. Incipe mecum, ô mea fistula, pastorales cantus. Cuncta fiant altum ipsum mare: valete nemora, præcipitabo me in mare è culmine rupis excelsæ: accipe donum hoc ultimum morientis. Cessa mecum, ô mea fistula, à pastoralibus cantibus. Hæc dixit Damon: vos, ô Musæ, narrate ea quæ retulit Alphesibœus: non possumus omnes omnia* facere. AL. *Exporta aquam, et circumda has aras tæniâ laneâ, et adure verbenas pingues, et mascula thura: ut coner magicis ritibus abalienare sponsum à rectâ mente. Nihil hìc deest præterquam carmina. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Carmina possunt Lunam ipsam evocare è cœlo. Circe transformavit per carmina socios Ulyssis: Serpens gelidus in pratis obrigescit, dum incantatur. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Primò circumligo tibi hæc terna licia, triplici colore varia: et circa has aras ter fero suum simulacrum.*

## NOTÆ.

Orat. 34. cantum illum refert ad plausum alarum, Zephyris inter pennarum calamos sibilantibus. *Ulula*, nocturna avis, ab ululatu sic dicta, *un hibou*, AN OWL. *Tityrus.*] Hìc pro insulso pastore sumitur. *Orpheus.*] Ecl. 3. 46.

56. *Arion.*] Ex insulâ Lesbo, urbe Methymnâ, citharœdus et lyricus poëta nobilis: qui cùm ex Italiâ, ubi multas opes arte suâ collegerat, Corinthum rediret ad Periandrum regem cui percharus erat; ab avaris nautis modulans in mare projectus est: sed à delphino, quem dulcedine cantûs illexerat, exceptus, Tænarum, quod oppidum est Laconiæ, vectus ab eodem est. *Delphini* autem dicuntur et musicâ et amore hominum capi.

58. *Vivite sylvæ.*] Græcis χαίρετε, *gaudete.* Etiam in eos, quos cum odio abjicimus, et abire jubemus. Catull. 11. 17. *Cum suis vivat, valeatque mœchis*, id est, *abeat.*

64. *Effer aquam.*] Saga præcipit hæc omnia Amaryllidi famulæ.

65. *Verbenasque.*] Propriè *verbena* certa quædam herbæ species est, *de la vervene.* MULLEIN. Vulgò tamen sumebatur apud Romanos pro omni herbâ, cum suâ terrâ, è puro sacroque loco evulsâ: quasi *herbena*, inquit Donatus. Talibus verbenis aras festis diebus coronabant: tales legati ferebant ex arce Capitolinâ erutas, et ostentabant hostibus, cùm ad eos ibant res captas repetitum; et legatorum unus ideò *verbenarius* vocabatur. Hâc peruncti magi putabant id impetrari quod volebant; abigi febres, amicitias conciliari. Plin. l. 22. 2. &c. *Mascula thura.*] Mascula, non sexu, nullum enim est fœmineum; sed bonitate.

67. *Nihil hìc nisi carmina, &c.*] Omnis materia incantationis jam parata est; nihil ultrà requiritur præter carmina, id est. solennem ac ritualem verborum formulam. Deinde seipsam hortatur exemplo Circes, de quâ, deque sociis Ulyssis in sues transformatis, Æn. 3. 386. et Æn. 7. 19.

69. *Deducere Lunam.*] Antiqui putavere Lunam esse magorum incantationibus subditam; ita ut, quoties iis luberet, rubesceret illa in modum sanguinis: et è cœlo deduceretur vel invita, ut in herbas despumaret. Atque inde putabant eam deliquium pati, tumque ipsi tinnitu cymbalorum succurrebant.

70. *Ulyssei.*] Pro *Ulyssis.* Sic Horat. Od. l. 1. 6. 7. *Nec cursus duplicis per mare Ulyssei.* Et Æn. 1. 34. *Reliquias Danaûm atque immitis Achillei.* Latini enim Græca in εὺς, ut Ὀδυσσεὺς, Ἀχιλλεὺς, Ὀρφεὺς, aliquando ad secundam declinationem reduxere; *Ulysseus, ei; Achilleus, ei; Orpheus, ei;* aliquando ad tertiam, ut *Ulysses, is; Achilles, is.*

71. *Cantando rumpitur anguis.*] Id est, dum incantatur. Sic Geor. 2. 250. *Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo:* id est, dum habetur, tractaturque digitis. Unde patet gerundia ejusmodi passivam sæpe habere significationem.

74. *Licia.*] Sunt limbi qui telam hinc inde cingunt, et in quibus capita staminum conduntur.

*Terna triplici colore.*] *Novem:* tria alba, tria

Effigiem duco. Numero Deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modò: et Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit,
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, cùm fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos,
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulvâ
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat: nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara sui: quæ nunc ego limine in ipso,

*Numerus impar placet Deo. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. O Amarylli, implica tres colores in tres nodos; implica jam, ô Amarylli, et dic, implico nodos Veneris. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Quemadmodum* hoc simulacrum *è limo* factum *induratur, et hoc* alterum *è cerâ* factum *emollitur, unâ et eâdem flammâ: sic Daphnis nostro amore* induretur et emolliatur. *Disperge fruges salsas, et combure bitumine crepitantem laurum. Daphnis crudelis me comburit, ego hanc laurum* comburo *contra Daphnim. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Talis amor* occupet *Daphnim, qualis* est, *cùm juvenca fatigata sequendo juvencum per sylvas et altos saltus, recumbit misera juxta rivum aquæ, in ulvâ viridi, et omittit abire sub seram noctem. Talis amor occupet Daphnim, et ego non curem illum sanare. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Perjurus ille reliquit mihi quondam has vestes, dilecta monumenta sui: quæ nunc ego sub ipso limine,*

## NOTÆ.

rosea, tria nigra: ex hoc versu, in Ceiri, 371. *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila,* &c. Quæ novem licia tribus deinde ligantur nodis: *Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. Et Veneris, dic, vincula necto;* quibus verbis incantationis formula continetur.

75. *Numero Deus impare gaudet.*] Numeris rerum omnium naturam constare affirmabant Pythagorici; in imparibus in primis vim esse vulgus putabat. Unde præcipitur in Geoponicis, l. 18. ut numerus gregis semper impar sit: in re bellicâ apud Vegetium, l. 3. 8. ut fossæ quibus castra muniuntur latæ sint pedes novem ad minimum, septem ac decem ad summum; semper numero impari. Hoc autem loco, per numerum imparem, ternarius significatur, princeps omnium; tum quia, ex Aristotele et Plutarcho, continet in se principium, medium, et finem; tum quia potestati Deorum, tam superorum, quam inferorum, significandæ adhibetur. Jovis enim trifidum est fulmen, Neptuni sceptrum tridens, Plutonis canis triceps, Parcæ tres, Furiæ tres; Apollo idem, Sol et Liber dicitur; *tria virginis ora Dianæ,* quæ Diana est in terris, Luna in cœlo, Hecate in infernis, eademque colitur in triviis. *Deus.*] Vel quilibet Deus: vel Hecate, quæ magicis rebus præest. *Deum* enim genere fœminino dici posse quidam volunt; et sic Lucanum de Furiis dixisse lib. 2. 80. *Terribilesque Deos scelerum.* Et sic ipse Maro Æn. 2. 632. Cùm Æneas per flammas Trojanas ducitur à Venere—*Descendo, ac ducente Deo.*

81. *Sic nostro, &c.*] Sic uno eodemque amore nostro, liquescat, et mollior fiat mihi, cæteris durescat.

82. *Sparge molam.*] *Mola* placentæ quædam species, quæ fiebat ex farre *horno,* et sale horno, id est, *illius anni.* Ex farre, inquam, salso, tosto, et molito: unde *mola* appellabatur: et victimæ dicebantur *immolari,* quia et frons victimarum, et foci, et cultri hâc molâ inspergebantur. Itaque molâ conspergitur effigies Daphnidis; ut victima hujus magici sacrificii.

*Incende bitumine.*] *Bitumen,* limus aut terra, cujus natura vicina est sulphuri.

83. *In Daphnide.*] Ex Theocriti Pharmaceutriâ, Idyl. 2. 23. Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν· ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω, *Delphis me torquet, ego hanc laurum contra Delphida comburo.* Sic enim veteres Theocriti interpretes Græci ἐπὶ Δέλφιδι, vertunt κατὰ Δέλφιδος, *contra Delphida,* in Delphida. Quod tamen Virgilius per ablativum casum extulit: *In Daphnide.*

87. *Ulvâ.*] Herba palustris: caret Gallico nomine.

92. *Pignora chara sui, debent, &c.*] Expetuntur in sacris magicis ea præcipuè, quæ sunt ejus, adversus quem sacra fiunt: ut capilli, vestes.

Terra, tibi mando: debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris; nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri et se condere sylvis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras: rivoque fluenti,
Transque caput jace: ne respexeris. His ego Daphnim
Aggrediar: nihil ille Deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim
Aspice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit!
Nescio quid certè est: et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnis.

*committo tibi, ô terra: hæ exuviæ debent* reducere *Daphnim* ad me. *Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Mœris ipse mihi tradidit hæc gramina, et hæc venena, collecta in Ponto: multa* enim *oriuntur in Ponto. Ego vidi Mœrin sæpe transformari per illa in lupum, et abdere se in sylvis: sæpe evocare animas è profundis tumulis, et transferre messes satas in alium locum. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Amarylli, exporta cineres extra domum, et jacta* eos *post caput in rivum fluentem, neque retrò aspicias. Ego per hos cineres oppugnabo Daphnim:* siquidem *non movetur, neque per Deos, neque per carmina. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, ô mea carmina. Vide: dum exportare differo, cinis ipse ultrò involvit aram flammâ tremulâ: sit hoc faustum! Certè nescio quid apparet, et Hylax latrat in limine. Credamne illud? An amantes fingunt sibi somnia? Cessate, jam ô mea cessate carmina. Daphnis ab urbe venit.*

## NOTÆ.

*Pignora sui, quæ debent Daphnim;* id est, quæ tenentur ipsum Daphnim adducere ad limen, et in ipso limine sistere; quare ipso in limine defodiuntur.

96. *Ponto.*] Pontus Asiæ minoris regio; Euxino mari sive Ponto à Septentrione terminata; ab oriente, Colchide; ferax venenorum utraque regio fuit. In Ponto regnavit Mithridates, qui venenis pascebatur; in Colchide nata est Medea, celebris venefica.

101. *Rivoque fluenti.*] In rivum fluentem, Sic Æn. 5. 451. *It clamor cœlo,* pro ad cœlum.

106. *Bonum sit.*] Cineres ignem concipiunt. Lætum omen; quod Terentiæ Ciceronis uxori sacrificanti cùm accidisset, quasi signum auspicatissimum opprimendi Catilinæ habitum est à Vestalibus; ut refert Plutarch. in Cicer.

107. *Hylax.*] Canis nomen, ut *Hylactor* apud Ovid. Met. 3. 224. ab ὑλάω et ὑλακτέω, *latro.* Latratus autem canis in limine notat adesse Daphnim.

108. *An qui amant.*] Vocalis *i,* nec patitur hìc synalœpham, nec servat propriam quantitatem longam; sed hiat, et brevis fit.

---

# ECLOGA IX.

## MŒRIS*.

---

## ARGUMENTUM.

*CUM in agrorum divisione Virgilium indemnem amici sui præstitissent, ut in Ecl.* 1. *dictum est, is ab Ario centurione, vel à Milieno Torone primipilari, vel à Claudio veterano (variant enim in eo nomine interpretes) ab eo certè militum, cui prædium illud obvenerat, malè habitus et fermè occisus: ut vitæ consuleret, Mincium notatu trajecit. Romam deinde profectus, ut vim auctoritate Octaviani reprimeret; interim reliquit domi villicum suum Mœrin, monuitque, ut novum agri dominum officiis, quibus posset, leniret omnibus. Hic itaque Mœris, huic domino munuscula*

*Mantuam deferens, ex itinere in Lycidam familiarem incidit; quocum de Menalcæ, id est, Virgilii, fortunâ colloquitur; simulque variis cantilenis tædium itineris levant.*

*Existimo fuisse oblatum Varo hoc opusculum, quasi libelli supplicis loco: ut beneficium, ejus et Pollionis Mæcenatisque gratiâ jam acceptum, tueri porrò sibi apud Octavianum vellet. Est enim hìc I. Beneficii mentio. II. Vis illatæ declaratio. III. Invocatio Vari, et amplioris ejus in laudem operis promissio. IV. Julii Cæsaris consecratio quædam, ad adulandum comparata. Tum cætera quæ congerit carminum fragmenta, notant opus, ut res ferebat, properatum ac subitarium; ex variis concinnatum versibus, quos primo impetu effuderat Poëta; aut ex occasione priùs inchoatos, nondum suo quoque filo ac tenore ad exitum duxerat. Anno igitur eodem, quo prima ecloga, sanè haud multò deinde, scripta est.*

## NOTA.

* MŒRIS.] A *μοῖρα, fatum, sors, pars:* quia agrorum partem sorte amiserat.

## Lycidas, Mœris.

Ly. Quo te, Mœri, pedes? an, quò via ducit, in urbem?
Mœ. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri
(Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli
Diceret: hæc mea sunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam fors omnia versat,
Hos illi (quod nec benè vertat) mittimus hœdos.
Ly. Certè equidem audieram, quâ se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum servâsse Menalcan.
Mœ. Audieras, et fama fuit: sed carmina tantùm
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantùm
Chaonias dicunt, aquilâ veniente, columbas.
Quòd nisi me quâcunque novas incidere lites
Antè sinistra cavâ monuisset ab ilice cornix;
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.

INTERPRETATIO.

Ly. *O Mœri, quò te* ducunt *pedes? an Mantuam, ad quam via ducit?* Mœ. *O Lycida, viventes eò* miseriæ *devenimus, ut peregrinus occupator agri nostri diceret,* id *quod nunquam timueramus: Hic ager ad me pertinet, recedite, ô antiqui cultores. Nunc superati, mœsti, siquidem fortuna vertit omnia, ferimus illi hos hœdos, quod* utinam *non prosit* illi. Ly. *Ego sanè audiveram Menalcam vestrum* dominum *versibus suis* sibi *conservasse cuncta* ab eo loco, *ubi colles incipiunt recedere, et incurvare cacumen facili clivo; usque ad aquam, et* ad *cacumen ruptum antiquæ fagi.* Mœ. *Id audiveras, et rumor* sic *tulit: sed versus nostri non plùs possunt inter arma belli, ô Lycida, quàm dicunt* posse *columbas Epiroticas, aquilâ imminente. Quòd nisi funesta cornix è cariosâ ilice me admonuisset, ut quocunque modo abrumperem novas rixas; nec ego ipse tuus* amicus *Mœris, nec ipse Menalcas vivus esset.*

## NOTÆ.

*LYCIDAS.*] A *λύκος, lupus; οἱ λυκιδεῖς, luporum catuli.*

2. *Vivi pervenimus.*] Exaggerat vox ista calamitatis indignitatem. Ut apud Ciceronem pro Quinctio, 50. *Huic acerbissimum viro viventique funus indicitur.*

7. *Quâ se subducere, &c.*] Descriptio agri Virgiliani, cujus erant hi termini: hinc clivus, inde fagus et aqua, vel paludis, vel Mincii fluminis. *Clivus* est inclinatum montis latus.

12. *Martia.*] Bellica, quia *Mars* belli præses, dictus etiam *Mavors,* quia *magna vertit.* Quidni à *μαυρόω, intingo, obscuro:* quod poëticè dicitur pro *ἀμαυρόω?* Junonis et Jovis, aut solius Junonis absque patre filius; ut Minerva solius Jovis absque matre filia. Hunc dicitur Juno concepisse tactu cujusdam floris, quem ipsi eum in usum Flora monstraverat.

13. *Chaonias columbas.*] Speciem ponit pro genere: quia in Dodonæâ Epiri sylvâ, oracula reddidisse dicuntur quercus, et iis insidentes columbæ duæ; quarum altera Delphos in templum Apollinis; altera in Jovis Ammonis templum evolaverit; ubi famosa deinceps fuerunt oracula. Epirus autem *Chaonia* sæpe dicitur: quòd *Chaones,* gens Epirotica, olim toti regioni imperaverint, ut ait Strabo l. 7.

15. *Antè sinistra, &c.*] Præter illa quæ de hâc voce dicta sunt, Ecl. 1. 16. 18. quærendum superest, unde veteres Græci Romanique *dextram* ac *sinistram* in auspiciis peterent. Utrique sanè diverso modo locuti, idem sensere: hoc est, orientalia auspicia, quia lucis et motûs principium ab eâ parte est, visa sunt utrisque meliora: quæ tamen eadem, Græci *dextera,* Romani *sinistra,* vocaverunt. De Græcis patet ex Homero, Iliad. 12. 239. ubi Hector ait, se aves augurales minimè curare: *sive ad dextram vadant versùs auroram et solem, sive ad sinistram versùs occasum*

Ly. Heu, cadit in quemquam tantum scelus! heu, tua nobis
Penè simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbrâ?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cùm te ad delicias ferres Amaryllida nostras?
"Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;
"Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
"Occursare capro, cornu ferit ille, caveto."
Mœ. Immò hæc, quæ Varo, necdum perfecta, canebat?
"Vare, tuum nomen (superet modò Mantua nobis,
"Mantua, væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ!)
"Cantantes sublime ferent ad sidera cycni."
Ly. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastæ distentent ubera vaccæ:
Incipe, si quid habes: et me fecere poëtam
Pierides: sunt et mihi carmina: me quoque dicunt
Vatem pastores, sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinnâ
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Ly. *Heu, tantumne crimen venit cuiquam in mentem! heu, tuorum* versuum *solamen ferè nobis ablatum est tecum, ô Menalca! Quis celebraret Nymphas? quis tegeret terram herbis floridis? aut inumbraret fontes virentibus ramis? Aut* quis caneret *versus quos tibi nuper surripui: quando ibas ad Amaryllida, nostram amicam? Tityre, donec redeam, breve est iter, pasce capellas: et postquam eas paveris, duc potum, ô Tityre: et dum ducas, cave ne occurras capro, ille* enim *cornu petit.* Mœ. Aut *potiùs* quis caneret *hos* versus, *quos* Menalcas *cantabat Varo, nondum perpolitos? O Vare, olores canori altè efferent ad astra nomen tuum: dummodo Mantua salva sit nobis: Mantua, væ miseræ nimis propinqua Cremonæ!* Ly. *Sic tuæ apes evitent taxos Corsicæ* insulæ: *sic* tuæ *vaccæ saturatæ cytiso distendant ubera. Incipe, si habes aliquid: Musæ me quoque reddiderunt poëtam: habeo etiam versus: pastores appellant me etiam vatem, sed ego non adhibeo fidem illis: nondum enim videor ea proferre,* quæ sint *Varo aut Cinnâ digna: sed* videor *stridere inter cycnos canoros, velut anser.*

## NOTÆ.

*obscurum,* Εἴτ' ἐπὶ δέξι' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε, Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα. De Romanis constat ex Varrone Epist. Quæst. l. 5. *A Deorum sede cùm in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes: factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quàm dextra, esse existimentur.* Refert hunc locum Festus Pompeius, aliosque citat veteres ejusdem sententiæ. Confirmat Plinius, l. 2. c. 54. *Læva, prospera existimantur: quoniam lævâ parte mundi ortus est.* Ratio variæ appellationis fuit: quòd in auspiciis, Græci ad septentrionem, Romani ad meridiem, se converterent; ut patet ex antedictis; quod cur ita fecerint, non est hujus loci disquirere.

21. *Sublegi.*] *Sublegere,* est *suffurari:* unde inquit Servius, *sacrilegus* dicitur qui *sacra legit,* id est, *furatur.*

24. *Tityre, &c.*] Renarrat primum fragmentum carminum, quæ sublegerat. *Tityrus* hic est caprarius aliquis è Virgilii famulis. De *Varo,* Ecl. 6. 7.

27. *Vare, tuum, &c.*] Secundum fragmentum, de laudibus Vari.

28. *Mantua Cremonæ, &c.*] Galliæ Cisalpinæ urbes vicinæ. *Mantua* ad Mincium fluvium. *Menzo:* nunc ducatûs caput; *Cremona,* ad Padum, *le Po:* nunc ducatu Mediolanensi comprehensa. Hæc Antonii partes cùm adversus Octavianum tenuisset, ejus ager veteranis Octaviani militibus addictus est: et cùm non sufficeret, addita pars agri Mantuani.

29. *Sublime ferent.*] Vel ad *nomen* referri potest, vel adverbii loco sumi. Ita Geor. 1. 320. *Segetem ab radicibus imis sublime expulsam eruerent.* Et Cicero de Nat. 2. 101. *Aër sublime fertur:* id est, sublimiter, in sublime.

*Cycni.*] Poëtæ. Sic Horat. Od. l. 4. 2. 25. *Multa Dircæum levat aura cycnum:* id est, Pindarum poëtam Thebanum. Nam ex Cicer. Tusc. 1. 73. *Cycni Apollini dicati sunt, quod ab eo habere divinationem videantur: quia, providentes quid in morte sit boni, cum cantu et voluptate moriuntur.* Tamen fictus eorum cantus est, de quo, Ecl. 8. 55.

30. *Sic tua, &c.*] Obtestandi formula et benè precandi, quoties quid ab aliquo petimus. Id est; Sic apes tuæ evitent taxos, quomodo mihi recitabis carmina. *Cyrneas taxos.*] *Taxus* arbor funestis annumerata, *l'if,* YEW. Quâ pastæ apes mel amarissimum cudunt; unde Corsicæ mel infame, quòd hæc insula taxis et cicutâ abundet. Ovid. Amor. l. 1. 12. 10. *Melle sub infami Corsica misit apis.* *Corsica,* insula in mari Mediterraneo, quæ cum Sardiniâ et Siciliâ Italiæ adjacet; *Cyrnus* Græcis dicta, à rege hujus nominis. De *examinibus,* Ecl. 7. 13. De *cytiso,* Ecl. 1. 79. De *Pieridibus,* Ecl. 3. 85.

35. *Varo, &c. Cinnâ.*] Alii poëtas esse volunt; alii viros Octaviani gratiâ insignes. Sed prima opinio stare non potest. I. Quia Cinna hic poëta, non posset esse alius quàm *Helvius Cinna,* qui Smyrnam scripsit annis novem, de incesto Myrrhæ in patrem Cinyram Cypriorum regem

Mœ. Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.
"Huc ades, ô Galatea: quis est nam ludus in undis?
"Hìc ver purpureum, varios hìc flumina circum
"Fundit humus flores: hìc candida populus antro
"Imminet, et lentæ texunt umbracula vites.
"Huc ades; insani feriant sine litora fluctus."
Ly. Quid, quæ te purâ solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.
Mœ. "Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
"Ecce, Dionæi processit Cæsaris astrum:
"Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
"Duceret apricis in collibus uva colorem.
"Insere, Daphni, piros, carpent tua poma nepotes."
Omnia fert ætas, animum quoque. Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrin

Mœ. *Equidem id facio, et tacitè revolvo ipse mecum, ô Lycida, an possim recordari. neque est carmen abjectum. Huc veni, ô Galatea, quæ enim est voluptas in aquis? Hìc* est *ver rubicundum; hìc terra producit diversos flores circa fluvios; hìc alba populus incumbit cavernæ, et vites flexuosæ efficiunt umbram. Veni huc, ne cures quòd procellosi fluctus percutiant litora.* Ly. *Quid* verò? *quænam audiveram te cantantem solum per noctem serenam? recordor cantum, si scirem verba.* Mœ. *Daphni, quid miraris veteres ortus siderum? En prodiit sidus Cæsaris* oriundi *à Venere: sidus, per quod sata abundabunt frumento, et per quod racemus in montibus apertis induet colorem. Daphni, planta piros, posteri colligent tua pira. Anni auferunt cuncta, memoriam quoque. Ego recordor me sæpe traduxisse canendo totos dies cùm essem puer. Nunc tot versus exciderunt mihi: ipsa etiam vox me destituit:*

## NOTÆ.

amore: laudatus à Catullo 94. et ab Ovidio Trist. 2. 1. 435. At is jam inde à tempore Cæsareæ cædis, errore nominis, pro Cornelio Cinnâ prætore et Cæsaris hoste, à plebe occisus fuerat; ut est apud Sueton. II. Quia ex *Varis*, qui florebant illâ ætate, de quibus Ecl. 6. 7. nullus in poësi nomen habuisse dicitur. III. Quia licèt celebris tum fuerit poëta *Varius*, de quo sæpe Horatius, imprimisque Od. 1. 1. 6. 1. *Scriberis Vario fortis et hostium victor, Mæonii carminis alite;* tamen malè Servius hìc legit *Vario* pro *Varo: Nam neque adhuc Vario videor, &c.* Malè, inquam; siquidem dixit paulò antè Virgilius, *Vare, tuum nomen, &c.* Itaque secundam opinionem secutus, *P. Quinctilium Varum* intelligo, de quo Ecl. 6. 7. Et *Cornelium Cinnam Magnum*, Pompeii Magni ex filiâ nepotem, qui primò hostis Octaviani, deinde ab eodem susceptus in castris Bruti et Cassii, ut notat Lipsius in caput 9. l. 1. Senecæ de Clementiâ; magnâ deinceps apud eum floruit gratiâ, ausus tamen in benefactorum suum conjurare, novo beneficio veniam ab eodem accepit, et consulatum, anno U. C. 758.

36. *Anser.*] Volunt hìc allusum ad Anserem, hujus ætatis poëtam, M. Antonii laudatorem, cui Antonius è bonis Pompeii in Falerno agro aliquid in præmium dederat; unde Cicero Philip. 13. 11. *Anseres de Falerno depellentur.*

39. *Huc ades, ô, &c.*] Tertium carminis fragmentum, expressum è Theocriti Cyclope, Idyl. 11. De *Galateâ*, Ecl. 1. 31.

46. *Daphni, quid, &c.*] Quartum versuum fragmentum, quod recitat Mœris. In eo Menalcas sive Virgilius alloquitur Daphnim, amicum pastorem, de morte J. Cæsaris; cujus in funeribus ludis crinita stella per septem continuos dies fulsisse dicitur, ex Suetonio 88. Creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti; et ideò simulacris ejus et nummis stella in vertice addita. Geor. 1. 488.

47. *Dionæi.*] Cæsar ex gente Juliâ fuit; Julia gens orta ab Iulo Æneæ filio; Æneas Veneris et Anchisæ filius; Venus, juxta multos, Jovis et Diones Nymphæ marinæ filia; licèt juxta alios orta sit è spumâ maris.

48. *Astrum, quo segetes.*] *Astrum* propriè signum est, è multis stellis compositum, vulgò *constellatio;* hìc tamen pro stellâ unicâ sumitur.

49. *Apricis.*] Soli expositis et apertis, quasi *apericis*, inquit Vossius. Nisi cum aliis deducere malis ab α privativo, et *φρίκη, horror;* quòd sint sine frigore; unde et Africam dictam volunt. Opponuntur *apricus*, et *opacus*.

50. *Insere, Daphni piros.*] Hortatur pastorem, ut serat arbores; futurum quippe, ut sidere illo favente crescant feliciter, et posterorum commodis serviant; *Inserere* hìc, non insitionem significat; quâ surculus peregrinus arbori alterius naturæ immittitur; sed simpliciter plantationem arborum; quomodo Columella dixit, *hortos inserere.* Tum quasi deficiente memoriâ, silet Mœris.

52. *Memini me condere.*] Pro *condidisse.* Sic Cicero ad Att. 8. 11. *Memini tibi librum afferri à Demetrio;* id est, allatum fuisse. *Condere*, est finire, ad occasum ducere, et quasi sepelire. Quemadmodum dicitur, Æn. 1. 378. *Antè diem clauso componet Vesper Olympo;* quasi ad sepulturam componet.

53. *Nunc oblita mihi.*] Duo notanda. I. *Oblita* passivâ significatione. II. *Mihi*, pro *à me.* Sic Æn. 1. 330. *Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum.*

Jam fugit ipsa: lupi Mœrin vidêre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas.
Ly. Causando nostros in longum ducis amores:
Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes
(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeò media est nobis via: namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris: hìc, ubi densas
Agricolæ stringunt frondes: hìc, Mœri, canamus:
Hìc hœdos depone, tamen veniemus in urbem:
Aut si, nox pluviam ne colligat antè, veremur:
Cantantes licèt usque (minùs via lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.
Mœ. Desine plura, puer: et quod nunc instat, agamus.
Carmina tum meliùs, cùm venerit ipse, canemus.

*lupi me priores aspexerunt. Attamen Menalcas sat sæpe recitabit ista tibi.* Ly. *Differs diu meam voluptatem, quærendo* varias *causas. Aspice, jam tota aqua quieta tibi tacet, et omnes sibili ventorum strepentium cessaverunt. Præterea ex hoc loco superest nobis tantùm media pars viæ: nam tumulus Bianoris incipit apparere: hoc loco, in quo agricolæ colligunt spissa folia: hoc loco canamus, ô Mœri: hoc loco demitte hœdos, nihilominùs perveniemus in urbem. Aut si timemus ne nox adducat imbrem, antè* quàm ad eam pervenerimus: *progrediamur, quamvis* interim *semper canentes: iter minùs* nos *fatigabit. Ut progrediamur canendo, ego te laudo hoc onere.* Mœ. *Puer, omitte cætera, et faciamus quod jam urget: tum cantabimus commodiùs versus, cùm Menalcas advenerit.*

NOTÆ.

54. *Lupi Mœrin vidêre priores.*] Dicuntur lupi, sed falsò, vocem ei adimere, quem priores conspexerint; perdere verò ipsi conspecti priùs; ex Plinio. Hinc, *Lupus in fabulâ,* proverbium est; quoties colloquentibus supervenit aliquis, de quo sermo erat; is enim tum suâ præsentiâ sermonem amputat loquentibus. Theocr. Idyl. 14. 22. Οὐ φθεγξῇ; λυκὸν εἶδες, &c. &c.

55. *Causando.*] Causas et excusationes prætexendo; nempe caducam memoriam, raucedinem, et alia; quæ attulerat Mœris, ne versus cantare cogeretur. Hunc igitur Lycidas variis invitamentis ad cantandum pellicit; silent venti, medium iter confecimus, &c.

57. *Silet æquor.*] Non mare, sed aqua *Mincii* fluvii, qui Mantuam et vicinas regiones alluit; *Menzo. Æquor* enim dicitur de quâlibet planitie, sive aquarum, sive camporum. Et verò mare longè inde remotum est. Æn. 2. 780.

60. *Bianoris.*] Ocnus, idem qui et Tuscorum rex, Tiberis fluvii et Mantûs fatidicæ Nymphæ filius, Mantuam de matris nomine condidit. Hujus sepulchrum in viâ, veterum more; qui adeò sepulchrorum elogia ad viatores dirigunt: *Sta viator, Abi viator.*

61. *Stringunt frondes.*] *Stringi* dicuntur ea, vel quæ strictâ manu decerpuntur; ut Geor. 1. 305. *Quernas glandes tunc stringere tempus, Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.* Vel quæ colliguntur in fasciculum; ut hìc, et Geor. 1. 317. *Fragili jam stringeret hordea culmo.*

---

# ECLOGA X.

## GALLUS.*

## ARGUMENTUM.

*AMABAT Gallus Lycoridem: sprevit hæc illum, ut alium sibi chariorem sequeretur in Rhætiam aliasque regiones Italiæ, sive Galliæ togatæ, quas Rhenus alluit et Alpes insident. Gallus abire fingitur, quasi in exilium, repulsæ impatientiâ: locus exilii statuitur Arcadia, pastoribus nota sedes, poëtisque Bucolicis, qualis ipse Gallus fuit. Huc amici, huc Dii sylvestres, ad solandum ejus dolorem conveniunt. Ille multa de remediis amoris, deque suâ sorte diu frustrâ meditatus, ut amantium ingenium est, iterum ad amorem redit. Multa hìc ex Idyl. Theocriti primo.*

*Volunt omnes hanc* Lycoridem *eandem esse cum* Cytheride *mimâ, quæ Volumnii Eutrapeli, Senatoris nobilissimi liberta primùm; ac deinde M. Antonio sic chara fuit, ut is illam in Italiæ per-*

*lustratione per civitates et municipia secum apertâ lecticâ circumferret, trahentibus leonibus: ut Plinius notat, l. 8. 16. Id sanè si ita est, multis eam necesse est nominibus insignitam; quam et* Volumniam *ab Antonio vocatam esse Cicero indignatur, Philip. 2. 48. Quod autem volunt, iter illud Lycoridis Alpinum et Rhenanum, eam ipsam esse Antonianam perlustrationem Italiæ; parùm certè congruit tempori. Quippe duplex ab Antonio perlustratio facta est,* eâdem comite mimâ, *inquit Cicero, ibid. 51. Altera ante pugnam Phdrsalicam, ab eo tum tribuno plebis, altera post pugnam, ab eodem tum equitum magistro: hoc est annis, ut minimum, decem ante editionem hujus eclogæ, quæ postrema omnium scripta fuit; eâ tempestate, quâ jam Antonius in Oriente cum imperio versabatur.* Extremum hunc Arethusa, &c.

*Ita igitur statuo: aut Lycoridem illam à Cytheride, sive Volumniâ mimâ diversam esse, aut Galli rivalem, diversum ab Antonio; aut hâc eclogâ exhiberi Gallo præteritorum amorum historiam, veterumque casuum memoriam voluptatis causâ revocari: cùm Lycoridis fuga multò priùs contigisset.*

NOTÆ.

* *GALLUS.*] Cneus, vel Publius Cornelius Gallus; nam vario prænomine reperitur: patriâ Forojuliensis, *du Frioul:* ex infimâ fortunâ ad summam Octaviani gratiam, immò et amicitiam evectus est. *Suet.* in *Aug.* 66. Egregiam ei navavit operam in Alexandrino bello: in quo captam à se Paraetonium urbem, adversus vim dolosque M. Antonii, vi dolisque fortiter propugnavit. Ideò mortuâ Cleopatrâ et Antonio, redactâque in provinciæ formam Ægypto, non ausus Cæsar, metu novarum turbarum, copiosam regionem, gentemque levissimam viro nobili committere; tamen eam amico Gallo credere non dubitavit. *Dio.* l. 51.

At non ita multò pòst, abusus fortunæ amplitudine, Thebas ob tributa seditionem moventes, aut expilavit, ex *Ammiano,* l. 17. aut funditùs evertit, ex *Hieronymo* in *Euseb.* Tum cœpit in ipsum imperatorem multa intemperanter jactare, præsertim inter pocula. *Dio.* l. 53. *Ovid. Trist.* 2. 445. Statuas ubique sibi per Ægyptum erexit, acta sua pyramidibus inscripsit. Quibus nominibus cùm esset à Valerio Largo, socio et convictore olim suo, accusatus; Augustus huic Gallo ob ingratum et malevolum animum, domo et provinciis suis interdixit. Senatus graviore sententiâ, mulctatum bonis, et exilii ignominiâ notatum eò adegit, ut suâ sibi manu mortem accerseret. Mortuum tamen Gallum luxit Augustus, et ob severitatem senatûs vicem suam conquestus est: *quòd sibi soli non liceret, amicis quatenus vellet irasci. Suet.* 66. Periit ætatis anno 40. aut 43. ut in Hieron. Eusebio variè scriptum est; U. C. 728. ante obitum Virgilii, 7. Multis charus, Pollioni imprimis, itemque Ciceroni, ut colligitur ex epistolis Pollionis ad Ciceronem, quæ habentur apud ipsum Ciceronem, *Famil.* l. 10. 31. 32. Virgilio certè charissimus; qui ejus etiam laudes celebrâsse dicitur quarto Geor. libro: unde post ejus necem Augusti jussu sublatæ sunt, et earum in locum Aristæi fabula substituta. Quod mihi tamen verisimile non videtur: ita bellè Aristæi fabula cum reliquis libri partibus et argumento cohæret.

Poëta fuit. Scripsit de Lycoride suâ, fortè elegiaco carmine, libros quatuor: quo in genere Tibullo et Propertio durior fuisse dicitur à *Quintil.* l. 10. 1. Transtulit præterea bucolicis versibus aliquid ex Euphorione, poëta Chalcidensi, ut probamus *Ecl. hâc* 10. 50. et *Ecl.* 6. 72. Perierunt omnia. Illas enim sex elegias, quæ ejus nomine circumferuntur, opus inficetum et barbarum, planè constat Maximiani cujusdam esse, recentioris nebulonis: ubi præter errores in syllabarum quantitate benè multos, et ineptam miniméque Latinam verborum structuram; accedit illud præterea, quòd in iis Gallus senem se profiteatur, qui tamen firmâ adhuc ætate decessit. *Gyraldus, Vossius, &c.* Alia item fragmenta, quæ ab Aldo Manutio juniore reperta Venetiis et edita sunt, etsi minùs insulsa, tamen omnino supposititia esse evincit Jos. Scaliger in opusculis. In quo peccavit et hoc alterum Manutius, quòd Gallum hunc Cornelium, cum Asinio Gallo Pollionis filio confundit, delusus à veteribus grammaticulis Virgilianæ vitæ scriptoribus.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,

INTERPRETATIO.

*O Arethusa, permitte mihi hoc ultimum opus. Canendi sunt pauci versus* amico *meo Gallo, sed quos ipsa Lycoris legat.*

NOTÆ.

1. *Arethusa.*] Fons in insulâ Ortygiâ, quæ Siciliæ adjacet, et quartam Syracusanæ urbis partem efficit. Alpheus autem, Peloponnesi fluvius, postquam in mare defluxit, immixtas dicitur servare aquas, et continuo lapsu in Ortygiam erumpere, per hunc ipsum fontem Arethusam: idque ex eo probatur, quòd projecta in Alpheum in Græciâ, per os Arethusæ fontis, in Ortygiâ reddantur. Narrant verò fabulæ, Alpheum fluvium Arethusæ Nymphæ fuisse amatorem; hanc fugientem, à Dianâ conversam esse in fontem eâdemque fugâ subter mare in Ortygiam emersisse: Alpheum, eodem impetu consecutum, undas ei suas deinde miscuisse. Æn. 3. 692. Hunc fontem invocat Siculum, ut antè *Sicelides Musas,* ob Theocritum Siculum poëtam, Bucolicorum principem.

2. *Quæ legat, &c.*] Quæ legat Lycoris, ad pudorem, quòd se Gallo tam duram præbuerit.

Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo!
Sic tibi, cùm fluctus subter labêre Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe, sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ.
Non canimus surdis, respondent omnia sylvæ.
Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ
Naiades, indigno cùm Gallus amore periret?
Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonia Aganippe.
Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ.
Pinifer illum etiam solâ sub rupe jacentem
Mænalus, et gelidi fleverunt saxa Lycæi.
Stant et oves circùm, nostrî nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, divine poëta.
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio, tardi venêre bubulci:
Uvidus hybernâ venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo.
Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris,
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Sylvanus honore,

*Quis posset negare versus Gallo? Sic salsa Doris non confundat suas aquas cum tuis, cùm flues subter mare Siculum. Incipe, celebremus anxium amorem Galli; dum capellæ depressis naribus carpunt teneros frutices. Non cantamus surdis, sylvæ referunt omnia. Quæ sylvæ, aut qui saltus detinuere vos, ô Nymphæ Naiades, cum Gallus deficeret* præ *amore indigno? Neque enim ulla culmina Parnassi aut Pindi, neque Aganippe Bœotica vos retardaverunt. Illum etiam lauri, illum etiam myricæ ploraverunt. Mænalus etiam abundans pinis, et rupes gelidi Lycæi ploraverunt illum, stratum sub desertâ rupe. Oves quoque circumsistunt, neque contemnunt nos. Nec tu contemnas gregem, ô divine poëta: ipse pulcher Adonis pavit gregem circa fluvios. Venit quoque custos ovium: venerunt lenti custodes boum, venit Menalcas madefactus è* collectione *glandium hybernarum. Omnes petunt, unde* sit *tibi amor ille? Venit Apollo: Galle, ait, cur desipis? Lycoris, amica tua, secuta est alium per nives, et per castra horribilia. Venit quoque Sylvanus cum rusticâ coronâ capitis,*

## NOTÆ.

4. *Sicanos.*] Siculi sic dicti sunt, vel à Sicano Cyclopis filio; vel à Sicanis Hispaniæ populis, illam in insulam translatis. *Sic tibi.*] Ecl. 9. 30.

5. *Doris.*] Oceani et Tethyos filia, Nereo fratri nupta, ex quâ Nereides peperit. Hìc sumitur pro amarâ maris aquâ, quæ dulcibus Arethusæ et Alphei aquis non admiscetur.

9. *Quæ nemora, aut, &c.*] Naiades alloquitur poëta, sive Nymphas præsides fontium, qui è Parnasso, Pindo et Helicone profluunt; easque increpat, quòd ad solandum Galli amorem non venerint, tam multis eò advolantibus. Estque tacita quædam ipsius Galli reprehensio, quòd studia carminum omiserit, ut amori vacaret. De *Naiadibus*, Ecl. 2. 46.

11. *Nam neque Pindi, &c.*] Mons in Macedoniæ, Epiri, et Thessaliæ confinio: unde tribus his regionibus ex æquo tribuitur. Dicunt quidam cum in Phocidem et Bœotiam usque pertinere: et in Phocide quidem *Parnassum;* in Bœotiâ *Heliconem*, ac denique *Cithæronem* vocari. Certè montes illi quatuor, licèt in longa spatia diffusi, tamen ferè contigui sunt, et perinde Musis dicati.

12. *Aonia Aganippe.*] Bœotiæ fons, Musis sacer, ex Helicone monte, non procul à Thebis, in Permessum fluvium defluens. *Aonia*, id est Bœotica, ab Aone Neptuni filio. Nota hìc hiatum vocalium: *Aonia Aganippe.* De *myricis*, Ecl. 4. 2.

15. *Mænalus, et, &c.*] *Mænalus*, et *Lycæus*, Arcadiæ montes Pani sacri. Unde et *Lycæa* festa, ejus in honorem ibi à pastoribus instituta: quæ *Lupercalia* Latinis dicta; inter quos inducta sunt ab Evandro, Arcadiæ rege, cùm in Italiam profugisset.

18. *Adonis.*] Filius Cinyræ Cypriorum regis, et Myrrhæ ejus filiæ: quem Venus in deliciis habuit. Is dum in *Idali*, montis Cyprii, nemore venaretur, apri dente percussus interiit: à Venere multis lacrymis defletus. Hujus mentionem facit poëta, ad Galli solatium: ut is meminerit, ne ipsam quidem amoris Deam Venerem, in amore felicem. Tum amatores adhibet Deos Apollinem, qui Daphnen; Pana, qui Syringa; Sylvanum, qui Cyparissum amavit; qui omnes parùm feliciter amaverunt, Daphne in laurum, Syringe in arundinem, Cyparisso in arborem cognominem, transformatis.

19. *Upilio.*] Pro *opilio: o* brevi, in *u* longum, metri causâ, mutato. Et antiqui *opes* dixere, quas posteri *oves.*

24. *Sylvanus.*] Deus τῆς ὕλης: ὕλην autem alii *sylvam* interpretantur, undè sylvarum Deum hunc fecere; alii *fæcem* omnium elementorum, seu quam dicunt Peripatetici *materiam primam*, ex quâ omnia constant. Quare eundem esse volunt cum Pane, qui totius naturæ Deus est, ut diximus, Ecl. 2. 31. πᾶν enim, est *omne*, et ὕλη, *omnia materia.* Distinguuntur tamen Sylvanus et Pan. Geor. 1. 17 et 20.

*Agresti honore.*] Coronâ è foliis agrestibus.

Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit: amor non talia curat.
Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
  Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus hæc vestris: soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quàm molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certè sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra);
Mecum inter salices lentâ sub vite jaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hìc gelidi fontes, hìc mollia prata, Lycori:
Hìc nemus, hìc ipso tecum consumerer ævo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu procul à patriâ (nec sit mihi credere) tantùm

*quatiens ferulas florentes et magna lilia. Venit Pan Deus Arcadiæ, quem ipsi conspeximus rubicundum minio et sanguineis baccis ebuli. Quis erit finis, ait* Pan? *Amor negligit ista; nec durus amor satiatur fletu, nec herba rivis, nec apes cytiso, nec capellæ foliis. At Gallus mœstus ait: Tamen, ô Arcades, soli docti canere Arcades, canetis hæc vestris montibus. O quàm placidè tunc quiescent mea ossa, si quondam vestra tibia referat meos amores! et utinam fuissem unus è vobis, aut custos vestri pecoris, aut putator maturorum racemorum. Certè sive amâssem Phyllida, sive Amyntam, seu quemcunque* alium *(quid refert utrùm Amyntas sit niger? et violæ sunt nigræ, et vaccinia nigra) recumberet* ille *mecum sub vitæ flexuosâ inter salices. Phyllis colligeret mihi flores, Amyntas caneret. O Lycori,* sunt *hìc fontes frigidi et amœna prata, et sylvæ: hìc traducerem tecum omnem ætatem. Nunc stultus amor me retinet inter media tela et infestos hostes, in armis feri Martis. Tu, ô crudelis, longè à patriâ (utinam liceret mihi id non credere) sola sine me vides tantummodo*

## NOTÆ.

25. *Ferulas.*] Ferula, planta est affinis fœniculo; cujus caulem, levissimum et durâ cute munitum, senes assumebant in baculos; narthex à quibusdam dicitur, *ferule*, FENNEL-GIANT.

27. *Ebuli baccis.*] Ebulum, *de l'hieble*, DANEWORT, herba aut virgultum affine sambuco, *au sureau*, ELDER.

*Minioque.*] Minium, *du vermillon*, materies est fossilis, vel è propriis venis, vel ex argenti vivi fodinis erui solita; præsertim in Hispaniâ, circa fluvium, qui *Minius* appellatur, *Minho*, Gallæciam à Lusitaniâ dividens. Hoc colore simulacra Deorum, Jovis præcipuè, linebantur: Camillus vultu quoque miniato triumphavit.

30. *Nec Cytiso.*] Ecl. 1. 79. De *Arcadibus*, Ecl. 4. 58.

33. *Quàm molliter ossa, &c.*] Superstitiosè timebant veteres ne mortuorum corpora superjectæ terræ pondere graviùs premerentur; quare levem et contritum pulverem ferè tumulo injiciebant, hâc verborum formulâ: *Sit tibi terra levis.*

38. *Seu quicunque furor.*] *Amor*, in quo sæpe multum dementiæ et furoris est. Et verò ea quæ sequuntur, speciem habent dementissimi amoris. Namque inops consilii, modò vota facit pro eâ, cujus fastidia expertus est: *Ah! ne te frigora lædant, &c.* modò ad poësim et musicam, modò ad sylvarum silentium, modò ad venationem; quasi ad totidem amoris diverticula et remedia confugit; mox in furorem relapsus, immedicabilem suum esse amorem profitetur. De *Phyllide*, Ecl. 3. 76. De *Amyntâ*, Ecl. 2. 35. De *vacciniis*, Ecl. 2. 18.

44. *Nunc insanus, amor, &c.*] Sensus est: Hìc, si tibi liberet, ambo quieti et securi viveremus; nunc propter duritiem tuam ambo miseri sumus. Amor enim meus cogit me præ desperatione bellicis periculis caput meum exponere, quòd ita vile tibi ac despicatum est. Te interim alienus amor rapit in regiones asperas, alieno tempore, difficili itinere.

46. *Nec sit mihi credere.*] Nec liceat mihi nec possim. Sic Æn. 8. 676. *Actia bella cernere erat.* Horat. Epod. 17. 25. *Neque est levare tenta spiritu præcordia.* Hausta è Græcis fontibus locutio, apud quos ἔςι significat *licet.* Sic Homerus Odyss. 11. 157. τὸν οὔπως ἐςὶ περῆσαι, *quem non licet transmittere.*

*Tantùm.*] Tribus præcipuè modis explicatur. I. Ita ut sit nomen et referatur ad *credere; Utinam liceat non credere tantum*, id est, rem tantam tamque indignam. II. Ita ut sit adverbium, et referatur ad *sit; Utinam sit tantùm; utinam liceat tantùm*, hoc non credere. Quasi dicat: non peto ut Lycoris non sit perfida, sit ita sanè; sed peto ut liceat mihi *tantummodo*, id non credere. III. Ita ut sit adverbium, et referatur ad sententiam sequentis ver-

Alpinas, ah dura, nives, et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina pastoris Siculi modulabor avenâ.
Certum est in sylvis, inter spelæa ferarum,
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.
Intereà mixtis lustrabo Mænala Nymphis,
Aut acres venabor apros: non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc sint nostri medicina furoris,
Aut Deus ille malis hominum mitescere discat.
Jam neque Hamadryades rursum, nec carmina nobis
Ipsa placent: ipsæ rursum concedite sylvæ.
Non illum nostri possunt mutare labores;
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,

*nives Alpium et glaciem Rheni. Ah ne te vulneret gela! Ah ne glacies acuta tibi vulneret delicatos pedes! Ibo, et canam fistulâ Siculi pastoris* ea, *quæ versibus traduxi è Chalcidensi* poëtâ. *Ratum est*, me *malle pati inter nemora et speluncas belluarum, et meos amores inscribere teneris arboribus; crescent illæ, crescetis, ô amores. Intereà circuibo Mænalum* montem, cum *sociis Nymphis; aut persequar fortes apros; nulla frigora prohibebunt me cingere canibus sylvas Parthenii* montis. *Jam fingo mihi, me vagari per montes et nemora resonantia: juvat vibrare arcu Parthico sagittas Cretenses: veluti hæc* omnia *essent remedium insaniæ meæ, aut* quasi *ille Deus disceret placari miseriis hominum. Nunc iterum neque Hamadryades, neque versus ipsi nobis arrident: Valete iterum,* vos *ipsa nemora. Nostræ curæ nequeunt flectere amorem, ne* sic quidem, *si mediâ hyeme potaremus* aquam *Hebri;*

## NOTÆ.

sûs; Vides *tantummodo* nives et frigora, &c. Prima explicatio infirmior, secunda subtilior, tertia facilior.

47. *Alpinas, &c.*] Alpes, excelsi montes, qui Italiam à Galliâ, Germaniâque disterminant; multis dictæ nominibus, pro variâ regionum, quibus adjacent, ratione. Sunt enim *Alpes* maritimæ, Cottiæ, Grajæ, Pœninæ, Rhæticæ, Tredentinæ, &c. Ex his multi oriuntur fluvii celeberrimi, Padus, Ticinus, et Athesis, *le Po, le Tesin, l'Adige*, qui in Italiam: Rhodanus, *le Rhosne*, qui in Galliam; Rhenus, *le Rhin*, qui in Germaniam devolvitur.

*Rheni.*] Fluvii Europæ post Danubium celeberrimi, qui antiquus Galliæ et Germaniæ terminus fuit, à fontibus ad ostia. Fontes ejus duo in Alpibus, apud Rhætos occidentales, *les Grisons.* Ostia plurima, quibus in Oceanum influit. Mirum tamen est tantæ famæ fluvium ad mare non perferre nomen. Nam ubi ad arcem Skinkiam, quæ caput est insulæ Batavìæ, duas divisus est in partes, Vahalim, et Rhenum, unde *bicornis* appellatur; mox varios deinde scinditur minores in alveos, quorum minimo Rheni permanet nomen; sed is ad Lugdunum Batavorum, *Leyden*, antequam ad Oceanum pervenerit, inter arenas exhauritur.

50. *Ibo.*] Vagabor hinc atque hinc. Vel, abibo hinc, deseram castra, et sylvis abditus, carmina modulabor. *Chalcis* urbs est Eubœæ insulæ, quæ Chalcis quoque vocata est. Eubœa porrò Bœotiæ continenti dicitur olim adhæsisse; ab eâ nunc Euripo distincta, tam angusto, ut aliquando ponte transmissus fuerit. Ex illâ insulâ oriundus Euphorion, Antiocho Magno Syriæ regi percharus, ejusque bibliothecæ præfectus; poëta nobilis, sed juxta Ciceronem, obscurus; cujus opera in deliciis fuisse Tiberio Cæsari memorantur: ex quibus aliqua Latinis versibus expressisse diximus hunc Gallum, Ecl. 6. 72.

51. *Pastoris Siculi.*] Theocriti, poëtæ Siculi, stylo. Non igitur elegiæ fuerunt, ut putat Probus: neque enim elegiæ potuerunt Theocriti stylo componi; sed aliquid bucolicis Idylliis affine.

53. *Malle pati.*] Supple, quàm Lycorida in posterum sequi, atque ita deperire.

55. *Mænala.*] Montem Arcadiæ, Ecl. 8. 21.

57. *Parthenios.*] *Parthenius* item Arcadiæ mons, ubi virgines venari solebant: unde nomen à παρθένος, *virgo.*

59. *Libet Partho, &c.*] Species pro genere, arcus Parthicus et sagittæ Cydoniæ, pro quolibet arcu et quibuslibet sagittis. Parthi enim et Cydones arte sagittandi celebres: Æn. 12. 858. *Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit.* De *Parthis*, Ecl. 1. 63. *Cydon* urbs fuit in Cretâ insulâ. *Cornu* dixit, pro arcu è corneâ materiâ fabricato.

62. *Jam neque Hamadryades.*] De iis Ecl. 2. 46. Hìc incipit Gallus remediorum et consiliorum suorum inanitatem agnoscere, seque amori victum tradere.

63. *Concedite sylvæ.*] Idem quod anteà dixerat: *Vivite sylvæ*, Ecl. 8. 58.

65. *Hebrumque.*] Fluvium Thraciæ maximum; hodie *Marisa:* arenas olim aureas volventem. In Ægæum mare influit: ortus ex Rhodope monte, qui cùm Hæmi pars quibusdam videatur, ab iis idcirco dicitur Hebrus ex Hæmo profluere.

Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosæ:
Nec si, cùm moriens altâ liber aret in ulmo,
Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri.
Omnia vincit amor; et nos cedamus amori.
  Hæc sat erit, Divæ, vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantùm mihi crescit in horas,
Quantùm vere novo viridis se subjicit alnus.
Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

*et toleraremus Thracias nives hyemis humidæ: nec si pasceremus oves Æthiopum sub sidere Cancri, cùm cortex exsiccatus arescit in ulmo excelsâ. Amor superat omnia; nos quoque cedamus amori. O Divæ Musæ, sufficiet vestrum poëtam cantavisse ista* carmina, *sedendo, et conficiendo calathum ex hibisco tenui: vos reddetis ista Gallo maxima: Gallo, erga quem amor meus tantùm crescit singulis horis, quantùm alnus virens attollit se ineunte vere. Surgamus: umbra solet esse noxia canentibus;* præsertim *umbra Juniperi: umbræ quoque nocent frugibus Ite, ite domum, ô capellæ saturatæ: Vesper imminet.*

NOTÆ.

66. *Sithoniasque nives.*] Sithonia pars est Thraciæ: vergens, vel in Pontum Euxinum, juxta Solinum; vel in oram Macedonicam Ægæi maris, juxta alios. Thracia frigida et nivosa est, propter altissimum montem Hæmum, quo dividitur.

69. *Æthiopum.*] Æthiopia regio Africæ vastissima, Ægypto finitima: quam Nilus quoque ferè mediam, ut et Ægyptum, interfluit; *le pays des Abyssins*, THE COUNTRY OF THE ABYSSINIANS. Tota zonæ torridæ subjecta est, à tropico Cancri ultra æquatorem porrecta. Virgilius ergo *sidus Cancri* dixit, pro tropico Cancri; et tropicum pro zonâ ipsâ torridâ, cujus terminus est ad septentrionem. *Cancer* signum est in eâ parte cœli, quam ubi Sol attigit exeunte Junio, tum æstatem nobis calidissimam, diesque longissimos efficit. De *zonis* et *tropicis*, Geor. 1. 233. De *hibisco*, Ecl. 2. 30.

74. *Se subjicit alnus.*] Se superjicit, se attollit. Vide Ecl. 1. 46. *Alnus, aulne*, ALDER, arbor aquosis locis gaudens.

75. *Gravis cantantibus umbra.*] Imò gratissima: præcipuè Juniperi, *du genievre*, JUNIPER, quæ arbor et odora est, et nihil venenatum patitur, et adversus aëris vitia comburi solet. Sed significat diuturniorem in umbrâ moram nocere canentibus posse propter frigus. Unde quidam legunt *cunctantibus*, non *cantantibus*. De *Hespero*, Ecl. 6. 86.

FINIS BUCOLICORUM.

# ARGUMENTUM

IN

# GEORGICA.

GEORGICORUM *nomen, à* γεωργὸς, agricola; *hoc autem à* γαῖα, *vel* γέα, terra, *et* ἔργον, opus. *Traduntur hoc opere præcepta de agriculturâ, quatuor libris.* I. *De aratione.* II. *De plantatione.* III. *De pastione cultuque pecorum.* IV. *De apibus et mellatione. Eaque omnia naturæ accommodantur Italici soli, præsertimque Veneti, in quo Mantua fuit. Ducem in eo genere secutus est Virgilius Hesiodum Ascræum ex Bœotiâ, de quo diximus Ecl.* 6. 70. *Cujus librum, inscriptum* Ἔργα καὶ Ἡμέραι, Opera et Dies, *longè et copiâ et elegantiâ superavit. Cœptum est opus anno circiter U. C.* 717. *Virgilii* 32. *aut* 33. *et septennio perpolitum.*

*Mæcenas, cui Georgica inscripta sunt, primos in Octaviani gratiâ tenuit cum Agrippâ gradus. Genere Tuscus, ex antiquis Etruriæ regibus: quorum posteri, post multas gentis clades, Romanam in civitatem admissi, equestri dignitate vixerunt. Eruditos complexus est, imprimis Virgilium et Horatium; adeò parùm cupidus, ut qui cæteris magistratibus imperabat, ipse equestri ordine, et urbis atque Italiæ præfecturâ contentus vixerit. Adhibitus ab Octaviano cum Agrippâ in consilium de imperio deponendo, retinendum persuasit. Sectâ Epicureus fuit, in vestitu, incessu, supellectili, conviviis, ipsâque dictione, mollior ac remissior. Scripsit Prometheum et Octaviam tragœdias, carminum libros decem; solutâ oratione commentarios de rebus ab Augusto gestis, item de animalibus et gemmis dialogos; omnia periêre. Decessit anno U. C.* 746. *C. Martio Censorino et C. Asinio Gallo Coss. Triplex est apud eruditos de ejus nomine controversia.* I. *Quodnam ipsius nomen fuerit? Lambinus in* Vipsaniam *gentem inducit, sed eum confundit cum Agrippâ, cujus certè gentile nomen hoc fuit: Paulus Manutius in* Cinciam: *Glandorpius in* Heliam: *Muretus in* Aquilam: *omnes aut levibus aut falsis conjecturis: Maxima et optima pars, Turnebus, Lipsius, &c. in* Cilniam, *quæ gens erat Aretinæ urbis in Etruriâ.* II. *Unde cognomen* Mæcenatis? *Insulsè deducit Becmannus ab ejus moribus, quòd esset* μὴ κοινὸς, non communis; *aut* μὴ καινὸς, non novus: *nam et Græci nunquam negativis nominibus,* μὴ, *sed privativum* α *præfigunt; et Varro, l.* 7. *de L. L. à loco dictum testatur. Est igitur à Mediterraneo quodam Etruriæ oppidulo, Cæsenæ vicino, quâ in orâ Plinius vina Cæsenatia simul et Mæcenatia commendat, lib.* 24. 6. III. *Quomodo prima et media cognominis syllaba pingenda sit? Certè media, per* e *longum; quia Græcè vulgò per* η *legitur. Prima, vel per* æ *vel* œ; *quia in veteribus cod. utroque modo reperitur, per* æ *frequentiùs. Igitur nomen integrum fuit,* CAIUS CILNIUS MÆCENAS.

## P. VIRGILII MARONIS

# GEORGICON

AD

## *C. CILNIUM MÆCENATEM.*

## LIBER I.

### ARGUMENTUM.

*CONTINET hic liber propositionem totius operis, ejusque divisionem quadruplicem. Tum sequitur Deorum invocatio, quotquot rusticæ præsident rei, quos inter Octaviano Cæsari locus tribuitur; novo sanè illis temporibus adulationis exemplo; quo deinde Lucanus in Pharsaliâ, et Statius in Thebaide, ad laudem Neronis et Domitiani immodestiùs abusi sunt. Atque hæc exordio comprehenduntur. Liber verò ipse sex habet partes. I. Multiplicem agri colendi rationem, juxta variam ejus naturam. II. Agriculturæ originem. III. Agricolarum instrumenta. IV. Rusticorum operum tempora. V. Tempestatum prognostica. VI. Digressionem ad varia prodigia, quæ cædem Julii Cæsaris aut præcesserunt, aut subsecuta sunt. Denique, epilogi loco, Deos pro incolumitate Octaviani, et pro salute populi Romani precatur. Tamen ex iis, aliorumque librorum præceptis, non pauca obsolevere, contrario usu posteriorum temporum, nostrorum imprimis; quæ multa, ut artibus cæteris, ita huic quoque addidere.*

Quid faciat lætas segetes: quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites,
Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. Vos, ô clarissima mundi

INTERPRETATIO.

*O Mæcenas, ordiar scribere deinceps quænam res efficiat messes copiosas; quo tempore oporteat arare tellurem, et vites alligare ulmis; quæ* sit *cura boum; quæ diligentia sit* necessaria, *ut habeatur pecus; et quanta industria, ut alantur apes frugales. O vos sidera mundi splendidissima,*

### NOTÆ.

1. *Quid faciat.*] Quatuor his versibus distinguitur cultura quadruplex, *terræ, arborum, pecorum, apum:* quæ singulæ singulis libris explicantur: estque partitio totius operis.

3. *Qui cultus habendo, &c.*] Ibi supprimitur, *aptus, par, necessarius,* aut aliquid simile, quod dativum regat; ut apud Cicer. ad Att. l. 13. Ep. 10. *Solvendo non erat.* Apud Plin. *Radix est vescendo.*

4. *Apibus quanta, &c.*] Præter interpretationem jam traditam afferri potest hæc altera: Dicam quæ sit apum experientia, prudentia, ingenium, ars quædam; non usu quidem comparata, sed ingenita.

5. *Clarissima mundi Lumina, Liber, &c.*] Liberum et Cererem appellat mundi lumina annique ductores. Vel quia præsides et repertores habentur messis et vindemiæ, quæ præcipue sunt anni partes, et præcipua mundi ornamenta, unde cibus hominum et potus existit. Vel quia per eos Lunam et Solem significat. Et verò Prætextatus apud Macrob. l. 1. c. 18. fusè probat *Solem,* non Liberum et Dionysium duntaxat; sed et Jovem, et Martem, et Mercurium, et Herculem ipsum esse; *Liberum* verò dici, quòd *liberè vagetur.* Lunam item addit, ipsam esse *Cererem:* cujus nomen aliqui deducunt à *creando,* quòd ad rerum productionem plurimùm valeat. De *Libero,* Ecl. 7. 58. De *Cerere,* Ecl. 5. 79.

*quæ præsidetis anno currenti per cœlum, Bacche, et Ceres nutrix* hominum; *si homines vestro beneficio reliquerunt glandes Dodonæas* pro *frumento pingui, et miscuerunt aquam Acheloi* cum *vino reperto: et vos ô Fauni, Dii propitii rusticis; adeste ô Fauni, unà cum Dryadibus Nymphis: canto vestra dona. Et tu, cui terra* adhuc *recens produxit equum ferocem, icta magno tridente, ô Neptune: et tu qui coluisti* loca *sylvestria, cui trecenti boves candidi carpunt frutices fertiles* insulæ *Cææ: tu ipse, ô Pan Tegeææ, protector ovium; si curas Mænalum tuum, adesto propitius, relinquens nemus patriæ et sylvas Lycæi: et* tu, *ô Pallas, repertrix olivæ: et* tu, *ô puer, auctor unci aratri: et* tu, *ô Sylvane, portans à radice teneram cupressum: et* vos, *ô Dii et Deæ omnes, qui habetis curam protegendi agros; seu qui sustentatis novas fruges aliquo semine,*

Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber et alma Ceres; vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ,
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis:
Et vos agrestum præsentia numina Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellæ:
Munera vestra cano. Tuque ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune: et cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipse nemus linquens patrium, saltusque Lycæi,
Pan ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis ô Tegeææ favens: oleæque Minerva
Inventrix, uncique puer monstrator aratri:
Et teneram ab radice ferens, Sylvane, cupressum:
Dîque Deæque omnes, studium quibus arva tueri;
Quique novas alitis nonnullo semine fruges,

## NOTÆ.

8, 9. *Chaoniam glandem, &c. Acheloïa pocula, &c.*] Species pro generibus: primi enim hominum glande ad pastum, aquâ ad potum usi sunt. Celebris autem fuit inter sylvas glandiferas Dodonæa, in Epiro sive Chaoniâ: de quâ Ecl. 9. 13. Sicut inter fluvios Achelous in Ætoliâ; sive quia primus è terrâ erupit, sive quia ejus in ripâ primæ vineæ sunt consitæ, ab Œneo Ætoliæ rege, qui ex uvâ à Staphylo pastore suo repertâ liquorem expressum, Libero patri, apud se tum diversanti, cùm obtulisset, ab eo colendæ vitis accepit modum.

10. *Fauni.*] In argum. Ecl. 6. *Dryades.*] Ecl. 2. 46.

12. *Prima tellus.*] Vel recens formata; vel litoralis, quo modo G. 2. 44. *Primi lege litoris oram:* vel Attica, quia Athenienses hominum se primos et antiquissimos esse jactabant.

14. *Neptune.*] Fuit opis et Saturni filius, Jovis et Plutonis frater, cui in mundi divisione maris imperium obtigit. Uxorem habuit, Amphitriten Nerei vel Oceani filiam. Equos domuisse primus dicitur: unde fabulantur poëtæ, cùm lis inter eum et Minervam orta esset de tribuendo Athenis nomine, placuissetque Diis, ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus hominibus utilius dedisset: Neptunum percusso litore equum, bellicum animal, produxisse; Minervam hastâ impactâ olivam, pacis insigne, procreâsse: victoriamque Minervæ fuisse adjudicatam. Neptuni insigne *tridens*, ob tres orbis antiqui partes, quæ mari ambiuntur. Hoc loco invocatur, non quidem ut maris Deus; sed ut equorum auctor, de quibus libro 3. multa dicenda sunt.

*Cææ.*] Cæa, insula maris Ægæi, Cycladum una; quam, relictis Thebis, occupavit Aristæus, post laniatum à canibus Actæonem filium, ob visam in lavacro Dianam. Is Apollinis filius fuit ex Cyrene, filiâ Penei Thessaliæ fluminis: rivalis Orphei in amore Eurydices: apum et mellis usum invenit, lactisque coagulum: unde hìc invocatur. Plura vide G. 4, 317.

17. *Tua si tibi, &c.*] Sensus est: si curas Mænalum, Lycæum, et reliquos Arcadiæ tuæ montes, et sylvas, loca illa nunc relinque, ut mihi de re pastoritiâ et arboreâ dicenti præsens adsis; his enim locis et honorificus et utilis erit sermo meus. De *Pane*, Ecl. 2. 31.

18. *Tegeææ.*] Non *Tegææ*, ut quidam legunt. Constat enim *Tegea* urbs Arcadiæ, Pani sacra, brevibus syllabis Τεγέα; unde adjectivum *Tegeæus.*

19. *Uncique puer, &c.*] Vel Osiris, apud Ægyptios aratri inventor; vel potiùs Triptolemus, Celei, *Eleusinæ* urbis in Atticâ regis, filius; quem adhuc puerum nutrivit Ceres, apud patrem excepta hospitio, dum Proserpinam inquireret; cum deinde grandiorem factum agriculturam edocuit; impositumque suo currui, quem alati serpentes trahebant, misit per totum orbem, ut usum frumentorum hominibus indicaret. Eleusini incolæ, beneficii memores, Cereri, sacra instituerunt.

20. *Sylvane, cupressum.*] Ob memoriam Cyparissi pueri; qui Sylvano, aut juxta alios Apollini dilectus, cùm ex dolore occisæ à se per errorem cervæ, quam habebat in deliciis, extabuisset; ab amatore Deo in cupressum arborem est conversus. De *Sylvano*, Ecl. 10. 24.

22. *Quique novas alitis, &c.*] Sensus est; vel qui jacta ab hominibus frugum semina, occulto quodam semine, pluviâ, rore, alitis: juxta Servium; vel qui novas fruges, novo aliquo in-

Quique satis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeò, quem mox quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum est, urbisne invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam : et te maximus orbis
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat, cingens maternâ tempora myrto :
An Deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant : tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Quà locus Erigonen inter, Chelasque sequentes
Panditur : ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, et cœli justâ plus parte reliquit.
Quicquid eris (nam te nec sperent Tartara regem,

*seu qui effunditis è cœlo pluviam copiosam in segetes. Et tu præcipuè, ô Cæsar, quem dubium est quinam cœtus Deorum deinde accepturi sint; an velis perlustrare urbes, et* suscipere *curam terrarum;* an *totus orbis agnoscat te parentem frugum, et rectorem temporum, coronans tuum caput myrto matris tuæ; an evadas Deus vasti æquoris, et nautæ adorent tuam solam potentiam, tibique Thule ultima* insularum *pareat; et Tethys te comparet sibi generum omnibus aquis. An verò te adjungas* quasi *novum astrum pigris mensibus, quà patet spatium inter Virginem et brachia* Scorpii illam *sequentia. Ipse Scorpius ardens jam constringit pro te brachia, et cessit* tibi *de cœlo plus* quàm *justam partem. Quicunque* Deus *eris (nam neque inferi sperent te* sibi *regem,*

NOTÆ.

vento semine, producitis : juxta Cerdanum. Vel qui singulas frugum species conservatis; relicto semper aliquo semine, in consequentem annum superstite, quo renoventur. Legit N. Heinsius, *non ullo semine;* et sensus hic esse potest : Qui novas fruges produxistis primùm sine ullo semine.

25. *Urbisne invisere, &c.*] Multi *urbis* agnoscunt in genitivo casu. Sed vix puto Latinè dici, *invisere curam urbis;* et præthereà Probus Valerius apud Gellium, l. 13. 20. *urbis* esse vult in accusativo casu, pro *urbes;* et utrumque fuisse olim in usu ; ut *turrim* et *turrem.* Unde et plerumque legitur *urbeis,* ancipiti pronunciatione. Igitur *urbes* vel *urbis* in accusativo accipio, hoc sensu : *an velis curam terrarum, et invisere urbes.* Quod ne barbarè dictum cuipiam videatur, firmabitur hâc Horatii locutione planè simili, Od. l. 1. 2. 49. *Hìc magnos potiùs triumphos, hìc ames dici pater atque princeps.*

28. *Maternâ myrto.*] Dicatâ Veneri, matri Æneæ ; unde genus ducis, Ecl. 9. 46. De *myrto,* Ecl. 2. 54.

30. *Thule.*] Terrarum ultima quas antiqui noverint, et maximè septentrionalis versùs occidentem. Ortelius putat esse tractum illum Norvegiæ, quem incolæ *Tilemark* appellant. Camdenus *Shetlandias* insulas Oceani Caledonii, sub ditione regis Daniæ ; quas nautæ dicunt *Thylensel.* Cæteri, *Islandiam,* ejusdem ditionis maximè Borealem insulam ; ubi mons est nive perpetuâ opertus, flammis æstuans.

31. *Tethys emat.*] Tethys, Ecl. 4. 32. Allusum putat Servius Danielis ad ritus Romanos, juxta quos conjugia tribus fiebant modis ; usu, farre, et coëmptione : usu, cùm aliquo tempore simul conjuges fuerant; farre, cùm per Flaminem Dialem aut Pontificem, sparso farre sive molâ salsâ, conjungebantur : coëmptione, cùm se sub certâ verborum formulâ interrogabant; vir mulierem ; *an sibi materfamilias esse vellet :* uxor virum, *utrùm sibi paterfamilias esse vellet, &c.*

32. *Tardis te mensibus addas.*] Æstivis mensibus succedas : in locum *Libræ* inter *Virginem* et *Scorpium;* id est, in mensem Septembrem. *Tardos* vocat menses æstivos, quia dies mensium illorum longiores sunt, et mora solis in horizonte diuturnior. Unde menses ipsi, quanquam reipsâ non pigriores cæteris ; tamen hominibus, qui die præsertim inter se agunt, longiores dici possunt. Adde quòd civili dimensione, dies quilibet duodecim in horas dividitur ab ortu Solis ad occasum ; nox item duodecim in horas, ab occasu Solis ad ortum. Unde fit, ut æstivæ horæ per diem hybernis multò sint longiores, per noctem breviores ; contrà hyeme, diurnæ breves, nocturnæ longiores. Sic Martialis Ep. l. 12. 1. *Hora nec æstiva est,* id est, longa. Et Plaut. in Pseud. Scenâ ult. *Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in unâ horâ.* P. *Hyberna addita,* id est, brevi. Martinus ex Halleio se collectum habere affirmat, quòd signa, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, in ascensu cæteris signis sunt tardiora ; unde sensus poëtæ meliùs explicari potest. Vid. Martin.

33. *Erigonen.*] Icarii filiam, quæ casum patris, à temulentâ pastorum Atticorum turbâ occisi, tam graviter tulit, ut laqueo sibi vitam ademerit. Ob pietatem à Diis in cœlum translata, et *Virgo* dicta. Ita Hyginus. Quamquam alii signum illud Astræam putant, de quâ Ecl. 4. 6.

*Chelasque sequentes.*] Veteres diu *Libram* signum ignoraverunt, medium inter *Virginem* et *Scorpium :* unde *Chelas,* id est, forfices et brachia Scorpii, dicit poëta post Virginem sequi. Itaque *Libræ* loco, Scorpium in sexaginta dividebant gradus. Ovid. M. 2. 198. *Porrigit in spatium signorum membra duorum.*

35. *Justâ cœli, &c.*] Cedit tibi ex eâ parte, quam hactenus plusquàm justam ac sibi debitam obtinuit. Vel, Cedit tibi plusquàm justam cœli partem ; id est, plusquam opus sit, ut commodè sedeas ; nempe locum Libræ. Isque locus Octaviano assignatur, ex Jos. Scaligeri mente,

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis:
Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes,
Ingredere, et votis jam nunc assuesce vocari.
 Vere novo, gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit;
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit:
Illius immensæ ruperunt horrea messes.
 At priùs ignotum ferro quàm scindimus æquor,
Ventos et varium cœli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum:
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hìc segetes, illìc veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epirus equarum?

*neque tam insana cupiditas regnandi veniat tibi: Etsi Græcia admiretur campos Elysios, etsi Proserpina non curet sequi matrem, à quâ reposcitur) præbe iter facile, et fave consiliis audacibus; et ingredere mecum* viam, *miseratus rusticos inscios viæ, et jam nunc assuesce invocari per vota. Principio veris, cùm humor nivosus liquescit è montibus candidis, et gleba emollita dissolvitur Zephyro: tunc statim aratro* altè *impresso incipiat mihi taurus gemere, et vomer sulcando tritus fulgere. Illa tandem seges complet desideria cupidi agricolæ, quæ bis æstatem, et bis hyemem passa est: amplissimæ messes illius* agricolæ *rumpunt horrea. Sed antequam aremus ferro campum incognitum; cura sit prænôsse ventos, et diversam cœli rationem, et propriam culturam naturamque terrarum: et quid unaquæque regio producat et quid unaquæque neget. Hìc segetes nascuntur feliciùs, illìc vites: alibi fructus arborum, et herbæ sponte virent. Nonne vides, quemadmodum Tmolus mittit* ad nos *crocum odoratum, India ebur, delicati Sabæi suum thus; At nudi Chalybes* mittunt *ferrum, et Pontus graveolentes castorum testiculos, Epirus optimas equarum Olympicarum?*

NOTÆ.

quia natus est principio Libræ, scilicet 9. Kal. Octob. De *Tartaro*, G. 4. 482. De *Elysiis campis*, Æn. 6. 638.

39. *Proserpina.*] Jovis et Cereris filia, à Plutone rapta, à matre diu quæsita, et reperta, impetravit à Jove, ut quotannis sex mensibus apud superos, sex apud inferos degeret. Ait tamen poëta sic eam Elysii deliciis capi, ut parùm superos curet.

43. *Vere, &c.*] I. PARS. De *agri colendi variâ ratione.* Cujus I. Præceptum est, *De primâ aratione.* De *Zephyro*, Ecl. 5. 5.

48. *Bis quæ solem, &c.*] *Novale*, sive *vervactum* intelligit, agrum scilicet qui primo *vere actus*, id est, aratus, totâ quiescit æstate; tum sub finem autumni, sive veris consequentis initio, sementi paratur; ac deinde secundâ æstate fructum fert; unde bis æstatem, et bis hyemen patitur.

50. *At priùs, &c.*] II. Præceptum. De *cognoscendâ soli naturâ. Æquor.*] Terram, propriè est quælibet planities æqua, Æn. 2. 780.

56. *Tmolus odores.*] Mons Phrygiæ magnæ, in confinio Lydiæ; vini ferax, juxta Virgil. G. 2. 98. item croci, juxta Solinum, c. 53. Unde per *croceos odores* aliqui vinum intelligunt odoris croci; alii meliùs, crocum ipsum, *le saffran*, SAFFRON.

57. *India mittit ebur.*] Asiæ regio amplissima, ad occidentem Indo fluvio, ad orientem Sero item fluvio, ad meridiem Oceano Indico terminata; ad septentrionem Emodis montibus, quæ Tauri pars est, à Scythiâ separata: Gange fluvio in duas divisa partes: regnis hodie plurimis distincta. Elephantos alit Libycis multò majores, unde ebur, qui dens est Elephantinus, in Indiâ celebre.

*Thura Sabæi.*] Arabiæ Felices populi: molles dicti, vel propter aëris clementiam, vel propter odorum copiam. Eorum enim divitiæ balsamo, casiâ, myrrhâ, cinnamomo, thure præsertim constant, quod ex arbusculis instar lacrymæ guttatim fluit. Apud eos ex Plinio l. 12. 17. *Non alia ligni genera in usu sunt quàm odorata: cibosque coquunt thuris ligno, alii myrrhæ.*

58. *Chalybes nudi ferrum.*] Natio, vel Pontica, ad Thermodontem fluvium, ex Strabone; vel Hispanica, ad Chalybem fluvium, ex Justino; ferri fodinis celebrata: unde *chalybs* dictum est purissimum optiméque temperatum ferrum.

59. *Castorea.*] Castor, sive fiber, canis est Ponticus: ita dictus, quòd in Ponto frequentissimus: hujus testiculi medicos in usus expetuntur: ideóque ubi se requiri sentit, ut vitæ consulat, eos avellit morsu, et venatoribus permittit. Quod tamen meritò plerique falsum existimant. *Castorea* sunt castoris testiculi. *Virosa* dicuntur, vel à *virtute*, quia ad medicamenta adhibentur;

Continuò has leges æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplò à mensibus anni
Fortes invertant tauri: glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis solibus æstas.
At si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illìc officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hìc, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
  Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres mutato sidere farra;
Unde priùs lætum siliquâ quassante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenæ:
Urunt Lethæo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantùm

*Natura imposuit certis locis has leges, et hæc pacta perpetua, statim ab illo tempore, quo Deucalion projecit saxa in mundum desertum: unde orti* sunt *homines,* quod *est durum genus. Eja igitur, statim à prima mensibus anni, robusti tauri arent pinguem terræ planitiem: et æstas sicca torreat glebas inertes vehementi Sole. Sed si terra non sit pinguis, sufficiet eam perstringere levi sulco, circa ortum Arcturi: In illa* terrâ hoc facies, *ne herbæ noceant frugibus fertilibus; in hâc, ne modicus humor destituat infœcundam terram.* Tu *idem permittes, ut novalia demessa requiescant alternis* annis, *et* ut *ager inutilis indurescat otio. Vel* saltem *converso anno seminabis frumenta flaventia illic, unde collegeris anteà copiosa legumina folliculis strepentibus, aut parva grana viciæ, aut tenues stipulas et manipulos crepitantes lupini amari. Nam seges lini exsiccat agrum, exsiccat* quoque seges *avenæ, exsiccant papavera conciliantia somnum obliviosum. Attamen alternis annis facile erit* ea serere:

NOTÆ.

vel à *virus,* quod mediæ significationis vocabulum est, ut φάρμακον, et modò bonam, modò malam in partem sumitur: in bonam apud Statium Sylv. l. 1. 4. 104. *Omne benignè virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis, &c.* in malam passim apud reliquos. Hìc itaque gravem odorem significat, qualis tribuitur à Plinio castoreis.

59. *Eliadum palmas Epirus equarum.*] *Epirus,* olim regnum, sita inter Ionium mare, Thessaliam, Macedoniam, et Achaiam: dicta quibusdam, Albania inferior, equorum ferax. *Elis,* sive *Elea,* regio Peloponnesi maritima, inter Achaiam, Messeniam, et Arcadiam. Cujus urbes præcipuæ *Elis,* ad Peneum; et *Olympia* in agro Pisæo, ad Alpheum fluvium. Jovis Olympii templo, ludisque memorata, de quibus G. 3. 49. *Equarum* dixit, quia eas aliqui putant equis esse velociores. *Palmas equarum:* id est, equas victrices in Olympico cursu: quo modo Æn. 5. 339. *Nunc tertia palma Diores,* id est, Diores tertius victor.

62. *Deucalion.*] Ecl. 6. 41.

64. *Primis à mensibus anni.*] Januario, et Februario. Nec obstat, quod præcepit priùs, *Vere novo.* Sic enim Columella, l. 9. 2. *Neque novi veris principium sic observare rusticus debet, quemadmodum astrologus: sed aliquid etiam sumat de parte hyemis, quoniam consumptâ brumâ jam intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri.*

66. *Maturis solibus.*] *Diebus,* vel *Solis ardoribus.* Et *maturis* passivè, pro activo *maturantibus.*

68. *Arcturum.*] *Arcturus* stella est primæ magnitudinis in signo Bootæ, prope caudam ursæ majoris: unde nomen habet ab ἄρκτος, *ursa,* et οὐρὰ, *cauda:* pluvias tempestatesque portendit ortu et occasu suo. Monet Virgilius, ut sterilis terra leviter aretur sub ejus exortum *cosmicum;* qui contingit, juxta Columellam, circa 5. Septembris: juxta Plinium, circa 12. ejusdem mensis. Nunc tamen multò tardiùs, nempe non nisi initio Octobris. Exoriri autem stella dicitur *cosmicè,* cùm ascendit supra horizontem nostrum orientalem, eodem momento, quo Sol ipse.

71. *Alternis idem, &c.*] III. Præceptum inculcat, De *novatione agrorum,* sive *alternâ cessatione.* Quæ lex, si propter soli angustias servari non possit; monet ne continuis annis frumenta serant; sed alternis frumenta et legumina leviora: qualis vicia, aut lupinus. Consulit tamen, ut à lino, et avenâ, et papaveribus ibi serendis abstineant, nisi agri copiosâ stercoratione reparentur.

73. *Farra.*] *Far* purissimum et optimum frumenti genus.

74. *Siliquâ quassante legumen.*] *Siliqua,* folliculus involucrum seminis. *Quassante.*] Activè pro *quassatâ,* nimirum à vento, cujus impulsu siliquæ crepitant. Sic Æn. 1. 238. *Volventibus annis,* pro *volutis. Legumen.*] Fruges, quæ non secantur, sed manu leguntur.

75. *Viciæ, tristisque lupini.*] *Vicia,* legumen minutis et nigrantibus in siliquâ granis: *vesce,* VETCH. *Lupinus,* aliud legumen, *lupin,* cujus semina sapore amarissima: unde *tristis* dicitur.

78. *Lethæo.*] Oblivioso: à fonte inferorum *Lethe,* cujus undæ epotæ rerum omnium oblivionem inducunt: à λήθη, *oblivio,* Æn. 6. 323.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva:
Nec nulla intereà est inaratæ gratia terræ.
  Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.
Sive inde occultas vires et pabula terræ
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, et cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà succus in herbas:
Seu durat magis, et venas astringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
  Multùm adeò, rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva; neque illum
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo:
Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro:
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
  Humida solstitia atque hyemes orate serenas,
Agricolæ: hyberno lætissima pulvere farra,
Lætus ager: nullo tantùm se Mysia cultu
Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messes.
  Quid dicam, jacto qui semine cominùs arva

*modò ne pigeat fœcundare terram pingui stercore, et ne* pigeat *spargere fœdos cineres per arva exhausta. Ita etiam agri quiescunt variatis segetibus: et interim terra,* quæ *non arata* fuerit, *non caret utilitate. Sæpe etiam utile fuit accendere agros infœcundos, et cremare leves calamos igne crepitante: sive* quia *terra sumit inde secretam virtutem et pingue alimentum: sive* quia *omne ejus vitium igne consumitur, et humor nimius exsiccatur: sive* quia *calor ille aperit plures meatus et clausa spiracula, per quæ succus influat in plantas novas: sive* quia ille calor *magis indurat* terram, *et comprimit rimas apertas: ne tenues imbres, nimiusve solis ardor vel frigus penetrans Boreæ exsiccet eam. Ceterùm* ille *qui rumpit rastris glebas inutiles, aut qui trahit vimineas crates* super illas, *valdè prodest agris; nec flava Ceres frustrà illum aspicit ex alto cælo.* Valdè etiam prodest ille, *qui ducto obliquè aratro, proscindit iterum tumores* sulcorum, *quos excitaverit* primâ *agri aratione; et qui assiduè colit terram, et domat agros. O agricolæ, petito* à Diis *æstatem humidam, et hyemem siccam; frumenta copiosa* sunt et *ager fertilis* est, *ex siccitate hyemali. Nullam* aliam *ob culturam sic Mysia gloriatur, et ipsa Gargara admirantur suas segetes. Quid dicam* de eo, *qui projecto semine statim agros exercet,*

## NOTÆ.

80. *Ne saturare, &c.*] IV. Præceptum est. De *sterilitatis remediis,* quæ tria præcipuè sunt, *stercoratio, cinerum jactatio, glebarum cum stipulis incensio.*

86. *Sive inde, &c.*] Quatuor causas profert hujus incendii. Ut terra novum inde alimentum concipiat, ex eorum philosophiâ, quia omnia ex igne docebant procreari. Ut noxius humor exsiccetur. Ut densitas terræ relaxetur. Ut ejusdem raritas astringatur.

93. *Boreæ penetrabile frigus adurat.*] De *Boreâ,* Ecl. 7. 51. *Penetrabile* passiva vox, activè sumpta, pro *penetrans.* Sic Æn. 10. 481. *Aspice num magè sit nostrum penetrabile telum. Adurat.*] Vox tam frigori quàm calori attributa. Lucan. l. 4. 52. *Urebant montana nives.* Tacit. l. 13. Ann. *Ambusti artus vi frigoris.*

94. *Multùm adeò rastris, &c.*] V. Præceptum. De *agri complanatione.* Cujus duplicem exhibit modum. Alterum per occas vel rastros; *herse,* HARROW; *rateau,* RAKE. Alterum per secundum aratri impressionem, quâ recti sulci sulcis aliis obliquè ductis subiguntur. De *Cerere,* Ecl. 5. 79.

100. *Humida solstitia, &c.*] VI. Præceptum, De *exorandâ à Diis commodâ tempestate.* Commoda autem erit, si et æstas opportunis pluviis mitigetur; et hyems siccitate frigidâ ac serenâ temperetur. *Solstitia* dixit, pro æstate. Vide Ecl. 7. 47.

102. *Nullo tantùm se, &c.*] Sensus est: Nullus cultus tantùm prodest Mysiæ et Gargaris, fertilissimis regionibus, quantùm illa cœli temperies. *Mysia.*] Vel *Mœsia,* duplex; Europæa, quæ propriè Mœsia dicitur, inter Macedoniam, Thraciam, et Daciam, nunc *Serviam, Bulgariam,* et *Bessarabiam* complexa. Asiatica, quæ propriè Mysia, de quâ hìc sermo est: Asiæ minoris pars, maximè occidentalis, ad Propontidem, Hellespontum, et Ægeum mare; Troadem undecunque ambiens, nisi quâ parte Troas mari alluitur. *Gargara.*] Pars Idæ montis, et oppidum in Troade; regiones ubertate memorabiles.

104. *Quid dicam jacto, &c.*] VII. Præceptum, De *coopertione seminis. Cominùs.*] Vulgò locum notat, quasi *propè, è vicino loco;* hìc tamen signat tempus, quasi, *statim, sine morâ.* Et hanc quoque habere significationem notat Cujacius l. 11. Observ. c. 39.

Insequitur, cumulosque ruit malè pinguis arenæ?
Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentes;
Et cùm exustus ager morientibus æstuat herbis,
Ecce, supercilio clivosi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
  Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenerâ depascit in herbâ,
Cùm primùm sulcos æquant sata? quique paludis
Collectum humorem bibulâ deducit arenâ?
Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto latè tenet omnia limo,
Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.
Nec tamen (hæc cùm sint hominumque, boumque labores
Versando terram experti) nihil improbus anser,
Strymoniæque grues, et amaris intuba fibris,
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
  Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaque tellus

*et frangit globos terræ malè compactæ? Posteà inducit* in agros *consitos aquam, et rivos fluentes; et cùm terra exsiccata languet herbis arescentibus, ex improviso educit aquam ex summitate canaliculi inclinati; illa cadens raucum strepitum movet inter lapides attritos, et ebullitionibus humectat agros aridos. Quid dicam* de eo, *qui, ne calami concidant* sub pondere *plenarum spicarum, amputat superfluitatem segetum,* quando *herbæ teneræ sunt, statim atque herbæ æquales sunt sulcis? Et* de eo, *qui derivat ex terrâ bibulâ aquam* illic *collectam* instar *paludis? Præcipuè si mensibus dubiis fluvius tumefactus exundat, et undique tegit omnia limo superjecto: unde cavæ fossæ fiunt madidæ tepidâ uligine. Tamen licet hominum et boum labores experti sint hæc* omnia, *terram exercendo:* præterea *malignus anser, et grues Thraciæ, et cichorea,* cujus *radices amaræ* sunt, *nonnihil obstant; et umbra nocet. Ipse Jupiter colendæ* terræ *noluit rationem esse facilem: et primus ex arte versavit terram, excitans curis hominum animos: nec passus est sua regna languere tristi otio. Ante Jovis* tempora, *nulli agricolæ exercebant agros. Nec licebat quidem notare, aut definire terminis agros. Quærebat* cibos *in commune, et ipsa terra*

## NOTÆ.

105. *Malè pinguis arenæ.*] *Arena* sæpe pro terrâ quâlibet. Et verò G. 4. 291. pro limo Nili sumitur, qui pinguis est: *Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.* Et G. 2. 139. dicitur, *Thuriferis Panchaïa pinguis arenis.* Atque ita, *malè pinguis* non hìc est, *sterilis terra*; sed *malè, intempestivè,* et *frustrà compacta et conglobata:* potiùs legendum est *malè* in significatione *non,* ut facilè colligitur ex exemplis ab Æn. sumptis; Æn. 4. 8. *Alloquitur malè sana sororem, i. e. insana, non sana.* Æn. 2. 23. *Statio malè fida carinis, i. e. non fida, &c. &c.*

106. *Deinde satis, &c.*] VIII. Præceptum, De *irrigatione agri siccioris.*

110. *Scatebris.*] Effusionibus, ebullitionibus. *Scatebra* est à *scateo;* ut *latebra* à *lateo;* et *scateo* est *redundo, ex plenitudine effluo;* propriéque de fontibus dicitur, translativè de aliis; ut *scatentem belluis pontum,* Horat. Od. 4. 27. 26. *Scatet urtica plurimis remediis,* Plin. l. 22. 13.

111. *Quid qui, ne gravidis, &c.*] IX. Præceptum, De *noxiâ pinguedine coërcendâ.*

112. *Depascit.*] Ut calami breviores et crassiores surgant, atque adeò ferendo spicæ oneri aptiores.

115. *Incertis mensibus.*] Veris et Autumni: quando temperies nunc suda, nunc pluvia, semper dubia est.

117. *Tepido sudant, &c.*] Plerique explicant de fossis agros dividentibus, quæ aquis implentur. Ego de cavitatibus, quæ pluviæ impetu, aut aquæ insidentis pondere fiunt in agris, et uliginoso sudore diu posteà madent. *Tepido.*] Quia terra autumnali vernâque pluviâ intepescit, quo tempore generantur vermiculi, &c.

118. *Nec tamen, &c.*] Enumeratio diversarum rerum, quæ segetibus nocent. *Anser* nocet, *l'oye,* THE GOOSE: tum quia ex Colum. l. 8. 13. *Quicquid tenerum contingere potest, carpit:* tum quia ex Pallad. l. 1. 23. *Anserum stercus satis omnibus inimicum est. Grues* nocent, quia quemadmodum aves cæteræ, semina deprædantur. *Strymoniæ* dictæ quia circa Strymonem, Macedoniæ fluvium, in confinio Thraciæ, frequentes versantur. Nocet et *intibum,* vel *intybus,* olus è cichoreæ genere: vel quia radicibus serpit latiùs, vel quia ab anseribus expetitur, eosque allicit: ex Turnebo. *Umbra* denique nocet, quia, ut monet Plinius, l. 17. 12. *aliquando nutrix, aliquando noverca est.*

121. *Pater ipse, &c.*] II. PARS. De *origine agriculturæ.*

124. *Veterno.*] *Veternum* et *Veternus,* morbus est stuporem inducens, tam animi quàm membrorum: alii ad *lethargum,* alii ad *hydro-*

Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit, pontumque moveri,
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit;
Ut varias usus meditando extunderet artes
Paulatim, et sulcis frumenti quæreret herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primùm fluvii sensere cavatas:
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum: et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum fundâ jam verberat amnem,
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ;
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variæ venêre artes. Labor omnia vincit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas.
  Prima Ceres ferro mortales vertere terram

*sponte producebat omnia, nemine exigente. Jupiter adjunxit noxium venenum nigris serpentibus: et voluit lupos voraces esse, et mare agitari, et excussit mel è foliis arborum, et occultavit ignem, et stitit vinum ubique fluens in rivos. Ut experientia observando excogitaret paulatim diversas artes, et colligeret spicas frumenti è sulcis, et exprimeret ignem occultum è venis lapidum. Tunc primò flumina tulerunt arbores cavatas: tunc nauta attribuit ordinem et nomina sideribus,* appellans *Pleiadas, Hyadas, et lucidam Ursam Lycaonis* filiam. *Tunc repertum est capere feras laqueis, et decipere visco: et cingere canibus magnas sylvas. Et jam alius projicit reticulum in latum fluvium, se committens alto* fluvio, *et alius trahit è mari retia humida. Tunc* venit *durities ferri, et lamina serræ stridentis: (nam majores dividebant cuneis lignum fissile.) Tunc variæ artes prodierunt: Magnus labor superat omnia, et necessitas urgens in rerum inopiâ. Ceres prima docuit homines movere terram ferro:*

## NOTÆ.

*pisim*, alii ad *phthisim* referunt. Hìc pro otio et desidiâ sumitur.

131. *Ignemque removit.*] Non extinxit aut abstulit; sed tantùm occuluit, vel in lapidibus, vel in terræ visceribus. Illum verò quia necessarium ad humanos usus, dicitur Prometheus dolo furatus esse: ut jam narravimus Ecl. 6. 42.

138. *Pleïadas.*] Stellæ sunt septem in collo Tauri, sic dictæ, à πλέω, *navigo*, quia navigandi tempus indicant, cùm oriuntur circa æquinoctium vernum, unde dicuntur Latinis à *vere*, *Vergiliæ.* Dicuntur etiam *Atlantides*, ab Atlante Mauritaniæ rege, cujus filiæ fuerunt, ex Pleione Nymphâ. Harum nomina *Electra, Alcyone, Celæno, Sterope, Taygeta, Maia* Mercurii mater ex Jove: quæ sex dicuntur apparere, quia Deos amatores habuerunt; septima, *Merope*, quia mortali Sisypho nupsit, præ pudore latere. *Pleïadas*, hìc quadrisyllabum est; apud Ovid. Fast. 4. 169. trisyllabum: *Pleiades incipiunt humeros relevare paternos:* apud Statium Sylv. l. 3. 95. etiam primâ brevi: *Hæc per et Ægæas hyemes, Pleiadumque nivosum Sidus.*

*Hyadas.*] Stellæ sunt septem, in fronte Tauri. Sic dictæ ab ὕω, *pluo*, quia pluvias creant. Latinè *Suculæ*, ab eâdem illâ Græcâ voce: non à *suibus*, quam imperitorum esse opinionem ait Cicero, de Nat. Deor. 2. 111. Finguntur quoque Atlantis fuisse filiæ, ex Æthrâ matre: quæ cùm Hyantem, fratrem suum à leone interfectum, insolabiliter lugerent, miseratione Jovis totidem in stellas conversæ sunt: et ad pietatis memoriam, nomine fratris, et imbriferâ virtute insignitæ. Nomina: *Ambrosia, Eudoxa, Pasithoë, Corone, Plexouris, Pytho*, et *Tyche.*

*Lycaonis Arcton.*] *Ursa*, Græcè ἄρκτος, signum cœleste. Duplex est major et minor: utraque circa polum septentrionalem, qui inde vocatur Arcticus. Major vocatur etiam *Helice*, ab ἕλιξ, *circumvolutio*, quia circa polum volvitur majori circuitu, quàm minor. Minor vocatur *Cynosura*, à κύων, *canis, et* οὐρά, *cauda;* majorem nautæ Græci, minorem nautæ Phœnices intuebantur. Major fuit Lycaonis Arcadiæ regis filia, Callisto dicta: quæ à Jove amata, à Junone in ursam conversa est; eâque sub formâ cùm ab Arcade filio, quem ex Jove susceperat, propè esset occidenda, in cœlum à Jove cum eodem filio rapta est: et ipsa quidem in sidus ejusdem nominis, filius in Bootem sive Arctophylacem mutatus est. Minor ursa Nympha fuit è nutricibus Jovis in grati animi testimonium eò translata. De majore hìc sermo est.

141. *Fundâ.*] Reticulum est quod in amnem projicitur, à *fundendo* dictum, inquit Servius: melius à *fundo*, ut Taubmannus suggerit. *Humida lina.*] Retia è lino contexta.

143. *Ferri rigor.*] Ars indurandi ferri, et sub hâc specie artes metallicæ omnes exprimuntur.

146. *Improbus.*] Id est, juxta Servium, *magnus:* juxta Pomponium, *continuus;* juxta Ascensium, *modum nesciens*, et quasi *insatiabilis:* juxta Ramirem, *improbatus:* juxta alios, *incommodus, importunus, difficilis.* Eodem omnes ferè recidunt. Sic Æn. 12. 687. *Fertur in abruptum magno mons improbus actu.*

Instituit: cùm jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus; ut mala culmos
Esset rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus: intereunt segetes, subit aspera sylva,
Lappæque, tribulique: interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.
Quòd nisi et assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius frustrà spectabis acervum,
Concussâque famem in sylvis solabere quercu.
  Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma:
Queis sine, nec potuere seri, nec surgere messes.
Vomis, et inflexi primùm grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheæque, et iniquo pondere rastri:
Virgea præthereà Celei vilisque supellex,
Arbuteæ crates, et mystica vannus Iacchi.

*cùm jam glandes et arbuta sacræ sylvæ deficerent, et Dodona recusaret cibos. Deinde addita est frugibus* materies *laboris:* nempe *ut noxia rubigo absumeret calamos, et carduus inutilis horresceret in agris: segetes emoriuntur, succedit copia* herbarum *asperarum et lappæ, et tribuli; et infelix lolium, sterilesque avenæ regnant per arva pinguia. Quòd nisi et assiduè terram proscindas rastris, et terreas volucres sonitu, et amputes falce ramos arborum ruris umbrosi, et precibus obtinueris pluviam: heu, frustrà videbis magnum acervum alterius, et* cogêris *subvenire fami succutiendo quercum in sylvis. Dicendum* est *quoque, quæ sint instrumenta durorum agricolarum: sine quibus segetes nec seminari, nec crescere possunt. Primò vomer, et gravis moles curvi aratri, et plaustra Cereris matris difficilè volubilia, et tribula, et traheæ, et rastri magni ponderis. Prætereà vilis et viminea supellex Celei, crates ex arbuto, et sacra vannus Bacchi.*

## NOTÆ.

147. *Prima Ceres.*] Suprà v. 19. *Arbuta.*] Fructus arbuti, Ecl. 3. 82. *Dodona.*] Sylva in Epiro: suprà v. 8. et Ecl. 9. 13.

151. *Rubigo.*] Vitii genus, quo culmi nigrescunt; *nielle*, MILDEW. Ex nebulâ nascitur: vel ex pluviâ aut rore, cùm è spicâ non decutitur, sed Solis superventu putrescit. Hinc apud Romanos *Robigus* Deus, et *Robigalia* festa x. Kal. Maias, ad avertendam hanc pestem.

152. *Aspera sylva.*] Usurpatur et pro *arundinibus*, Æn. 10. 710. *Sylvâ pastus arundineâ.* Pro *capillis*, apud Juvenal. S. 9. 13. *Horrida siccæ sylva comæ.* Pro *leguminibus*, suprà v. 76. *Tristisque lupini sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.* Pro *verbis*, apud Cicer. de Orat. 3. 103. *Sylva rerum et sententiarum comparanda est.* Igitur significat translativè, *copiam* multarum rerum. Et usu venit, ut poëtæ congeriem breviorum poëmatum, diversi carminis et argumenti, *sylvas* vocarent: immò et singulatim eorum unumquodque *sylvam.* Tales habemus Statii Papinii *Sylvarum* libros quinque.

153. *Lappæque, tribulique, &c.*] *Lappa, glouteron, bardane*, BURDOCK; herba, capitula ferens hamis aspera; quæ vestibus prætereuntium adhærent. *Tribulus*, herba item floribus aculeatis. Gallico nomine caret. *Lolium*, ζιζάνιον, *de l'yvraie*, COCKLE. *Nitentia culta.*] Loca culta et pinguia: *nitere* enim dicuntur vulgò quæ pinguia sunt. Pari formâ dicet infra, v. 393. *Aperta serena*, id est, spatia aëris serena et aperta.

157. *Umbras.*] Ramos: sic infrà v. 191. *At si luxuriâ foliorum exuberat umbra.*

160. *Dicendum, &c.*] III. PARS. De *rusticis instrumentis.* Aratrum, *la charrüe*, THE PLOUGH. Vomis vel vomer, ferrum aratri terram secans; *le soc de la charrüe*, THE PLOUGH-SHARE. Plaustrum, *charrete*, A WAGGON. Tribulum, tabula ferro asperata, quâ terebantur fruges: nunc sine nomine. Trahea, vel traha, genus vehiculi sine rotis; *traineau*, A SLEDGE. Rastrum, in plurali, *rastri* vel *rastra*, ferreis aut ligneis dentibus armatum; *rateau*, A RAKE. Virgea supellex, *panniers d'osier*, WICKER-BASKETS. Crates, *claye*, A HURDLE, ex arbuto arbore contexta, Ecl. 3. 82. Vannus, cribrum vel ventilabrum frumentarium; *crible*, A SIEVE; *van*, A WINNOWING MACHINE.

162. *Grave robur aratri.*] *Robur*, vel est aratri moles et pondus ipsum, quod durum ac robustum est: sic Æn. 7. 609. *Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri robora.* Vel est lignum quodcunque, unde aratrum fabricatur; sic enim aliquando *robur* sumitur, pro ligno quovis duriore: infrà, v. 175. *Et suspensa focis explorat robora fumus.* Sumitur etiam aliquando pro specie arboris è querceo genere.

163. *Tardaque Eleusinæ, &c.*] Plaustra, quorum rotæ non erant radiatæ, sed instar tympanorum è solidis tabulis, atque ita axi impactæ, ut unà cum eo volverentur. Tali vehiculo simulacrum Cereris circùm agros ducebatur: adhibebatur etiam ferendis aliis oneribus. Ejus usus, tam in sacris Cereris, quàm in re frumentariâ, ab Eleusi, Atticæ urbe, ubi regnavit Celeus, suprà v. 19. *Volventia.*] Passivè significat, ut Æn. 1. 238. *Volventibus annis*, id est, revolutis, volubilibus.

166. *Mystica vannus Iacchi.*] Mystica, id est,

Omnia quæ multò antè memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuò in sylvis magnâ vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic à stirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur et tilia antè jugo lævis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus à tergo torqueat imos:
Et suspensa focis explorat robora fumus.
  Possum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, et cretâ solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat.
Tum variæ illudunt pestes: sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.
Inventusque cavis bufo, et quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.
  Contemplator item, cùm se nux plurima sylvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentes:
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuriâ foliorum exuberat umbra,

*Quæ omnia memineris multò antè parare et servare: si te spectat vera laus beati ruris. Principio in sylvâ, magnâ vi inflexa, subigitur ulmus in burim, et capit formam curvi aratri. Huic* buri jungitur *per imam partem temo extensus in octo pedes, accommodantur binæ aures et dentalia* quæ habent *duplex dorsum. Amputatur quoque priùs tilia levis ad jugum, et fagus alta, et stiva, quæ regat posteriorem aratri partem: et fumus probat ligna* illa *suspensa ad focum. Possum enarrare tibi multa antiquorum præcepta, nisi nolis, et* te *tædeat discere minima quæque. Præcipuè* oportet *complanare aream magno cylindro, et manu tractare* terram, *et firmare cretâ tenaci: ne herbæ nascantur, et ne* area *siccitate resoluta rimas agat. Præthereà varii hostes nocent: sæpe parvus mus facit domum sub terris, et struit horrea: aut talpæ privati oculis fodiunt cubilia: et bufo in cavernis reperitur, et multa* alia *animalia quæ terra producit: et curculio, et formica providens egenæ senectuti, corrodunt magnum cumulum frumenti. Prætereà contemplare, cùm in sylvis multa nux vestiet se floribus, et demittet ramos odoriferos: si flores plures sint* quàm folia, *similiter frumenta succedent; et veniet magna ubertas, cum magno calore. At si rami abundent nimiâ copiâ frondium,*

## NOTÆ.

in mysteriis Bacchi adhibita. Vel quia Isis dicitur cribro imposuisse membra Osiridis, sive Bacchi, à Typhone dilaniata. Vel potiùs quia Baccho primitias frugum in vanno rustici offerebant. De *Iaccho*, Bacchi nomine, Ecl. 6. 15.

169. *Continuò in sylvis, &c.*] Aratri descriptio. *Ulmus, orme,* ELM, apta ejus materia. *Buris,* aratri curvatura, et præcipua pars aratri, cui cætera aptantur. *Temo,* qui usque ad jugum, inter boves aut equos extenditur. *Dentalia,* quibus vomer infigitur et imponitur: dicuntur *dorso duplici,* id est, ut vulgò explicatur, *lato,* et *crasso:* ut G. 3. 87. *At duplex agitur per lumbos spina:* vel quia reipsâ duplex habent latus. *Aures,* annexi circa vomerem asserculi, quibus sulcus amplior fit. *Jugum,* quo domantur alligati equi aut boves: idque, vel ex tiliâ, arbore levissimâ, *tilleul,* LINDEN, or LIME-TREE; vel ex fago, *hêtre,* BEECH, de quâ Ecl. 1. 1. *Stiva,* pars quam agricola manu tenet, ad regendum aratrum; *le manche,* THE HANDLE.

174. *Currus torqueat imos.*] Aratrum, quod quibusdam in regionibus instruitur rotis. *Imos.*] Posteriorem aratri partem, quæ idcirco *ima* est, quia vomerem continet, atque ita magis in terram propendet.

175. *Explorat robora fumus.*] Probatæ enim soliditatis ea sunt ligna, quæ fumo exposita rimas non agunt. Suprà v. 162.

178. *Area cum primis. &c.*] Instrumentis rusticis annectit Præceptum, De *parandâ ad fruges terendas areâ; l'aire,* THE BARNFLOOR. *Cylindro.*] Lapide rotatili et tereti, id est, longo ac rotundo, in modum columnæ; à κυλίνδω, *volvo.*

179. *Cretâ.*] Terrâ argillosâ ac tenaci.

180. *Pulvere.*] Siccitate, quæ pulverem creat: ita suprà, v. 101. *Hyberno lætissima pulvere farra.*

181. *Exiguus mus.*] Mus rusticus ac subterraneus, *mulot,* A FIELD-MOUSE.

184. *Bufo.*] *Crapaud,* A TOAD.

186. *Curculio.*] Vermis frumenta corrodens: dictus quasi *gurgulio,* quia nihil in eo ferè præter guttur; *calendre, charenson,* A WEAVEL.

187. *Nux.*] Nucis variæ sunt species: amygdalam hìc intelligunt rei rusticæ scriptores, cujus flores fertilitatis indicium esse statuunt.

190. *Tritura.*] Terendi actio, et hìc pro fertilitate usurpatur: ubi enim multæ fruges, ibi multâ opus est triturâ.

Nequicquam pingues paleâ teret area culmos.
  Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro priùs et nigrâ perfundere amurcâ,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.
Et quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, et multo spectata labore,
Degenerare tamen; ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retrò sublapsa referri.
Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit: si brachia fortè remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
  Præterea, tam sunt Arcturi sidera nobis
Hœdorumque dies servandi, et lucidus Anguis,
Quàm quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus, et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Necnon et lini segetem, et Cereale papaver,

*frustrà conteres in areâ manipulos, paleâ crassos. Ego quidem vidi multos satores condire semina, et spargere priùs nitro ac nigrâ amurcâ, ut grana majora essent in folliculis* vulgò *inanibus. At licèt modico igne madefacta properarentur, tamen vidi ea, diu electa, et magnâ curâ explorata, degenerare: nisi hominum industria singulis annis eligeret maxima quæque* grana. *Sic* vidi *omnia vi fatorum abire in pejus, et retrò acta converti. Perinde ac ille, qui contrario flumine ægrè impellit remis cymbam: si fortè remittat brachia, statim impetus rapit illum in profluentem, quà propendet fluvius. Præterea, nos* agricolæ, *tam debemus stellam Arcturi observare, et dies Hœdorum, et splendidum Draconem; quàm* ii *qui, vecti in patriam per ventosum mare, exponunt se Hellesponto, et freto Abydi ostriferi. Quando Libra fecerit horas diei et noctis æquales, et jam distribuet medium mundum luci ac tenebris: exercete tauros, ô agricolæ, seminate hordea in agris, usque ad ultimas circiter pluvias duræ brumæ. Tempus quoque est abscondere terrâ segetem lini, et papaver Cereris,*

## NOTÆ.

192. *Pingues paleâ.*] Alii legunt *paleæ:* et referunt ad *culmos, paleæ culmos;* meliùs alii cum Servio *paleâ* in ablat. et referunt ad *pingues;* sensusque est: culmos, non granis et fructu, sed inutili paleâ pingues fore.

193. *Semina vidi, &c.*] Aliud addit præceptum, De *seminum curâ.* Quâ de re duo consulit, medicationem, et majorum electionem seminum, sed istud magis.

194. *Et nitro priùs et, &c.*] Nitrum, succus calidæ naturæ, sali affinis; frequens in eâ Egypti regione, quæ inde *Nitria* vocata est. Fitque, vel Nili aquâ, vel pluviâ Solis ardore concoctâ lapidis in modum. Vulgò sal petræ dicitur, *salpetre;* sed malè. *Amurca,* fæces olivarum, sive sedimentum et sordes olei.

195. *Fallacibus.*] Vulgò enim leguminum folliculi, laxiores et ampliores, minima grana continent.

196. *Properata maderent.*] Madescunt propter humorem vi caloris eductum: atque ita fieri dicitur, ut citiùs crescant semina.

203. *Atque.*] Hìc significat *statim,* ut explicat Gellius, l. 10. 29.

204. *Præterea, &c.*] IV. PARS. De *temporibus operum rusticorum.* Monet tam esse agricolis observanda sidera, quàm nautis: ea præsertim quæ tempestates cient, ut *Arcturus,* de quo v. 68. *Hœdi;* stellæ duæ in humero Aurigæ, sive Erichthonii. *Anguis,* nempe septentrionalis: nam triplex est, unus ad septentrionem, alter in Ophiucho sub æquatore circulo, tertius ad austrum: de ultimo hìc sermonem esse putat Servius: de primo cæteri omnes, qui nobis magis est conspicuus.

207. *Pontus et ostriferi, &c.*] Plerique *Pontum* intelligunt *Euxinum,* latissimum illum maris sinum, inter Propontidem et Mœotidem paludem. Ego de *Hellesponto* accipio, *détroit de Gallipoli,* cujus in angustissimâ parte duæ sunt arces, mille passuum trajectu dissitæ, *Sestos* in Europâ, *Abydos* in Asiâ, *les Dardanelles.* Totum illud litus ostreis ferax; unde Ennius: *Mures sunt Æni, ast aspera ostrea plurima Abydi.*

208. *Libra die, &c.*] I. Præceptum, De *satione hordei, lini, papaveris.* Ab æquinoctio autumnali, sive principio *Libræ,* ad extremos usque *brumæ* dies. Ubi *bruma,* non pro totâ hyeme, sed pro hyberno solstitio ponitur, quod cadit in extremum Decembrem: atque ita Virgilium explicat Plinius, l. 18. 24. *Die.*] *Diei;* antiquorum more, qui sic genitivum illum efferebant. Probat enim exemplis Gellius, lib. 9. 14. ab iis dictum esse, *hujus dies, hujus dii, hujus die;* quod nunc est, *hujus diei.*

212. *Cereale papaver.*] Sic dictum: vel quia inventum à Cerere, juxta Eusebium de Præpar. Evang. l. 3. Vel quòd eo Ceres usa fuerit, ad oblivionem doloris de amissâ Proserpinâ, juxta Servium. Vel quòd simulacra Cereris illud in manu gestarent, juxta Brodæum et Turneb. Vel quòd frequens nascatur in segetibus, quæ in Cereris tutelâ sunt, juxta Probum. Vel potiùs quia *papaveris candidi semen tostum, in secundâ mensâ cum melle apud antiquos dabatur, et panis rustici crusta eo inspergebant,* juxta Plin. l. 19. 8.

Tempus humo tegere, et jamdudum incumbere aratris:
Dum siccâ tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio: tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci; et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, et averso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnossiaque ardentis decedat stella Coronæ,

*et quamprimùm incumbere aratris: dum terra sicca* id *permittit, et nubes* pluviæ *suspensæ sunt. Vere* sit *sementis fabarum: tunc etiam sulci molles excipiunt te, ô Medica: et redit annuus cultus milii, quando Taurus fulgens aureis cornibus inchoat annum: et Canis occidit, dans* locum *sideri retrogrado. Quòd si præparas terram ad segetem tritici et far robustum, et soli frumento intentus es: Pleiades tibi occidant matutinæ, et ardens stella coronæ Ariadnes recedat prius;*

## NOTÆ.

idque ad delicias et famem excitandam: unde *vescum papaver*, id est, *edule* dicitur G. 4. 131.

214. *Dum siccâ tellure licet, &c.*] Plerique post Servium interpretantur: Antequàm pluat, dum imber imminet, necdum venit pluviosa tempestas. Ego sic: Quoties, in illâ ipsâ pluviosâ tempestate, terra erit paulò siccior, et imber suspensus. Et verò poëta sationem illam assignat Autumno, cujus ultima pars pluviosa est: eandemque sationem profert *usque sub extremum brumæ imbrem:* non igitur jubet prævenire tempestatem imbriferam; sed illius tempestatis eos eligi dies, qui sicci magis ac sereni erunt.

215. *Vere fabis, &c.*] II. Præceptum, De *tempore serendæ fabæ, medicæ, milii. Medica*, herba est, in Græciam à Medis advecta, per bella Persarum, quæ Græcis Darius intulit: similis trifolio, optimum animalium pabulum, *grand trefle, ou foin de Bourgogne*, CLOVER; semel sata, dicitur durare tricenis annis à Plin. l. 18. 16. Unde hìc opponitur milio, *au millet*, cujus est *annua cura*, quia singulis annis serendum est.

217. *Candidus auratis, &c.*] Tempus illius sationis assignat, non initium veris, sed ver jam adultum; quando *Canicula*, sive *Sirius*, quæ stella est in ore Canis majoris, occidit *acronycè* cum Sole, apud Taurum tunc existente; id est, quando Sirius descendit infra horizontem nostrum occidentalem; eodem momento, quo Sol in Tauro existens infra eundem horizontem descendit. Hic est enim occasus *acronycus*, ab ἄκρος, *extremus*, et νύξ, *nox*, quia fit in primo noctis termino, seu initio. Porrò occasus ille Canis exeunte Aprili tum contingebat, nunc multò tardiùs.

*Aperit cùm cornibus annum Taurus.*] Annum fuisse apertum ab *Ariete* sive mense Martio, vulgare est; Virgilius tamen aperire ait à *Tauro*, sive mense Aprili: vel quòd respexerit ad etymon Aprilis, qui ab *aperiendo* dictus est, quia tunc aperiuntur omnia molliori tempestate: vel quòd, ut ait Jos. Scaliger, locutus sit ex mente Hesiodi et Bœotorum, qui annum suum, non ab ortu Arietis, sed ab ortu Vergiliarum, sive Pleiadum in Tauro, inchoabunt.

*Auratis cornibus.*] Stigelius alludi putat ad morem Romanorum, qui triumphalium taurorum cornua inaurabant. Ego sic dici puto, quia lucidissimam in utroque cornuum acumine stellam *Taurus* gerit; alteram secundæ, alteram tertiæ magnitudinis.

218. *Averso cedens Canis occidit astro.*] Ita corrigit è MSS. N. Heinsius, cùm anteà legeretur, *adverso*, difficili et ambiguo sensu, nunc plano. *Aversum* enim astrum, est *Navis Argo*, ponè Canem sequens; et post eum occidens: illa autem, contra navium morem, aversa et posteriore sui parte incedens in cœlo describitur, puppe scilicet, non prorâ.

219. *At si triticeam, &c.*] III. Præceptum, De *tempore serendi tritici et farris:* quæ dicuntur *robusta:* tum quia frumenta omnia multò plus habent, quàm legumina, virium: adeóque terrum exigunt multò pinguiorem: tum quia inter ipsa frumenta primum locum tenent *far* et *triticum.*

221. *Antè tibi Eoæ, &c.*] Tempus illud assignat ex duplici indicio: nempe post occasum *cosmicum* matutinum *Pleiadum* et ortum *heliacum* matutinum *Coronæ* septentrionalis; id est, quando Pleiades descendunt infra horizontem nostrum occidentalem: eo momento, quo Sol ascendit supra horizontem nostrum orientalem: et quando Corona septentrionalis satis distat à Sole, ut posset expedire se è fulgore Solis, et paulò ante ejus ortum, in horizonte orientali apparere; quod utrumque contingebat Virgilii ætate sub extremum Octobrem, nunc autem longè tardiùs. Occasus *cosmicus* dicitur à κόσμος, *mundus;* ortus *heliacus*, ab ἥλιος, *Sol. Atlantides.*] Pleiades, Vergiliæ, v. 138. *Eoæ.*] Non *orientales* hoc loco, quia agitur de earum occasu versùs horizontem occidentalem; sed *matutinæ*, quia occasus ille manè contingit: ab ἠώς, *aurora*, diluculum.

222. *Gnossia.*] Cretica. *Gnossus* oppidum est Cretæ insulæ, in quâ regnavit Minos pater Ariadnes: quæ à Theseo rapta, ab eodem relicta in insulâ Naxo, nupsit deinde Baccho: quibus in nuptiis, cùm à Diis omnibus dona accepisset, imprimisque coronam à Venere: coronam Bacchus, sive juxta alios ipsam Ariadnen, in cœlum transtulit.

*Decedat.*] Non à nobis, quibus tunc incipit

Debita quàm sulcis committas semina, quámque
Invitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cœpere: sed illos
Expectata seges vanis elusit aristis.
Si verò viciamque seres, vilemque faselum,
Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis;
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco
Semper Sole rubens, et torrida semper ab igni:
Quam circùm extremæ dextrâ lævâque trahuntur,
Cæruleâ glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm, et via secta per ambas,

*quàm deponas* in *sulcis semina debita, et quàm properes committere spem anni terræ repugnanti. Plurimi inceperunt ante occasum Pleiadum, sed messis sperata fefellit eos inanibus spicis. Si autem seminas viciam, et vilem faselum; neque dedignaris cultum lentis Ægyptiæ; Bootes occidens dabit tibi signa non dubia: incipe* tunc, *et profer sationem usque ad mediam hyemem. Ideò Sol aureus gubernat per duodecim mundi signa orbem distributum in certas partes. Quinque zonæ occupant cœlum, quarum una semper rubet fulgente Sole, et semper incalescit ab* ejus *ardore. Circa illam, ad dextram et ad sinistram* duæ *ultimæ ducuntur: rigentes glacie cæruleâ, et nigris pluviis. Inter illas et mediam, duæ beneficio Deorum datæ sunt miseris hominibus; et orbita scissa est inter has duas,*

## NOTÆ.

fieri conspicua ante ortum Solis; sed à Sole, cui anteà cùm esset vicinior, nobis manè non apparebat, quia tunc ejus nimiâ luce delebatur.

225. *Ante occasum Maiæ.*] Monet ad sationem non esse præveniendum occasum Vergiliarum: quarum unam appellat pro omnibus, nempe *Maiam*, quæ Mercurium ex Jove peperit in Cyllene monte Arcadiæ.

227. *Si verò viciamque, &c.*] IV. Præceptum, De *tempore serendæ viciæ, faseli, et lentis.* Vicia, *vesce*, VETCHES. Faselus, *faisolle*, KIDNEY-BEANS. Lens, *lentille*, LENTILS: frequens in Ægypto, præsertim apud *Pelusium* oppidum, à quo extremum è septem Nili ostiis, Pelusiacum dictum est.

229. *Cadens mittet tibi signa Bootes.*] Tempus hujus sationis consignat casu Bootæ. Sed dubitatur quo Bootæ casu. Duplex enim huic sationi convenire potest *cosmicus*, et *acronycus: cosmicus*, cùm descendit Bootes infra horizontem occidentalem, eo momento quo Sol ascendit supra orientalem: quod contingebat tunc initio Martii: *acronycus*, cùm descendit infra horizontem occidentalem, eodem momento quo Sol ipse; quod contingebat initio Novembris. Et verò Plinius, l. 18. 15. triplicem agnoscit viciæ sationem: primam circa occasum Arcturi, quem indicat mense Decembri priorem esse: secundam circa mensem Januarium: tertiam circa Martium. Igitur primæ sationi conveniet occasus Arcturi, sive Bootæ, *acronycus:* tertiæ *cosmicus.* Hujus itaque, et proximè consequentis versûs, hic sensus est: Incipe primam sationem à casu *acronyco* Bootæ, mense Novembri; et extende, sive remitte, secundam sationem usque ad mediam hyemem, mensemque Januarium. Tertiam sationem mensis Martii, quæ convenit cum occasu Bootæ *cosmico*, videtur poëta non admittere. De *Arcturo*, v. 68. De *Bootâ*, in quo Arcturus est, v. 138.

233. *Quinque, &c. Zonæ.*] *Zona*, ζώνη, Latinè *cingulum, fascia:* quintuplex est; sic dicta, quia mundum zonæ instar circumcingit. Media torrida, inter utrumque tropicum comprehensa, semper itineri subjecta Solis, qui nunquam ex eâ excurrit: extremæ duæ frigidæ, circulis polaribus, polisque definitæ: duæ temperatæ, inter torridam et frigidam hinc inde interjectæ.

238. *Via secta, &c.*] *Zodiacus*, circulus obliquus, in quo duodecim signa cœlestia spatiis æqualibus descripta sunt. De eo ista quinque notanda. I. Dividitur in partes, sive gradus 360. signa singula in gradus 30. è quibus unum circiter gradum singulis diebus motu proprio Sol conficit, ab occidente in orientem procedendo: atque ita uno circiter anno duodecim signa decurrit. Intereà cum communi motu, qui raptus dicitur, ab oriente in occidentem procedendo, quatuor et viginti horarum spatio orbem terrarum circuit. II. Signorum ordo et nomina his versibus continentur:

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
*Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*

Quæ quia maximâ ex parte animalia sunt, hinc circulus *Zodiacus* appellatur, à ζώδιον, *animal.* III. Mensi *Martio* respondet *Aries:* in quem ingredi Sol dicitur circa vigesimum Martii, signumque totum decurrere, usque sub vigesimum Aprilis; quo tempore in *Taurum* subit: atque ita ferè de cæteris. IV. *Obliquus*, dicitur quia non distat æqualiter à polis: sed per zonam torridam transversus utrumque tropicum attingit, et æquatorem circulum bis secat. Attingit, in primo gradu Cancri, tropicum septentrionalem, qui inde *Tropicus Cancri* dicitur: attingit in primo gradu Capricorni tropicum meridionalem, qui inde vocatur *Tropicus Capricorni.* Secat æquatorem in primo gradu Arietis, et in primo gradu Libræ. V. Cùm Sol pervenit ad tropicum Cancri, circa 21. Junii; tunc nobis est æstas

Obliquus quà se signorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces
Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi.
Maximus hìc flexu sinuoso elabitur Anguis
Circùm, perque duas in morem fluminis Arctos;
Arctos, Oceani metuentes æquore tingi.
Illìc, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, et obtentâ densantur nocte tenebræ:
Aut redit à nobis Aurora, diemque reducit;
Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illìc sera rubens accendit lumina Vesper.

*quà ordo* duodecim *signorum obliquè se volveret. Sicut mundus sublimis attollitur versus Scythiam et montes Riphæos;* ita *deprimitur inclinans in Austrum Africæ. Hic polus semper nobis altus est: sed illum Styx nigra, et umbræ infernæ vident sub pedibus. Ad polum* superiorem *maximus Draco volvitur flexu sinuoso, in modum fluvii, circa* polum, *et inter duas Ursas: Ursas, quæ timent lavari aquis Oceani. Ad polum* inferiorem, *aut profunda nox semper silet, ut aiunt, et tenebræ densantur offusâ nocte; aut Aurora, à nobis* recedens, *illuc revertitur, et refert lucem; et cùm primus oriens nos afflat equis anhelantibus, illìc rubens Hesperus accendit sidera serotina.*

## NOTÆ.

summa, sive *solstitium:* cùm ad tropicum Capricorni, circa 21. Decembris; tunc hyems summa, sive *bruma:* iique tropici dicuntur à τρέπω, *verto:* quia Sol, quando eorum alterum attigit, ad alterum vertit cursum. Cùm verò Sol pervenit ad sectionem Arietis, sub 20. Martii; tunc est *Æquinoctium Vernum:* cùm ad sectionem Libræ, 23. Septembris, tunc est *Æquinoctium Autumnale.*

240. *Mundus ut, &c.*] Nunc de polis disserit; qui sunt puncta duo circa quæ mundus volvitur, à πολέω, *verto,* unde à Latinis *vertices* appellantur. De iis tria dicit. I. Duos esse, nempe Borealem, et Australem. II. Borealem semper à nobis videri, Italis, Gallis, &c. Australem nunquam à nobis videri: sed ab iis quos appellamus *antipodas:* Virgilius *manes profundos,* ex ignaræ vetustatis mente, quæ sedem illam inferis tribuebat. III. Utrumque polum describit: Borealem quidem à cœlestibus signis, quæ inde apparent, *Dracone* præsertim et *Ursâ* geminâ: de Australi, utpote ignoto, conjicit; aut Solem à nobis recedentem illuc abire, aut illìc noctem esse perpetuam.

*Scythiam, Ripheasque arduus arces.*] De *Scythiâ,* per quam intelligit partes mundi septentrionales, Ecl. 1. 66. *Arces.*] Montes ab ἄκρος *summus.* Sic G. 4. 461. *Flêrunt Rhodopeiæ arces. Riphæi.*] Montes Sarmatiæ Europææ, nunc *Muscoviæ:* porrecti versùs Oceanum Scythicum, ad usque ostia *Obii* fluvii: à quibusdam nunc appellantur *Stolp.*

241. *Libyæ devexus in Austros.*] Partes mundi meridionales designat per ventum, qui inde fiat, *Austrum:* de quo Ecl. 2. 58. Deinde per ipsam *Libyam,* terrarum antiqui orbis, versùs polum illum, remotissimam. Certè *Libya* vulgò apud veteres pro totâ Africâ sumitur, à Libyâ Epaphi filiâ, quæ huic nomen suum dedit: propriè tamen Africæ pars est ea, quæ mari Mediterraneo, Ægypto, Tripolitanâ regione, et Æthiopiâ circumcluditur: nunc regnum et desertum *Barca.*

243. *Styx atra.*] De *Styge* inferorum fluvio, aut palude, Æn. 6. 323. De *Manibus,* sive umbris, Ib. 743.

244. *Anguis, &c.*] Sive *Draco,* custos horti Hesperidum à Junone constitutus, et ab eâdem in cœlum translatus, cùm ab Hercule occisus esset, Ecl. 6. 61. Is circa polum vertitur: et majorem Ursam caudâ attingit, minorem corpore complectitur.

246. *Arctos Oceani, &c.*] Ursas geminas quæ nunquam descendunt infra horizontem nostrum; quia viciniores polo septentrionali, qui semper nobis attollitur: ideò dicuntur nusquam *æquore tingi,* id est nusquam occidere; more poëtarum, qui solem et astra, cùm occidunt, in Oceanum decumbere fabulantur. Ovidius verò Fast. 2. 191. de majore Ursâ causam affert, odium Junonis: quæ, cùm eam in cœlum admissam doleret, Tethyn rogavit, ne unquam aquis eam suis lavari permitteret. De *Arcto* utrâque, v. 138.

*Metuentes æquore tingi.*] Id est, nunquam tingendas. Et est familiaris poëtis locutio. Sic Horat. Od. 2. 2. *Illum aget pennâ metuente solvi fama superstes:* id est, nunquam solvenda.

247. *Intempesta silet nox.*] Quasi *intempestiva* et ad agendum incommoda: definit enim eam Varro l. 5. L. L. *cùm tempus agendi est nullum.*

249. *Aurora.*] Titanis et Terræ filia, Memnonis mater, ex Tithono, Laomedontis Trojani regis filio, quem sic amavit, ut eum senem herbarum virtute ad juventutem revocaverit. Amavit et Cephalum. Roseos ei digitos tribuit Homerus: roseos equos alii, sive bigas, sive quadrigas, quibus aperire diem et Solem præcurrere dicitur: idque ob colorem subrubentem et auream, in quem desinit sæpe matutinum crepusculum. Unde et *Aurora* vocata est, ab *aura,* juxta Varronem.

250. *Equis oriens afflavit, &c.*] Sol perfudit halitu et afflatu equorum, qui quatuor ipsi à poetis assignantur; *Pyrois,* à πῦρ, *ignis; Eous,* ab ἠώς, *Aurora; Ethon,* ab αἴθω, *ardeo; Phlegon,* à φλέγω, *comburo.*

251. *Accendit lumina Vesper.*] Vesper, pri-

Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus: hinc messisque diem, tempusque serendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat; quando armatas deducere classes,
Aut tempestivam sylvis evertere pinum.
Nec frustrà signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber;
Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem, cavat arbore lintres:
Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubeâ texatur fiscina virgâ:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.

*Ex his possumus prænoscere tempestates, cœlo incerto: ex his, et tempus messis, et tempus sationis: et quandonam opportunum sit agitare remis infidum mare: et quandonam* opportunum sit *deducere classes armatas, aut cædere in sylvis pinum tempestivam. Nec frustrà consideramus ortus et occasus siderum, et annum dimensum* æqualiter *in quatuor tempestates. Si aliquando pluvia frigida retinet* domi *agricolam;* tunc *licet multa præparare, quæ posteà festinanter facienda essent sudo tempore. Arator exacuit duram aciem vomeris hebetati, cavat naviculas è ligno: vel imponit notas pecudibus, vel numeros cumulis* frugum. *Alii acuminant palos, et furcas bicornes, et præparant Amerina ligamina vineæ flexili. Modò conficite leves canistros è vimine rubeo: modò coquite igne frumenta, modò ea terite saxo. Quin etiam fas et leges permittunt facere res aliquas festis diebus: nulla religio prohibet derivare aquas* ex agris, *cingere segetem septo, struere dolos avibus, comburere spinas, et lavare in aquis gregem ovium, sanitatis* causâ. *Sæpe ductor pigri asini dorsum* illius *oleo onerat, vel fructibus vilibus: et rediens* domum *ex urbe refert molam incisam, vel massam nigræ picis.*

## NOTÆ.

ma stellarum apparet serò, unde cæteras dicitur accendere. De eo, Ecl. 6. 86.

256. *Tempestivam, &c.*] Hoc est, tempore idoneo cædendis arboribus: nempe decrescente Lunâ. post meridiem, sine vento Austro, sine rore, semine maturo, mensibus præsertim Julio et Augusto: qui tunc minùs obnoxiæ sunt putrefactioni, ac vermibus.

258. *Temporibusque parem diversis, &c.*] Veri, æstati, autumno, hyemi. Quasi *sufficientem* quatuor illis temporibus, id est, qui potest eas quasi ex sese emittere ac suppeditare; sic apud Cicer. *par disserendo;* apud Quintil. *par laboribus corpus.* Vel quasi *idem valentem,* atque quatuor ipsas tempestates: totum enim est æquale partibus: sic apud Cicer. 2. de Fin. 13. *Verbum Latinum par Græco, et idem valens.* Vel quasi *æqualiter dimensum* in quatuor partes: quia singulæ tres menses occupant. Sic apud Cicer. in Orat. 38. *Verba verbis quasi dimensa, et paria respondeant.*

259. *Frigidas, &c.*] V. Præceptum, De *iis quæ hybernâ et pluviâ tempestate agricolis facienda sunt.*

261. *Maturare.*] Sæpe significat, celeriter aliquid facere: ut Æn. 1. 141. *Maturate fugam:* apud Cicer. pro Cluentio, 171. *Maturare* mortem alicui, &c. Hìc tamen opponitur verbo *properare;* et significat aliquid cum maturitate et otio, seu tempestivè, facere; neque seriùs, neque citiùs.

262. *Lintres.*] *Linter,* vel navicula est fluviatilis, ex unicâ arbore excavata; vel vas aquando pecori comparatum, ex uno item ligno exsculptum.

263. *Numeros impressit acervis.*] Modiorum numerum, vel tesseris insculpendo, vel saccis ipsis quibus continentur, appingendo.

264. *Vallos.*] Sudes, *des pieux,* STAKES.

265. *Amerina.*] Ex *Ameriâ,* civitate Umbriæ: ubi frequentes salices.

266. *Rubea virga.*] Vel quæ abundat circa *Rubos* oppidum Campaniæ; vel quæ fit ex *rubo,* virgulti specie.

267. *Nunc torrete, &c.*] Panificium intelligit: quo frumentum molitur, ac deinde pistum coquitur. Vel alludit ad morem veterum, qui frugibus sine pisturâ tostis vescebantur.

268. *Quippe etiam, &c.*] VI. Præceptum, De *iis quæ festis diebus exercere licet agricolæ.*

272. *Salubri.*] Explicat Columella, l. 2. 22. *Pontifices vetant festis diebus lanarum causâ lavari oves, nisi propter medicinam. Virgilius idcirco adjecit: Fluvio mersare salubri.* Nempe, non ut purgetur lana, sed ut curetur scabies.

274. *Lapidemque, &c. incusum.*] Lapidem molarem, sive molam, arte incisam, ut sit usui terendis et molendis frugibus.

Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satæ: tum partu Terra nefando
Cœumque, Iapetumque creat, sævumque Typhoëa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter Pater exstructos disjecit fulmine montes.
Septima post decimam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telæ
Addere: nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeò gelidâ meliùs se nocte dedêre;
Aut cùm Sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves stipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.
Et quidam seros hyberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
Interea longum cantu solata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas;
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi despumat aheni.

*Ipsa Luna præbet dies varios variâ serie prosperos ad opera. Evita quintum* diem: illo die *Pluto pallidus et Furiæ genitæ sunt: prætereà Terra scelerato partu produxit, et Cœum et Japetum, et crudelam Typhoëa, et fratres conjuratos evertere cœlum. Ter videlicet conati sunt imponere Ossam Pelio, et injicere Ossæ frondosum Olympum: ter Jupiter disturbavit fulmine montes accumulatos. Septimus* dies *felix est, minùs quàm decimus, et ad plantandam vineam, et ad subigendos boves ligatos, et ad jungenda licia telæ. Nonus felix est ad peregrinationem, et adversus furtis. Multa etiam meliùs succedunt noctu, aut cùm Lucifer spargit rore terras oriente Sole. Noctu graciles aristæ, noctu fœnum siccum meliùs secatur: humor tenax non deest noctibus. Et aliqui vigilant ad lucem nocturnam hyberni ignis, et acuto ferro incidunt faces. Interim uxor leniens cantilenis longum laborem addensat telam stridulo pectine; aut coquit igne liquorem dulcis vini, et frondibus aufert spumam ex undâ cacabi bullientis.*

## NOTÆ.

276. *Ipsa dies alios, &c.*] VII. Præceptum, De *observatione dierum felicium et infelicium.*

277. *Pallidus Orcus.*] Pro Plutone sumitur à Cicerone, de Nat. Deor. 3. 43. A Silio Italico pro Cerbero cane. Ab aliis pro Charonte portitore. Malè autem à plerisque pro Thessaliæ fluvio quem dicunt pinguem esse in modum olei, ideóque innatantem Peneo, in quem è Stygiâ palude influit. Fons erroris est Homeri versus Iliad. 2. 755. Ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ, *Juramenti enim terribilis aquæ Stygiæ rivus est.* Patet verò legentibus, id ab Homero de Titaresio amne, quem antè descripsit, omnino dici: neque illìc, ὅρκος, aliud significare, quàm *juramentum;* non fluvium. Dicit quippe Stygiam paludem, cujus Titaresius rivus est, juramentum esse Deorum. Confirmatur verò hæc sententia à Strabone, lib. 9.

278. *Eumenides.*] Furiæ, sic dictæ per antiphrasim, quòd minimè sint εὐμενεῖς, *benevolæ:* Acherontis fluvii et Noctis filiæ, vipereis crinibus et facibus instructæ, ultrices criminum, numero tres: *Alecto*, ab α privante, et λήγω, *cesso; Tisiphone*, à τίω, *ulciscor, et* φόνος, *cædes; Megæra*, à μεγαίρω, *invideo.*

279. *Cœumque, &c.*] Gigantum præcipuos, qui adversùs Deos, ad Phlegram Macedoniæ urbem, ausi pugnare: aggestis ejus regionis, vicinæque Thessaliæ montibus, *Pelio, Ossâ, Olympo.* De *Olympo*, Ecl. 5. 56. *Typhoëa.*] Non *Typhœa*, ut passim scribitur: neque enim in eo nomine *o* et *e* in unum coalescunt; sed *e* et *a:* quippe est à Græco Τυφωεὺς, ubi ω cum ε non facit diphthongum, sed ε cum υ. Notetur versus Græco more bis hians: *Ter sunt conati, &c.*

280. *Fratres.*] Gigantes, Terræ et Titanis filios.

285. *Licia telæ.*] Ecl. 8. 74.

286. *Fugæ melior, contraria furtis.*] Opportuna servis aut captivis fugientibus, inquiunt aliqui. Meliùs opportuna itineribus et peregrinationi: velox enim cursus *fuga* poëtis dicitur, G. 3. 201. *Ille volat, simul arva fugâ, simul æquora verrens.*

287. *Multa adeò &c.*] VIII. Præceptum, De *iis quæ noctu ac diu, æstate atque hyeme, meliùs præstantur. Eous.*] Lucifer, Ecl. 6. 86.

292. *Faces inspicat.*] Faces è ligno minutas in virgulas incidit spicarum et aristarum in modum, Ecl. 8. 29.

294. *Pectine.*] Pecten est instrumentum quo densatur tela, Æn. 3. 483.

295. *Musti.*] Vini novi. Describit autem hìc vini coctionem: quod si ad tertiam partem mensuræ decoquatur, *sapa* dicitur: si ad dimidium, vocatur *defrutum, du resiné*, SODDEN WINE, ex Plin. l. 14. 9. Nota redundantem ultimam versûs syllabam, quæ cum primâ sequentis versûs elidenda est.

*Vulcano.*] Pro igne sumitur, qui in ejus est tutelâ: Jovis et Junonis filius fuit: ab iis è cœlo propter deformitatem dejectus in insulam Lemnum, claudus è casu factus est, et ferrariam ibi fabricam exercuit, uxoremque duxit Venerem. Quanquam ejus officinam Virgilius alibi constituit, Æn. 8. 416.

At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant:
Invitat genialis hyems, curasque resolvit.
Ceu pressæ cùm jam portum tetigere carinæ,
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:
Tunc gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores: tum figere damas
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ;
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina trudunt.
Quid tempestates autumni et sidera dicam?
Atque ubi jam breviorque dies, et mollior æstas,
Quæ vigilanda viris? vel cùm ruit imbriferum ver:
Spicea jam campis cùm messis inhorruit, et cùm
Frumenta, in viridi stipulâ lactentia turgent?
Sæpe ego, cùm flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam latè segetem ab radicibus imis
Sublimè expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque levem, stipulasque volantes.
Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,

*At segetes flavæ secantur mediâ die, et mediâ die frumenta exsiccata teruntur in areâ. Ara nudus, semina nudus: frigus pigrum reddit agricolam. Per hyemem vulgò agricolæ utuntur rebus* per æstatem *comparatis: et hilares agitant inter se mutuas epulas. Suadet* hoc *hyems voluptaria, et curas relaxat. Veluti cùm naves oneratæ jam attigere portum, et nautæ hilares imposuere coronas puppibus. Attamen tunc tempus est colligere et glandes quercinas, et baccas lauri, et olivas, et myrta sanguinea. Tunc* tempus *est objicere pedicas avibus, et retia cervis, et persequi lepores auritos; tunc* tempus est *occidere damas intorquendo lora stupea Balearis fundæ: cùm nix alta jacet, cùm fluvii propellunt glaciem. Quid enumerem procellas et astra autumni? et quænam sint providenda rusticis, cùm dies jam decrescunt, et æstas est mitior: vel cùm ver pluvium desinit, cùm spicæ segetum jam intremiscunt per agros, et cùm frumenta plena lacte tumescunt in culmo* adhuc *herbescente. Sæpe cùm colonus introduceret messorem in segetes maturas, et jam ligaret hordea paleis fragilibus, ego vidi misceri pugnas omnium ventorum, quæ dissiparent in auras plenam segetem extirpatam radicitùs: tam denso nimbo jactabat procella calamos leves, et stipulas volantes. Sæpe etiam ingens copia imbrium cadit è cœlo, et nubes è mari advectæ colligunt tempestatem nigræ pluviæ: cœlum altum minatur ruinam,*

NOTÆ.

297. *Ceres.*] Pro segete hìc accipitur; alibi pro pane. De eâ, Ecl. 5. 79.

302. *Genialis hyems.*] Ea quibus inest voluptas, *genialia* dicuntur: à *Genio* voluptatis Deo: unde dicimus *genio indulgere*, voluptati indulgere; et *genium defraudare*, voluptate abstinere.

303. *Pressæ.*] Jactatæ mari et afflictæ scopulis, juxta Ramum: oneratæ mercibus, juxta Taubmannum: sic Tibul. l. 1. 196. *Presserat externâ navita merce ratem.*

304. *Coronas.*] Reduces è navigatione coronabant naves, puppes præcipuè, quia in postremâ illâ navis parte sacrarium erat.

305. *Stringere.*] Ecl. 9. 61. *Myrta.*] Fructus myrti arboris, qui maturi denso rubore nigrescunt.

307. *Gruibus pedicas.*] Laqueos quibus implicantur pedes, et *gruibus* posuit pro quibuscunque avibus, speciem pro genere.

309. *Figere damas stupea, &c.*] Ordo est: tempus est, torquentem, id est, eum qui torquet verbera fundæ, figere Damas. Negat Philargyrius figi posse damas fundâ; sed tantùm eum in locum compelli, ubi deinde jaculis figantur. Quidni tamen plumbo è fundis excusso perinde figantur, ut nunc figuntur exploso ex æreis tubulis plumbo? Sic enim Ovid. Met. 2. 729. *Non secùs exarsit, quàm cùm Balearica plumbum Funda jacit; volat illud et incandescit eundo. Balearides* autem insulæ circa Hispaniam sunt, *Majorca* et *Minorca:* quarum incolæ fundæ usu præ cæteris insignes, inde nomen habere memorantur, à βάλλειν, *jacere. Stupea verbera.*] Funes è stupâ contexti, sive lora, quibus lapis aut plumbum intorquetur.

311. *Quid tempestates, &c.*] V. PARS. De *tempestatum prognosticis:* quibus præmittit tempestatum ipsarum descriptionem.

322. *Agmen aquarum.*] Vel, juxta Servium, motum et impetum significat: ut Æn. 2. 782. *Leni fluit agmine Tibris.* Vel, juxta Pomponium, copiam et multitudinem: cui assentior, propter epithetum *immensum*, quod potiùs copiæ, quàm motui convenit.

324. *Collectæ ex alto nubes.*] I. Collectæ ex

Et pluviâ ingenti sata læta, boumque labores
Diluit: implentur fossæ, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, mediâ nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextrâ: quo maxima motu
Terra tremit: fugêre feræ, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit: ingeminant Austri, et densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, cœli menses et sidera serva:
Frigida Saturni sese quò stella receptet:
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
 Imprimìs venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno.
Tunc agni pingues, et tunc mollissima vina;
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho,

*evertitque largo imbre opera boum et campos fertiles: fossæ implentur* aquis, *et fluvii profundi augentur cum strepitu, et mare æstuat fluctibus* quasi *ebullientibus. Jupiter ipse mediis in tenebris nubium. vibrat rubentia manu tonitrua: quo tumultu terra latè concutitur, feræ fugiunt, et humilis timor dejicit undique mentes hominum. Ille ferit ardenti fulmine, vel Atho, vel Rhodopen, vel ardua Ceraunia: invalescunt Austri et pluvia copiosissima: jam sylvæ, jam litora sonant magno vento. Hoc timens, observa menses et signa cœli: quam in partem abeat tardum astrum Saturni; quos per circulos planeta Mercurii vagetur. Præcipuè cole Deos, et annua sacrificia persolve magnæ Cereri, sacrificans in herbis fertilibus, sub exitum ultimæ hyemis, jam sudo vere. Tunc agni* sunt *pingues, tunc vina suavissima; tunc somni dulces, et umbræ opacæ in montibus. Omnis rustica juventus adoret tibi Cererem: cui tu misce mel cum lacte et vino leni,*

## NOTÆ.

*Septentrione* et Aquilone, juxta Servium: quia Septentrio sublimis nobis; Auster, sive meridies, depressus est: at procellæ tamen e meridionali parte, Austro flante, præsertim ingruunt; et mox dicetur, *Ingeminant Austri.* II. Collectæ è *mari,* juxta Pomponium: quia nubes è mari et lacubus aquas colligunt. III. Collectæ ex *aëre sublimi:* juxta alios communiter.

327. *Fervetque fretis.*] Etymon *freti* apposuit. *Fretum* enim est mare inter gemini litoris angustias compressum, ibique quasi *fervescens,* et *spirans,* et ebulliens.

328. Fortassè legendum *coruscâ dextrâ.*

332. *Aut Atho, aut, &c.*] *Athos,* mons est in Macedoniâ, imminens mari *Ægæo, Rhodope* in Thraciâ; *Ceraunia* in Epiro, sic dicta, quia frequenti fulmine propter altitudinem feriuntur, à *κεραυνὸς, fulmen.* Legitur in aliquot codic. *Athon:* et verò accusativus Græcâ lege est Ἄθων. Usu tamen Theocriti, Isocratis, Strabonis, &c. receptus est accusativus, Ἄθω: cujus ultima hìc brevis fit, nec eliditur, Græco more; ut v. 281. *Imponere Pelio Ossam.*

336. *Frigida Saturni, &c.*] Vis astrorum, planetarum imprimis, ad procellas et anni temperiem sanè maxima, augetur, aut minuitur, vel prout variis zodiaci signis quisque respondet, et hoc significat *quò se receptet;* vel prout planetis aliis conjungitur, et hoc significat *quos erret in orbes.* Assignatur enim planetis *orbis,* sive circulus cuique suus. Itaque *Saturnus* noxius est, et respondens Capricorno, ciet pluvias; respondens Scorpio, grandines. *Mercurius* præsertim nullâ virtute peculiari insignis, talis est, qualis planeta cui sese admovet: si *Jovi,* felix est; si *Saturno,* funestus; unde *minister Deorum* dicitur. De *Saturno,* Ecl. 4. 6.

337. *Cyllenius.*] Mercurius, à Cyllene Arcadiæ monte, in quo natus est, patre Jove, matre Maiâ unâ ex Pleiadibus. Benè *erret:* planetæ enim septem, ex quibus unus est, nomen habent à *πλάνη, error:* quia non fixa, sed errantia sidera sunt.

339. *Sacra refer Cereri.*] Cereri duo indicit sacrificia, vernum unum, *jam vere sereno;* alterum æstivum, *neque antè Falcem maturis quisquam, &c.* v. 347. *Operatus.*] *Operari* et *facere,* sine addito, est facere sacrificium, Ecl. 3. 77.

343. *Cuncta tibi, &c.*] Ritum describat sacrificii *ambarvalis,* quo solebant *arva ambire,* et circuire cum hostiâ. Quæ vide fusiùs apud Tibul. l. 2. 1. *Tibi.*] Tuo jussu, tui causâ, &c. estque Latinis, ut et Gallis, familiaris locutio. Sic suprà, v. 45. *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere.*

344. *Cui tu lacte favos, &c.*] Sacrificii materiem explicat: lac, mel, vinum, hostiam: quæ, juxta Virgil. Ecl. 3. 77. *vitula* erat: juxta Tibul. l. 2. 1. *agnus;* juxta eundem, l. 10. *porcus:* juxta Servium, *sus gravida.*

*Miti dilue Baccho.*] Constat ex Plauto Aulul. act. 2. 6. 5. vinum à sacrificiis Cereris abfuisse: cur igitur hìc adest? Douza in illum Plauti locum, distinguit duo Cereris sacrificia: *ambarvalia,* quæ cum vino fiebant: quod patet ex Tibulli loco citato, *Eleusinia,* quæ nup-

Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque antè
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri, tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, et carmina dicat.
  Atque hæc ut certis possimus discere signis,
Æstusque, pluviasque, et agentes frigora ventos;
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret,
Quo signo caderent Austri, quid sæpe videntes
Agricolæ propiùs stabulis armenta tenerent.
Continuò ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longè
Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.
Jam sibi tum curvis malè temperat unda carinis,
Cùm medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora, cúmque marinæ
In sicco ludunt fulicæ: notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi; noctisque per umbram
Flammarum longos à tergo albescere tractus:
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summâ nantes in aquâ colludere plumas.

*et victima propitia ter ducatur circa novas fruges, quam totus chorus, et socii læti comitentur; et clamoribus invocent Cererem in domum* suam: *nec ullus subjiciat falcem maturæ segeti, priusquàm edat motus inconditos, et canat carmina* in honorem *Cereris. Et ut possimus hæc cognoscere certis indiciis, calorem et imbres, et ventos adducentes frigora; Jupiter ipse definivit, quid menstrua Luna indicaret, quo indicio Austri quiescerent, quid videntes rustici sæpe continerent greges non longè à stabulis. Statim ventis orientibus, aut æquor maris commotum incipit inflari, et siccus fragor audiri ex altis montibus; aut ripæ procul resonantes perturbari, et murmur sylvarum augescere. Jam tunc fluctus difficilè se abstinent à curvis navibus* vorandis, *cùm mergi revolant celeriter è medio mari, et emittunt vocem ad litora: et cùm marinæ fulicæ ludunt in arenâ: et* cùm *ardea relinquit paludes* sibi *notas, et volat supra altam nubem. Sæpe etiam, vento imminente, videbis stellas præcipites cadere è cœlo; et longos tractus lucis albescere à tergo, per tenebras noctis: sæpe paleas leves, et folia caduca volitare, aut plumas natantes in superficie aquæ agitari.*

## NOTÆ.

tiarum ejus memoriam celebrabant, et hæc fiebant sine vino: de iis Plautus explicandus est: *Cererine hi sunt facturi nuptias? quia temeti,* id est, vini, *nihil allatum intelligo.*

347. *Cererem clamore vocent in tecta.*] Ut eorum domino propitia sit; velitque copiosam segetem, quæ et Ceres ipsa dicitur, in ejus horreum inferri.

349. *Quercu.*] Ob memoriam victûs prioris, nempe glandium; à quibus ad frumenta revocati sunt, beneficio Cereris.

353. *Quid menstrua Luna.*] Quæ singulis circiter mensibus cursum conficit: ut enim Sol, anni, sic Luna mensium est præses: unde et *mensis* dictus est à μήνη, *Luna.* Monetque poëta tempestatum prognostica repeti posse duplici è capite: ex astrologiâ et experientiâ. Astrologiam exprimit his verbis: *Quid menstrua Luna moneret: quo signo, &c.* Experientiam his verbis: *Quid sæpe videntes agricolæ, &c.* Incipit à prognosticis experientiæ, versu 356. tum exequitur prognostica astrologiæ, de Sole et Lunâ versu 424.

354. *Quo signo, &c.*] Vel *quo sub sidere;* vel meliùs, *quo indicio* intelligi posset ventos deficere. *Austri* pro quibuslibet procellosis ventis: de iis Ecl. 2. 58.

356. *Continuò ventis surgentibus, &c.*] Ventorum affert prognostica undecim. 1. Agitationem maris. 2. Fragorem è montibus. 3. Sonitum littorum. 4. Murmur sylvarum. 5. Volatum mergorum è mari. 6. Ludos fulicarum in arenâ. 7. Fugam ardearum. 8. Lapsum stellarum. 9. Nocturnos lucis tractus. 10. Palearum volatum. 11. Plumarum in aquâ collusionem.

357. *Aridus fragor.*] Epithetum è Lucretio l. 6. 118. *Aridus unde aures tergit sonus.* Siccus et acutus; qualis est arboris cùm frangitur.

360. Fortassè legendum *tum à curvis:* consule, Æn. 2. 8. *Temperet à lacrymis.*

361. *Mergi.*] *Plongeons,* DIVERS, aliis corvi aquatici dicuntur.

363. *Fulicæ.*] *Faulques,* COOTS, *poules d'eau,* MOOR-HENS, anatibus non admodum absimiles.

364. *Ardea.*] *Heron:* è præpetum genere, quæ altiùs volant; unde dicta quasi *ardua.*

365. *Sæpe etiam stellas, &c.*] Consentiunt omnes nullam cœlo stellam labi, sed hoc è vulgi mente dictum esse, cui labi videtur. Lapsus autem illi juxta Plinium, l. 1. 8. sunt redundationes quædam humoris illius, quo aluntur stellæ; ut in luminibus accensis liquore olei videmus accidere. Juxta Servium, sunt particulæ quædam ignis ætherei, quæ decutiuntur à vento vehementiore, cùm altiora conscenderet. Nugæ. Juxta Aristotelem, sunt terræ exhalationes aptæ ad concipiendum ignem: quæ ad mediam usque aëris regionem eductæ, illic circumfusi aëris frigore compressæ ignescunt.

At Boreæ de parte trucis cùm fulminat, et cùm
Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant fossis; atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Nunquam imprudentibus imber
Obfuit. Aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues: aut bucula cœlum
Suspiciens, patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpiùs et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter: et bibit ingens
Arcus: et è pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassùm videas gestire lavandi.
Tum cornix plenâ pluviam vocat improba voce,
Et sola in siccâ secum spatiatur arenâ.
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ

*Sed quando fulmen cadit à regione Boreali, et quando regio Euri et Zephyri tonat; omnes campi inundantur fossis plenis; et omnis nauta per mare colligit vela humida: nunquam pluvia incautis nocuit. Vel illam venientem grues aëriæ fugiunt* ex *imis vallibus: vel juvenca cœlum aspiciens hausit aërem naribus patentibus: aut hirundo canora volat circa lacus: et ranæ in limo canunt antiquam querelam. Sæpe formica fodiens parvam viam exportat ova ex intimis cavernulis: et haurit aquam magnus arcus* cœlestis: *et turba corvorum rediens è pastu magno numero, strepit densis alis. Præterea* videre *potes diversas aves maris, et quæ circumvestigant Asiana prata in mollibus paludibus Caystri, certatim aspergere humeros multâ aquâ; nunc objicere caput fluviis, nunc currere per undas, et frustrà agitari desiderio lavandi* se. *Tunc cornix importuna advocat imbrem altâ voce, et sola privatim vagatur in arenâ aridâ. Ac ne puellæ quidem noctu nentes lanam*

## NOTÆ.

370. *At Boreæ de parte, &c.*] Prognostica pluviarum colligit duodecim. 1. Fulmen à Boreâ, id est, septentrione. 2. Concursum Euri venti orientalis; et Zephyri, venti occidentalis. 3. Fugam gruum è vallibus. 4. Buculam captantem naribus auras. 5. Hirundinem lacus circumvolitantem. 6. Ranas coaxantes. 7. Formicas ova è latebris educentes. 8. Arcum cœlestem. 9. Corvos raucè crocitantes. 10. Marinarum avium et cycnorum frequentes sub aquis demersiones. 11. Solitariam cornicum in arenâ discursationem. 12. Fungos in lucernâ concrescentes.

371. *Eurique, &c.*] Spirat ab oriente brumali. Latinis *Vulturnus* appellatur, ex Plin. l. 2. 47. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. De *Boreâ*, Ecl. 7. 51.

373. *Nunquam imprudentibus imber Obfuit.*] Nunquam incautis nocuit: quia tam clara dat sui signa, ut quibuscunque nocuit, ii cavere potuerint.

378. *Et veterem, &c.*] Alluditur ad metamorphosim, quâ Lyciæ rustici in ranas commutati sunt, cùm Latonæ, Dianam et Apollinem liberos sinu gerenti, et ad lacum præ siti accedenti, convicium fecissent. Ovid. Met. 6. *Nunc quoque turpes litibus exercent linguas; pulsoque pudore, quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant, &c.*

380. *Et bibit ingens arcus.*] Vulgus veterum putabat arcum cœlestem, sive *Irim*, haurire suis cornibus aquam è fontibus, eâque nutrire. Unde et eam *Junonis* nunciam finxere, id est *aëris.*

383. *Et quæ Asia circum, &c.*] *Cycnos* intelligit, frequentes in Caystri ripis: *Cayster*, vel *Caystrus*, fluvius Asiæ minoris, nascens in Phrygiâ majore, trajectâque Lydiâ, per Ioniæ litus, in Ægæum mare defluens. *Asia* palus et oppidum inter *Caystrum*, fluvium, et montem *Tmolum*, qui est in confinio Lydiæ et Phrygiæ majoris: primam syllabam habet longam: *Asia* verò, mundi pars, brevem. *Rimari* est cibum per terræ rimas vestigare, vermiculos, &c. *Stagna* hic, prata sunt, in quæ Cayster exundat, et in quibus stant resides aquæ.

387. *Incassùm.*] Frustrà. Quia cycnorum candori nihil addi per lotionem potest. *Gestire.*] Est lætitiam et contentionem suam motu gestuque corporis exprimere.

388. *Tum cornix plenâ, &c.*] Ita vulgò legitur: Servius tamen *raucâ.* Corvi itaque in utrisque prognosticis locum habent: ad pluviam quidem, *Corvorum increpuit densis, &c. Cornix plenâ pluviam, &c.* Ad serenitatem verò v. 410. *Tum liquidas corvi presso ter gutture voces, &c.* Nempe si *plenâ* voce ac raucâ diu crocitent, pluviam indicant; si *ter* aut *quater*, et *presso gutture*, et *liquidâ voce*, serenitatem nunciant.

390. *Pensa.*] Lanas, quæ puellis dantur ad pensum, id est, intra constitutam diem expediendæ. *Testâ.*] Lucernâ testaceâ. *Fungos.*] Scintillas; quæ circumfusi aëris humore et crassitie erumpere cum fumo prohibitæ, in lucernis resident, et cumulantur in quandam fungorum similitudinem.

Nescivere hyemem: testâ cum ardente viderent
Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.
Nec minùs ex imbri soles, et aperta serena
Prospicere, et certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad Solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones: non ore solutos
Immundi meminere sues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequicquam seros exercet noctua cantus.
Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quácunque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus: quà se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant: et sæpe cubilibus altis,
Nescio quâ præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulcesque revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitùs illis

*ignorant pluviam* futuram: *cùm vident oleum emittere scintillas in lucernâ ardente, et putridos fungos cumulari. Pariter post imbrem, poteris prævidere, et certis indiciis discere dies* sudos *et cœlum opertum ac serenum. Tunc enim, nec lux stellarum apparet languida, nec Luna* videtur *oriri, debens* lucem suam *luci Solis, nec levia vellera lanæ volare per aërem. Halcyones charæ Thetidi non explicant Soli alas in litore. Fœdi porci non meminerunt dissipare rostro fasciculos* palearum *laceratos. Sed potiùs nubila deprimuntur in valles, et residunt in campis. Et noctua, observans occasum Solis ex alto cacumine, non emittit serotinos cantus. Falco videtur sublimis puro in aëre, et alauda solvit pœnas pro crine purpureo* à se secto: *quácunque alauda fugiens findit alis tenuem aërem; ecce falco hostis crudelis magno murmure persequitur* eam *per aërem: quácunque falco fertur per aërem, alauda fugiens celeriter findit alis tenuem aërem. Præterea corvi ter aut quater iterant claras voces compresso gutture: et sæpe in nidis excelsis, nescio quâ lætitiâ pleni præter morem, inter se frondes commovent: placet redire ad varvam prolem et gratos nidos, pluviâ exactâ. Sanè non puto quòd sit illis* datum *à Diis*

## NOTÆ.

393. *Nec minùs, ex imbri, &c.*] Enumerat prognostica serenitatis novem. 1. Nitorem stellarum. 2. Nitorem Lunæ exorientis. 3. Cœlum sine velleribus et nubeculis. 4. Halcyones alas ad Solem non explicantes. 5. Sues non jactantes manipulos. 6. Nebulas ad terram depressas. 7. Noctuam cadente Sole silentem. 8. Falconis in alaudam incursus. 9. Corvorum lætos strepitus. *Ex imbri.*] Vel *post imbrem*, vel ex ipso imbre, sive observatione indiciorum pluviæ, tempestatis cognosces oppositam temperiem: si nimirum indicia illa abfuerint. *Aperta serena.*] Suprà, v. 153.

396. *Obnoxia.*] Qui tam clarè lucet, ut lucem tunc non à Sole, sed à se ipsâ habere videatur. Sol et Luna, Latonæ liberi, Ecl. 3. 67.

399. *Dilectæ Thetidi Halcyones.*] Ceyx, Luciferi filius, Trachiniæ rex, ob multa domestica portenta profectus ad Clarii Apollinis oraculum, in Ægæo mari naufragium fecit. Uxor ejus Halcyone, Æoli filia, cùm in mariti cadaver appulsum litori involaret amoris impetu: ambo in aves conversi sunt, uxoris nomine *Halcyones* dictas: et in fidei præmium quotannis ipsarum fœturæ mare placidissimum substernitur per 7 vel 11 vel 14 dies, qui inde *Halcyonii dies* appellantur, et contingunt circa brumam. Hinc *dilecti Thetidi* sunt. De *Thetide*, Ecl. 4. 32. *Meminere sues.*] Non memoriâ propriè dictâ quæ fit per species, seu imagines rerum, usu et sensu comparatas: sed memoriâ impropriè dictâ: quam vocant *instinctum*, quæ fit per species in ortu ingenitas, quibus animantes ad rem aliquam fugiendam, aut appetendam moventur; quoties species illæ, rei similis objectu et præsentiâ, excitantur. Ita species ingenita agitandi luti, solvendique manipuli movet suem; quoties luti, aut manipuli objectu excitatur.

403. *Nequicquam exercet.*] Id est, hoc loco, *non exercet*, juxta Servium, qui sic explicat Persium, S. 2. 51. *Nequicquam fundo suspiret nummus imo*, id est, *non suspiret*. *Noctua*, avis funesta et nocturna; *chouette*, THE OWL.

404. *Nisus, &c.*] *Haliæetus*, sive falco, *faulcon*, THE FALCON, olim Nisus, Megarensium rex: *Scylla*, *Ciris*, sive alauda, *aloüette*, THE LARK, ejus filia: aves inimicissimæ. De earum metamorph. Ecl. 6. 74.

415. *Haud equidem, &c.*] Causam affert: cur aves, cæteræque animantes mutationem aëris præsentiant: non item homo. Ac negat eas habere rationem, et ingenium divinitùs datum: indeque discrimen repetit; quia homo ratione pollet, atque adeò judicio et ratione, præter naturam et qualitatem aëris, potest esse tristis et lætus: at verò animantes re-

Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verùm, ubi tempestas et cœli mobilis humor
Mutavere vias: et Jupiter humidus Austris
Densat, erant quæ rara modò; et quæ densa, relaxat:
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.
Si verò Solem ad rapidum, Lunasque sequentes
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.
Luna revertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu;
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit;
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illò
Exactum ad mensem, pluviâ ventisque carebunt:
Votaque servati solvent in litore nautæ
Glauco, et Panopeæ, et Inoo Melicertæ.

*ingenium, et rerum prudentia,* quæ *potentior* est *fato. Sed quando temperies et humor mutabilis cœli mutavit qualitates aëris: et* quando *aër humectatus Austris condensat ea quæ* priùs *erant rara; et rarefacit ea quæ priùs* erant *densa: tunc species animorum mutantur, et corda nunc suscipiunt affectus alios, et alios dum ventus turbabat nubes. Hinc oritur ille cantus volucrum in campis, et lætæ* sunt *pecudes, et corvi exultant gutture. Si autem consideres Solem rapidum, et ordinem Lunarum sequentium, nunquam dies crastinus te decipiet, nec decipieris fraude noctis serenæ. Cùm primùm Luna colligit lucem renascentem, si amplectatur aërem obscurum nigris cornibus, maxima pluvia imminet colonis et mari. Sed si sparserit in vultu* suo *ruborem virginalem, ventus erit: Luna aurea semper rubescit* ex *vento. Si verò quarto die (nam hic est index certissimus) incedit per aërem clara, et cornibus non hebetatis: et ille dies totus, et qui sequentur post illum usque ad mensem transactum, erunt absque imbre et vento; et nautæ servati* à tempestate *reddent in litore vota Glauco, et Panopeæ, et Melicertæ filio Inûs.*

## NOTÆ.

liquæ, cùm ratione careant, obsequuntur naturæ aëris: atque adeò quoties vel tristes, vel lætæ apparent, id ex aliquâ cœli aërisque affectione fieri probabilius est, quâ necessariò commoventur.

418. *Mutavere vias.*] Mutavere rationem et qualitatem aëris. *Via* enim est sæpe *ratio* et *modus.* Sic G. 2. 22. *Sunt alii quos ipse viâ sibi repperit usus.*

419. *Densat, &c.*] *Densare* est aliquid in minorem dimensionem contrahere: *relaxare,* seu *rarefacere,* est in majorem dimensionem dilatare. Quæ duo imprimis cadunt in aërem, qui naturæ est facilè mobilis: aëris autem vis est in animantes maxima. Itaque mutato aëre, mutantur, varièque agitantur species et imagines rerum, in animantium memoriâ superstites; mutatis speciebus, mutatur cognitio: mutatâ cognitione, appetitus quoque variè movetur; sive ad tristitiam, sive ad lætitiam: sive ad prosecutionem, sive ad fugam. Per *species animorum,* cognitio exprimitur: per *motus,* affectio diversa appetitûs, cujus sedes est in corde, seu *pectore.*

423. *Ovantes.*] Lætantes, Æn. 3. 189.

427. *Luna revertentes.*] Proponit ea prognostica quæ ab astrologiâ petuntur. I. A *Lunâ* tria. 1. Si nova sit obscura, pluviam notat 2. Si rubescat, ventum minatur. 3. Si quartâ die serena sit, mensem serenum promittit. Unde vulgare est: *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.* II. A *Sole* octo. 1 et 2. Si in ortu, aut sit maculosus, aut mediâ tantùm sui parte appareat, imbrem nunciat. 3 et 4. Si in ortu divisi sint radii, aut Aurorâ palleat, ventos prædicit. 5 et 6. In occasu si sit cœruleus, pluviam; si igneus, ventos. 7. Si maculosus, pluviam et ventos. 8. Si in ortu et occasu lucidus, serenum ac sudum Aquilonem.

427. *Colligit ignes.*] Quos decrescens amisisse videbatur, et quasi dissipâsse.

437. *Glauco, et Panopeæ, &c.*] Marinis numinibus. Versus bis hiat Græcum in morem. *Glaucus* piscator fuit: qui cùm pisces à se captos fortuito cujusdam herbæ attactu resilire in aquam vidisset: eâdem ipse degustatâ, pisces in mare secutus est, et in marinum Deum est conversus. *Panope,* vel *Panopea:* Nympha maris, Nerei et Doridis filia. *Melicerta* vel Melicertes *Inûs* filius fuit. *Ino* autem Cadmi filia, Athamantis Thebarum regis uxor, quæ maritum fugiens, in mare se cum filio præcipitem dedit: ambo maris numinibus additi: et *Ino* quidem Græcis *Leucothea,* Romanis *Matuta; Melicerta* illis *Palæmon,* his *Portunus,* appellatus est. Alii tamen Auroram his nominibus designatam putant: et *Leucotheam* Græco nomine, quasi *albam Deam; Matutam* Latino dictam esse, quasi *matutinam. Inoo.*] Inous, adjectivum nomen, id est, *filius Inûs.*

Sol quoque et exoriens, et cùm se condit in undas,
Signa dabit: Solem certissima signa sequuntur:
Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe;
Suspecti tibi sint imbres: namque urget ab alto
Arboribusque satisque Notus, pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi erumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu! malè tum mites defendet pampinus uvas,
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam emenso cùm jam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Cœruleus pluviam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni;
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illâ quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terrâ moneat convellere funem.
At si, cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit; frustrà terrebere nimbis,
Et claro sylvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid Vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit: Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet: fraudemque et operta tumescere bella.
466 Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam;
Cùm caput obscurâ nitidum ferrugine texit,

*Sol quoque et oriens, et quando se abscondit in mare, præbebit indicia: certissima indicia sequuntur Solem: et quæ dat mane, et quæ stellis apparentibus. Cùm Sol abditus in* cavo *nubis, distinxerit primum ortum maculis, et mediâ* sui *parte latuerit;* tunc *pluvia sit tibi suspecta. Nam Notus funestus et arboribus, et segetibus, et pecudibus imminet è mari. Vel cùm sub* initium *diei radii separati emittent se ex opacis nubibus, vel cùm Aurora, relinquens aureum lectum Tithoni, orietur pallida; heu! tunc frondes malè tuebuntur maturos racemos; tum multa, et horrida grando saliet crepitans in tectis. Præterea magis proderit hæc* alia *annotare, cùm Sol occidet cœlo decurso: nam sæpe videmus diversos colores spargi in ejus vultu. Cœruleus significat imbrem, flammeus ventum. Si verò maculæ incipiant misceri cum micanti lumine, tunc videbis omnia æquè turbari vento et pluviâ. Nullus me hortetur ire illâ nocte per mare, et solvere funem à terrâ. Sed si globus Solis nitidus sit, et quando reducet diem, et* quando *reductam abscondet; frustrà timebis pluviam, sed videbis sylvas agitari sudo Aquilone. Denique Sol tibi significabit, quid ferat Vesper serotinus; quâ ex parte ventus pellat siccas nubes; quid humidus Auster præparet. Quis audeat Solem appellare fallacem? Ille quoque sæpe declarat secretos tumultus imminere, insidiasque et bella occulta parari. Ille quoque misertus est Romæ,* occiso *Cæsare, quando velavit lucidum caput obscurâ ferrugine,*

## NOTÆ.

443. *Ab alto.*] Suprà v. 324. *Notus.*] Idem qui Auster, ventus meridionalis, Ecl. 2. 58.

446. *Sese erumpent, &c.*] Hìc activè sumitur, auctore Lucretio, l. 4. 1108. *Tandem ubi se erupit nervis collecta cupido.*

447. *Tithoni croceum, &c.*] De *Tithono*, deque *Aurorâ*, suprà, v. 249. *Croceus color, du saffran,* SAFFRON, Ecl. 4. 44. De *Olympo*, Ecl. 5. 56.

456. *Fervere.*] Penultimâ brevi semper apud Virgilium; ut et *fulgere, stridere, effulgere, effervere.*

460. *Aquilone.*] Vento septentrionali, qui et *Boreas* dicitur: siccat nubes et cœlum abstergit, Ecl. 7. 51.

464. *Ille etiam, &c.*] VI. PARS. *Digressio de prodigiis quæ cædem J. Cæsaris, aut præcesserunt, aut subsecuta sunt.* Quæ singula Scriptorum aliorum auctoritate, quoad poterit fieri, confirmabo. Videndus Ovid. Met. 15. 782. qui prodigia illa recensuit, et Virgilium imitatus est.

467. *Cùm caput obscurâ ferrugine, &c.*] Servius de vero Solis defectu interpretatur, sive eclipsi; quam tamen aut illo, aut sequente anno fuisse ullam negat Scaliger, et explicat de insolito Solis pallore: de quo sic Plin. l. 2. 80. *Fiunt prodigiosi et longiores Solis defectus, qualis occiso Dictatore Cæsare, et Antoniano bello: totius penè anni pallore continuo.* Ita quoque Plutarchus in Cæsare: καὶ τὸ περὶ τὸν ἥλιον ἀμαύρωμα τῆς αὐγῆς, &c. *Circa Solem quoque hebetatio splendoris: nam toto illo anno pallens ejus globus, et sine fulgore oriens, debilem et tenuem emisit calorem: itaque nubilus aër et gravis extitit: unde fructus crudi immaturique elanguerunt ob cœli rigorem, et flaccidi evasere. Ferrugine.*] Non propriè caligine, sed rubore nigricante: de eo colore, Ecl. 2. 18.

*et* quando *homines scelerati timuerunt perpetuam noctem. Quamquam illo tempore terra quoque, et æquor maris et fœdi canes, et funestæ aves dabant signa. Quoties vidimus Ætnam, exundantem, caminis effractis erumpere in arva Cyclopum, et eructare globos flammarum ac lapides comminutos? Germania audiit toto aëre strepitum armorum, et Alpes tremuerunt insuetis motibus. Voces etiam magnæ auditæ sunt passim per lucos tacitos: et spectra pallentia miris modis visa* sunt *circa crepusculum noctis: et pecora' locuta* sunt: *dira* res! *Fluvii constiterunt, et terræ hiaverunt.* Præ *tristitiâ* statuæ *eburneæ lachrymatæ sunt in templis, et æreæ sudaverunt. Padus rex fluminum inundavit sylvas,* eas *provolvens magnis vorticibus; et per omnes agros*

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoque, et æquora ponti,
Obscœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Etnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgò exaudita silentes
Ingens, et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesque locutæ,
Infandum! sistunt amnes, terræque dehiscunt:
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.
Proluit insano contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes

NOTÆ.

468. *Sæcula.*] Genus hominum, homines, Lucretii more; cui nihil est illâ locutione familiarius: l. 1. 1090. *Quippe etiam vesci è terrâ mortalia sæcla,* l. 5. 986. *Mortalia sæcla Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.* Sic l. 4. 1220. *Et muliebre oritur patrio de semine sæclum:* id est, mulieres: l. 3. 754. *Desiperent homines, saperent fera sæcla ferarum,* id est, feræ: l. 5. 860. *Leonum sæcla;* id est, leones: l. 5. 864. *Bucera sæcla;* id est, boves, &c. Suspicatur Gifanius id è Græcis haustum esse, apud quos γενεὰ et *genus,* et *sæculum,* aut certè spatium aliquod annorum significat.

470. *Obscœnique canes, &c.*] Mali ominis: sic passim à probatis auctoribus *fœda* dicuntur omina et auguria, quæ funesta sunt. De hâc voce Æn. 3. 262. Appianus autem l. 4. civil. inter ostentata, quæ triumviratum in ultionem Julianæ cædis institutum præcessere, hoc quoque recenset: Κύνες τε γὰρ ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι, *Canes verò ululabant ex composito, instar luporum.*

*Importunæque volucres.*] Plutarchus habet inter prænuncia necis illius prodigia, καταίροντας εἰς ἀγορὰν ἐρήμους ὄρνιθας, *aves solitarias in forum delatas.* Suetonius verò in Julio c. 81. *Pridie easdem idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ ibidem discerpserunt.*

471. *Cyclopum effervere in agros, &c.*] De hoc prodigio nemo singulatim hoc tempore. *Ætna,* mons est Siciliæ, *mont Gibel:* de quo Æn. 3. 571. *Cyclopes,* juxta Diodorum, primi Siciliæ habitatores fuere: juxta fabulas, Neptuni et Amphitrites filii; sic dicti, quia unicum habebant in fronte oculum orbicularem, unde nomen ipsis inditum à κύκλος, *circulus,* et ὢψ, *oculus, vultus:* iidem Vulcano ministri et opifices attributi: tres præcipuè, Brontes, Steropes et Pyracmon: officinam habebant apud Ætnam, suprà, v. 295.

473. *Liquefactaque volvere saxa.*] Saxa exesa et igne comminuta, seu pumices aridos ac spongiosos, vel cineres: quod inde constat magnâ interdum copiâ erumpere.

474. *Armorum sonitum, &c.*] Appianus, l. 4. Ἀνδρῶν τε μεγάλαι βοαὶ, &c. *Exaudiebantur magni clamores virorum, et armorum strepitus, et cursus equorum, cùm nihil tale cerneretur.* De *Germaniâ,* quæ bello tentata, et aliquâ ex parte victa à Cæsare fuerat, vide Ecl. 1. 63.

475. *Montibus Alpes.*] Ovidius, non Alpes, sed Romam tremore concussam dicit, Met. 15. 799. *Motamque tremoribus urbem.* De *Alpibus,* Ecl. 10. 47.

476. *Vox quoque per lucos, &c.*] Ovid. ibidem v. 793. *Cantusque feruntur Auditi sanctis et verba minantia lucis.*

477. *Simulacra modis, &c.*] Plutarchus in Cæsare: Τύποις νύκτωρ πολλαχοῦ διαφερομένοις, *Imagines noctu passim discurrentes.*

478. *Pecudesque locutæ, Infandum!*] Appian. l. 4. Βοῦς τε φωνὴν ἀφῆκεν ἀνθρώπου, &c. *Bos etiam humanam vocem emisit, et infans recens natus locutus est.*

479. *Sistunt amnes.*] Unde sequitur inundatio redundantium fluctuum. Horat. Od. 1. 2. *Vidimus flavum Tyberim, retortis Litore Hetrusco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis, templaque Vestæ, &c.* Huc adde quæ mox dicentur, v. 482. de inundatione *Eridani.* De sequenti prodigio, nempe *terræ hiatu,* nusquam mentio.

480. *Et mœstum illacrymat, &c.*] Appianus l. 4. Τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρου, τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρου, *E simulacris alia quidem sudabant; alia etiam sanguinem sudabant.*

482. *Fluviorum rex Eridanus.*] Ἠριδανὸς

Cum stabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; et altè
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum vidêre Philippi:

*rapuit armenta cum stabulis: nec eodem tempore, aut venæ minaces* cessaverunt *apparere in tristibus visceribus* hostiarum, *aut sanguis cessavit fluere* è *puteis, aut urbes* cessaverunt *resonare altè per noctem ululatibus luporum. Aliis* temporibus *nunquam plura fulgura ceciderunt cœlo sereno, nec toties cometæ funesti effulserunt. Itaque* campi *Philippici viderunt Romanos exercitus pugnare iterum inter se armis paribus:*

NOTÆ.

Græcis, Latinis *Padus, le Po:* ex Vesulo monte in Alpibus Cottiis exoriens: Galliam Cisalpinam, quæ nunc Italiæ pars est, in *Transpadanam* et *Cispadanam* dividens: in mare Hadriaticum multis ostiis influit. *Rex.*] Vel quia fluviorum Italiæ maximus est: vel quia insignitum est ejus nomine signum cœleste vastæ magnitudinis, ab æquatore versùs Oriona, ad circulum usque polarem antarcticum, vario anfractu pertinens, *Fluviorum.*] Vel pes anapæstus pro dactylo hìc appositus: vel duæ breves *fluvii*, in unam longam coalescunt, ut suprà, v. 397. *tenuia nec lanæ, &c.*

484. *Tristibus aut extis fibræ, &c.*] Cicero de Divinat. l. 1. 119. de J. Cæsare: *Cùm immolaret illo die, quo primùm in sellâ aureâ sedit, et cum purpureâ veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Quâ ille rei novitate perculsus; cùm Spurina diceret, timendum esse, ne consilium, et vita deficeret: earum enim rerum utramque à corde proficisci: postero die caput in jecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur à Diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret.* Eadem ferè habent Plutarchus, Valerius Maximus, &c. *Exta*, dicta juxta Festum, quia è visceribus ea Diis præsecantur, quæ maximè *extant* eminentque. *Fibra* quoque dicta est antiquis juxta Varronem, cujusque rei *extremitas:* unde pro venulis et nervulis et radiculis vulgò usurpatur: et vestium extremitates appellantur *fimbriæ*.

485. *Aut puteis, &c. et altè per noctem, &c.*] De primo portento tacent historiæ: de secundo sic Appian. l. 4. Λὺκοι τὴν ἀγορὰν διέθεον, *Lupi per forum discurrebant.*

487. *Cœlo ceciderunt plura sereno, &c.*] Appian. l. 4. Καὶ κεραυνὸι συνεχεῖς εἰς ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ἔπιπτον, *Et fulmina crebra in templa et statuas cadebant.* Fulmen et fulgur *sereno cælo*, aliquando mali ominis fuit, ut hìc: aliquando etiam boni, ut Æn. 9. 630. *Audiit, et cæli genitor de parte serenâ Intonuit lævum.*

488. *Cometæ.*] Plutarchus in Cæs. ὅ τε μέγας κομήτης ἐφάνη, *Grandis cometa post Cæsaris necem eximiè fulgens septem noctes apparuit.* Hic autem cometa, stella eadem illa fuit, de quâ Ecl. 9. 47. *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:* Sic enim Sueton. in Cæs. 88. *Ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti.*

489. *Paribus telis.*] Quia Romani contra Romanos bello civili certabant.

490. *Romanos acies iterum videre Philippi, &c.*] Nodus difficilis. Hæc certa præmitto: I. *Philippi* urbs est in confinio Thraciæ et Macedoniæ, ad radices Pangæi montis, qui pars est *Hæmi.* II. *Pharsalus*, urbs est in eâ parte Thessaliæ quæ ad Macedoniam vergit. III. Emathiæ nomen, ab Emathione rege, Memnonis fratre, datum est Macedoniæ locisque confinibus. IV Octavianus Cæsar haud dubiè Brutum et Cassium delevit, ad Hæmum et Philippos Thraciæ: Julius verò Cæsar Pompeium, ad Pharsalum Thessaliæ. Atque ita locus utriusque pugnæ, totâ Macedoniâ intermediâ, immò leucis admodum octoginta, dissitus est: ut constat è Græcis scriptoribus. V. Auctores tamen Romani, Virgilio posteriores, Lucanus, Florus, &c. utramque pugnam eidem omninò addicunt loco. Ovidius ipse Metam. 15. 825. de Octaviano, futuro Bruti victore, vaticinatur: *Pharsalia sentiet illum, Emathiique iterum madefient cæde Philippi:* Planè quasi unum idemque sit *Pharsalia* et *Philippi.*

Hic nodus. Hæc solutio multiplex. I. Repererunt aliqui apud Stephanum, scriptorem Græcum nobilem, Thebas Thessalicas aut Phthioticas, Pharsalo vicinas, etiam vocatas esse *Philippos.* Hinc utramque cladem, et Pompeianam et Brutianam, uni eidemque, ut ait Florus, arenæ addixerunt, Pharsalicæ nimirum: et Philippis, non Thracicis, et Thessalicis. Errant illi: quippe qui Bruti cladem Philippis illis Thracicis et Hæmo monti abjudicant, quibus constanti totius historiæ fide tribuitur. II. Censent alii, Thessaliæ Thraciæque fines, ac proinde Pharsalum et Philippos, Hæmumque adeò montem, Emathiæ sive Macedoniæ nomine comprehendi; præsertim cùm hæc omnia Macedonum regum, Philippi, Alexandri, aliorumque ditione tenerentur. Idque more poëtarum, imprimisque Virgilii, cui familiare esse regionum fines quàm latissimos describere, jam vidimus Ecl. 1. 63. Rectè quidem illi, si Virgilius, et cæteri, pugnam utramque universim Emathiæ assignâssent; non Philippis nominatim, aut Pharsaliæ. Quis verò id capiat? urbes duas, octoginta leucarum spatio dissitas, unum eundemque locum esse. III. Existi-

Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, cùm finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabrâ rubigine pila:
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
Dî patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tyberim et Romana palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete: satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.
Jampridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem
Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

*Nec* visum est *indecorum Diis, bis Macedoniam, et* præsertim *vastos Hæmi agros, fœcundari nostro cruore. Nempe futurum est ut aliquando colonus, vertens in illis regionibus terram curvo aratro, reperiat tela corrosa rubigine aspera: vel pulset rastris gravibus cassides inutiles, et apertis tumulis, admiretur ossa ingentia. O Dii patrii, Semidei, et Romule, et Vesta mater, quæ custodis Etruscum Tibrim et Romanas arces, ne impedite, quò minùs hic adolescens subveniat mundo ruenti: Jamdudum satis expiavimus nostro cruore perfidiam Laomedontis Trojani. Jamdudum, ô Cæsar, aula Deorum dolet te* esse *apud nos, et indignatur* te *delectari mortalibus triumphis. Si quidem hìc fas ac nefas confusum* est: *tot bella* sunt *per orbem, tot criminum formæ: non* habetur *agriculturæ debitus honor: horrent arva, agricultoribus abreptis* ad militiam, *et curvæ falces cuduntur in crudelem gladium.*

## NOTÆ.

mavi aliquando Virgilium, nullam hìc de Pompeiano casu facere mentionem, sed tantùm de geminâ Bruti et Cassii clade: quæ utraque apud Philippos Thraciæ, ad radices Hæmi contigit; et primâ quidem Cassius, secundâ Brutus, periit: utrâque mensis ferè unius intervallo discretâ: ut liquet ex Plutarcho de Bruto. At visum est accuratiùs deinde meditanti, clades illas duas ita vicinas atque conjunctas esse, ut agri dici non possint inde *bis pinguescere*, quod annorum diversitatem innuit. IV. Igitur simpliciùs et saniùs ita explico. Adverbium *iterum*, non ad *Philippos*, sed ad Romanorum exercituum concursum refero. Unde fit hic sensus, meo judicio planissimus: *Ergo Philippi viderunt Romanas acies iterum concurrere.* Philippi quidem tunc ipsi *primùm* viderunt; pugnam tamen *secundam*, de summo terrarum imperio decretoriam, inter Octavianum et Brutum, cùm prima jam antè commissa esset apud Pharsalum inter Pompeium et Cæsarem.

491. *Bis sanguine nostro Emathiam, et latos Hæmi pinguescere campos.*] Admissâ explicatione proximè allatâ, sensus est facilis: Bis sanguine nostro Emathia, sive Macedonia, redundavit: primùm ad Pharsalum, victo Pompeio; iterum ad Philippos, victo Bruto et Cassio. Pharsalus enim et Philippi, etsi non in Macedoniâ strictè sumptâ, tamen in ejus confinio sunt. Vox autem illa, *bis*, in Emathiam tantùm cadit: non in Hæmi campos Philippicos, ubi semel duntaxat pugnatum est: sed Hæmum præcipuè signat, ut insignem recentiore plagâ, nimirum clade Bruti et Cassii, quæ nuper contigerat. Quasi dicat: *Bis sanguine Romano rigata fuit Emathia, sed præsertim semel Hæmus mons.* Sic G. 2. 192. *Pateris libamus, et auro:* id est, pateris variis, sed præcipue aureis. Sic G. 3. 56. *Maculis insignis, et albo;* id est, maculis variis, sed præcipuè albis.

498. *Dii patrii Indigetes, &c.*] Alii conjungunt, ut iidem sint *patrii* et *indigetes* Dii: alii distinguunt: primi meliùs: et *indigetes* dicti, vel quia eos *indigetare*, id est, appellare et invocare mos erat: vel quia homines fuerant, *in* eodem solo cum hominibus *degentes:* vel jam inter Deos *in* cœlo *degentes*, vel quia beati, nullius rei *indigentes.* Talis Romulus, et Æneas: *Quem turba Quirini nuncupat indigetem, temploque arisque recepit*, Ovid. Met. 14. 608. De *Romulo*, Æn. 1. 280.

*Vestaque.*] Geminam esse volunt, alteram Saturni matrem, quam pro terrâ accipiunt; de quâ Ovid. Fast. 6. 300. *Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur:* alteram Saturni filiam, quam virginem et ignis præsidem statuunt, ab ἑστία, *focus*, de quâ Cicero, de Nat. 2. 67. Vulgò tamen utraque confunditur. Hanc volunt advectam ab Æneâ inter Deos Penates, ut videbitur, Æn. 2. 717. ejusque sacra tradita deinde Albanis, et à Numâ Pompilio illata Romam: collegio virginum instituto, quæ perpetuum ignem ad salutem imperii alerent.

499. *Tuscum Tyberim.*] Italiæ fluvius est, Tusciam, sive Etruriam, à Latio dividens. De eo, Æn. 8. 330. De *Palatiis* Romanis, Æn. 9. 9.

500. *Juvenem.*] Octavianum Cæsarem, Ecl. 1. De *sæclo*, suprà, v. 468.

502. *Laomedonteæ, &c.*] Laomedon Priami pater, Trojanorum rex, cùm urbem suam hactenus immunitam cingeret mœnibus: Neptunum et Apollinem, qui fabricam illam suscepe-

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: sævit toto Mars impius orbe.
Ut cùm carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia: et frustrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

*Hinc Euphrates, illinc Germania parat bellum: urbes finitimæ violatis fœderibus capiunt arma invicem: Mars scelestus furit toto orbe. Veluti cùm quadrigæ eruperunt è septis, per spatium* circi, *et auriga incassùm adducens habenas, abripitur ab equis, nec equi obtemperant habenis.*

NOTÆ.

rant, pactâ mercede fraudavit. Ideò peste et inundatione vexatus, cùm ad placandos Deos, Hesionem filiam jussu oraculi marinæ exposuisset belluæ: eaque per Herculem liberata esset: equos eidem liberatori, quos promiserat, abnuit: ideò capta urbs ab Hercule, ac direpta: Diique complures Trojanis infesti, quorum odio Romanas quoque calamitates attribuit.

509. *Hinc movet Euphrates, illinc, &c.*] Significat bellum ab oriente, ab occidente, ab ipsâ Italiâ imminere, à civibus vicinisque urbibus; à Parthis, quorum terminus erat Euphrates; et à Germanis; de utrâque gente, Ecl. 1. 63. Et verò de Parthis paulo ante triumphârat Ventidius, et adhuc adversùs eos bellum movebat Antonius. *Euphrates.*] Nobilis fluvius, ex Armeniæ montibus ortus: Mesopotamiam deinde, Nili instar, inundatione fœcundans; denique cum Tigride conjunctus, in Persicum sinum influit.

512. *Ut cùm carceribus, &c.*] Septis sive repagulis, quibus continebantur equi ad cursum parati. *Quadrigæ.*] Quatuor equi simul juncti, dicti: vel quòd sub eodem jugo sint, quasi *quadrijugæ*, ut est apud Gell. l. 11. Vel quòd impellantur et agantur simul, quasi *quadriagæ:* ut recentioribus magis placet. De illo equestri decursu, ludisque Circensibus, Æn. 5. 288.

---

P. VIRGILII MARONIS

# GEORGICORUM

## LIBER II.

---

### ARGUMENTUM.

*HABET hic liber de plantatione partes septem. I. Modos omnes producendarum arborum, tam ex naturâ, quàm ex arte. II. Varias earum species, et quo singulæ modo tractandæ sint, naturali, an artificioso. III. Quibus singulæ locis feliciùs proveniant: ubi excurritur in laudes Italici soli. IV. Artem discernendæ naturæ cujusque soli. V. Culturam vitis. VI. Culturam oleæ, et aliarum aliquot arborum. VII. Epilogum de vitæ rusticæ felicitate.*

Hactenus arvorum cultus, et sidera cœli:
Nunc te, Bacche, canam, necnon sylvestria tecum
Virgulta, et prolem tardè crescentis olivæ.

INTERPRETATIO.

*Huc usque* locutus sum *de culturâ agrorum, deque signis cœlestibus: jam loquar de te, ô Bacche; et de sylvestribus arbusculis tecum; deque sobole oleæ lentè crescentis.*

NOTÆ.

2. *Nunc te, Bacche, &c.*] Argumenta proponit hujus libri præcipua. Per *Bacchum*, vinum intelligit: per *prolem olivæ*, vel fructum, vel propaginem olearum: per *virgulta*, generatim sylvestres omnes arbores.

3. *Tardè crescentis olivæ.*] *Oliva* tam tardè

Huc, Pater ô Lenæe: tuis hìc omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris.
Huc, Pater ô Lenæe, veni: nudataque musto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis.
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte suâ veniunt, camposque et flumina latè
Curva tenent: ut molle siler, lentæque genistæ,
Populus, et glaucâ canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: ut altæ
Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æsculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima sylva:
Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbrâ.

*Huc adsis, ô pater Bacche! hìc omnia repleta sunt tuis donis: ager floret tibi, onustus pampinis autumnalibus; vindemia spumat plenis vasis. Huc adsis, ô pater Bacche! et mecum tinge novo vino suras nudas, detractis calceamentis. Primò natura diversa est in producendis arboribus. Aliæ enim, nullis hominibus* per artem *compellentibus, ipsæ ultro nascuntur, et latè occupant agros, et amnes flexuosos: ut siler tenerum, et genistæ flexibiles, et populus, et salices albentes foliis virentibus. Aliæ verò oriuntur ex jacto semine: ut castaneæ sublimes, et æsculus, quæ maxima in sylvis frondescit* ad honorem *Jovis, et quercus* quæ *existimatæ* sunt *à Græcis oracula. Aliæ emittunt à radice spississimam multitudinem* ramorum: *ut cerasi, et ulmi: laurus etiam Apollinea parva attollit se sub grandi umbraculo matris* suæ.

NOTÆ.

crescit, ut per ducentos annos crescere à quibusdam dicatur: tam tardè fructum olim tulit, ut ex Plin. l. 15. c. 1. *Hesiodus negaverit oleæ satorem fructum ex eâ percepisse quenquam:* suâ tamen ætate baccas secundo anno decerpi, ait idem Plinius. Hinc dicta Græcis ὀψίγονος, *serò genita*, et ὀψίκαρπος, *serò fructum ferens.*

4. *Pater ô Lenæe.*] Invocatio Bacchi solius: quia præcipuum hoc libro studium impendit in vinearum cultu præscribendo. *Lenæus*, Bacchi nomen: non à *leniendâ* mente, ut Donatus putat; sed à ληνὸς, *torcular.* At *Pater*, licèt de omnibus Diis communiter, tamen de Baccho præsertim dicitur. Ita Velleius, de M. Antonio, 1. 2. *Cùm curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ.* Horat. Epist. 2. 1. 5. *Romulus et Liber pater, et cum Castore Pollux.* De *Baccho* ejusque insignibus, Ecl. 5. 29. 69.

5. *Pampineo gravidus autumno, &c.*] Diomedes *exilem* vocat hunc versum, quòd in quintâ sede iambum pro spondæo habeat.

6. *Floret ager.*] Vites autumno non florent: adeóque hic *florere*, non proprium, sed metaphoricum est. Sic Æn. 7. 804. *Florentes ære catervas.* Lucret. 5. 1441. *Floret mare navibus*, id est, *abundat, gaudet*, &c.

*Labris.*] *Labrum*, vasis genus, in quo lavabant, quasi *lavabrum.*

7. *Musto tinge novo.*] Redundat hìc *novo*, juxta aliquos. *Mustum* enim sine addito *vinum novum est*, imò *novum* simpliciter, ut scribit Nonnius, citaturque in illâ significatione ex Nævio, *virgo musta:* ex Catone Censorio, *agna musta:* pro quo magis placuit Plinio: *musteum piper, musteus caseus:* Plinius junior, *musteus liber*, id est, *novus, recens.* De *cothurnis*, Ecl. 7. 32.

*Principio arboribus.*] I. PARS. De *modis quibus arbores proveniunt, tam à naturâ, quàm ab arte.* A naturâ tribus modis oriuntur, sponte suâ, semine fortuito, et radice: semine, inquam, fortuito; est enim quædam seminatio, quæ ad artem etiam pertinet. Ab arte quot modis oriantur, vide v. 22.

12. *Siler lentæque genistæ.*] Siler, frutex humilis et lentus, *du siler*, WITHY: ut et genista, *du genest*, BROOM.

13. *Populus.*] *Peuplier*, THE POPLAR. Tria hujus genera, ex Plinio, l. 16. c. 23. *alba, nigra, et quæ Libyca appellatur, minima folio ac nigerrima. Alba folio bicolor supernè candicans, inferiore parte viridi.* Imò contrà, infernè candicans, supernè viridis, ut notat Matthiol. Causam duplicis hujus coloris repete ex Ecl. 7. 61.

*Glaucâ canentia fronde salicta.*] Loca arboribus consita dixit, pro ipsis arboribus; *salicta* vel *saliceta*, pro *salicibus, saules*, WILLOWS. Multiplex earum species: præcipuè *alba* quæ validioribus assurgit ramis: et quemadmodum populus, foliis hinc virentibus, inde albentibus notabilis est. Reliquæ gracilioribus virgis ferè constat, et inter vimina recensentur, *osiers.*

15. *Castaneæ.*] *Chataigniers*, CHESNUT-TREES. *Æsculus*, arbor glandifera, frequens in Dodonæo nemore, quod Jovi dicatum est: quidam cum fago confundunt, Ecl. 1. 1. De quercubus ejus nemoris, è quibus oracula repeti solebant, Ecl. 9. 13.

18. *Cerasis, ulmisque.*] *Cerasus, cerasier*, CHERRY-TREE, arbor ex Cerasunte, urbe Cappadociæ maritimâ, deportata primò Romam à L. Lucullo, et in ejusdem de Mithridate Ponti rege triumpho circumlata. Scitè autem notat Casaubonus in Athenæum, non arbori nomen ab urbe; sed urbi potiùs ab arborum ejusmodi multitudine inditum esse: ut et aliis compluribus locis. Sic enim *Rhamnus, untis*, vicus in Atticâ, *à rhamnis: Achradus, untis*, Atticæ tribus, ab ἀχρὰς,

Hos natura modos primùm dedit: his genus omne
Sylvarum fruticumque viret, nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse viâ sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum,
Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos:
Sylvarumque aliæ pressos propaginis arcus
Expectant, et viva suâ plantaria terrâ.
Nil radicis egent aliæ: summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis, mirabile dictu,
Truditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pyrum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite, ô, proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo.
Neu segnes jaceant terræ: juvat Ismara Baccho

*Natura primò suppeditavit* tres *illos modos quibus virescit omne genus sylvarum et virgultorum, et lucorum sacrorum. Sunt alii* modi, *quos ipsa experientia sibi invenit* certâ *ratione. Hic avellens ramulos è trunco tenero matrum, committit* eos *fossulis: Iste sepelit terrâ radices, et perticas fissas* in *quatuor* partes, *et palos trunco acuminato: Aliæ arbores desiderant ad propagationem palmites arcuatos deprimi, et plantas vivas in propriâ terrâ* defodi. *Aliæ non indigent radice, et amputator non timet reddens terræ committere summum fastigium* rami. *Præterea ex sicco stipite* oleæ, *ramis circumcisis, emittitur radix oleacea,* quod *mirum* est *dictu. Et sæpe cernimus ramos unius arboris sine damno mutari in* ramos *alterius, et pyrum transformatam producere mala* sibi *insita, et dura corna rubescere in pruno* arbore. *Agite igitur, ô coloni, discite culturam* singulis *generibus congruam, et mansuefacite per cultum fructus sylvestres.* Cavete *verò ne terræ sint inutiles: prodest Ismarum vitibus implere,*

## NOTÆ.

ἀδος, quæ *pyrus sylvestris* est; *Selinus, untis,* in Siciliâ itemque in Ciliciâ, à σέλινον, *apium. Ulmus* arbor nota, *orme,* ELM. *Laurus,* Ecl. 2. 54. *Parnassia,* quia frequens in Parnasso, vel quia in tutelâ est Apollinis, cui sacer Parnassus.

21. *Fruticum.*] Frutices, quæ et *virgulta;* sunt ea quæ statim à radice se in ramos, ac veluti virgulas effundunt, et nunquam arborescunt. Mediæ naturæ sunt, inter arbores, et herbas sive olera: quæ verò propriùs ad herbas accedunt, vocantur à Plinio *suffrutices.*

22. *Sunt alii.*] Modos enumerat septem, quibus arbores per artem proveniunt.

23. *Hic plantas, &c.*] I. Modus. *Avulsio:* quâ stolones, *les rejettons,* SHOOTS, unà cum fibris et radiculis, è stirpe aut corpore arboris abscinduntur, et sulcis sive scrobibus mandantur.

24. *Hic stirpes.*] II. Modus. *Defossio stirpium,* id est, imi et crassioris trunci cum radicibus, *des souches,* THE STUMPS.

25. *Quadrifidasque sudes, et, &c.*] III. Modus. *Infossio palorum,* sive in quatuor partes, sive in acumen incisorum, *des pieux,* STAKES. *Robore.*] Hic truncum ipsum pali significat, quâ parte durior est: sic enim Plin. l. 17. 17. *Ramo seruntur et punica, item myrtus, longitudine trium pedum, trunco priùs exacuato.* Alibi aliud est *robur,* G. 1. 162.

26. *Sylvarumque aliæ, &c.*] IV. Modus. *Propagatio,* quæ præsertim in vitibus usui est, *provigner,* TO LAY A BRANCH. Cùm palmites è trunco in terram arcuatim inflectuntur, evaduntque novas in plantas: quæ *suâ,* id est, propriâ nativâque *terrâ* deinde pullulant; et *vivæ* dicuntur, quia non reciduntur è matris corpore, sed ei semper adhærent. *Propago.*] Est palmes ille inflexus, quo vitis propagatur et multiplicatur, *provin,* A LAYER.

28. *Nil radicis, &c.*] V. Modus. *Infossio summi surculi,* sive taleæ è cacumine rami amputatæ, quæ absque radice crescit et virescit.

30. *Quin et, &c.*] VI. Modus. *Infossio circumsecti stipitis,* qui non acuminatus, non è cacumine decisus, ut in tertio quartoque modo dictum est; sed præcisus ab utrâque parte, et ramulis undecunque spoliatus, radicem ex sese progignit. *Caudex* in arboribus idem est quod *caulis* in herbis: nempe id, quod è terrâ simplex assurgit, ex quo rami et folia circùm erumpunt, *la tige,* THE STALK.

32. *Et sæpe alterius, &c.*] VII. Modus. *Insitio,* cùm surculus unius arboris alteri immittitur, quæ quasi in ejus naturam transit: *enter,* TO GRAFT. De eâ fusiùs infrà, v. 73. *Vertere.*] Id est, vertere se, ut G. 3. 365. *In glaciem vertêre lacunæ,* id est, verterunt se. Et Æn. 1. 108. *Tum prora avertit:* id est, avertit se. Et Æn. 2. 229. *Novus per pectora cunctis insinuat pavor:* id est, insinuat se.

34. *Prunis—rubescere corna.*] *Cornum,* fructus est; *cornus,* arbor, *corneillier,* WILD CHERRY. Sensus ambiguus: vel enim dicit corna insita rubescere in prunis arboribus; vel cornos arbores rubescere prunis insitis; quo sensu ultimo, non *corna* sed *corni,* dicendum fuisset. Sed interdum Virgilius fructum sumit pro arbore: ut inferiùs v. 426. *poma* usurpat, non *pomos.*

36. *Fructusque feros.*] Plinius, l. 17. c. 10. de plantis: *mansuescunt tractatu, ceu feræ.*

37. *Juvat Ismara, &c.*] *Ismarum* et *Taburnum* pro quibuslibet montibus accipit. *Ismarus,*

Conserere, atque oleâ magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque unà decurre laborem,
O decus, ô famæ meritò pars maxima nostræ,
Mæcenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox: ades, et primi lege litoris oram.
In manibus terræ: non hìc te carmine ficto,
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.
Sponte suâ quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta et fortia surgunt.
Quippe solo natura subest. Tamen hæc quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis;
Exuerint sylvestrem animum: cultuque frequenti,
In quascunque voces artes, haud tarda sequentur.
Necnon et sterilis quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altæ frondes et rami matris opacant,

*et tegere oleis magnum Taburnum. Tu quoque fave* mihi, *ô Mæcenas, verè ornamentum et pars maxima famæ meæ: et persequere mecum susceptum opus: et navigans pande vela mari aperto. Non ego cupio comprehendere omnia meis carminibus. Non, si haberem centum linguas, et centum ora, et vocem ferream: fave* mihi, *et rade oram proximi litoris. Terra est in propinquo: non hinc morabor te poëmate fabuloso, per circuitus et exordia prolixa. Quæ* arbores *ultrò erigunt se in aërem, oriuntur quidem steriles, sed amplæ et robustæ: quia vis nativa inest terræ. Attamen si aliquis etiam immittat his* surculos aliarum, *aut* has *translatas committat fossis præparatis, deponent naturalem asperitatem, et per assiduam culturam, quocunque artificiali modo tractaveris, parebunt celeriter. Pariter illa quæ surgit sterilis è radice, idem faciet; si disponatur per campos patentes: nunc alta folia et rami matris inumbrant* eam,

## NOTÆ.

plurali neutro *Ismara*, in maritimâ Thraciæ regione mons, non procul ab ostiis Hebri. Regionis incolæ Cicones ab Homero appellantur; ipsa regio, percelebris vino; quo Ulysses Polyphemum Cyclopem inebriâsse narratur, Odyss. 9. 197.

38. *Taburnum.*] *Taburnus*, mons Campaniæ in confinio Samnii, inter Capuam, et Nolam, ferax oleis; hodie *Taburo*.

39. *Decurre laborem.*] Plerique omnes allegoriam hanc à circo repetunt, in quo citatis equis decurrebatur: confirmantque suam sententiam his postremis libri hujus versibus: *Sed jam tempus equûm fumantia solvere colla*, &c. Ego à navigatione repeto, ut et cætera quæ sequuntur. Et verò verbum *decurro*, etiam aquis inservit, apud Catull. 65. 6. *Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppi*. Æn. 5. 112. *Prona petit maria, et pelago decurrit aperto*.

41. *Pelagoque volans, &c.*] Anteà rogaverat Mæcenatem, ut secum laborem susciperet; mox idem iterat per allegoriam, invitando, ut secum naviget. Solemne est autem vetustis scriptoribus, grave quodlibet inceptum per navigationem explicare; quod Galli quoque familiari sermone usurpamus, *s'embarquer*, TO EMBARK IN, id est, negotium aliquod suscipere. *Volans.*] Id est, *navigans:* mutua est enim metaphora inter volatum, et natatum, aut navigationem. Sic Æn. 5. 219. de navi Mnesthei: *Sic illam fert impetus ipse volantem*. Et Æn. 6. 16. de volatu Dædali: *Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos*. Et Ibid. v. 19. *Tibi Phœbe sacravit Remigium alarum*. Et G. 4. 59. de apibus: *Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen*.

44. *Primi lege litoris oram.*] Ne te, ô Mæcenas, alto mari committas; sed *lege* tantùm, id est, stringe terrarum litora. Tamen cùm anteà dixerit, *pelago da vela patenti*, videtur quibusdam hìc secum pugnare Virgilius. Alii agnoscunt hìc figuram, quæ *correctio* dicitur, quasi dicat: *Expande vela in altum. Quanquam non omnia dicam, sed summa tantùm capita; itaque lege duntaxat litus*. Ego neque correctionem, neque pugnam hìc agnosco; *patens* enim mare, hìc non altum et longè semotum litoribus maris significat; sed hunc habet sensum: *Naviga dum mare patet et apertum est, non clausum ventis:* id est, *Aspira mihi, dum vena fluit, dum scribere incipio: et lege litus terrarum*, &c.

45. *In manibus terræ.*] Servius explicat: In facili et in promptu est terræ, ruris descriptio; de cujus cultu scribimus: πρόχειρον enim Græcis *facile* est. Alii meliùs: non recedemus à terrâ inter navigandum; legemus tantùm litora; terræ semper erunt in propinquo, et velut in potestate ac manibus nostris. Sic Æn. 9. 132. *Terra autem in manibus nostris*.

47. *Sponte suâ, &c.*] Jam relegit singulos modos; docetque quid cujusque sit proprium; tum admonet, artificiales modi quibus arboribus conveniant; quemadmodum anteà de naturalibus monuerat, v. 12.

49. *Solo natura subest.*] *Solum* Turnebus explicat, pedem seu radicem arboris; cujus natura vividior est in sylvestribus, ad eliciendum succum. Alii de *terrâ* ipsâ explicant, cui nativa vis inest: eaque veluti fortior ad sylvestres arbores, quàm ad sativas sustentandas. De *solo*, sub utrâque significatione, *terræ*, et *pedis*, Ecl. 6. 35.

50. *Inserat.*] Id est, per insitionem in alium truncum transferat, inquit Ascensius. Malè;

Crescentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.
Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant succos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
Cogendæ in sulcum, ac multâ mercede domandæ.
Sed truncis oleæ meliùs, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus;
Plantis eduræ coryli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere valentes:
Castaneæ fagus, ornusque incanuit albo

*et absumunt fructus surgenti, et enecant ferentem* fructus. *Quæ autem arbor extulit se è semine projecto, lentè crescit, serò datura umbram posteris: et fructus* ejus *degenerant, amisso priore sapore: et vitis gerit viles racemos,* qui sunt *præda avium. Nempe cura est adhibenda erga omnes, et omnes redigendæ* sunt *in ordinem, et subigendæ magno sumptu. At oleæ meliùs ex caudicibus, vites per propaginem proveniunt, myrtus Veneris è crassis palis. Oriuntur stirpibus duræ coryli, et magna fraxinus; et* populus *arbor umbrifera,* ex quâ *Herculis corona* fuit; *et quercus Jovis Dodonæi: oritur etiam* sic *alta palma, et abies* quæ *expertura* est *pericula maris. Arbutus autem horrida inseritur surculo nucis, et platani infœcundæ tulerunt malos robustas: fagus fuit alba* flore *castaneæ, et ornus candido*

## NOTÆ.

non enim arbor sylvestris alteri trunco, sed de arbore sylvestri surculus ex altero trunco fœcundiore imponitur. Quippe *inserere arborem,* non est duntaxat eam alteri inserere; sed etiam, eam insitione alterius perficere; sic Plin. l. 17. 17. *Corellius insevit castaneam suomet ipsam surculo.*

60. *Uva racemos.*] Aut hìc *uva,* pro *vite;* aut *racemus,* pro *acinis* uvæ, ponitur. Namque, ut admonet Taubmannus, *uva, racemus,* et *botrus,* idem planè; scilicet totus ipse fructus vitis: partes ejus sunt *acini,* sive grana: partes acini, *folliculus,* sive cutis, *succus, caro,* et *nucleus.*

62. *Multâ mercede.*] Vel multo labore, vel multo sumptu.

63. *Sed truncis oleæ, &c.*] Docet quo singulæ modo meliùs arbores per artem tractandæ sint, I. *Truncis oleæ:* id est, caudicibus undecunque sectis, qui sextus est modus, suprà, v. 30. *Quin et caudicibus,* &c. *Truditur è sicco radix oleagina ligno.* II. *Propagine vites;* qui quartus est modus, v. 26. *Aliæ pressos propaginis arcus,* &c. III. *Solido de robore myrtus,* id est, palo accuminato; qui tertius est modus, v. 25. *Et acuto robore vallos.* Et verò sic Plin. l. 17. 17. *Ramo seruntur et punica, item myrtus, longitudine trium pedum, trunco priùs exacuato. Robur* est ipsa pars trunci sive rami durior, ut diximus, v. 25. IV. et V. *Plantis eduræ coryli,* &c. id est, vel stolonibus, vel stirpibus; qui primus et secundus modus est, v. 23. *Hic plantas tenero abscindens,* &c. VI. *Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus:* id est, nux arbuto insita meliùs succedit. Arbutus, *arboisier,* STRAWBERRY-TREE. Ecl. 3. 82. Unus è septem modis superest, nempe *decacuminatio,* sive *talea:* cujus usum non attulit; quia ferè convenit, vel cum tertio modo, vel cum sexto.

64. *Paphiæ.*] Veneris, à *Papho,* urbe in Insulâ Cypro, ubi insigniter colebatur. Cur myrtus sit dicata Veneri, Ecl. 7. 62.

65. *Eduræ coryli.*] Nuces avellanæ, *coudriers,* HAZEL NUTS. *Eduræ,* id est valdè duræ; litera enim *e* vocabulis præfixa, aliquando auget, ut hìc, et apud Ovid. in Arte: *Nec tamen, edurè, quod petit illa, nega.* Aliquando minuit, ut infrà, v. 78. *Enodes trunci,* id est, nodo carentes.

66. *Fraxinus.*] *Frêne,* ASH. *Herculeæque arbos, &c.*] *Populus, peuplier,* POPLAR: de quâ et Herculis coronâ, Ecl. 7. 61.

67. *Chaoniique patris glandes.*] Quercus dicata Jovi, in nemore Chaonio, sive Dodonæo, Ecl. 9. 13.

68. *Abies.*] *Sapin,* FIR. Cujus aliqua species apta navibus: unde ipsi quasi sensum tribuit, ad videnda maris pericula.

69. *Arbutus.*] *Arboisier,* STRAWBERRY-TREE, Ecl. 3. 82. *Horrida,* quia raris est foliis, et versûs ultima syllaba cum sequente versu eliditur. *Fœtu nucis,* surculo, vel gemma è nuce decerptâ.

70. *Steriles platani malos, &c.*] *Platanus, un plane,* A PLANE: arbor umbræ tantùm opacitate, et foliorum amplitudine utilis. *Malus, un pommier,* AN APPLE-TREE.

71. *Castaneæ fagus.*] Vulgò legitur, *Castaneæ fagos:* quod absurdum videtur, in castaneâ fertili, fagum infœcundam inseri. Unde mirè se torquent interpretes. I. Ascensius legit: *Et steriles platani mallos gessere valentes Castaneæ: fagus ornusque incanuit,* &c. hoc sensu: Platani gessere ramos castaneæ arboris, ita valentes ac robustos, ut etiam navium mali videri possent. Sed hoc durius. II. Scaliger legit: *Castaneas fagus:* ita ut *fagus* sit in plurali nominativo quartæ declinationis. At illa lectio, *castaneas*

Flore pyri: glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
Nam quà se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc alienâ ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et altè
Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur. Nec longum tempus, et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, et non sua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, nec Idæis cyparissis:
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
Orchades, et radii, et amarâ pausia baccâ:
Pomaque, et Alcinoï sylvæ: nec surculus idem
Crustumiis, Syriisque pyris, gravibusque volemis.

*flore pyri: et porci comederunt glandes sub ulmis. Nec una et eadem res est, inserere, et inoculare. Nam quâ parte oculi* arborum *emittunt se de medio cortice, et rumpunt tenuem pelliculam, arctus sinus aperitur in ipso oculo: in quo includunt oculum ex aliâ arbore* decisum, *eumque docent concorporari cum cortice* interiore *humido. Aut præterea trunci carentes nodo scinduntur, et profundè rima aperitur cuneis per medium* lignum: *posteà fertiles surculi insinuantur: nec longo pòst tempore magna arbor surgit in aërem ramis fructiferis; miraturque nova folia, et fructus non sui generis. Præterea non est unica species, nec ulmorum robustarum, nec salicum et lotorum, et cupressorum Idæarum. Nec olivæ pingues oriuntur eâdem figurâ, Orchades et radii, et pausiæ* quarum *baccæ acerbæ* sunt: *nec poma et arbores Alcinoï; nec genus idem est pyris Crustumiis, Syriis, et volemis ponderosis.*

## NOTÆ.

pro *castaneæ*, paulò sanè audacior. III. Meliùs Abramus legit, non *fagos*, sed levi literæ unius immutatione: *Castaneæ fagus:* ita ut *castaneæ* sit in genitivo; *fagus* in nominativo, per cæsuræ licentiam hìc producto: hoc sensu: fagus incanuit flore castaneæ, et ornus flore pyri. Et verò flores castaneæ cum aliquo albore virescunt. *Fagus, hêtre,* BEECH, Ecl. 1. 1. *Ornus, frêne sauvage,* WILD-ASH, Ecl. 6. 71. *Pyrus, poirier,* PEAR-TREE.

72. *Glandemque sues, &c.*] Significat quercus glandiferas ulmis fuisse insitas, ad pastum porcorum.

73. *Nec modus inserere, &c.*] Describitur insitionis duplex modus: unus qui propriè vocatur *insitio, enter en greffe,* TO GRAFT; alter qui dicitur *inoculatio, enter en écusson,* TO INOCULATE. Additur à Plinio tertius, *emplastratio:* quæ ab aliis cum inoculatione confunditur. Videtur tamen, inter tres illos modos, id esse discriminis: quòd *insitio* fiebat, fisso arboris trunco, et surculis uno vel pluribus in ipsam trunci fissuram insertis. *Inoculatio* autem, sinu inter corticem ac truncum aperto, cui surculus includebatur. *Emplastratio* denique, sublatâ parte corticis, cujus in locum substituebatur alterius arboris gemma, pari magnitudine, quæ sublati corticis spatium repleret. Id patet ex Plin. l. 17. c. 16. 18. &c. Unde constat variam fuisse, pro temporum ratione, inserendi artem: in eoque nostros homines à Virgilio discedere, quòd hic *sinum* in ipso arboris nodo ac gemmâ faciendum moneat, quem nos, infra, vel supra nodum, in corticis parte maximè tersâ ac nitidâ, aperimus. De verbo *inolescere,* Æn. 6. 738.

74. *Gemmæ.*] Propriè nodi sunt, et germina, quibus in flores aut folia arbor protuberat, metaphoricè vocantur *oculi,* et *gemmæ: oculi,* propter corrugationem corticis, quæ circumplicatam oculorum cuticulam imitatur: *gemmæ* simili metaphorâ.

78. *Enodes.*] Suprà, v. 65.

83. *Præterea genus, &c.*] II. PARS. De *variis arborum speciebus.* De *salicibus,* v. 13. *Lotus* arbor Africana, magni usûs pro pane, et vino, unde et populi dicti *Lotophagi:* de quâ fusè Plinius, l. 13. 17. De *Cyparissis,* vel cupressis, G. 1. 20. *Idæis.*] Mons Ida duplex, alter in Phrygiâ, alter in Cretâ insulâ: de ultimo hìc sermo est, quem Plinius, l. 16. 33. appellat *patriam cupressi.*

85. *Nec pingues, &c.*] Tres enumerat olivarum species. *Orchades,* vel ut alii legunt, *Orchites,* non ab insulis Scotiæ adjacentibus, quæ *Orcades* appellantur, sed ab ὄρχις, *testiculus,* quòd rotundæ sint: *Radios,* quòd oblongæ sint, instar radii textorii: *Pausias,* quòd ad oleum exprimendum tundantur, ab antiquâ voce *pavire,* id est, tundere: monet enim Columella, orchites et radios, ad escam esse, quàm ad liquorem meliores: itaque pausia propter amaritiem ad oleum apta est.

87. *Alcinöi sylvæ.*] Alcinous Phæacum rex, hortorum studio laudatus apud Homer. Odyss. 7.

88. *Crustumiis, &c.*] Pyrorum species præcipuè tres eligit è pluribus: *Crustumia* ab oppido Tusciæ Crustumio, subrubicunda: *poires perles,* KATTERN-PEARS, ex Dalecampio in Plin. 15. 15. *Syria,* nigricantia, aliter *Tarentina* dicta, quòd è Syriâ Tarentum translata fuissent: *bergamottes,* juxta aliquos. *Volema,* quòd volam manûs impleant, *bon Chretien:* unde quidam confundunt cum iis, quæ Plinius appellat *libralia,* à libræ pondere; sed hæc ad aliam speciem pertinent, cui nomen, *poires de livre,* POUND-PEARS.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thasiæ vites, sunt et Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et passo Psythia utilior, tenuisque lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.
Purpureæ, preciæque: et quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideò contende Falernis.
Sunt etiam Ammineæ vites, firmissima vina:
Tmolus et assurgit quibus, et rex ipse Phanæus,
Argitisque minor, cui non certaverit ulla,
Aut tantùm fluere, aut totidem durare per annos.

*Non eadem uva pendet è nostris arboribus* Italicis, atque illa, *quam Lesbos decerpit è vite Methymneâ. Sunt vites Thasiæ, sunt quoque Mareoticæ albæ; Thasiæ aptæ solo pingui, Mareoticæ* solo *tenui.* Est *quoque* vitis *Psythia,* quæ *aptior* est *ad vinum coctum, et lageos subtilis,* quæ *aliquando pedes captat, et alligat linguam.* Sunt *purpureæ, et preciæ: et quo versu vos laudabo, ô Rhæticæ? ne tamen idcircò pugnate* cum *cellariis Falernis. Sunt prætereà vites Ammineæ, vina* valdè *durabilia: quibus cedit et Tmolus, et Phanæus ipse princeps* montium viti-ferorum, *et parva Argitis, cum quâ nulla* alia *possit contendere aut liquore tanto, aut duratione per tot annos.*

## NOTÆ.

89. *Arboribus.*] Vel vitibus ipsis, quæ recensentur à Theophrasto inter arbores: vel ulmis, quibus in Italiâ fulciuntur. Harum species distinguit quindecim.

90. *Quam Methymnæo, &c.*] *Lesbos* insula maris Ægæi; cujus urbs *Methymna,* vino illustris.

91. *Thasiæ, &c.*] *Thasus,* ejusdem maris insula. *Mareotides.*] Fuit *Mareia,* lacus Ægyptius, Alexandriam à meridie alluens, et urbs lacui propinqua. Fuit *Mareotis,* Libyæ, seu Africæ pars, Ægypto contermina, quæ et Marmarica dicta est, nunc *Barca.* Fuit denique *Mareotis* alia, pars Epiri, seu Græciæ. Tribus his, vinum *Mareoticum* attribuitur à diversis auctoribus: lacui quidem et urbi, ab Athenæo, l. 1. Libycæ regioni, à Strabone lib. ultimo: Græcæ regioni à Colum. l. 3. 2. Plures tamen Libycum et Ægyptium fuisse censent, unde *Alexandrinum* quoque appellant.

93. *Passo Psythia utilior.*] De passo *Psythio* et *Melampsythio* frequens apud varios auctores mentio: unde verò *Psythiæ* nomen, obscurum est: Cerdanus suspicatur, vel ab oppido aliquo Græciæ derivatum esse: siquidem Columella l. 3. c. 2. Psythiam vitem *Græculam* facit: vel à ψύθα, quod apud Hesychium, est vinum illud, quod sponte et sine torculari profluit. *Passum* vinum est, quod fit ex uvis in vite diutiùs Sole adustis, ex Plin. l. 14. 9. vel ex uvis in lixiviâ et oleo ad ignem aliquantulùm exsiccatis, ex Columel. l. 12. 16. Unde *passum* dicitur, vel quia Solem aut ignem *patitur;* vel quia Soli *expanditur.*

93. *Tenuisque lageos, &c.*] Λάγειος, *leporaria;* quæ leporis colorem refert. *Tenuis* dicitur: vel juxta Servium, quasi penetrabilis; quæ facilè ebrietatem inducit. Nam, ut admonet idem Servius, *olim,* adverbium est cujuslibet temporis. Vel, ut innuit Taubmannus, *tenuis* dicitur, quasi levis et exiguæ virtutis; quæ *olim,* id est, tardè ac lentè admodum inebriat.

95. *Purpureæ, preciæque.*] Illæ à colore nomen habent; hæ à maturitate, quasi *præcoquæ,* inquit Servius: quia citò maturescunt.

96. *Quo te carmine dicam, Rhætica?*] Laudatur hæc vitis à Catone, à Plinio; apud Augustum etiam fuisse in pretio traditur à Sueton. 77. Testatur tamen Servius, eam à Catullo fuisse vituperatam: qui locus Catulli non extat: unde putat Virgilium in eâ laudandâ, dubitatione usum esse. Quanquam Turnebus figuram illam, *quo te carmine,* &c. non dubitationi, sed admirationi tribuit, ac seriæ laudi, quâ locum ipsi inter optima vina assignat, sed post vina Falernâ: ideò addit: *nec cellis,* &c. Firmatque sententiam auctoritate Plinii, l. 14 6. *Rhætica, tantùm Falernis posthabita à Virgilio. Falernus* mons et ager Campaniæ: mons vino, ager frumento feracissimus. *Rhætia* regio Italiæ contermina, inter Alpes Rhæticas ac Tridentinas: ubi hodie Grisones, Tridentina ditio, comitatus Tirolensis, vallis Tullina, &c.

97. *Sunt etiam Ammineæ, &c.*] Scribunt Plinius et Ausonius *Ammineum vinum:* Galenus et Hesychius Ἀμιναῖον: igitur juxta illos legendum, *Sunt et Aminææ vites:* et utroque sanè modo diversis in codicibus legitur. Ita dictum putat Alciatus generatim vinum optimum, quasi ἄμεινον, *melius;* at sine teste. Macrobius esse conjicit vinum ipsum Falernum: nam *Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum est,* inquit ille, Saturn. l. 2. 16. Virgilius tamen hìc Ammineum à Falerno distinguit. Ego vinum puto totâ sparsum Italiâ, ubi solas ab antiquis agnitas fuisse vites Ammineas testatur Columella; et suis quoque temporibus, vetustissimas ita solitas nuncupari. Eò quippe translatas vites è Thessaliâ, ab *Amineis* Thessaliæ populis, ait Aristoteles in Polit. citante Philargyrio. Plin. verò l. 4. 12. *Principatus datur Ammineis, propter firmitatem, senioque proficientem vini ejus ubique vitam.*

98. *Tmolus, &c. Phanæus.*] De vino Tmoli Lydiæ montis, G. 1. 56. *Phanæus,* mons in promontorio Chii, insulæ maris Ægæi: cujus vinum aliqui cum *Arvisio* confundunt, de quo Ecl. 5. 71. *Assurgit.*] Cedit, assurgimus enim iis, quibus honorem habemus, Ecl. 6. 66.

99. *Argitisque minor.*] Minor majore præ-

Non ego te, mensis et Dîs accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.
Sed neque quàm multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus: neque enim numero comprendere refert.
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nôsse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni,
Litora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem et frigora taxi.
Aspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.
Divisæ arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno

*Non ego te præteribo, ô* vitis *Rhodia, grata Diis secundarum mensarum! nec te, ô Bumaste, turgidis uvis. At non est numerabile quot* sint earum *species, et quæ sint nomina: neque verò interest eas redigere in numerum. Quem* numerum *quicunque vellet discere, idem vellet discere quot arenæ moventur Zephyro; aut quot fluctus Ionii allabantur ad litus, cùm Eurus vehementior irruit in naves. Nec verò terræ omnes possunt producere omnia: Salices oriuntur circa fluvios, alni circa pigras paludes, orni infæcundæ in lapidosis montibus: litora feracissima sunt myrtorum: denique vitis amat colles expositos Soli; taxi Boream et frigus. Aspice etiam ultimum orbem excultum ab agricolis, et regionem orientalem Arabum, et Gelonos pictos.* Sua singulis *arboribus patria assignata est. Sola India producit nigrum ebenum: soli Sabæi habent ramos thuriferos. Cur commemorem tibi balsama sudantia ex odoriferâ arbore,*

NOTÆ.

stantior: duplex enim est species, ex Columel. l. 3. 2. Nomen habet, vel ab ἀργὸς, *albus;* vel ab *Argis,* Peloponnesi urbe et regno, quasi *Argiva.*

101. *Non ego te, &c. Rhodia.*] Mensæ primæ, carnium erat; mensæ secundæ, pomorum, et cæterorum ejusmodi, quæ *bellaria* generatim appellabant, Græci τραγήματα, Galli *dessert,* THE DESERT. In secundis illis mensis comprecabantur Deos, iisque vina libabant, effundebantque: Mercurio præsertim: etiam aliis, Jovi, Junoni, Baccho, ut Æn. 1. 735. *Rhodium* igitur vinum, è *Rhodo* Mediterranei maris insulâ, aptum dicit: vel ad usum inter bellaria, vel ad solemnem illam libationem.

102. *Bumaste.*] Βούμαστος, vaccæ mammam magnitudine referens: *bumamma* Varroni, *bumammia* Columellæ et Plinio dicitur.

105. *Libyci.*] Vel Africæ; vel Libyæ, quæ pars est Africæ, de quâ G. 1. 241. De *Zephyro,* Ecl. 5. 55. De *Euro,* G. 1. 371.

108. *Ionii.*] Ionium mare dicitur, non quod Ioniam alluit, angustam Asiæ minoris regionem, inter Cariam et Æolidem: sed quod Siciliam inter et Græciam interfusum est: à quo mare Hadriaticum distinguitur *Acroceraunio,* Epiri promontorio. Nominis origo incerta.

109. *Nec verò terræ, &c.*] III. PARS. De *variis locis quibus arbores aliis aliæ feliciùs proveniunt. Salices, saules,* WILLOWS, v. 12. Alni, *aulnes,* ALDERS. *Orni, frênes sauvage,* WILD-ASH. *Myrteta.*] Loca myrto consita, Ecl. 2. 54. *Taxus, l'if,* YEW, infrà, v. 257. *Aquilo,* Ecl. 7. 51.

115. *Eoasque domos Arabum.*] *Eoas,* orientales: ab ἠὼς, *Aurora,* quæ inde oritur. *Arabia,* ingens Asiæ regio, sinu Persico ad orientem, mari rubro ad meridiem, sinu Arabico ad occidentem, Syriâ et Mesopotamiâ ad septentrionem, definita; in tres divisa partes: in *Desertam:* in *Felicem,* ubi *Sabæi,* et *Panchæi,* thure insignes: et in *Petræam,* ubi *Nabathæi,* suis quoque nobiles odoribus.

*Gelonos.*] Barbarus populus, de quibus ita Turnebus l. 29. 26. *Populos Scythiæ omnes esse agnoscunt, et scribunt geographi. Vibius Sequester populos Thraciæ exponit: ita enim scribit:* Geloni Thraciæ populi, picti corporis parte: *nisi si quis nomen Thraciæ, ut mendosum suspectat.* Et verò videtur Virgilius eos in Thraciâ collocare, G. 3. 461. *Acerque Gelonus, Cùm fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino.* Rhodope enim Thraciæ mons est: et Getæ, gens Dacica, Scythiæ tamen ac Thraciæ contermina.

117. *India nigrum fert ebenum.*] Dicitur *hoc ebenum,* et *hæc ebenus.* De eâ sic Plin. l. 12. 4. *Unam è peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligere maluit. Romæ eam magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Uritur odore jucundo.* An Ebenus nostra vera sit, dubitatur, quia suffitu nullum emittit jucundum odorem; unde eam Pena existimat esse Guyaci speciem. De *Indiâ, Sabæis,* et *thure,* G. 1. 57.

Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lanâ?
Velleraque ut foliis depectunt tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ;
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem

*et baccas acanthi semper virentis? Cur* dicam *sylvas Æthiopum, albentes molli lanâ? et quemadmodum Seres deducant è frondibus fila tenuia? aut* quid describam *sylvas, quas gerit India vicina Oceano,* et quæ est *recessus ultimi mundi? ubi nullæ sagittæ possunt jactu superare supremum cacumen arboris; et tamen illa natio non est pigra in usu pharetræ. Media producit succos acerbos, et lentum saporem*

## NOTÆ.

119. *Balsamaque.*] *Balsamum,* arbuscula est, de quâ sic Plin. l. 12. 25. *Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terræ Judææ concessum; quondam in duobus tantùm hortis, utroque regio. Ostendere arbusculam hanc urbi Imperatores Vespasiani,* nempe in triumpho Judaico. *Servit nunc hæc, et tributa pendit cum suâ gente. Sæviere in eam Judæi, sicut in vitam quoque suam; contrà defendere Romani, et dimicatum pro frutice est. Viti similior est, quàm myrto: et implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis: ferro lædi vitalia odit. Succus è plagâ manat, quem opobalsamum vocant, eximiæ suavitatis, sed tenui guttâ: ploratus lanis parva colligitur in cornua. Præcipua gratia lachrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno:* quod etiam odoratissimum est. Sic tamen Lipsius, in Tacit. l. 5. 6. *Atque ita sanè tunc fuerit; posteà non dubium stirpem eam in Ægyptum transiisse.* Citatque Claudianum in Epithal. Palladii. Si tamen Josepho fides est, Judaic. Antiq. l. 8. 6. balsami planta potiùs in Judæam, ex Ægypto transiit: dono data Salomoni à *Nicauli:* quam hic reginam facit Ægypti et Æthiopiæ, sacræ literæ reginam Saba nuncupant.

*Acanthi.*] Non est hìc *branca ursina,* de quâ Ecl. 3. 45. quæ passim in agris reperitur, herba coronaria; sed arbor est peregrina, semper frondens, et baccis ferax. Ea certè est *Ægyptia spina,* sive *acacia,* flores habens candidos: semina item in siliquis, unde succus exprimitur medicos in usus expetitus, quæ *baccæ* dici possunt. Hinc et gummi fluit, quod vocant officinæ *Arabicum,* quia plerique spinam Ægyptiam cum Arabicâ spinâ confundunt. *Acanthus,* ἄκανθος, porrò dicitur omnis spina, ab ἀκάζω, *acuo:* unde ἀκακία quoque deducitur: eadem igitur utriusque vocis origo est. Ita Bodæus in Theophrastum l. 4. 3. Videtur nunc in Galliis arbor illa, sed propter soli mutationem, ab Ægyptiâ multùm degener.

120. *Quid nemora Æthiopum, &c.*] De iis Plin. l. 13. 14. *Æthiopia Ægypto contermina insignes arbores non ferè habet, præter laniferas: quarum natura, in descriptione Indorum atque Arabiæ, dicta est.* Has autem Arabicas ita descripserat, l. 12. 10. *Ferunt colonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt.* Lana illa, species est gossipii. *Cotton.* De *Æthiopiâ,* Ecl. 10. 68.

121. *Velleraque ut, &c.*] Distinguunt plerique vellera *byssina, bombycina,* et *serica;* ita ut *byssina* sint è lino aurei coloris; *bombycina* è verme satis noto; *serica* ex arborum lanâ. Et *byssum* quidem nasci perhibet Plinius *circa Elim in Achaiâ,* l. 19. 1. *Bombycem* vermiculum Assyriæ attribuit, l. 11. 22. Ejusque velleris texendi artem à Pamphilâ quâdam muliere repertam esse, in Coo maris Ægæi insulâ, testatur ibidem, post Aristotelem, Hist. an. l. 5. 19. Unde celebrantur à poëtis *Coæ* vestes. Arbores verò sericas in extremo oriente, apud Seres populos, constituit Plinius, l. 6. 17. *Seres lanificio sylvarum nobiles perfusam aquâ depectentes frondium canitiem. Mites quidem, sed et ipsi feris persimiles, cœlum reliquorum mortalium fugiunt, cùm commercia expectant.* Hi fuerunt Scythis, Indis et Sinis contermini: unde cum iis omnibus vulgò confunduntur: videntur mihi eorum mores ad Sinenses propiùs accedere.

122. *Aut quos Oceano, &c.*] Plin. l. 7. 2. *Maxima in Indiâ gignuntur animalia. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant. Arundines verò tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant.* De *Indiâ,* G. 1. 57. *Extremi sinus orbis.*] Quia latissimum habet sinum, qui dicitur Gangeticus, versùs Oceanum Eoum sive Orientalem: et tota illa regio terrarum terminus habita est; Sinis, qui ad orientem ulteriores sunt, aut parùm cognitis, aut Indorum nomine comprehensis. *Aëra summum.*] Vel cacumen arboris ita appellat, vel aërem cacumini circumfusum.

126. *Media fert, &c.*] Regio Asiæ, opibus insignis: ad septentrionem mari Caspio, ad meridiem Perside, ad orientem Hircaniâ et Parthiâ, ad occidentem Armeniâ et Assyriâ, definita. *Malum* fert, *Medicum* aut *Assyrium* nomine, vulgò *citrium, citron.* Quod quidem his octo novis insignit poëta. I. Amaritie, eâque *lentâ,* quòd diu palato inhæreat, ut explicat Philargyrius. II. Felicitate, ceu fœcunditate: ut enim ait Plin. l. 12. 3. *Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis verò subnascentibus.* III. Virtute adversùs venena: futura, inquit Servius, non autem jam accepta. Immò ex Theophrasto,

Felicis mali: quo non præsentius ullum
(Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscueruntque herbas, et non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro:
Et, si non alium latè jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprima tenax: animas et olentia Medi
Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaïa pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertêre, satis immanis dentibus hydri:
Nec galeis densisque virûm seges horruit hastis:
Sed gravidæ fruges, et Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus

*mali fortunati: quo nullum remedium certius est, et* certiùs *expellit è corpore nigra venena: quando novercæ corruperunt potum, et miscuerunt* cum eo *herbas, et verba perniciosa. Arbor ipsa magna* est, *et similis lauro* secundum *formam: et laurus esset, nisi circùm emitteret alium odorem: frondes nullo vento decidunt: flos valdè tenax* est. *Medi hoc* malo *corrigunt halitum* suum, *et graveolentia ora: et medentur senibus anhelantibus. Attamen nec sylvæ Medorum, regio opulentissima; nec pulcher Ganges, nec Hermus fluens aureo limo, contendant* cum *laudibus Italiæ: nec Bactra, nec India, nec tota Panchaia dives solo thurifero. Tauri efflantes ignem naribus non aravere hanc regionem, dentibus magni draconis seminatis: nec seges riguit cassidibus et densis hastis militum. Sed fœcundæ fruges, et Massicus liquor vitis, replent* illam, *et oleæ armentaque pinguia occupant. Ex unâ parte equus bellicosus immittit se campis altâ cervice: ex aliâ parte greges ovium; et tauri,* quæ sunt *maximæ*

## NOTÆ.

Athenæo, Dioscoride, etiam adversùs accepta, præsertim si cum vino succus ejus bibatur. IV. Foliorum cum lauro similitudine. V. Odoris fragrantiâ. VI. Virore perpetuo. VII. Tenacitate florum: qui abeunt in fructus, non facilè vento aut maturitate excutiendos. VIII. Usu ad fœtorem anhelitûs corrigendum. Plin. l. 11. 53. *Parthorum populis hoc præcipuè, et à juventâ propter indiscretos cibos: namque et vino fœtent ora nimio: sed sibi proceres medentur grano Assyrii mali, cujus est suavitas præcipua, in esculenta addito.* Addit et mederi *senibus anhelis,* id est, vel fœtidè respirantibus, et idem erit cum priore sensus; vel asthmaticis et difficilè respirantibus, et diversa erit sententia, nonaque mali virtus. Denique Plinius, l. 12. 3. sic ait: *Tentavere gentes transferre ad sese, propter remedii præstantiam, fictilibus in vasis: sed nisi apud Medos in Perside nasci noluit.* Tamen deinde Palladii diligentiâ convaluit arbor in Italiâ, et inde propagata est.

134. *Apprima.*] Pro *apprimè:* neutrum plurale pro adverbio, Græco more: id est, *imprimis.* Sic G. 3. 500. *Et pede terram Crebra ferit,* &c. Ita plerique omnes. At Jos. Scaliger et Gifanius legunt *apprimè,* et contra fas corripiunt ultimam, Lucretiano more, l. 6. 596. *Tecta supernè timent, metuunt infernè cavernas;* et l. 4. 429. *Longè tamen parte ab summâ,* &c.

136. *Sed neque Medorum, &c.*] Excursio in laudes Italiæ: quam commendat, 1. A malis quibus caret. 2. A bonis quibus abundat. *Medorum sylvæ.*] Quæ mala citria proferunt, de quibus v. 126.

137. *Ganges, &c. Hermus.*] Auriflui fluvii: *Ganges* ex Emodis profluens montibus, Indiam duas in partes mediam dividens, in Oceanum Indicum exit meridiem versùs: septem ostiis. si fides Virgilio, Æn. 9. 30. negante tamen Strabone, l. 15. *Hermus* Lydiæ fluvius, qui auctus Pactolo, aurifero etiam amne, in Phocaïcum sinum illabitur.

138. *Bactra.*] *Bactriana* regio Asiæ, inter Parthiam ab occidente, atque Indiam ab oriente, Oxo fluvio à septentrione, definita. *Bactri,* vel *Bactrii* populi sunt: *Bactra, orum,* urbs eorum præcipua, Plin. l. 18. 7. de tritico: *Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut singula spicas nostras æquent.* De *Indiâ,* deque *Panchaiâ,* vel *Panchæâ,* Arabiæ Felicis, sive Sabæorum regione, G. 1. 57.

140. *Hæc loca non, &c.*] Colchidem intelligit, in quam profectus Jason, vellus aureum in Martis luco suspensum diripuit; domitis, et ad aratrum alligatis ignivomis tauris: seminatis hydri dentibus; occisis militibus, qui statim ex illo semine eruperant; interfecto denique dracone, velleris custode; quæ omnia perfecit herbarum quarundam virtute, et arte Medeæ, Æetæ regis filiæ, qui custodiam illam velleri suo apposuerat, Ovid. Met. 7.

142. *Massicus.*] *Massicus* mons in Campaniâ, vini ferax. De *Baccho,* Ecl. 5. 30. 69.

146. *Clitumne, &c.*] *Clitumnus* Italiæ fluvius, in Umbriâ: in Topinum primò amnem, mox cum eo in Tiberim labitur: in eo lavabantur victimæ, eoque dealbari putabantur: victimæ enim Jovi Capitolino in triumphis non immolabantur

Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.
Hìc ver assiduum, atque alienis mensibus æstas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidæ tigres absunt, et sæva leonum
Semina: nec miseros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem:
Tot congesta manu præruptis oppida saxis:
Fluminaque antiquos subter labentia muros.
An mare, quod suprà, memorem; quodque alluit infrà?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime: teque
Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,

*victimæ sæpe loti sacris aquis tuis, ô Clitumne, præcessere Romanos triumphos ad templa deorum. Hìc* est *perpetuum ver, et æstas mensibus non solitis: Bis pecudes pariunt; bis arbores ferunt fructus. Sed tigres furiosæ* hinc *absunt, et crudeles proles leonum: nec aconita decipiunt miseros colligentes: nec serpens squamosus magnis gyris repit humi, nec tantâ longitudine se convolvit in spiram. Adde tot urbes illustres, et difficultatem operum: tot oppida manu exstructa in altis rupibus: et flumina subeuntia veteres muros* urbium. *An laudabo mare, quod alluit* Italiam, *suprà et infrà? An verò lacus tam vastos? te, ô magne Lari; et te, ô Benace, intumescens fluctu et sonitu marino? An laudabo portus, et moles objectas* lacui *Lucrino, et mare* circa illas

## NOTÆ.

nisi candidæ. Notat Turneb. l. 29. 26. *Clitumnum* hìc pro Deo, non pro ipso flumine accipi: si quidem dicitur, *tuo cum flumine:* Deus autem ille, vel fuit fluminis præses, cui exstructum in ejus ripâ templum ait Plin. Ep. l. 8. 8. Vel fuit ipse Jupiter, qui, Vibio teste, Clitumnus dictus etiam est. *Maxima taurus victima.*] Victimæ dictæ olim sunt majora animalia, in quibus maximus est taurus: hostiæ minora, ut oves. *Templa Deûm.*] Capitolium, Jovi sacrum.

150. *Bis pomis utilis arbor.*] Hyperbole quibusdam videtur: est tamen aliquid apud Plin. l. 16. 27. et Varronem l. 1. 7. de malo biferâ, apud Consentiam, Brutiorum in Italiâ civitatem.

152. *Aconita, &c.*] Herbæ venenosæ: dictæ, vel juxta Solinum, ab *Acone* portu in Ponto, regione venenis infami; vel juxta Plin. Ovid. Lucan. à nudis cautibus ubi nascuntur, quæ dicuntur ἀκόναι. Nascuntur et in Italiâ, teste Servio: sed poëta arte utitur ut rem excuset: nam ea innuit non obesse, quia sunt omnibus nota, nec *fallunt legentes.* Sunt item serpentes, sed parvi; neque tanti, quanti alibi: *neque tanto squameus,* &c.

158. *An mare, &c.*] Gemino mari alluitur Italia: *Hadriatico,* quod *superum* vocant, quia est ad septentrionem, superiorem nobis mundi partem: et *Tyrrheno,* quod *inferum,* quia est ad meridiem.

159. *Te, Lari maxime, teque, &c.*] Lacus commemorat duos. Primus est *Larius, Lago di Coma,* in ducatu Mediolanensi: qui patet in longitudinem ad 30 milliaria, bicornis versùs meridiem: et altero quidem in cornu *Comum* urbem habet. Secundus est *Benacus, Lago di Garda,* in agro Veronensi: Mincium fluvium ex se emittens meridiem versùs: oppidum alluens *Gardam,* ad orientem, unde ipsi nomen: Lario non multò longior, sed latior: unde maris instar agitari tempestatibus à Virgilio perhibetur. Fabricius tamen ita legit: *Te, Lari, Maxime, teque, &c. Benace, &c.* ita ut tres distinguantur lacus: et per *Maximum,* is intelligatur, qui nunc est *Lago maggiore:* sed neque lacus ille dictus est antiquis *Maximus,* sed *Verbanus;* neque versus ita interpunctus Virgilium sapit.

161. *Lucrinoque, &c.*] *Lucrinus,* in Puteolano Campaniæ sinu minor est sinus, inter Baias et Puteolos: intra eum *Avernus* lacus est, eidem per angustas fauces conjunctus. Constat ex Strabone, l. 5. Lucrinum sinum fuisse jam inde à temporibus Herculis disclusum à Tyrrheno mari, aggere longo stadia octo; lato, quantum trahendo currui sufficeret: cùm autem vi tempestatis aquam admitteret multis locis, additum fuisse ab Agrippâ id quod structuræ deerat. Causam affert illius instaurationis Sueton. in Aug. 16. ut nempe commoda esset statio continendis et exercendis navibus, quas Sex. Pompeio, Siciliam occupanti, objecturus erat Octavianus. Notandum verò, cum Abramo, quod quidam è veteribus scribere videantur, Lucrinum ab Octaviano fuisse perfossum, ut Dion. l. 48. et Sueton. in Aug. 16. Quidam contrà, fuisse molibus à mari seclusum, ut Virgil. et Plinius, l. 36. 15. Hos ita concilio. Portus unus è gemino contiguo lacu factus est: et Avernus quidem perfossus, ut cum Lucrino conflueret; Lucrinus ferè interclusus, ne mare liberiùs in eum influeret. Atque ita explicandus Suetonius: *Portum Julium apud Baias, immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit.* Malè igitur Servius tribuit Julio Cæsari opus illud, quod Julii nomen ad memoriam duntaxat Cæsaris tulit: exstructum anno U. C. circiter 717. ut ex Sueton. colligitur. Nunc Avernus superest, *Lago d'Averno;* at è Lucrino nihil superest, nisi palus lutosa cum arundineto; ex quo

*indignans magno mugitu: quâ* parte *aqua Julia resonat, mari procul repulso; et* quâ *Tyrrhenum mare influit* in *fauces Averni? Eadem* Italia *monstrat* in *venis rivos argenti et metallum æris, et auro multum abundavit. Hæc* produxit *bellicosum genus hominum, Marsos et juventutem Sabellam, et Ligures assuetos labori, et Volscos armatos verubus: hæc produxit Decios, Marios, et magnos Camillos, Scipiones bello asperos, et te, ô Cæsar maxime, qui jam nunc victor, in ultimis Asiæ finibus, repellis molles Indos à Romanis urbibus. Salve, ô terra Saturni, magna parens frugum, magna hominum suscipio in tuam utilitatem res laudatas et excultas ab antiquis, ausus aperire* primus *sacros fontes:*

Atque indignatum magnis stridoribus æquor:
Julia quà ponto longè sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello; et te, maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
  Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm: tibi res antiquæ laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes:

## NOTÆ.

mons novus, qui Cinereus dicitur, extitit terræ motu, anno 1538.

164. *Tyrrhenusque, &c. Avernus.*] *Tyrrhenum* mare dicitur, quicquid ab usque Tusciâ sive Etruriâ, ad fretum usque Siculum, aquarum est. De *Averno* lacu qui à poëtis inferorum ostium habitus est, fusè Æn. 6. 237.

165. *Ærisque metalla.*] Plinius 1. et c. ultimis, de Italiâ: *Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit.*

167. *Marsos, &c.*] De *Marsis*, Æn. 7. 750. De *Sabellis*, Æn. 7. 665. De *Liguribus*, Æn. 10. 185. De *Volscis*, Æn. 7. 893.

*Verutos.*] Armatos verubus, id est, ex Nonnio, brevibus et acutis telis. Lipsius legit: *assuetumque malo Ligurem, Volscosque veruto;* et est idem, verutum et veru: sed præfero communem lectionem, *verutos*, à *veru;* quo modo passim legimus *scutatos*, à *scuto*, *cinctutos* à *cincta*.

169. *Decios.*] Familiam Romæ celeberrimam: ex quâ *P. Decius Mus, consul bello Latino, collegâ Manlio Torquato: cùm utrique consuli somnio obvenisset, eos victores futuros, quorum dux in prælio cecidisset: tum collato cum collegâ somnio, cùm convenisset, ut cujus cornu in acie laboraret, Diis se Manibus voveret: inclinante suâ parte, se et hostes, per Valerium Pontificem, Diis Manibus devovit: impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit.* Ita Aurelius Victor. Cicero verò, Tuscul. 1. 89. testatur idem ab ejus filio factum bello Etrusco; idemque ab ejus nepote, bello contra Pyrrhum Epiri regem.

*Marios.*] Caius Marius, ex municipio Arpinate humili loco natus, triumphavit de Jugurthâ rege Numidiæ, deque Cimbris: septies consul fuit: in septimo consulatu, metuens imminentem ex Asiâ Syllam, aut morbo, aut voluntariâ morte decessit: *Marius* junior, ejus filius, aut ex sorore nepos, Præneste obsessus deinde à Syllanis, cùm per cuniculum vellet effugere, septus ab hostili exercitu, mortem sibi conscivit in ipso cuniculo, cùm evadere se non posse animadverteret.

*Camillos.*] M. Furium Camillum: qui de Veientibus, decenni obsidione victis, triumphavit: Gallos Româ captâ Capitolium obsidentes vicit: alter Romulus dictus, pestilentiâ obiit octogenarius.

170. *Scipiadas.*] E Scipionum gente, duo præcipuè insignes, *Africani* dicti: de quibus, Æn. 6. 842.

171. *Qui nunc extremis, &c.*] Certè versus illos operi jam perfecto Virgilius attexuit: nondum enim ullum ejusmodi bellum gesserat Octavianus, cùm huic libro primùm scribendo poëta operam daret. Omnino igitur de bello Actiaco, aut potiùs Egyptio intelligamus. Primò enim Ægyptus Asiæ confinis est: deinde, Indos et Arabes et Sabæos, inter auxilia M. Antonii et Cleopatræ fuisse memorat Æn. 8. 705. *Omnis eo terrore Ægyptus et Indi, Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.* Neque verò Indi apud veteres, ut apud nos, exactâ ratione sumuntur: sed promiscuè pro calidarum plagarum populis. Unde Ovidius eos cum Æthiopibus confundit, cùm dicit alicubi, Perseum devexisse Andromeden *nigris ab Indis:* Appianus in Annib. sumit pro Afris; ubi ait Annibalem jussisse, ut Indi conscensis elephantis in Claudii castra irrumperent. Hyginus ait cap. 275. *Liber in Indiâ Ammonem*, &c. id est, in Africâ, ubi templum Jovis Ammonis.

173. *Saturnia tellus.*] Italia, in quâ Saturnus latuit, Ecl. 4. 6. Æn. 4. 318.

Ascræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis : quæ robora cuique,
Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis.
Difficiles primùm terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla, et dumosis calculus arvis,
Palladiâ gaudent sylvâ vivacis olivæ.
Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis sylvestribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus,
Qualem sæpe cavâ montis convalle solemus
Despicere : huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum ; quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris :
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites : hic fertilis uvæ,
Hic laticis ; qualem pateris libamus et auro,
Inflavit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas :
Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,

*et canto per urbes Romanas carmen* Hesiodi *Ascræi. Jam locus est* disserendi *de naturâ terrarum : quæ sit cuique vis, quis color, et quæ indoles ad* certas quasdam *res producendas. Primò terra aspera et colles ingrati, ubi sterilis argilla et lapilli* sunt *in agris spinosis, amant sylvam vivacis oleæ* sacram *Minervæ. Oleaster plurimus nascens in illis locis, et campi operti olivis sylvestribus, hoc indicant. At terra quæ pinguis est, et abundans dulci humore, et campus qui ferax* est *herbarum, et fœcundus ubere, qualem sæpe solemus videre* in *imâ valle montis, in quam fluvii defluunt ex altis rupibus, et devolvunt limum fertilem : et* campus *qui assurgit ad meridiem, et alit filicem incommodam curvis aratris : hic* campus *producet tibi aliquando vites robustas, et undantes multo vino : hic ferax est racemorum, et liquoris, qualem effundimus pateris aureis, quando pinguis Etruscus inflavit* tibiam *eburneam ante aras, et* cùm *offerimus viscera* victimarum *in patinis curvis. Si verò magis amas nutrire armenta, et vitulos, et oves, et capellas quæ exhauriunt* loca *culta, quære sylvas et remota* arva *Tarenti fertilis,*

NOTÆ.

176. *Ascræum.*] Ad imitationem Hesiodi Ascræi, qui Georgica conscripsit, Ecl. 3. 40. Ecl. 6. 70.

177. *Nunc locus, &c.*] IV. PARS. De *arte discernendæ naturæ cujusque soli.* Et I. quidem præceptum est, de *terrâ aptâ oleis*, v. 179. II. *Aptâ vitibus*, v. 184. III. *Aptâ pascuis*, v. 195. IV. *Aptâ frumento*, v. 203. V. *Aptâ ex æquo his omnibus*, v. 217. VI. *Quo modo terra cognoscatur densa et rara*, v. 227. VII. *Salsa*, v. 238. VIII. *Pinguis*, v. 248. IX. *Humida*, v. 251. X. *Gravis, levis, et frigida*, v. 254.

180. *Tenuis ubi argilla.*] Sicca, nam est argilla pinguis, *terre à potier*, POTTER'S CLAY.

181. *Palladiâ.*] De *Pallade*, Ecl. 2. 61. De olivæ vivacitate, G. 2. 3. Cur oliva Palladi sit sacra, G. 1. 14. *Oleaster*, est sylvestris olea.

184. *Dulcique uligine.*] Servius : *Uligo propriè est naturalis humor terræ, ex eâ nunquam recedens. Benè autem* dulci *addidit, ad discretionem amaræ*, et salsæ : quæ ex Columellâ l. 3. 1. vitifero solo deesse debet : *Ne*, inquit, *saporem vini corrumpat, et incrementa vitium veluti quâdam scabrâ rubigine coërceat.* Et notat Abramus nimiam illam uliginem, quæ ex fluminum decursu oritur in vallibus, requiri à Virgilio, ex naturâ Italici soli, quod ut plurimum siccius est : à nobis enim glareosa potiùs, et siccior terra ad vites expetitur.

185. *Fertilis ubere campus.*] Uber aliquando adjectivè sumitur, Propert. l. 1. 22. *Umbria terris fertilis uberibus*, et significat, *fœcundus, copiosus.* Aliquando substantivè ut hìc, et infrà v. 234. *vitibus almis Aptius uber erit :* et significat ipsam ubertatem, sive *mammam* terræ. Idque exemplo Homeri, qui Il. 9. 141. Argos appellat *mammam terræ, οὖταρ ἀρούρης.*

189. *Filicem, &c.*] *Filix fougere* FERN, herba fruticosa, multiplici radicum nexu aratrum impedit.

192. *Pateris libamus et auro.*] Dissolutio est vocum, pro *pateris aureis :* quibus vinum exquisitissimum Diis libabatur. De *libatione*, Æn. 1. 740. Notat morem sacrificiorum, eorum præcipuè, quæ fiebant ad *exta* victimarum consulenda : quæ ars *auruspicina* dicta est : in quâ principes erant Etrusci sive Tyrrheni, qui ideò Romæ ad sacrificia adhibebantur, cum tibiâ eburneâ. *Pinguis* dicitur Etruscus : vel ex vitio gentis : nam Catullus, 40. 11. *Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus.* Vel ex vitio tubicinum, quibus intumescunt genæ. Vel ex vitio sacrificulorum, qui victimarum carnibus opiparè vescebantur.

194. *Lancibus et pandis.*] Vel patentibus ; vel meliùs, extorum pondere curvatis et *repandis. Reddere* autem verbum est sacrificiorum : *reddi enim dicebantur exta*, ait Servius, *cùm probata et elixa aræ imponebantur.* Tacit. 1. 20. *Lustratâ bove, et super cespitem redditis extis*, &c.

196. *Urentes culta capellas.*] *Morsus earum arbori exitialis, olivam lambendo quoque sterilem faciunt*, Plin. l. 8. 50. *Culta*, G. 1. 153.

197. *Saturi Tarenti, &c.*] *Servius : Aut fœcundi, aut quòd est juxta oppidum Saturum.*

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra ferè, et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando)
Optima frumentis, non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis:
Aut unde iratus sylvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias roremque ministrat:
Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta: negant alios æquè serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,
Et bibit humorem, et cùm vult ex se ipsa remittit,
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsâ lædit rubigine ferrum;
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ est: illam experiêre colendo
Et facilem pecori, et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo

*et agros quales infelix Mantua perdidit, qui nutriunt olores candidos in herboso fluvio.* Illic *puri fontes non desunt gregibus, nec herbæ: et quantum* herbarum *armenta depascent per longos dies, tantum ros humidus reddet* per *brevem noctem. Terra fermè nigra et pinguis sub vomere* altè *immisso, et cujus superficies mollis est (hoc enim perficimus aratione) optima* est *frumentis: nullo ex agro videbis plura plaustra exire, bobus* difficilè *trahentibus. Item* illa terra, *ex quâ arator iratus abstulit sylvam, et diruit nemora infœcunda multis annis, et evulsit vetera latibula volucrum cum radicibus imis: illæ fugerunt in aërem, nidis relictis: at campus,* priùs *incultus, refulsit vomere impresso. Nam certè glarea sicca agri declivis vix profert apibus parvas casias et rosmarinum: quemadmodum tophus asper, et creta corrosa à nigris chelydris. Nulli agri dicuntur producere tam gratum pabulum serpentibus, et præbere* tam *cavas latebras. Quæ expirat tenues vapores et leves fumos, et bibit humorem, et ipsa sponte ejicit ex se; et quæ semper tegit se propriis herbis, nec inficit vomerem scabritie et rubigine amarâ: illa tibi implicabit ulmos fœcundis vitibus: illa fertilis est oleis: illam senties et aptam gregibus, et tractabilem vomere acuto. Talem arat Capua dives, et regio propinqua Vesuvio,*

## NOTÆ.

*Tarentum enim et Saturum, vicinæ sunt Calabriæ civitates.* Probus locum et paludem esse dicit vicinam Tarento. Qui autem explicant de *Saturâ palude*, sive *Pomptinâ*, nunc *Aufente palude*, ii graviter errant. Est enim Tarentum in orientali cornu Italiæ, Æn. 3. 396. Pomptina verò palus, in litore meridionali, ad mare inferum Æn. 7. sub finem notæ 794.

198. *Mantua.*] De ejus calamitate, in argum. Ecl. 1. De *cycnis*, Ecl. 8. 55. *Flumen*, Mincius est, *Menzo*, Ecl. 7. 13.

204. *Hoc imitamur arando.* Hoc unum aratione contendimus, ut imitemur arte terram naturâ suâ mollem; ergo signum est, eam quæ ex se ipsâ mollis et subacta est, esse frumentis aptissimam.

207. *Iratus.*] Offensus ob diuturnam sylvæ sterilitatem.

211. *Enituit.*] Aut campus refulsit repercussu lucidi vomeris. Aut pinguis factus est: *nitere* enim dicuntur ea, quæ pinguia sunt. Hor. Epist. l. 4. 15. *Me pinguem et nitidum*, &c. Virgil. G. 1. 153. *Interque nitentia culta.* Aut per commutationem, id est, in eo enituit et refulsit vomer: G. 1. 46. *Sulco attritus splendescere vomer.*

212. *Nam jejuna, &c.*] Ita cohæret oratio. Terra nigra, et putris, aut ex quâ erutæ sunt sylvæ, optima est frumento: nam glarea, quæ huic contraria est, non est frumentaria, et vix flores producit. *Glarea, du gravier,* GRAVEL. *Tophus, tuf,* SAND-STONE, lapis asper et siccus, è terrâ et arenâ concretus. *Creta,* terra alba.

214. *Chelydris.*] Sunt propriè testudines marinæ, à *χέλυς, testudo,* et *ὕδωρ, aqua.* Apud Nicandrum tamen, versu 411. sunt serpentes, quæ modò in paludibus, modò in arboribus latent: unde Druidæ quoque appellantur, à *δρῦς* quercus. De *casiis* et *rosmarino,* herbis coronariis, Ecl. 2. 49.

224. *Capua, et vicina Vesevo, &c.*] *Capua,* Campaniæ caput: unde et *Capuam,* à *capite* dictam putat Strabo l. 5. Virgilius tamen à Capy, Æneæ commilitone, nomen ejus deducit, Æn. 10. 145. Hanc constat nulli terrarum soli bonitate posthabendam; fuisse autem olim *inter tres maximas urbes, Romam, Carthaginemque numeratam,* testatur Florus, l. 1. 16. *Vesevus, Vesuvius,* et *Vesvius,* mons Campaniæ prope

Ora jugo, et vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem sit densa, requiras:
(Altera frumentis quoniam favet, alterâ Baccho:
Densa, magis Cereri: rarissima quæque, Lyæo).
Antè locum capies oculis: altéque jubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas æquabis arenas.
Si deerunt; rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit: sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager; glebas cunctantes crassaque terga
Expecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.
Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos,
Colaque prelorum fumosis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulcesque à fontibus undæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ.
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantûm sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud unquam manibus jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo
Lætior: ah nimiùm ne sit mihi fertilis illa,

*et Clanius non commodus Acerris desertis. Jam docebo quomodo poteris unam quamque cognoscere. Si quæris* an *rara sit, an plùs æquo densa, (quia altera bona est frumento, altera viti: densa magis frumento, rarissima quæque viti). Primò eliges locum oculis, et jubebis puteum defodi profundè in solido* loco: *deinde repones omnem terram* in eundem locum, *et complanabis pedibus summas arenas. Si non sufficiant* ad replendum locum; *ager erit rarus, et melior ad pascua et vites almas: si verò abnuant se posse redire in suum locum, et foveis repletis terra redundet; ager* erit *densus; existima* fore *glebas puras et crassos tumores, et ara terram bobus robustis. Terra autem salsa, et quæ dicitur amara, inepta* est *frumentis: illa neque emendatur aratione, neque servat vino suum genus,* ac *ne nomina* quidem *propria pomis; tale præbebit indicium* sui: *Tu corbes è denso vimine, et cola torcularis detrahe è tectis fumosis. In iis terra illa mala, et dulces fontium aquæ comprimantur* usque *ad summam* oram: *quippe omnis aqua exprimetur, et longæ guttæ defluent per* foramina *viminum. At sapor dabit signum manifestum, et amarities lædet gustu ora ægra explorantium. Præterea, hoc demum modo cognoscimus quænam terra sit pinguis:* illa *manibus versata nunquam dissolvitur, sed dum tenetur, adhæret digitis instar picis. Humida nutrit grandiores herbas, et ipsa fœcunda est plusquam oportet: ah ne illa sit mihi nimis fertilis,*

## NOTÆ.

Nolam, mirè fertilis, præterquam in cacumine, unde sæpe ignes emittit: nunquam vehementiùs quàm imperante Tito; quo tempore Plinius historiæ naturalis scriptor, qui cognoscendi illius ignis cupiditate eò se contulerat, fumo flammisque extinctus est.

225. *Ora jugo.*] Dicitur, ut narrat Gellius l. 7. 20. scripsisse primò Virgilius, *Nola jugo,* ad laudem *Nolæ,* urbis Vesuvio vicinæ; sed posteà delevisse, propterea quod Nolani aquam ipsi negâssent, suum in rus, quod erat in propinquo, deducendam.

*Clanius non æquus Acerris.*] *Acerræ: Acerra,* antiquissima Campaniæ urbs, non longè a Neapoli: hanc præterfluit amnis *Clanius, l'Arno:* cujus frequens inundatio penè urbem interdum exhausit: unde ipse, *non æquus Acerris:* et Acerræ *vacuæ* hìc dicuntur.

229. *Cereri—Lyæo.*] De *Cerere,* Ecl. 5. 69. Lyæus, Bacchi nomen, à λύω, *solvo,* quòd curis solvat et liberet.

234. *Aptius uber.*] Suprà, v. 185.

*Posse negabunt.*] Non poterunt. Et quasi sensum mentemque terræ tribuit: ut alibi multis locis.

240. *Nec Baccho genus, aut, &c.*] Terra salsa sic ingrata est, ut arboribus apud se depositis non servet nomen: sed eas et virtute et nomine spoliet: id est, ut arbores in eâ degenerent, nec ampliùs ejusdem generis ac nominis esse videantur. De *Baccho,* Ecl. 5. 69.

241. *Qualos Colaque prelorum, &c.*] *Torcular* tota machina est uvis premendis, à *torquendo* sic dicta. *Prelum,* sunt trabes, quæ uvas torculari impositas premunt: à *premendo* dictæ per contractionem, *premulum, prelum:* unde syllaba prima brevis est in *premo;* longa in *prelum.* *Cola* sunt sacci, vel corbes, quæ torculari suppositæ vinum expressum excipiunt percolantque. *Quali,* corbes è vimine, calathi, Ecl. 2. 46.

244. *Eluctabitur.*] Per vim, et quasi cum luctâ exibit.

250. *Habendo.*] Passivâ significatione, *dum habetur:* ut pleraque gerundia, Ecl. 8. 71.

252. *Ne sit mihi fertilis.*] Terra enim, cujus vis in herbas aut frondes absumitur, parum habet virtutis ad fructum ferendum.

Neu se prævalidam primis ostendat aristis!
Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit;
Quæque levis. Promptum est oculis prædiscere nigram,
Et quisquis color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceæ tantùm taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.
His animadversis, terram multò antè memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montes:
Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas,
Quàm lætum infodias vitis genus: optima putri
Arva solo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robustus jugera fossor.
At si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Antè locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur:
Mutatam ignorent subitò ne semina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice signant:
Ut, quo quæque modo steterit, quâ parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Restituant. Adeò in teneris consuescere multum est!
Collibus, an plano melius sit ponere vites,
Quære priùs. Si pinguis agros metabere campi;
Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive solum, collesque supinos,
Indulge ordinibus; nec seciùs omnis in unguem

*et ne monstret se fortiorem primis in herbis! Quæ est gravis, et quæ levis, manifestat se ipso pondere, etsi* de illâ *taceatur. Facile est cognoscere visu nigram, et quisquis* unicuique *color* est. *Sed difficile est investigare frigus perniciosum: tantummodò piceæ, et taxi noxiæ, vel nigræ hederæ. dant aliquando signa* illius. *His cognitis memineris putrefacere terram, et aperire foveis altos montes multò priùs, et exponere Aquiloni glebas inversas* multò *priùs, quàm plantes hilare genus vitis. Optimi* sunt *agri quorum solum est tenerum:* id autem *efficient venti, et pruinæ frigidæ, et robustus fossor agitans terram proscissam. Sed si nulla vigilantia deest quibusdam viris,* hi *priùs eligunt loca* duo *similia:* unum, *in quo primum seminarium arborum præparetur; et* alterum, *in quem deinde transferatur distinguendum* per ordines: *ne surculi non assuescant* terræ *matri subitò mutatæ. Prætereà notant cœli situm in cortice: ut reponant* arborem, *quomodo unaquæque posita fuerat, quâ parte passa erat calorem meridionalem, quæ terga verterat septentrioni. Tantum potest consuetudo* capta *à tenerâ* ætate! *Perpende priùs, an melius sit plantare vites* in *plano, an* in *collibus. Si eligis agros pinguis campi, sere* vites *spissiùs: vitis non est sterilior in denso agro. Si verò* eligis *solum assurgens in tumores, et colles inclinatos, fac ordines* laxiores: *nihilominùs omnia intervalla congruant perfectè,*

## NOTÆ.

254. *Tacitam.*] Etsi de illâ taceatur, nullumque aliud indicium à me assignetur.

257. *Piceæ—taxi, &c.*] *Picea*, pini species: de quâ, Plin. l. 16. 10. *Picea montes amat atque frigora, feralis arbor, et funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: hæc plurimam resinam fundit. Taxus, de l'if,* YEW: de quâ Plin. ibidem. *Taxus minùs virens, gracilisque et tristis ac dira: letale baccis, in Hispaniâ præcipuè venenum inest. Sunt qui taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus.*

259. *His animadversis.*] V. PARS. De *culturâ vitis.* Continet præcepta præcipuè XV. I. Est *de scrobibus et foveis hyeme parandis,* v. 260. II. *De soli similitudine in seminario et vineto,* v. 265. III. *De signando vitis cortice, ad cognoscendum nativum ejus situm,* v. 269. IV. *De ordine, quo serenda est,* v. 273. V. *De profunditate fovearum,* v. 288. VI. *De iis quæ cavenda sunt in satione vitis,* v. 298. VII. *De tempore sationis,* v. 315. VIII. *De stercoratione,* v. 346. IX. *De lapidum et concharum infossione,* v. 348. X. *De pastinatione,* sive terrâ vertendâ pastino, *la hoüe,* THE HOE, *la bêche,* THE SPADE, v. 354. XI. *De ligatione,* quæ *pedatio* dicitur, *mettre les èchalas,* FIXING THE PROPS, v. 358. XII. *De frondatione* seu frondium amputatione, v. 362. XIII. *De septo adversùs pecorum injurias,* v. 371. XIV. *De Bacchi sacris,* v. 380. XV. *De vinitoris diligentiâ aliis in rebus,* v. 397.

261. *Aquiloni.*] Vento septentrionali: generatim hìc hyemem significat. De eo, Ecl. 7. 51.

267. *Arboribus.*] Vel vites ipsas arbores vocat, ut suprà, v. 89. Vel præceptum generale est pro omnibus arboribus.

*Seges.*] Benè de arbusculis, quæ seruntur in seminario.

268. *Semina.*] Non hìc grana sunt, sed surculi, sive avulsi è vitis corpore, qui vocantur *malleoli, marcottes,* LAYERS; sive cum suis radicibus translati, qui vocantur *vivi radices.*

271. *Austrinos, &c. Axi, &c.*] Pro meridie, *Austrum* dicit, ventum inde flantem, de quo Ecl. 2. 58. Pro septentrione, *axem,* id est, polum simpliciter; quia polus hìc unus à nobis videtur.

275. *Densa.*] Pro *densè,* suprà, v. 134. De *ubere,* suprà. v. 185. De *Baccho,* Ecl. 5. 69.

277. *Seciùs.*] Vel *sequiùs,* ut Germano placet: *secùs,* significat *aliter,* et habet primam

Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut sæpe ingenti bello cùm longa cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, necdum horrida miscent
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum:
Non animum modò uti pascat prospectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco:
Altiùs ac penitùs terræ defigitur arbos:
Æsculus imprimìs, quæ quantùm vertice ad auras
Æthereas, tantùm radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque per annos

*arboribus dispositis per sectos tramites. Quemadmodum in magno bello, cùm longa legio extendit* suas *cohortes, et* omnis *turba constitit in campo vacuo: et exercitus ordinati* sunt, *et omnis terra undique splendet fulgore* armorum *æreorum: nondum* tamen *committunt horridam pugnam, sed Mars incertus vagatur in medio armorum.* Sic *omnia intervalla* arborum *sint dimensa æqualibus numeris tramitum: non solùm ut aspectus delectet animum otiosum; sed quia alioqui terra non præbebit omnibus æquale robur, nec rami poterunt se extendere in aërem. Fortè petes quænam* debeat *esse altitudo fossarum: auderem* ego *deponere vitem in tenui fossâ etiam; arbor* verò *profundiùs ac penitùs defoditur in terrâ. Præcipuè æsculus, quæ tantùm progreditur radice ad inferos, quantùm* progreditur *cacumine ad plagas cœlestes. Ergo non hyemes, non venti, neque pluviæ illam eruunt: manet inconcussa, et per multos annos*

## NOTÆ.

brevem; *seciùs* vel *sequiùs*, significat *deteriùs, pejùs, minùs*, et primam habet longam. Hâc significatione dixit passim Apuleius, *sequiorem sexum*, pro *muliebri*, qui minor ac deterior est: et Seneca, *sequiùs de aliquo loqui*, id est, sinistrè. Et derivat Turneb. l. 19. 17. à *sequor:* quia *præire* consuevit id, cujus melior est conditio; *sequi*, cujus deterior, ut servus.

*In unguem.*] Exactâ perfectâque ratione. Translata dictio à marmorariis opificibus, qui marmorum juncturas ungue explorant, an perfectè commissæ sint. Horatius de A. P. 295. *Perfectum decies non castigavit ad unguem.* Et Sat. l. 1. 5. 32. *Ad unguem factus homo.*

278. *Secto via limine quadret.*] Dispositio arborum hìc duplex intelligi potest: Ita ut singulæ viæ sectæ sint inter arbores, vel dispositas in quadrangulum, et tunc perfectè quadrata figura est: vel dispositas in triangulum, et tunc est quincuncialis figura, *en échiquier*, CHECKERWISE. Quincuncialis porrò figura, sive *quincunx*, ita dicebatur, à figurâ quinti numeri, V. quam singuli trianguli exprimunt.

*Quadrum.*

```
0   0   0   0   0

0   0   0   0   0

0   0   0   0   0

0   0   0   0   0

0   0   0   0   0
```

*Quincunx.*

```
0   0   0   0   0

  0   0   0   0

0   0   0   0   0

  0   0   0   0

0   0   0   0   0
```

Vox *quadret* propriè notat priorem figuram; metaphoricè verò secundam. Ita Cicero, de Orat. 3. 173. *Conjunctionem verborum numerosè cadere, et quadrare, et perfici volumus.* Et in Bruto, 43. *Quoniam tibi quadrat:* id est, *convenit, congruit.*

279. *Cohortes explicuit legio.*] Militum numerus in legione, pro temporum variâ ratione, varius fuit. Universim legio dividebatur in cohortes X. manipulos XXX. centurias LX. In incessu quadratam servabat figuram; in pugnâ porrigebatur in longum, triplici versu sive lineâ, quarum singulæ manipulos decem continebant.

281. *Fluctuat omnis Ære renidenti tellus.*] Id est: splendor æris tremulus huc illuc in terrâ circumvolat. Sic suprà, v. 211. *Enituit impulso vomere campus.* De *Marte*, Ecl. 9. 12.

291. *Æsculus.*] Arbor glandifera, è quercuum genere. Suprà, v. 16. *Tartara*, Geor. 1. 36.

Multa virûm volvens durando sæcula vincit.
Tum fortes latè ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
 Neve tibi ad Solem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum sere: neve flagella
Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas:
(Tantus amor terræ) neu ferro læde retuso
Semina: neve oleæ sylvestres insere truncos.
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primùm sub cortice tectus
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas,
Ingentem cœlo sonitum dedit: inde secutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad cœlum piceâ crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas à vertice sylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi; non à stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque imâ similes revirescere terra:
Infelix superat foliis oleaster amaris.
 Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
Tellurem Boreâ rigidam spirante movere.
Rura gelu tum claudit hyems, nec semine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio est, cùm vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris:
Prima vel autumni sub frigora, cùm rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis, jam præterit æstas;
Ver adeò frondi nemorum, ver utile sylvis;
Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.

*superat durando transigens multas ætates hominum: tum latè porrigens ramos robustos, et brachia huc illuc, ipsa* inter ramos suos *media, alit magnam umbram. Ne autem vineæ tibi inclinent ad Solem occidentem: et ne plantes corylum inter vites: et ne carpas suprema cacumina, aut* ne *abscindas supremos surculos ex arbore (adeò amant terram) et ne vulneres ferro obtuso surculos: et ne plantes* simul *truncos oleæ sylvestris. Nam sæpe pastoribus imprudentibus excidit ignis, qui primò occultus sub pingui cortice oleæ clam corripuit truncos, et erumpens in alta folia, edidit ingentem crepitum in aërem: inde gliscens regnat victor per ramos et per altum verticem, et implicat flammis totam sylvam, et densus piceo fumo emittit in cœlum nigram nubem; præcipuè si tempestas à septentrione incumbat arboribus, et si ventus augens volvat incendia. Cùm id* accidit, tum vites *neque possunt è radice, neque per amputationem repullulare*, *et renasci similes ab imâ terrâ;* sed *sterilis oleaster amaris frondibus remanet* solus. *Ne autem ullus tam prudens, tibi auctor sit* hujus *consilii, ut flante Boreâ aperias* in scrobes *terram rigentem: tunc hyems constringit arva frigore; nec permittit ut, surculo defosso, radix constricta infigatur terræ. Optima plantatio vinearum est, vere purpureo, cùm redit avis alba, infensa longis serpentibus: vel circa prima frigora autumni: cùm Sol rapidus nondum attigit equis hyemem, sed jam calores abierunt. Ver præcipuè foliis arborum, vel arboribus utile est. Terræ intumescunt vere, et petunt semina fœcundantia.*

NOTÆ.

299. *Corylum.*] Suprà v. 65. Nocet radicum densitate quæ vitibus alimentum præripiunt. *Flagella*, sunt ramorum summitates, è quibus non sunt decerpendi ad plantandum surculi, sive malleoli; sed ex infimâ arboris parte, quæ terræ vicinior est: jam enim terræ assueverunt, eamque amant.

301. *Neu ferro læde retuso.*] Non prohibet ferro præcidi; sed ferrum obtusum adhiberi, quo lacerarentur potiùs, quàm amputarentur *semina*, id est, *surculi:* vide suprà, v. 268.

303. *Nam sæpe, &c.*] Cur à vitibus removendæ sint oleæ sylvestres, sive oleastri, affert alias causas Theophrastus, l. 3. 15. Quòd nempe tam olea, quàm ficus, alimenti plurimum exsugant, umbramque inducant maximam.

305. *Robora.*] Truncos, suprà, v. 25.

308. *Ruit.*] Emittit; activè hic sumitur, ut Geor. 1. 105. *Cumulosque ruit malè pinguis arenæ.*

310. *A vertice.*] A septentrionali polo, juxtà Servium: quia, *hic vertex nobis semper sublimis*, Geor. 1. 242. A vertice arborum, juxtà Germanum et Victorium. Vide Geor. 1. 324. *Collectæ ex alto nubes.*

316. *Boreâ.*] Vento septentrionali, Ecl. 7. 51.

319. *Cùm vere rubenti Candida, &c.*] Ciconia, de quâ Plin. l. 10. 23. *Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quò se referant, incompertum adhuc est. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo. Nidos eosdem repetunt: genetricum senectam invicem educant.* Ver hic *rubens* dicitur, propter flores; ut passim alibi *purpureum.*

322. *Hyemem contingit equis.*] Tropicum

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager: Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor:
Inque novos Soles audent se gramina tutò
Credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.
Non alios primâ crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri;
Cùm primùm lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissæque feræ sylvis, et sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret, frigusque caloremque
Inter; et exciperet cœli indulgentia terras.
  Quod superest, quæcunque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multâ memor occule terrâ:
Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata. Jamque reperti
Qui saxo super atque ingentis pondere testæ
Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres;
Hoc ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.

*Tum aër*, qui est *pater omnipotens, labitur per pluvias fertiles in sinum lætæ uxoris* terræ, *et magnus ipse, commixtus magno* ejus *corpori, nutrit omnes fœtus. Tum frutices extra vias* positi *resonant volucribus, et animalia redeunt ad concubitum statis diebus. Omnis campus parturit, et agri aperiunt sinum tepidis flatibus Zephyri: abundat* in *omnibus* agris *humor: et herbæ audent tutò exponere se novo Soli: nec vitis timet Austros surgentes, aut pluviam emissam è cœlo magnis Aquilonibus: sed propellit germina, et effundit omnia folia. Non puto alios dies fulsisse in primo ortu nascentis mundi, aut habuisse alium ordinem.* Tempus *illud ver fuit: magnus orbis habebat ver, et Euri continebant hybernos flatus: statim ut pecudes acceperunt lucem, et ferreum genus hominum extulit caput* ex *agris saxosis, et feræ immissæ sunt in sylvas, et sidera in cœlum.* Et verò *mundus adhuc tener non potuisset tolerare hunc laborem: nisi tanta quies esset inter hyemem et æstatem, et* nisi *clementia aëris complecteretur terras. Cæterùm, quascunque arbusculas defodies in agris, sparge stercore pingui, et memineris tegere multâ terrâ. Vel* circà *infode lapides bibulos, aut conchas asperas: nam aquæ inter* eas *fluent, et tenuis vapor permeabit, et ea* quæ *plantata* sunt *sument vires. Inventi* sunt *etiam, qui premerent* ea *desuper saxo, et pondere magnæ testæ: et hoc munimentum* est *adversùs pluvias immodicas: hoc* munimentum est, *quando Canis ardorem ferens aperit calore agros hiantes.*

## NOTÆ.

Capricorni, quem ubi attigit, tunc bruma est et hyems summa: vide G. 1. 238.

325. *Tum pater, &c.*] *Æther*, sive aër, per Jovem à poëtis; terra, per Junonem adumbrata est. Inter utrumque quoddam quasi conjugium.

330. *Zephyrique.*] Ecl. 5. 5. *Austros.*] Ecl. 2. 58. *Aquilonibus.*] Ecl. 7. 51.

336. *Non alios, &c.*] Disceptatur, quo tempore mundus conditus sit; verno, an autumnali: favet autumno ratio, quæ petitur à maturitate frugum: favet veri, quæ petita à commodissimâ temperie. Poëtæ omnes pro vere stant. De *Euro*, G. 1. 371.

340. *Virûmque ferrea progenies, &c.*] Alludit ad ætatem ferream, et instaurationem mundi post diluvium factam, à Deucalione et Pyrrhâ, jactis post tergum lapidibus, Ecl. 6. 41.

343. *Nec res hunc teneræ, &c.*] Vel sensus est: Nec mundi res, tum teneræ ac recentes, potuissent perferre calorem æstivum, aut frigus hybernum: ergo conveniens fuit, nasci eas verno tempore, quæ anni quædam est quies. Vel sensus est generalis: Nec mundi res, quæ per se teneræ semper ac fragiles sunt, possent ferre vim æstatis et hyemis; nisi vere, quasi quiete, recrearentur.

353. *Canis æstifer.*] Sirius, vel Canicula: stella in ore majoris Canis: cujus vis in subjectas mundi partes insignis esse perhibetur, quo tempore Sol oritur in principio Leonis, nempe exeunte Julio: tumque æstus ferventissimus est, morbique ex illo æstu frequentissimi: diesque illi *caniculares* vocantur, donec Sol totum Leonis signum perlustraverit, ad usque diem 23. Augusti. *Sirius* dictus, vel à *σειραίνω, sicco*, vel à *σειρόω, evacuo.*

Seminibus positis, superest deducere terram
Sæpiùs ad capita, et duros jactare bidentes;
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantes inter vineta juvencos:
Tum leves calamos et rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris: et dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acies nondum falcis tentanda: sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint: tum stringe comas, tum brachia tonde.
Antè reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.
Texendæ sepes etiam, et pecus omne tenendum est:
Præcipuè dum frons tenera, imprudensque laborum:
Cui, super indignas hyemes, Solemque potentem,
Sylvestres uri assiduè capræque sequaces
Illudunt: pascuntur oves, avidæque juvencæ.
Frigora nec tantùm canâ concreta pruinâ,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et veteres ineunt proscenia ludi:

*Surculis plantatis restat sæpe accumulare terram ad radices, et immittere ligones ferreos; aut movere terram sub vomere depresso, et deducere boves resistentes inter ipsas vineas. Deinde adjungere* viti *politas cannas et hastilia è virgis decorticatis, et palos fraxineos, et furcas bicornes: quarum viribus assuescant assurgere, et despicere ventos, et adhærere ramis ad summas ulmos. Et parcendum* est *teneris vitibus, dum prima ætas crescit novis frondibus, et dum palmes lætus attollit se in altum, emissus in aërem* veluti *laxatis habenis. Ipsa acies ferri non est adhuc adhibenda: sed frondes præcidendæ* sunt *unguibus, et passim auferendæ. Posteà, quando* vites. *firmâ radice implicatæ ulmis, creverint; tunc amputa pampinos, tunc seca palmites: priùs timent ferrum: tunc demum exerce dura imperia, et coërce ramos superfluos. Prætereà sepes jungendæ* sunt, *et greges omnes continendi: præcipuè dum frondes teneræ sunt, et inassuetæ noxiis* rebus: *quibus* frondibus, *præter magnas hyemes et Solem vehementem, sylvestres boves, et capræ sequaces assiduè nocent: oves et avidæ juvencæ carpunt* eas. *Nec hyems constricta albo gelu, aut gravis æstas penetrans rupes aridas, tantùm* nocuit, *quantùm nocuerunt illæ pecudes, et venenum duri dentis, et cicatrix impressa in stirpe corroso. Non aliud ob delictum caper immolatur Baccho* in *omnibus altaribus, et antiqui ludi prodeunt in theatra:*

## NOTÆ.

355. *Capita.*] Vitium arborumque capita, stirpes sunt vel radices; quibus, quasi ore alimentum è terrà trahunt.

*Bidentes.*] *Bidens* aliquando est *ovis; hìc* instrumentum fodiendæ terræ comparatum, *pastinum, ligo, un hoyau,* A PICK-AX. Etymon à binis dentibus, quòd ligo sit bifurcus. De *ove bidente,* Æn. 4. 57.

356. *Aut presso exercere solum, &c.*] Ex more Italiæ, ubi vites ulmis aliisque arboribus fulciebantur: adeòque laxiùs digestæ spatium arandi relinquebant, imò et frugum interserendarum.

359. *Fraxineas.*] E fraxino arbore, *frêne,* ASH.

361. *Tabulata.*] Servius: *Sunt rami effusiores, et in plana tendentes, non in altiora crescentes.* Et Columella, l. 5. 6. *Tabulata instituenda sunt: hoc enim nomine usurpant agricolæ ramos, truncosque prominentes; ut vites laxiùs diffundantur.*

364. *Laxis per purum, &c. habenis, &c.*] *Laxis habenis* metaphora est ab equis desumpta, duce Lucretio, l. 5. 784. *Arboribusque datum est variis exinde per auras crescendi, magnum immissis certamen habenis.* Et *per purum,* significat *per aërem.* Sic et Horatius, Od. 1. 34. 7. *Per purum tonantes egit equos, volucremque currum.*

374. *Sylvestres uri.*] *Bubali,* quos vulgus cum *uris* confundit. Plin. l. 8. 15. *Uri* enim juxta Cæsarem, de bello Gal. l. 6. sunt feræ, *magnitudine paulò infra elephantos, specie et colore et figurâ tauri:* quæ in solâ Hercyniâ Germaniæ sylvâ reperiuntur. *Bubali,* boves sunt sylvestres, frequentes in Italiâ, ex Isidoro et aliis: quanquam aliter à Plinio describuntur.

381. *Proscenia.*] Theatrum locus fuit semicirculi figuram habens, spectaculis scenicis destinatus, à θεάομαι, *specto.* Partes ejus fuere, I. *Porticus, scalæ, sedilia:* sedilium ordines dicebantur *cunei;* quia, cuneorum modo, eo strictiores erant, quo magis ab ambitu ad centrum theatri accedebant: et hæc omnia circa ambitum theatri erant disposita. II. *Orchestra,* pars interior, sive centrum theatri, eaque omnium infima et concava: unde *cavea* dicebatur totum theatri spatium. Hic sedebant senatores, ludebantque

Præmiaque ingentes pagos et compita circùm,
Theseidæ posuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.
Necnon Ausonii, Trojâ gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto:
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex altâ suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quócunque Deus circùm caput egit honestum.
Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram:
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhausti satis est: namque omne quotannis

*et magni Athenienses instituerunt præmia circa pagos, et vias, et læti inter bibendum saltavere in pratis amœnis per unctas pelles hircorum. Romani quoque coloni, gens orta è Trojanis, jocantur versibus incompositis, et risu effuso; et induunt larvas horribiles è cavis corticibus; et te vocant, ô Bacche, inter hilaria carmina, et in honorem tuum alligant fictiles imagunculas ex altâ pinu. Hinc vinea omnis pullulat multo fructu, et valles curvæ, et saltus opaci implentur* uvis: *et quicunque* locus, in quem imago *Bacchi circumvertit vultum formosum. Itaque ritè cantabimus Baccho suas laudes versibus patriis, et offeremus ei discos atque placentas; et sacer hircus deductus cornibus statuetur ante aram: et torrebimus pinguia viscera in verubus è corylo* factis. *Est etiam iterandus in colendis vitibus labor ille, in quo nihil unquam satis perfectum est: nempe* oportet.

## NOTÆ.

chori saltatorum et musicorum: ab ὀρχεῖσθαι, *saltare.* III. *Proscenium,* locus ab uno theatri cornu ad alterum ductus, inter orchestram et scenam, altior quàm orchestra, inferior quàm scena: in eo agebant loquebanturque histriones comici tragicique, è pulpito, id est, ex editiore aliquo et pedibus substrato tabulato. IV. *Scena,* pars theatri adversa spectantibus; velis, picturis, columnisque decorata, et olim arboribus ad inumbrandos actores, cùm ludi in propatulo antiquitùs exhiberentur: à σκηνὴ, *umbraculum.* V. *Proscenium,* ubi actores post scenam latent. VI. *Amphitheatrum,* fuit locus, non in semicirculum, sed in circulum exstructus: ubi nulla erat scena, sed undecunque sedilia spectatorum; cum *arenâ* in medio, in quâ gladiatorum, ferarumque, et alia id genus certamina peragebantur: quare *amphitheatrum* dicebatur, quasi *undique theatrum:* ab ἀμφὶ, *circum,* et θεάομαι, *specto.*

382. *Præmiaque, &c.*] Ludi omnes theatrales è Bacchicis ejusmodi ludicris ortum habuere, quibus victor *hircum* referebat: unde tragœdiæ remansit nomen à τράγος *hircus,* et ᾠδὴ, *cantilena.* Horatius in arte Poëticâ, v. 220. *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, Mox etiam agrestes Satyros nudavit, &c.* Floruit primò apud Athenienses, qui *Theseidæ* dicuntur, à *Theseo* rege, qui primus eos, in pagis degentes, in urbem coëgit mœnibusque sepsit. De eo, Æn. 6. 122.

384. *Unctos saliere per utres.*] Præcipua pars *Liberalium* sive *Bacchicorum* ludorum, erat saltus per pelles hircinas, in campo cumulatas, inflatasque et unctas oleo. Hircinas eligebant pelles sive utres, ad contemptum hircorum etiam mortuorum, quòd viti infestum sit animal: ungebant, ut magis essent lubricæ, nec vestigium cadentis sustinerent: uno pede insiliebant, reducto altero: et cùm frequenter caderent *cernui,* sive proni, vocabant ludos illos *Cernualia;* Græci ἀσκωλία, ab ἀσκὸς *uter.*

385. *Ausonii coloni.*] *Colonus* hìc non *agricolam* significat, sed *coloniam,* sive Trojanos, Æneâ duce, missos ad *incolendam* Ausoniam, id est, Italiam. De *Ausonibus,* antiquis Italiæ populis, Æn. 3. 171.

389. *Oscilla suspendunt.*] Imagunculas fictiles, Baccho sacras, et ad ejus speciem effictas; quæ vineis providere putabantur, eisque fertilitatem conferre, ad quas vento, aut numinis providentiâ impulsæ sese converterent. Unde addit: *Et quócunque Deus circùm caput egit honestum.* Nomen hoc, *oscillum,* diminutivum est ab *os, oris,* quasi *parvum os:* unde etiam est *osculum,* Æn. 1. 260.

391. *Saltusque, &c.*] *Saltus* non esse sylvarum ipsas arbores, sed loca sylvarum ab arboribus vacua, notavimus, Ecl. 6. 56.

394. *Liba.*] Placentæ genus, Ecl. 7. 33.

395. *Et ductus.*] Verba solennia: ominosum enim erat in sacrificiis, si victima *traheretur,* non facilè duceretur: tum si ad aram non sponte *staret,* sed reluctaretur.

396. *Colurnis.*] Benè; cùm enim *corylum* et *hircum* viti esse infestum dixerit, utrumque ad sacrificia adhibet: *hircum,* ut victimam; *corylum,* ut materiem veru.

397. *Est etiam, &c.*] Præcipit *alteram,* id est, secundam *pastinationem,* quæ dicitur *repastinatio,* de quâ, v. 354. Item et secundam *pampinationem,* seu frondium amputationem, de quâ,

Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Æternùm frangenda bidentibus, omne levandum
Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Et jam olim seras posuit cùm vinea frondes,
Frigidus et sylvis Aquilo decussit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto:
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra,
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ:
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura
Exiguum colito. Necnon etiam aspera rusci
Vimina per sylvam, et ripis fluvialis arundo
Cæditur; incultique exercet cura salicti.
Jam vinctæ vites, jam falcem arbusta reponunt,
Jam canit extremos effœtus vinitor antes:
Solicitanda tamen tellus, pulvisque movendus;
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.
  Contrà, non ulla est oleis cultura: neque illæ
Procurvam expectant falcem, rastrosque tenaces;
Cùm semel hæserunt arvis, aurasque tulerunt.
Ipsa satis tellus, cùm dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges.

*omnem terram vertere singulis annis ter et quater, et assiduè comminuere glebas ligonibus inversis, et exonerare totum vinetum frondibus. Labor revolutus in circulum redit agricolis, et annus in se replicatur per easdem vias. Et tum demum, cùm vinea amisit ultimas frondes, et* cùm *frigidus Aquilo abstulit arboribus pulchritudinem, jam tum diligens agricola profert curas in annum futurum, et persequitur curvâ Saturni falce vitem nudatam,* eam *tondens, et componit amputando. Primus move terram, primus combure sarmenta* domum *deportata, et primus refer domum pedamenta; ultimus vindemiato. Bis frondes densiores inumbrant vitem, bis herbæ suffocant vinetum spissis vepribus: magna difficultas in utrisque* amputandis: *Lauda rura magna,* sed *cole parvum* rus. *Prætereà secanda sunt in sylvis aspera vimina è rusco, et fluviales cannæ in ripis; et habenda cura salicti sylvestris. Postquam vites ligatæ sunt: postquam vineta* permittunt *falcem reponi, postquam vinitor lassus cantat* attigisse *se extremos vineæ ordines; tamen vertenda* est *terra, et glebæ comminuendæ, et aër timendus racemis jam maturis. Contrà nulla est difficultas in colendis oleis, nec illæ petunt curvam falcem et rastros mordaces: cùm semel radices egerunt in terram, et assueverunt aëri. Ipsa terra suppeditat succum plantatis* oleis, *quando aperitur ligone adunco; et* reddit *plenas olivas,* statim *cum* ipso *vomere.*

## NOTÆ.

v. 365. Quanquam monet, ter aut quater laborem utrumque esse repetendum: quia nunquam *huic labori,* id est, in hoc labore, *satis est exhausti,* id est, juxta Servium, exhaustionis, finitionis, perfectionis: sic Æn. 2. 427. *Servantissimus æqui,* id est, æquitatis.

401. *Actus in orbem.*] Id est, perpetuus et continuus: nullus enim in orbe, seu circulo terminus est.

404. *Aquilo.*] Ventus septentrionalis, Ecl. 7. 51.

406. *Curvo Saturni dente, &c.*] Præcepta congerit de curis hybernis circa vitem: ac præcipuè de *ablaqueatione:* quæ fit cùm circa radices terra effoditur, tondenturque ferro superfluæ radices: eæ præsertim, quæ terræ superficiem propiùs tangunt; ut inferiores convalescant. Dicitur *ablaqueatio,* quia vitis radicibus, quasi totidem laqueis, expeditur et liberatur. *Saturni dente.*] Falce dentatâ seu acutâ, quæ Saturni gestamen est. De *Saturno,* Ecl. 4. 6.

410. *Bis vitibus, &c.*] Causam affert geminæ *pampinationis,* quam anteà præceperat; item et geminæ *runcationis,* quâ herbæ noxiæ eruuntur, *sarcler,* WEEDING.

413. *Aspera rusci Vimina.*] Commendat curam fruticum, unde parantur viti retinacula. *Ruscus,* vel *ruscum, du houx,* HOLLY. De eo, Ecl. 7. 42. *Salictum,* vel *salicetum,* locus salicibus consitus, *sausaye,* A WILLOW GROUND.

417. *Extremos effœtus vinitor antes.*] *Antes,* sunt ordines vitium, qui sunt ante cæteros positi, et vineam quasi circumdant, et quâvis ex parte extremi sunt. *Effœtus,* lassus, qualis est mulier quæ multos edidit fœtus.

418. *Pulvisque movendus.*] Commovendus et excitandus pulvis, fractione glebarum.

419. *Metuendus Jupiter uvis.*] Aër grandine et pluviis intempestivis infestus. *Jupiter,* pro aëre, suprà v. 325.

420. *Contrà non, &c.*] Laboriosæ vitis culturæ, facilem opponit oleæ culturam. Utraque tamen in tenerâ ætate similis est: disparitas igitur à firmiori tantùm ætate petenda, quæ maximam, in vite, vix ullam in oleâ, curam exigit; unde addit poëta: *Cùm semel hæserunt arvis.*

424. *Cum vomere, &c.*] Id est, statim atque aperitur vomere, sine morâ, producit fructus. Exaggeratio, quæ certum et celerem proventum indicat.

*Fruges.*] Olivas interpretor. Et verò voces

Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam
Poma quoque ut primùm truncos sensere valentes,
Et vires habuere suas; ad sidera raptim
Vi propriâ nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minùs intereà fœtu nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytisi: tædas sylva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni, et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere, atque impendere curam!
Quid majora sequar? salices, humilesque genistæ;
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbram
Sufficiunt; sepemque satis, et pabula melli.
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos: juvat arva videre,
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipsæ Caucaseo steriles in vertice sylvæ,
Quas animosi Euri assiduè franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrosque cupressosque:
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis hastilibus, et bona bello

*Ideò nutri olivum pinguem et gratam paci. Poma quoque, quando sensere truncos robustos, et accepere vires sibi debitas, citò assurgunt in aërem virtute propriâ, nec egent nostro auxilio. Intereà sylvæ omnes non minùs onerant se fœtibus, et incultæ avium latebræ rubescunt baccis sanguineis. Cytisi secantur: sylva alta suppeditat tædas* quibus *ignes nocturni aluntur, et præbent lucem. Et homines negligent* eas *plantare, et* in iis *curam adhibere! Quid commemorem majores* arbores? *salices et genistæ humiles, illæ* ipsæ *præbent, aut cibum pecudibus, aut umbram pastoribus, et sepem segetibus, et cibum apibus. Et pulchrum est videre Cytorum fluctuantem buxo, et sylvas Naryciarum picearum: pulchrum est videre campos non egentes rastris, aut ullâ curâ hominum. Sylvæ ipsæ steriles in Caucaso monte, quas validi Euri semper perflant et rumpunt, exhibent alios aliæ fructus; præbent pinos, ligna utilia navibus; cedros et cupressos,* utilia *domibus: ex his agricolæ tornaverunt radios rotis, et rotas plaustris, et fabricaverunt curvas carinas navibus. Salices producunt vimina, ulmi frondes: Myrtus verò commoda est ad valida hastilia, et cornus ad arma* alia:

## NOTÆ.

illæ promiscuè adhibentur à poëtis: *Nemus*, non propriè tantùm pro sylvestrium arborum multitudine, sed et pro vineâ, v. 400. *Omne levandum fronde nemus. Sylva*, pro quarumlibet rerum multitudine, ut notavimus, Geor. 1. 152. *Messis* pro collectione non solùm tritici, sed etiam uvarum, Geor. 2. 410. *Postremus metito.* Item pro mellis proventu, Geor. 4. 231. *Duo tempora messis. Vindemia* apud Plin. l. 15. 1. pro olivarum etiam collectione. *Seges*, pro arbusculis in seminario, Geor. 2. 266. *Ubi prima paretur arboribus seges, &c.*

425. *Placitam paci nutritor olivam.*] *Nutritor*, pro *nutri:* passivum, activâ significatione: ut apud Cicer. pro Mil. 33. *Inimicissimum multò crudeliùs etiam punitus es.* Pro *punisti. Placitam paci*, quia insigne pacis fuit, Æn. 7. 237. Minerva fuit dicata. Vide Geor. 1. 14.

426. *Poma.*] Fructus pro arbore: arbor enim *pomus* est.

431. *Cytisi: tædas, &c.*] De *cytiso* frutice, qui tondetur saginando pecori, Ecl. 1. 79. De *tædis* arboribus è picearum genere, Ecl. 7. 49.

434. *Salices, &c.*] Salices, *saules*, WILLOWS. Genistæ, *genest*, BROOM, Geor. 2. 12.

436. *Pabula melli.*] Apibus, quæ mel conficiunt.

437. *Cytorum.*] Cytorus urbs, et mons Galatiæ, in orâ Paphlagoniæ; buxo fertilis. Ovid. Met. 4. 312. *Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines:* id est, *buxeo.*

438. *Naryciæque picis lucos, &c.*] Sylvas feraces tædarum, picearum, aliarumque arborum, è quibus succus erumpit; qui, si igne exprimitur, dicitur *pix, poix*, PITCH. Si sponte fluit, dicitur *resina, poix, resine*, ROSIN, thuri affinis. *Narycium* urbs Græciæ et Italiæ, de quâ, Æn. 3. 399.

440. *Caucaseo, &c.*] De *Caucaso* monte Asiæ, Ecl. 6. 42. De *Euro*, vento orientali, Geor. 1. 371. Hic Caucasus, pro quolibet monte, Eurus pro quolibet vento.

444. *Hinc radios trivere rotis, et tympana plaustris. Hinc*, non ad cedros et cupressos, è quibus nemo rotas fabricatur; sed ad sylvas, seu sylvestres arbores, refertur. De *radiis, tympanis*, et *plaustris*, Geor. 1. 163. *Trivere.*] Perfecere torno, de quâ arte, Ecl. 3, 38.

445. *Ratibus posuere carinas.*] *Rates* propriè, sunt ligna inter se colligata, quæ per aquam aguntur; metaphoricè sumitur pro navi perfectâ. *Carina*, est trabs ima, eaque incurva, quæ totius navis fundamentum est.

447. *Myrtus.*] De *myrto*, Ecl. 2. 54. De *corno, corneillier*, WILD-CHERRY, suprà, v. 34. De *taxo, if*, YEW, suprà, v. 257. De *tiliâ, tilleul*, LIME-TREE, Geor. 1. 173. Hæc *buxus*, vel hoc *buxum, buis*, BOX.

Cornus: Ityræos taxi torquentur in arcus
Nec tiliæ leves, aut torno rasile buxum,
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto:
Necnon et torrentem undam levis innatat alnus
Missa Pado; necnon et apes examina condunt
Corticibusque cavis, vitiosæque ilicis alveo.
Quid memorandum æquè Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit: ille furentes
Centauros leto domuit, Rhœtumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint,
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantûm totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchrâ testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreïaque æra;

*taxi flectuntur in arcus Ityræos. Necnon tiliæ politæ, et buxus torno rasilis, accipiunt figuram et cavantur acuto ferro. Alnus quoque levis, demissa per Padum, innatat aquæ currenti: apes quoque abscondunt examina* in *cavis corticibus, et* in *sinu ilicis cariosæ. Quid produxerunt Bacchi munera,* quod sit *æqualiter laudandum? Bacchus occasiones etiam præbuit peccandi: ille morte affecit furiosos Centauros, et Rhœtum, et Pholum, et Hylæum minantem Lapithis magno poculo. O felices agricolas, si cognoscerent suam felicitatem! quibus terra ipsa æquissima producit ex se victum parabilem, longè à bellis discordibus. Si* apud illos *domus alta portis superbis non emittit* ex *totis ædibus magnam multitudinem* hominum *mane salutantium; si* illi *non appetunt limina variata pulchrâ testudine, et vestes distinctas auro, et æra Corinthia;*

## NOTÆ.

448. *Ityræos.*] Gens est juxta Servium, è Parthiâ; juxta cæteros, è Syriâ: sagittandi arte memorabilis.

451, 452. *Alnus missa Pado.*] *Alnus, aulne,* ALDER, nota arbor: *Padus, le Po,* nobilissimus Italiæ fluvius, de quo Geor. 1. 482. Hic sumitur pro quovis fluvio. *Pado,* pro *per Padum,* ut, *It clamor cælo,* pro *ad cælum.* De *examinibus* apum, Ecl. 7. 13. De *ilice,* arbore, *yeuse,* HOLM-OAK, Ecl. 1. 18.

456. *Centauros, &c.*] *Centauri* et *Lapithæ* vicini sunt populi Thessaliæ: hi Pindum et Othryn; illi Pelion montem incolentes. Lapitharum rex Pirithous, cùm Hippodamiam uxorem duceret, Centauri, sponsam ipso nuptiarum die rapere aggressi, à Theseo et Hercule amicis Pirithoi, cæterisque Lapithis, ingenti clade inter ipsa pocula affecti sunt. Centaurorum præcipuos commemorat Virgilius: Rhœtum, Pholum, et Hylæum. Pro *Rhœto,* aliqui *Rhecum* legunt: et verò sic apud Callimachum aliosque legitur. De *cratere,* Ecl. 5. 68.

458. *O fortunatos, &c.*] VII. PARS et ultima: *Digressio de vitæ rusticæ felicitate.* I. Ejus commoda præfert commodis urbanæ vitæ, v. 461. II. Proximam facit literarum et philosophiæ studiis, v. 475. III. Præfert quibuslibet aliis hominum studiis, v. 495. Hujus vitæ antiquitatem à primis Italiæ colonis, primisque hominibus repetit, v. 532.

462. *Mane salutantûm, &c.*] Mos apud Romanos, ut clientes magno numero patronos salutatum venirent primâ luce. *Undam* exprimit multitudo populi exeuntis; dum alius alium, quasi fluctus fluctum trudit. *Vomit,* metaphora antiqui usûs in eam rem: unde *vomitoria* dicebantur in amphitheatris aditus illi, per quos populus confertim ingrediens in sedilia sese effundebat.

463. *Testudine postes.*] Portas intelligit, vel in testudinem, id est fornicem, arcuatas: vel tectas conchis testudinis Indicæ, in laminas sectis. De *testudinibus, tortues,* TORTOISES, ita Plin. l. 9. 10. *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant: atque inter insulas rubri præcipuè maris, his navigabant cymbis. In mari conchyliis vivunt; tantâ oris duritiâ, ut lapides comminuant: in terram egressæ, in herbis pariunt ova, avium ovis similia, ad centena numero: eaque defossa extra aquas, incubant noctibus.* Tum cap. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire, Corbilius Pollio instituit; prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.*

464. *Illusasque auro vestes, &c.*] *In quibus artifex ludens, auro aliqua depinxit,* inquit Servius.

*Ephyreïaque æra.*] Quinque syllabarum vox: apud Lucanum etiam quatuor, *Ephyrea:* l. 6. *Insedit castris, Ephyreaque mœnia servat:* id est, Corinthia; Corinthus enim, *Ephyra* dicta est, ab Ephyrâ Nymphâ. Urbs est Achaiæ, sita in medio isthmi Peloponnesiaci, qui Corinthiacus ideò dicitur. Capta est et incensa, à L. Mummio consule. Æs porrò Corinthium magno in pretio fuit, et ad vasa expetitum: cujus pretii causa hæc affertur à Floro, l. 2. 6. *Quantas opes et abstulerit et cremaverit hinc scias: quòd, quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus: nam et æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ orbis fecit injuria: quia incendio perustis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.* Æri tamen huic fuisse pretium etiam ante

Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casiâ liquidi corrumpitur usus olivi;
At secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt. Illic saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum parvoque assueta juventus,
Sacra Deûm, sanctique patres. Extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit.
Me verò primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero, ingenti perculsus amore,
Accipiant: cœlique vias et sidera monstrent,
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Unde tremor terris: quâ vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in seipsa residant:
Quid tantùm Oceano properent se tingere Soles
Hyberni: vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circùm præcordia sanguis;

*si* apud illos *lana non tingitur Assyrio colore, et usus olei sinceri non depravatur casiâ: tamen* apud illos non deest *quies tuta, et vita nesciens decipere, affluens variis opibus: tamen otia in amplis fundis, et antra, et vivi lacus, et umbrosi campi, et mugitus boum, et dulces somni sub arbore, non desunt. Illic* sunt *sylvæ, et latibula ferarum, et juventus patiens in laboribus parvoque assueta, et ceremoniæ Deorum, et venerandi parentes. Justitia abiens è terrâ ultimò posuit pedem apud illos. Me verò teneant præ cæteris dulces Musæ, quarum fero res sacras, magno* earum *amore captus: et doceant* me *circulos cœli, et sidera, et diversos eclipses Solis, et eclipses Lunæ: unde motus terræ* oriatur: *quâ virtute altum mare turgescat, superato alveo; ac deinde in seipsum recurrat; quâ de causâ Sol hyemalis ita properet se lavare* aquis *Oceani: vel quæ mora differat noctes æstivas. Si verò sanguis frigidus circumfusus cordi impediat, quò minùs possim penetrare hæc secreta naturæ;*

NOTÆ.

Mummianum incendium, probat ex Homero Cerdanus, aliisque argumentis Germanus.

465. *Alba nec Assyrio, &c.*] Quadruplex est Syriæ divisio: Syria, Assyria, Cœlesyria, et Leucosyria. Phœnicia verò et Tyrus, sunt in Cœlesyriâ: in Phœniciâ autem et circa Tyrum inventa est purpura primùm è conchis expressa. *Venenum*, ut et φάρμακον Græcis, ambiguæ significationis est: et significat quicquid naturam rerum immutat, in bonam malamque partem; atque adeò et colores, quibus lana fucatur.

466. *Casiâ.*] Cassiam triplicem distinximus, Ecl. 2. 49. De primâ specie haud dubiè hìc intelligendus poëta: quâ oleum ad majores delicias conditum fuisse puto, *de la canelle* BASTARD-CINNAMON.

469. *At frigida Tempe.*] *Tempe* pluralis numeri, ac neutrius generis, amœnissima vallis fuit in Thessaliâ: cincta montibus Ossâ, Pelio, et Olympo: Peneo fluvio interfusa. Ad eâ valle, multæ, amœnitate pares, eo quoque nomine insignitæ sunt: sic in Siciliâ posuit Ovid. Fast. 4. 475. *Heloria Tempe.* Statius in Bœotiâ, Theb. 1. 486. *Theumesia Tempe.* Hìc Virgilius amœna quælibet loca intelligit. Nomen, à τέμενος, *lucus, fanum;* quod Æoles deformârunt in τέμπος.

471. *Saltus ac lustra ferarum.*] De *saltibus*, vide Ecl. 6. 56. De *lustris*, quæ sunt ferarum in sylvis cubilia, puto magis adhærendum Festo quàm Servio. Festus derivat à *luto:* unde metaphoricè *lustra* dicuntur popinæ et lupanaria, ubi ventri ac desidiæ opera datur. Servius deducit ab umbrâ, quia loca illa parum *illustrantur.* Stat pro Festo Vossius in Etym.

474. *Justitia excedens.*] Astræa, de quâ Ecl. 4. 6.

475. *Musæ.*] Profitetur se literarum studia præferre agriculturæ: si tamen his studiis minùs se idoneum sentiret, ad hoc alterum vitæ genus abiturum. *Musæ.*] Non hìc solius carminis præsides: sed literarum omnium, earum præcipuè quæ ad cœlestia pertinent, quibus præest *Urania.*

476. *Quarum sacra fero.*] Poëtæ Musarum se sacerdotes appellant. Ita Horat. Od. l. 3. 1. *Carmina non priùs Audita, Musarum sacerdos, Virginibus puerisque canto.* Sacerdotum est *sacra ferre*, administrare, ac ducere.

481. *Quid tantùm Oceano, &c.*] Hyemem et æstatem significat: et sensus est: Quæ causa sit, cur dies hyberni tam sint in occasum præcipites: et quæ mora noctes æstivas differat, ac retardet. *Soles* dixit, pro *dies*, plurali numero: quemadmodum Geor. 1. 66. *Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.*

484. *Frigidus obstiterit, &c.*] *Secundùm physicos, qui dicunt stultos homines esse frigidioris sanguinis; prudentes, calidi. Unde et senes, in quibus jam friget; et pueri, in quibus necdum calet, minùs sapiunt.* Ita Servius. *Præcordia* propriè sunt membranæ cordi prætensæ: Græci vocant διάφραγμα. Supra præcordia sunt pulmones et cor; infra, jecur et lien. Sæpe tamen sumuntur pro *extis* omnibus, hìc et alibi præcipuè pro *corde*, sæpe pro ipso *animo.*

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem sylvasque inglorius. O! ubi campi,
Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! ô qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbrâ!
  Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestes,
Panaque Sylvanumque senem, Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere suâ, carpsit: nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

*placerent mihi rura, et fluvii decurrentes in vallibus: amarem fluvios et sylvas, sine* ullâ aliâ *gloriâ. O ubi* sunt *campi, et Sperchius* fluvius *et* mons *Taygetus frequentatus* à *puellis Laconicis! ô quis me transferat in valles gelidas Hæmi* montis, *et operiat* me *magnâ umbrâ ramorum! Felix* ille est, *qui potuit discere causas rerum, et* qui *posuit sub pedibus omnem timorem, et tumultum Acherontis avari. Sed felix quoque* est *ille qui colit Deos rusticos, et Pana, et senem Sylvanum, et Nymphas sorores. Ille non movetur, nec fascibus populi, nec purpurâ regum, nec dissentione quæ turbat infidos fratres, nec Daco, qui descendit à Danubio conjurato: nec negotiis Romanorum, nec regnis perituris: neque ille aut cum angore miserescit pauperis, aut invidet diviti. Colligit fructus, quos rami, quos agri ipsi volentes ultrò producunt: nec cognoscit leges duras, et tumultuosum forum, aut tabularia populi.*

## NOTÆ.

487. *Sperchiusque, &c.*] *Sperchius*, Thessaliæ fluvius, è Pindo monte, in Maliacum sinum rapidè fluens: hodie *Agriomela. Taygetus*, plural. *Taygeta*, mons Laconiæ, Spartæ et Amyclis imminens, venatione et Bacchi orgiis celebris: unde *Virginibus bacchata Lacænis:* id est, frequentata à Laconiæ mulieribus, quæ illic Bacchantium cultu interdum ludebant. *Hæmus*, mons Thraciæ, de quo Geor. 1. 492.

490. *Felix qui, &c.*] Videntur hi versus geminam philosophiæ partem distinguere: primus *physicam*, sive naturalem, quæ rerum causas investigat: alii *ethicam*, sive moralem, quæ tota est in temperandis hominum motibus, et consectandâ beatitate: beatitas autem in voluptate à plerisque veterum constituebatur: nocet porrò voluptati metus fati et inferorum.

492. *Acherontis avari.*] *Acheron*, inferorum fluvius, de quo Æn. 6. 323. *Avarus* dicitur, quia inferi rapiunt omnia.

493. *Deos agrestes, Panaque, &c.*] De *Diis agrestibus*, Ecl. 6. in notis ad argum. De *Pane*, Ecl. 2. 31. De *Sylvano*, Ecl. 10. 24. De *Nymphis sororibus*, putà *Dryadibus* aut *Napæis*, &c. Ecl. 2. 46.

495. *Non populi fasces, non, &c.*] Neque movetur Romanorum honoribus neque barbarorum regum. Romanos honores, per *fasces;* barbaros, per *purpuram* regum, significat. *Fasces*, erant fasciculi virgarum, quibus erat obligata securis, ita ut ferrum in summo extaret: insignia fuere magistratuum apud Romanos. Dicuntur *fasces populi*, quia populi suffragiis magistratus eligebantur in comitiis. Fasces habebat Dictator xxiv. Consul xii. Prætores provinciales vi. Prætores urbani ii. Præferebantur à *lictoribus*, quorum nomen à *ligando:* quia reos ligabant, feriebantque virgis è fasce detractis.

497. *Dacus ab Istro.*] *Daci*, nunc *Transylvani*, *Moldavi*, et *Valachi*, olim feræ gentes et Romanis infestæ, intra Carpathum montem à septentrione: Istrum fluvium, à meridie; ad usque Istri ostia porrectæ. *Ister* sive *Danubius*, fluvius Europæ maximus. Oritur ex Abnobâ monte in comitatu *Bar*, prope Villingham oppidum Sueviæ: deinde auctus fluviis 60 navigabilibus, in Pontum Euxinum influit ostiis sex, quorum duo tantùm jam navigabilia sunt, cæteris arenâ clausis. Danubius olim vocatus ab ortu, ad usque Axiopolim urbem Mysiæ: quo loco Ister appellabatur: unde propriè Ister à Virgilio hìc dicitur: et Dacus usurpatur pro quolibet hoste barbaro Romani imperii, cujus olim terminus ab eâ parte Ister fuit.

498. *Non res, &c.*] Opponit Romanum imperium regnis cæteris: quæ vocat *peritura*, ut Romanam æternitatem notet.

499. *Aut doluit miserans, &c.*] Loquitur è Stoicorum sententiâ, qui motus omnes animi atque affectus, veluti morbos et vitia, ex homine sublatos volebant, ad benè beatéque vivendum. Ac speciatim patet misericordiam excludi à Senecâ ex animo sapientis, lib. 2. de Clement. c. 5. *Quemadmodum religio Deos colit, superstitio violat; ita clementiam, mansuetudinemque omnes boni præstabunt, misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis: itaque pessimo cuique familiarissima est.*

502. *Populi tabularia.*] *Tabularium* Romæ locus fuit, in quo publica omnia instrumenta

Solicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum.
Hic petit excidiis urbem miserosque Penates,
Ut gemmâ bibat, et Sarrano indormiat ostro:
Condit opes alius, defossoque incubat auro:
Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebisque patrumque
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub Sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor, hinc patriam, parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Nec requies; quin, aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems; teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti redeunt: dant arbuta sylvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus: et altè
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Intereà dulces pendent circum oscula nati:
Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesque in gramine læto

*Alii agitant remis mare profundum, et currunt ad militiam: pervadunt in aulas et domos regum. Hic intendit ruinam urbi et miseris domibus, ut bibat in* poculo *gemmeo, et dormiat in purpurâ Tyriâ: alius occultat divitias, et incumbit auro defosso: alius obstupescit mirabundus ad rostra: alium percellit hiantem plausus plebis et senatorum in theatro, nam iteratur:* alii *gaudent tincti sanguine fratrum, et relictis domibus et gratis liminibus abeunt in exilium, et quærunt patriam suppositam alii Soli. Agricola* autem *vertit terram curvo aratro; inde est labor anni, inde alit patriam et parvos nepotes; inde* alit *armenta boum, et juvencos, qui* id labore *meruerunt. Nec cessat, donec annus abundet, vel pomis, vel fœtu pecudum, vel manipulis spicarum Cerealium: et oneret sulcos proventu, et superet horrea.* Postquam *hyems venit, oliva Sicyonia premitur torcularibus: redeunt porci saginati glandibus: sylvæ præbent poma sylvestria: et autumnus suppeditat varios fructus: et altè racemi dulces coquuntur in apertis collibus. Intereà dulces nati pendent circa ora; casta domus servat pudicitiam: vaccæ demittunt mammas plenas lacte: et pingues hœdi*

## NOTÆ.

de prædiis, vectigalibus, portoriis, reditibusque aliis publicis, servabantur in tabulis. Erat autem in atrio Libertatis. Livius, l. 43. *Censores ex templo in atrium Libertatis ascenderunt: et ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis servis publicis, negârunt se priùs quicquam negotii publici gesturos, quàm judicium populi de se factum esset.*

505. *Hic petit, &c.*] Eos carpit, qui opes è domitarum urbium ruinis colligunt. De *Penatibus*, Æn. 2. 717.

506. *Sarrano indormiat ostro, &c.*] Purpura quæ fit è sanie *ostrei* sive conchylii: qui *murex* appellatur, Phœnicum linguâ *Sar:* unde Tyrus, urbs Phœniciæ, horum piscatu celebris, dicta est priùs *Sarra;* et color purpureus, *Sarranus* et *Tyrius.* Distinguunt tamen plerique purpuram piscis, sive ostreum, à murice: hæc tamen à poëtis vulgò promiscuè usurpantur. Purpura alia rubra, alia violacea, alia dibapha, id est, bis tincta, à *δὶς*, *bis*, et *βάπτω*, *tingo.*

508. *Hic stupet attonitus rostris, &c.*] Notat studium audiendi oratores, vel orandi è suggestibus, quæ *rostra* dicebantur. Nam ex Livio, l. 8. cùm *Antiates*, gens Latii maritima, cujus caput *Antium*, victi à Romanis et classe spoliati essent, naves eorum partim in navalia subductæ, partim incensæ sunt: servatisque rostris, id est eminentibus illis proræ partibus, quæ ferro aut ære armabantur; placuit in foro suggestum ex iis adornari, unde cum populo ageretur.

509. *Per cuneos (geminatur enim) &c.*] Notat studium spectaculorum; in quibus plausus, non à solâ plebe, sed etiam à senatoribus ipsis dabatur, et sic geminabatur. *Cunei* sedilia sunt theatrorum, de quibus suprà, v. 381.

517. *Cerealis mergite culmi.*] *Hæc merges*, Virgilio videtur esse manipulus spicarum, ut explicat Servius. Plinio tamen, l. 18. 30. videtur esse furca colligendis apta manipulis; quâ significatione dicitur etiam *merga, æ*, à Columellâ, et Festo.

519. *Sicyonia bacca trapetis.*] *Sicyon*, urbs Achaiæ propriè dictæ, non longè ab Isthmo Peloponnesiaco, ferax oleis. *Trapes*, sive *trapetum* mola est, sive torcular olei.

520. *Arbuta.*] Propriè sunt fructus *arbuti* arboris, *Arboisier*, STRAWBERRY-TREE, de quâ, Ecl. 3. 82. Hic fortè pro baccis omnibus sylvestribus usurpantur.

522. *Mitis in apricis, &c.*] Maturescit Solis ardore. De loco *aprico*, id est, Soli exposito, vide Ecl. 9. 49.

523. *Circum oscula.*] Circa os pendent, ab ore pendent. *Osculum* enim, non semper *basium;* sed magis propriè ipsum *os* significat. Æn. 1. 260.

Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos: fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat: pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaque agresti nudat prædura palæstrá.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater: sic fortis Etruria crevit,
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et antè
Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis;
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

*in herbâ fertili certant invicem oppositis cornibus. Ipse* agricola *celebrat dies festos: et stratus in herbâ, ubi ignis* est *in medio, et* ubi *socii implent pocula, te invocat, ô Bacche, vinum effundens* tibi: *Et proponit custodibus gregis certamina celeris jaculi in ulmo, et nudat robusta* eorum *corpora ad luctam rusticam. Sic instituerunt vitam olim antiqui Sabini, sic Remus, et frater* ejus Romulus; *sic crevit generosa Tuscia; atque adeò Roma evasit pulcherrima mundi, et una circumcinxit sibi muris septem montes. Aureus quoque Saturnus ducebat hanc vitam in terris, ante imperium Jovis Cretensis, et antequam scelerati homines vescerentur occisis bobus. Nondum etiam* homines *audiverant inflari tubas, nondum gladios sonare impositos duris incudibus. Sed nos decurrimus campum immensum longitudine: et jam tempus* est *liberare* jugo *fumantia colla equorum.*

## NOTÆ.

528. *Cratera coronant.*] Non coronant floribus, sed vino: quod ad summam usque poculi oram, ac veluti coronam, infunditur. Docet Athenæus, l. 15. ex Aristotele, *ὅτι οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ τέλεια*, &c. *Nihil mutilum esse offerendum Diis, sed integra et perfecta: plenum verò perfectum est: coronare, autem, plenitudinem quandam significat.* Citatque Homerum: *Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπιστέψαντο ποτοῖο, Juvenes verò crateras coronaverunt potu.*

531. *Palæstrâ.*] Luctâ: Græca vox *παλαίστρα*, radix *πάλλω*, *agito*, propter corporis in eâ agitationem.

532. *Sabini.*] Romæ vicini, Apennini jugis circumvallati: quorum fœminas in ludis Romani rapuerunt.

533. *Hanc Remus et frater, &c.*] Remus et Romulus, fratres Romæ conditores, Iliæ et Martis filii: de iis Æn. 8. 630.

*Sic fortis Etruria.*] Tusci à Latio, per Tiberim, divisa: Æn. 8. 479. et 10. 164.

535. *Septemque —— muro circumdedit arces.*] *Arces*, vel loca munita sunt, vel potiùs, montes, rupes: ut G. 4. 461. *Flerunt Rhodopeiæ arces.* Et verò *arx* probabiliùs derivatur ab *ἄκρα*, *cacumen, vertex:* quanquam ineptè Solinus derivat ab *Arcadibus*, qui primi in excelsâ parte montis habitârunt; Varro ab *arcendo*, Servius ab *arcano.* Porrò septem Romæ colles inclusi muro fuere: Palatinus, nunc *Palazzo maggiore:* Quirinalis, *monte cavallo;* Cœlius, *monte di S. Giovanni Laterano;* Capitolinus, *Campidoglio:* Aventinus, *monte di S. Sabina;* Esquilinus, *monte di S. Maria maggiore;* Viminalis denique: quibus septem additi deinceps fuerunt Janiculus collis, *Montorio;* et Vaticanus.

536. *Dictæi regis, et antè Impia quàm, &c.*] Antequam regnaret Jupiter, qui educatus est in Dictæo monte, Cretæ insulæ, G. 4. 152. Id est, aureâ ætate; cùm homines nondum animalium carne, sed solis terræ fructibus vescerentur. De *Saturno*, et *aureâ* ætate. Ecl. 4. 6.

541. *Sed nos, &c.*] Hunc librum, ut et priores, allegoria terminat ab equis petita. *Æquor* hìc est campus. Æn. 2. 780.

# P. VIRGILII MARONIS

# GEORGICORUM

## LIBER III.

### ARGUMENTUM.

*EXORDIUM tria continet: invocationem Deorum, qui pabulo et pecorum pastioni præsident: deinde laudes Octaviani: denique invitationem Mæcenatis, cujus jussu susceptum id operis fuisse rursus testatur. Sequuntur præceptiones de culturâ pecorum, quatuor in partes distinctæ. I. Agit de bobus et equis. II. De ovibus et capris. III. De canibus. IV. De rebus pecori infestis; nempe serpentibus, scabie, febri, ac peste: quæ pestis descriptio epilogi locum obtinet. Sparsæ sunt præterea toto libro fusiores, oblectationis causâ, descriptiones; quasi quædam diverticula. Talis est descriptio cursûs equestris,* v. 103. *Asili sive æstri,* v. 147. *Taurorum amantium,* v. 217. *Furiarum amoris,* v. 242. *Scythicæ hyemis,* v. 349.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos sylvæ amnesque Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia jam vulgata. Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?

INTERPRETATIO.

*Te etiam cantabo, ô magna Pales; et te, ô pastor memorabilis ob Amphrysum; et vos, ô sylvæ, et flumina Lycæi. Cætera omnia* argumenta, *quæ delectare* possent *animos otiosos, jam pertractata* sunt. *Quis nescit, aut Eurystheum severum, aut altaria infamis Busiridis? Cui non dictus* est *Hylas puer, et Delos Latonia,*

NOTÆ.

1. *Te quoque, magna Pales.*] Dea pastorum et pabuli, cui sacra lacte fiebant: et festa celebrabantur *Palilia*, 12. Kal. Maii: quo die Romulus urbem fundavit.

2. *Pastor ab Amphryso.*] *Amphrysus*, fluvius Thessaliæ, ubi Apollo greges pavit Admeti regis: vel ipsius regis amore captus, juxta Callimachum in hymno; vel juxta alios, eidem addictus in servitutem à Jove, propter interfectos Cyclopas, qui fulmina Jovi fabricaverant, ad occidendum, vel Phaëthonta, vel Æsculapium, utrumque filium Apollinis. Ideò dicitur *memorandus ab Amphryso:* id est, ob Amphrysum: quia ob operam ejus in ripis Admeto exhibitam, dictus est *Apollo Nomius*, à νομὴ, *vascuum.*

*Sylvæ, amnesque Lycæi.*] Loca quælibet pascuis abundantia: quales sunt in Arcadiâ sylvæ, amnesque *Lycæi* montis, Ecl. 10. 15.

4. *Eurysthea.*] Mycenarum regem: qui Junonis odio obsequens, Herculem, oraculi jussu sibi subditum, difficillimis periculis objecit: è quibus evasit victor. De *Hercule*, Æn. 8. 287.

5. *Illaudati Busiridis aras.*] Regis Ægypti, qui cùm hospites ad aras immolaret, ad eas ipsas cum Amphidamante filio et ministris occisus est ab Hercule, cui struebat easdem insidias. *Illaudati.*] Illaudabilis, in quo nihil est laude dignum, ac proinde summa sunt omnia vitia. Sic vulgò *invictus*, sumitur pro *invincibilis*, quod non est in usu, ut notat Turneb. l. 4. 17. Videturque Virgilius carpere Isocratem, Græcum oratorem, qui scripsit, quam adhuc habemus, laudationem Busiridis.

6. *Hylas —— Latonia Delos.*] *Hylas*, puer dilectus Herculi, Ecl. 6. 43. *Latona*, Cœi Titanis filia, à Jove compressa, Ecl. 3. 67. *Delos*, insula maris Ægæi, ubi Latona Dianam et Apollinem enixa est, Æn. 3. 74.

7. *Hippodameque.*] Vel Hippodamia, filia

Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Tentanda via est, quâ me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modò vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenerâ prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alphæum linquens lucosque Molorchi,

*et Hippodame, et Pelops, notabilis humero eburneo, ac veritus* artis *equestris? Tentanda est* mihi *via, quâ possim attollere me etiam è terrâ, et victor volare per ora hominum. Ego primus rediens è Bœotiis montibus deducam mecum Musas in patriam: dummodò vita duret* mihi. *Primus reportabo tibi palmas Idumeas, ô Mantua: et ædificabo in campo viridi templum è marmore juxta aquam, ubi magnus Mincius errat lentis flexibus, et tegit* marginem *riparum tenerâ arundine. In medio* templo *mihi erit Cæsar, et templum occupabit. Ejus in honorem ego victor, et spectabilis purpurâ Tyriâ, impellam juxta fluvium centum currus actos quatuor equis. Omnis Græcia relinquens Alpheum, et sylvas Molorchi,*

## NOTÆ.

Œnomai regis Elidis et Pisarum: qui cùm ex oraculo se à genero occidendum esse accepisset: equis confisus velocissimis, qui ex ventorum flatu creati erant, curule certamen filiæ procis proposuit, eâ lege, ut qui vinceret, filiam obtineret; qui vinceretur, mortem subiret. Igitur tredecim victis et occisis, Pelops Myrtilum Œnomai aurigam pretio corrupit, ut currui fragilem axem subjungeret, aut obicem axi non adjiceret. Quo pacto Œnomaus è curru concidit, membrisque casu collisis mortuus est. Pelops Hippodamiâ potitus, Myrtilum perfidiæ mercedem contumeliosiùs exigentem, in Ægæum mare præcipitem dedit, cujus illa pars ideò *Myrtoum* mare dicta est. *Pelopis* pater Tantalus fuit, Phrygiæ rex: qui cùm Deos excepisset hospitio, eorumque numen explorare vellet, suum hunc filium iis epulandum dedit; à cujus esu cæteri abstinuerunt, exceptâ Cerere, quæ humerum ejus absumpsit. Jupiter eum suscitavit, humerumque ei restituit eburneum: Tantalus ob id scelus perpetuâ siti ac fame in inferis cruciatus fingitur, præsentibus epulis coactus abstinere. Pelops deinde non Elide tantùm, sed totâ peninsulâ potitus, eam suo nomine *Peloponnesum* vocavit.

10. *Primus ego in patriam, &c.*] Certè hanc laudem priùs dederat Ennio Lucret. l. 1. 117. *Ennius ut noster cecinit, qui primus amæno Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentes Italas, &c.* Igitur non significat Virgilius se primum omnium Græcas Musas deducturum in Italiam, sed in agrum Mantuanum.

11. *Aonio vertice.*] Helicone, monte Bœotiæ, quæ Aonia priùs dicta est, Ecl. 6. 65. De *Musis*, Ecl. 3. 60.

12. *Primus Idumæas, &c.*] Id est, nobiles palmas: quales nascuntur in *Idume*, sive *Idumæâ*, Syriæ regione, ab *Edom*, filio Esau, sic dictâ. Attingit morem victorum Olympicis ludis: qui sua præmia referebant patrias in civitates: in quas triumphali pompâ invehebantur, fruebanturque deinceps vectigalibus totam in vitam è republicâ constitutis.

15. *Mincius.*] Fluvius Mantuam alluens, *Menzo*, Ecl. 7. 13.

16. *In medio, &c.*] Promittit multa in honorem Octaviani. I. *Templum.* II. *Ludos Olympicos*, et *Nemeæos*, Græco more. III. *Supplicationes cum Deorum statuis.* IV. *Sacrificia.* V. *Ludos theatrales.* VI. *Trophæa, imagines et statuas.*

17. *Victor ego, et Tyrio, &c.*] Victor poëtarum omnium Græcorum: quam victoriam explicat more tum Romano, tum Græco. Romano quidem, juxta quem victores purpurâ vestiti quadrigis invecti triumphabant: Græco verò, juxta quem victores ludis Olympicis palmam manu, coronam capite, gestabant; unde suprà dixit: *referam tibi, Mantua, palmas:* et infrà, v. 21. *Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ*, &c. De *Tyrio ostro*, sive purpurâ, G. 2. 506.

18. *Centum quadrijugos, &c.*] Vel modo poetarum, *centum* dixit, pro magnâ multitudine: Vel alludit ad Pompam Circensium ludorum, in quibus die uno fiebant viginti quinque curruum missus: id est, emissiones curruum è repagulis et carceribus: singulis autem missibus quatuor currus exibant: singuli, pro suâ factione, suis distincti coloribus: quatuor enim erant factiones; rubra; alba; prasina, sive viridis; et veneta, sive cœrulea. Igitur centum currus Virgilii missus indicant viginti quinque, seu Circensem unius diei pompam. Circenses autem ludi cursus equestres Olympicos imitabantur, Æn. 5. 288.

*Ad flumina.*] Veteri instituto: nam ante Circorum fabricam, *in litore fluminis Circenses agitabantur: in altero latere positis gladiis, ut ab utrâque parte esset ignaviæ præsens periculum:* inquit Servius. Vide Æn. 5. 288.

19. 20. *Cuncta mihi, &c.*] Significat venturam esse Græciam ad suos ludos, patriis contemptis, quasi vilioribus. Quatuor autem erant in Græciâ ludi, sive certamina insignia. *Olym-*

Cursibus et crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse, caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram. Jam nunc solemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini:
Atque hìc undantem bello, magnumque fluentem

*meo jussu certabit cursu, et duro cæstu. Ego decoratus frondibus tonsæ oleæ* circa *caput, proponam præmia. Jam nunc juvat ducere ad templa solennes pompas, et videre mactatas victimas: vel* videre, *quomodò scena mutetur conversâ facie: et quomodò Britanni intexti attollant aulæa purpurea. In portis* templi *sculpam in auro et solido ebore pugnam Indorum, et bella victoris Romuli: ibidemque* sculpam *Nilum agitatum* classibus, *et longè fluentem:*

## NOTÆ.

*pica, Pythia, Isthmia, et Nemeæa.* I. *Olympica,* instituta sunt ab Hercule, in honorem Jovis, postquàm Hercules Augeam regem Elidis occidisset: fraudatus ab eo mercede pactâ propter stabulum à triginta annorum fimo repurgatum. Victores coronâ donabantur ex oleastro, vel oleâ. Constabant autem ludi illi pentathlo, sive quintuplici certamine, cæstu, cursu, saltu, disco, et palæstrâ: durabantque quinque dies, et quarto quoque anno celebrabantur: unde spatia quatuor annorum, duas inter ludorum illorum celebrationes interjecta, *Olympiades* appellata sunt. II. *Pythia:* fiebant in Pythio, Macedoniæ loco: in honorem Apollinis, ob cædem Pythonis serpentis: unde Apollo *Pæan* dictus est, à παίειν, *ferire,* quòd sagittis serpentem percussisset: indéque carmen in ipsius et cæterorum deinde Deorum laudem, vocatur *hic pæan.* Coronabantur victores lauro. III. *Isthmia,* in honorem Neptuni, à Theseo Atheniensium rege instituta, in faucibus isthmi Corinthiaci, Corona dabatur è pinu. IV. *Nemeæa,* edebantur in honorem Herculis, ob cædem leonis ab eo interfecti in sylvâ Nemeæâ, prope Cleonas; urbem Achaiæ, in Peloponneso. Corona erat ex apio. Præthereà ludis omnibus victores palmam manu gestabant. Virgilius per *Alpheum,* Elidis in Peloponneso fluvium, prope Olympiam urbem, certamina intelligit *Olympica:* quæ ibi committebantur. Per *lucos Molorchi,* certamina *Nemeæa.* Molorchus enim pastor fuit in agro Cleonæo, hospes Herculis, cujus in gratiam Hercules leonem Nemæum, sive Cleonæum interfecit. Certamina alia sub his duobus complectitur.

*Cæstus.*] Chirothecæ quædam species est, è corio bubulo, eoque *crudo:* quo pugiles manus et brachia ad pugnam armabant, Æn. 5. 401.

21. *Tonsæ.*] Concisis foliis aptè compositæ.

22. *Ducere pompas.*] *Pompæ,* erant imagines Deorum impositæ ferculis: et alia quælibet ludorum ornamenta, quæ ad ostentationem coram populo ducebantur: præcipuè in *Circensibus.* Nomen à πομπὴ; hoc autem à πέμπω, *mitto, deduco, transveho.* De pompâ illâ Circensi fusè, Ovid. Amor. 2. 2. 43. *Sed jam pompa venit: linguis animisque favete, &c. Prima loco fertur sparsis Victoria pennis, &c.* Tum Neptunus, Mars, Phœbus, Minerva, Ceres, &c.

24. *Vel scena ut, &c.*] Scena, frons est theatri, seu pars theatri adversa spectantibus: quæ aulæis, velis, aliisque ornamentis decorata, actores tegit atque inumbrat: σκηνὴ, *umbraculum,* à σκιὰ, *umbra,* Geor. 2. 381. Scena autem illa fiebat, aut *versatilis,* aut *ductilis.* Versatilis; cùm subitò machinis quibusdam, ut præcipit Vitruvius, triangulis vertebatur, aliamque picturæ faciem ostendebat. Ductilis; cùm evolutis velis et aulæis picturæ facies interior nudabatur. Utramque exprimit Virgilius.

25. *Intexti tollant aulæa Britanni.*] Singulæ voces egent explicatione. I. *Aulæa:* vela ingentia, peripetasmata, dicta sunt ab *aulâ* Attali, Pergami regis ditissimi, qui populum Romanum hæredem reliquit: primusque invenit aurum intexere, ut Babylonii colores, ex Plinio l. 8. 48. unde *Attalica* et *Babylonica* aulæa vestesque memorantur. II. *Britanni,* nunc Angli et Scoti. Non ab Octaviano victi sunt, ut vult Servius; sed à Julio Cæsare: qui ex continenti Galliæ bis in eorum insulam navigavit: duabusque victoriis re benè gestâ, et acceptis obsidibus, magnum servorum numerum, ac prædam reportavit: juxta Strabonem l. 4. Ex iis igitur Julii mancipiis puto multos officiis theatralibus addictos esse: de quibus, ut illo tempore passim notis, hìc sermo est. III. *Intexti.* Nempe quia Julii victoriæ in ipsis aulæis depictæ erant: et inter eas, fortassè Britannica: unde portabant vela iidem Britanni qui in velis acupicti videbantur.

26. *Elephanto.*] De ebore, qui dens est elephanti, Geor. 1. 57.

27. *Gangaridum, &c. Quirini, &c.*] *Gangaridæ,* gens Indica circa Gangem. *Quirini.*] Octaviani: qui quasi alter Romulus et alter conditor Romæ habitus est. Romulus, autem Quirinus dictus est à *quiri,* quæ Sabinorum linguâ hastam significat, quâ semper instructus pingitur Romulus. Certum est agitatum fuisse in senatu, Romuli-ne, an Augusti nomine, Octavianus donaretur. Sed peræquè certum est, neque id contigisse nisi anno U. C. 727. annis post edita Georgica circiter tribus: neque unquam Gangaridas ab eo victos esse. Igitur appellatur à Virgilio *Quirinus,* non publicâ auctoritate, sed privatâ adulatione: *Gangaridum* verò victor, quia M. Antonii victor: qui ipse dolo Armenios,

Nilum, ac navali surgentes ære columnas.
Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fugâ Parthum versisque sagittis:
Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis
Nomina: Trosque parens, et Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix furias amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum.
Intereà Dryadum sylvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat: en age, segnes

*et columnas exstructas* ex *ære navium* captarum. *Adjiciam urbes Asiæ expugnatas, et Armenios fugatos, et Parthos confidentes fugæ ac sagittis retrò jactis, et spolia bis rapta manu ex diversis hostibus, et populos bis victos in utroque mari. Erunt quoque statuæ è marmore Pario, simulacra* propè *animata, soboles Assaraci, et heroës familiæ deductæ à Jove; et Tros pater* Assaraci, *et Apollo munitor Trojæ. Invidia infelix timebit furias, et severum fluvium Cocyti, et tortos serpentes Ixionis, et rotam immensam, et rupem* Sisyphi *insuperabilem. Intereà subeamus sylvas Dryadum, et saltus* aliis *inaccessos:* subeamus *tua mandata ô Mæcenas, non* sanè *facilia. Animus meus nihil altum incipit sine te. Eja verò amputemus pigras*

## NOTÆ.

Ventidio duce Parthos vicerat; Indos verò, Arabes, aliosque Asiaticos habuerat in auxiliis, ut diximus, Geor. 2. 171. Unde patet, id quod illo loco jam probavimus, hunc quoque locum Georgicis libris jam perfectis attextum esse.

28. *Magnumque fluentem Nilum.*] Nomen pro adverbio. Sic Æn. 7. 399. *Torvumque repentè clamat, &c.* De *Nilo* Ægyptio flumine, Geor. 4. 288. et Nilus victoriam significat Alexandrinam, de M. Antonio et Cleopatrâ ab Octaviano relatam, anno U. C. 724.

29. *Navali surgentes, &c.*] Octavianus è rostris æreis Ægyptiarum navium, dicitur quatuor columnas conflavisse: auctor Servius.

30. 31. *Niphaten, Fidentemque, &c.*] Per Niphaten Armeniæ montem, Armenios ipsos intelligit: per montem, populos montis incolas, Sic Æn. 10. 13. *Alpes immittet apertas:* id est, populos Alpinos. De *Parthis,* diximus Ecl. 1. 62. Quomodò autem Octavianus dici possit vicisse Armenios et Parthos, vide suprà, in notâ ad v. 27.

32. 33. *Et duo rapta—Bisque triumphatas, &c.*] Omnes explicant *diversum hostem,* de Gangaridis et Britannis: *utrumque litus;* de orientali in quo sunt Gangaridæ; et occidentali, in quo sunt Britanni. Sed malè, siquidem Britannos Octavianus non vicit. Ego explico de Asiaticis Africanisque gentibus, quæ M. Antonio parebant: de geminâ clade, quâ M. Antonium affecit; primâ ad Actium Epiri promontorium, in Europæo litore: alterâ ad Alexandriam, in Africano litore.

*Rapta manu.*] Notat utrumque bellum ab Octaviano, non per legatos, ut bella ferè cætera: sed proprio Marte, propriâ manu, gestum esse.

34. *Parii lapides.*] Marmora candida è Paro insulâ, quæ una est è Cycladibus in mari Ægæo.

35. *Assaraci proles, &c.*] Gentis Juliæ seriem et originem indicat. Hic autem fuit ordo: *Jupiter; Dardanus,* Jovis filius ex Electrâ Atlantis filiâ; *Ericthonius; Tros.* Hic scindit se familia duas in partes, per duos Trois filios, *Ilum* et *Assaracum. Ilus* enim genuit *Laomedontem,* hic *Priamum. Assaracus* verò habuit *Capyn,* hic *Anchisen.* Ex *Anchise* et *Venere, Æneas, Ascanii* sive *Iüli* pater, qui auctor fuit gentis Juliæ.

36. *Trojæ Cynthius auctor.*] Apollo, natus in insulâ *Delo;* ubi mons est *Cynthus,* Ecl. 6. 3. Trojæ mœnia exstruxit, regnante Laomedonte. Vide Geor. 1. 502.

37. *Invidia, &c.*] Eorum supplicium notat, qui Octaviani laudibus obtrectabant: quales multi ad id usque tempus Romæ fuerant; è veteribus Sext. Pompeii, aut M. Antonii amicis.

38. *Cocytum, &c.*] Inferorum fluvium, è Styge profluentem, à *κωκύειν, gemere,* Æn. 6. 323.

*Ixionis angues.*] Ixion, Phlegyæ, Lapitharum in Thessaliâ regis, filius: cùm ob cædem soceri sui Deionei inexpiabilem vagaretur, assumptusque in cœlum, et expiatus à Jove esset: Junonis amore percitus, ex nube, quam ei Jupiter pro Junone obtulerat, Centauros genuit. Apud homines deinde cùm suos et Junonis amores quasi veros jactaret: fulmine dejectus ad inferos, ibique tortis anguibus alligatus est rotæ cujus perpetuo circumactu torquetur.

39. *Non exsuperabile saxum.*] Sisyphi supplicium significat. Is filius Æoli, cùm Atticam latrociniis infestaret, occisus est à Theseo Athenarum rege: cujus in gratiam finxere Græci Sisyphum apud inferos huic addictum pœnæ; ut in montis verticem saxum provolvat, et continuò inde gravitate suâ devolutum continuò revolvat.

40. *Dryadum, &c.*] Ecl. 2. 46. *Saltus.*] Ecl. 6. 56. *Mæcenas.*] In argumento Georg.

Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum:
Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, et nomen famâ tot ferre per annos,
Tithoni primâ quot abest ab origine Cæsar.
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos, seu quis fortes ad aratra juvencos;
Corpora præcipuè matrum legat. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, et camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo:
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior: quæque ardua tota,
Et gradiens imâ verrit vestigia caudâ.
Ætas Lucinam justosque pati Hymenæos
Desinit ante decem, post quatuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis; nec fortis aratris.
Intereà superat gregibus dum læta juventus,
Solve mares: mitte in Venerem pecuaria primus,

*moras: Cithæron vocat* nos *magno clamore, et canes Taygeti, et Epidaurus domitrix equorum: et vox reboat, multiplicata repercussa sylvarum. Paulò pòst tamen aggrediar celebrare animosa bella Octaviani: et famâ propagare nomen* ejus *per tot annos, quot* annis *Octavianus distat à primo ortu Tithoni. Sive aliquis alit equos admirans præmia victoriæ Olympiacæ; sive aliquis* alit *robustos boves ad arationem: eligat præsertim corpora matrum. Optima est figura terribilis vaccæ, cui caput* est *deforme, cui collum* est *magnum, et* cui *pelles pendent à mento usque ad crura:* cui *prætereà latus longum est sine modo,* et *omnia magna; pes etiam, et aures hirsutæ sub cornibus inflexis. Nec displicebit mihi* vacca *notata maculis albis, aut quæ fugit jugum, et aliquando cornibus petit, et facie similis est tauro; et quæ tota alta* est, *et ambulans verrit vestigia* parte *extremâ caudæ. Ætas subeundi legitimum conjugium et labores partûs, finit ante decem annos,* et *incipit post quatuor: reliqua* ætas, *nec apta est generationi, nec commoda agriculturæ. Intereà dum læta juventus viget in armentis, da licentiam maribus, et citò immitte pecora ad coitum,*

## NOTÆ.

43. 44. *Vocat ingenti, &c.*] Dicit se vocari eas in regiones, quæ abundant iis animalibus, quorum culturam hoc libro docturus est. *Cithæron.*] Mons Bœotiæ, quæ regio à *bove* nomen habuit; ut dictum est Æn. 6. 65. et à Juvenali, S. 10. 50. *Vervecum patria* nominatur. *Taygetus.*] Mons in Laconiâ prope Spartam; venatu insignis, atque adeò canibus. *Epidaurus.*] Urbs multiplex hujus nominis; hæc in Peloponneso est, in Argiâ regione, ad orientale litus; ubi colebatur Æsculapius. Et tota Argia ferax equorum fuit: unde laudantur eo nomine Mycenæ, urbs ejusdem regionis, v. 121. *Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas.*

46. *Mox tamen, &c.*] Promittere videtur Æneida, quæ ad gentis Juliæ laudem conscripta est, continetque passim laudes Cæsaris Octaviani. *Accingar.*] Suscipiam. Translatio est ab iis qui aliquid facturi vestem altiùs cingunt: ne laciniis defluentibus impediantur.

48. *Tithoni.*] Vel Tithonus est ille, Laomedontis, aut frater, aut filius, ab Aurorâ dilectus, de quo G. 1. 249. Vel juxta Servium et Eustathium, Sol: qui Tithonus eodem modo dicitur, quo dicitur quoque Titan; nempe à τιταίνω, *extendo,* quia lucem undequaque extendit. Tithonus enim Auroræ, distabat ab Octaviano mille duntaxat annis; Sol totâ mundi ætate, atque adeò quâdam æternitate, quam videtur Octaviano polliceri Virgilius.

49. *Seu quis Olympiacæ, &c.*] I. PARS. De *equis et bobus.* Continetque præcepta quatuor. I. De *cognoscendâ optimâ formâ vaccæ,* v. 51. *equi,* v. 75. II. De *delectu admissariorum, des étalons,* STALLIONS, v. 95. *et equarum ad admissuram,* v. 129. quæ etiam tauris et vaccis accommodari possunt. III. De *curâ equarum gravidarum,* v. 140. IV. De *curâ et institutione vitulorum,* v. 157. *et equuleorum vitulorum,* v. 179.

52. *Turpe caput.*] Deforme, propter magnitudinem. Sic Homerus dixit, λᾶας ἀναιδὴς, *lapis impudens,* Iliad. 4. 521. et alibi.

56. *Maculis insignis et albo.*] Maculis albis: ut G. 2. 192. *Pateris libamus et auro:* pro pateris aureis.

60. *Lucinam——Hymenæos.*] Deam partûs, Deosque conjugii: quæ nomina etiam pecudibus tribuit, ut infrà, v. 125. mariti nomen equo: *Et pecori dixere maritum.* De *Lucinâ,* Ecl. 4. 10. *Hymen* vel *Hymenæus:* Vel fuit filius Liberi et Veneris, qui primus certas nuptias instituit: vel vir Atticus, qui raptas à latronibus virgines parentibus intactas restituit. Unde ejus nomen invocari solebat apud Græcos in festis nuptialibus: et nuptiæ ipsæ dicebantur *Hymenæi.*

*et propaga progeniem aliam ex aliâ per generationem. Optima quæque dies vitæ, prima elabitur miseris mortalibus: morbi succedunt, et mœsta senectus, et labor, et severitas duræ mortis eos rapit. Erunt semper aliquæ* pecudes, *quarum voles mutare corpora, igitur semper repara* armentum: *et ne posteà desideres ea quæ amiseris, præveni* damnum *et substitue armento prolem novam singulis annis. Similiter* necessarius *est armento delectus idem equorum. Tu modò adhibe præcipuam curam* circa eos, *quos statuis seponere ad propagationem armenti, jam inde à tenerâ* eorum *ætate. Statim pullus generosi pecoris altè incedit per campos, et flexibili crure figit* gradum. *Primus audet ingredi viam, et explorare fluvios tumentes, et exponere sese ponti incognito: nec timet strepitus inanes. Collum habet elatum, caput acutum, ventrem substrictum, terga carnosa, pectus robustum eminet in toros. Boni sunt badii et glauci; color est pessimus albis, et gilvis. Si autem arma aliqua longè sonuerunt, non potest consistere in loco: arrigit aures, et tremit membris, et volvit sub naribus collectum calorem,* eum *coërcens. Crines densi sunt, et agitati recidunt in dextrum humerum. At spina* dorsi *duplex extenditur inter lumbos: et ungula cavat solido cornu terram, sonatque graviter. Talis fuit Cyllarus domitus fræno Pollucis Amyclæi;*

Atque aliam ex aliâ generando suffice prolem.
Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus:
Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis;
Semper enim refice: ac, ne pòst amissa requiras,
Anteveni; et sobolem armento sortire quotannis.
 Necnon et pecori est idem delectus equino.
Tu modò, quos in spem statues submittere gentis,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.
Continuò pecoris generosi pullus in arvis
Altiùs ingreditur, et mollia crura reponit:
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto sese committere ponti:
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga;
Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo: tum, si qua sonum procul arma dedêre,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis

## NOTÆ.

70. *Semper enim refice.*] Hìc *enim*, non causam notat, sed effectum: *igitur, itaque.*

*Ne post amissa requiras.*] Ne serò agnoscas negligentiam tuam, ne serò armenti jacturam doleas: præveni jacturam illam annuâ substitutione novæ sobolis.

81. *Luxuriatque toris animosum, &c.*] Tori, sunt eminentiæ musculorum, quasi nodosæ ac tumentes: ut in robustioribus corporibus videre est.

82. *Spadices, glaucique, &c.*] I. Tamen constat *spadices* esse ex rubro nigricantes, badios, *bay-bruns*, CHESNUT: σπάδιξ enim et βαΐος, significant palmæ termitem cum fructu, qui ad illum colorem accedit: unde color ille Phœniceus etiam dictus est, à φοῖνιξ, *palma.* Vide Gellium, l. 2. 26. II. Docet ibidem Fronto apud Gellium, per *glaucum* equum, viridem hìc significari; et perinde Virgilium dicere potuisse, cœruleum. Quis autem est equus viridis, aut cæruleus, aut glaucus? Haud dubiè scutulatus ille, quem ex macularum densitate vocamus *Pommelé ardoisé*, DAPPLED GREY. Ardosia quippe lapis est fissilis, et densè cœruleus. III. *Albus* hìc à candido distinguitur: nam candidus color maximè probatur in equis Deorum ac triumphantium. Isidorus *album* explicat *pallidum, blanchâtre*, WHITISH. IV. *Gilvus*, Varroni *helvus*, qualis est melli aut lateri semicocto: *isabelle lavé:* Germani dicunt *Gelb*, DUN.

87. *Duplex spina.*] Ita Xenoph. lib. de Re equestri. Ita Varro. Non quod re duplex sit, sed specie tantùm et aspectu: ut enim in equo macilento extat et eminet quasi acuta spina dorsi; ita in robusto ac vegeto cavum quiddam videtur per mediam spinam intercurrere; idque patet ex Varronis verbis: sit *spina maximè duplex; si minùs, non extant.*

89. *Talis Amyclæi, &c.*] De *Polluce*, ejusque fratre *Castore*, Æn. 6. 121. Pollux ab Homero, Theocrito, Horatio, Ovidio, dicitur pugil insignis fuisse; Castor, equorum domitor. Contrà tamen videtur hìc sentire Virgilius. *Cyllarus.*] Equus Pollucis, juxta Virgilium et Propertium: Castoris, juxta Senecam, Valerium Flaccum et Claudianum. *Amyclæi.*] *Amyclæ*, urbs in Laconiâ, non longè à Lacedæmone: unde Castor et Pollux, modò Lacedæmone, modò Amyclis nati dicuntur

Cyllarus, et, quorum Graii meminere poëtæ,
Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.
Talis et ipse jubam cervice effudit equinâ
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
  Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.
Frigidus in Venerem senior, frustrâque laborem
Ingratum trahit: et, si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassùm furit. Ergo animos ævumque notabis
Præcipuè: hinc alias artes, prolemque parentum:
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides? cùm præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Cùm spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis:
Jamque humiles, jamque elati sublimè videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras.
Nec mora, nec requies. At fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
  Primus Erichthonius currus et quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor,
Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedêre,

*et* tales *equi bijuges Martis, et* equi *curules magni Achillis, quos Græci poëtæ commemorant. Talis ipse quoque Saturnus velox emisit crines è collo equino, superveniente uxore, et fugiens implevit altum Pelium hinnitu acuto. Hunc etiam include stabulis, cùm deficit, aut morbo tardus, aut senio piger: et sis indulgentior senectuti non infami. Senex inutilis est ad coitum, et* in eo *frustrà extendit laborem sterilem: et si interdum descenditur ad pugnam, frustrà furit, ut aliquando magnus ignis in paleis* furit *sine viribus. Ergo spectabis præsertim generositatem et ætatem, deinde alias dotes; quorum parentum* sint *soboles; quomodò unusquisque doleat, cùm vincitur; aut appetat victoriam. Nonne vides?* in *celeri certamine cùm currus corripuerunt campum, et ruunt emissi è repagulis: cùm spes juvenum excitatur, et metus pulsans fatigat corda subsultantia; juvenes imminent flagello intorto, et pendentes laxant habenas: rotæ volant, calidæ ex impetu: et jam demissi, et jam altè sublati, videntur ire per aërem vacuum, et attolli in ventos. Nec moram* faciunt, *nec quiescunt. At nubes flavi pulveris assurgit:* equi *fiunt humidi spumâ et halitu sequentium. Adeò amant gloriam, adeò appetunt victoriam. Erichthonius primus* omnium *ausus est componere currus et quadrigas: et post victoriam insidere rapidis rotis. Lapithæ Pelethronii, insidentes dorso* equorum,

NOTÆ.

91. *Martis equi, &c.*] De *Marte*, Ecl. 9. 12. *Martis* equos Servius aliique multi appellant *Pavorem* et *Timorem*, *δεῖμον* et *φόβον*, idque ex Hesiodo et Homero conantur probare: sed ex iis ipsis ostendit Germanus, aurigas fuisse, non equos. *Achillis* equi, *Balius* et *Xanthus*, immortales; Zephyro patre, et Podarge Harpyiâ matre, geniti: Iliad. 15. 149. De *Achille*, Æn. 1. 34.

92. *Talis et ipse, &c.*] Saturnus, de quo Ecl. 4. 6. cùm Philyram, Oceani filiam, amore insequeretur: Ope, sive Rheâ uxore superveniente, in equum se convertit; aufugitque in montem Thessaliæ *Pelium*. Philyra Chironem ex eo peperit: superiore parte hominem, inferiore equum.

96. *Nec turpi ignosce senectæ.*] Affert Servius geminam hujus loci sententiam; Vel *nec ignosce turpi senectæ;* vel *ignosce senectæ non turpi.* Secunda pluribus placet, quia Ennius, Plutarchus, Ausonius, &c. laudant equi senectutem, jubentque mitiùs haberi, et præteritos labores quiete compensari: unde hìc quoque est, *Abde domo.*

101. *Artes, prolemque parentum.*] Id est quorum parentum sint proles: sive, quale sit genus, et series parentum è quibus nati sunt. *Artes.*] Studia quibus apti sunt, bellóne, an agro, &c.

105. *Haurit.*] Ita pulsat, ut è sedibus trahere et eruere videatur: hoc enim significat *haurire*, quod est ab *ἀρύω, haurio;* et istud ab *ἐρύω, traho:* quod enim hauritur, è profundo trahitur; vide Æn. 10. 314.

113. *Primus Erichthonius, &c.*] Æschylus Prometheum, Cicero Minervam, Maro Erichthonium curruum inventorem facit: sive illum Atheniensium regem, ex Vulcano et Tellure natum, et anguipedem, qui, ut pedum deformitatem tegeret, dicitur currum fabricâsse: sive illum Phrygem, Dardani filium, Jovis nepotem, qui unus fuit ex Æneæ majoribus, de quo v. 35. Et verò Plinius, l. 7. 56. *Bigas primùm junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius.*

115. *Fræna Pelethronii Lapithæ.*] Item fræni et equitationis inventionem tribuit Sophocles Neptuno, Lysias orator Amazonibus, alii aliis:

Impositi dorso: atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.
Æquus uterque labor: æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis, et cursibus acrem:
Quamvis sæpe fugâ versos ille egerit hostes,
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas:
Neptunique ipsâ deducat origine gentem.
His animadversis, instant sub tempus; et omnes
Impendunt curas denso distendere pingui,
Quem legêre ducem et pecori dixere maritum:
Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque: ne blando nequeat superesse labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes;
Atque ubi concubitus primos jam nota voluptas
Solicitat; frondesque negant, et fontibus arcent:
Sæpe etiam cursu quatiunt, et Sole fatigant,
Cùm graviter tunsis gemit area frugibus, et cùm
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes:
Sed rapiat sitiens Venerem, interiúsque recondat.
Rursus, cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit, exactis gravidæ cùm mensibus errant.
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et acri
Carpere prata fugâ, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundùm

*invenerunt* artem *frænandi et gyrandi: et docuerunt equitem armatum insultare terræ, et glomerare superbos passus. Difficultas utraque par est; pariter magistri* artis *eligunt* equum *juvenem, et ferventem animis, et vividum in cursu:* non senem, *etsi sæpe ille converterit in fugam hostes pulsos, et referat patriam Epirum, aut fortes Mycenas, et ducat genus ab ipsâ stirpe* equi *Neptunii. His notatis, magis soliciti sunt circa tempus* admissuræ; *et adhibent omne studium ut saginent densâ pinguedine* eum, *quem elegerunt ducem, et designaverunt admissarium armenti: et secant* huic *herbas vigentes, et præbent aquam* copiosam, *et frumenta: ne non possit sufficere jucundo labori, et* ne *pulli imbecilli ferant* notas *maciei paternæ. At de industriâ faciunt ipsas matres macilentas. Et cùm voluptas priùs cognita suadet novum coitum,* tunc *auferunt* eis *cibum, et avertunt* eas *à potu: sæpe etiam agitant* eas *cursu, et fatigant æstu; cùm area sonat frugibus graviter tritis, et cùm paleæ vacuæ projiciuntur in ventos surgentes. Hoc faciunt ne trajectus partis genitalis sit strictior ob nimiam pinguedinem, et claudat meatus hebetes: Sed ut avidè attrahat semen, et interiùs includat. Posteà incipit cura patrum recedere, et cura matrum succedere, quando vagantur gravidæ expletis mensibus. Nullus patiatur eas ea trahere juga gravium plaustrorum, aut viam trajicere saltando, aut percurrere prata celeri cursu, aut innatare fluviis rapidis. Pascantur in apertis sylvis, et juxta tumentia flumina:*

## NOTÆ.

Virgilius *Lapithis*, Thessaliæ populis, de quibus G. 2. 457. *Pelethronii* verò: vel adjectivum est, epithetum Lapitharum, à Pelethronio eorum oppido ad Pelium montem: vel nomen cujusdam Lapithæ proprium est, genitivo casu, frænorum inventoris, cujus invento Lapithæ, deinde cæteri usi sunt ad domandum et instituendum equum. Ait enim Plinius, l. 7. 56. invenisse *frænos et strata equorum Pelethronium: pugnare ex equo Thessalos, qui Centauri dicti sunt, habitantes secundùm Pelium montem.* Lapithæ autem vicini Centauris.

117. *Gressus glomerare.*] Quasi colligere, reductis et replicatis anterioribus cruribus: dum posteriora tenduntur et explicantur.

118. *Æquus uterque labor.*] Par laus, atque difficultas in utrâque arte: sive aurigandi, quæ fuit ars Erichthonii: sive equitandi, quæ fuit ars Lapitharum.

120. *Quamvis ille, &c.*] Agitur hìc de delectu equi admissarii, *étalon*, A STALLION.

121. *Epirum referat, &c.*] De *Epiro*, equorum feraci, G. 1. 56. De *equo Neptuni*, G. 1. 14. *Mycæne*, urbs in Argiâ Peloponnesi regione, Argis vicina; utraque equis nobilis.

124. *Denso pingui.*] Densâ pinguedine: duplex adjectivum, pro substantivo et adjectivo: ut G. 1. 393. *Aperta serena*, et alibi sæpe.

126. *Pubentes herbas.*] Non teneriores, aut duriores, sed succi plenas; qualis est homo adultâ ætate, cùm pubescit.

130. *Concubitus primos jam nota voluptas.*] Pugnant hæc verba, *primos* et *jam nota*. Nisi juxta alios intelligamus *primos*, non omninò de primo concubitu; sed tantùm de primo et novo anni cujusque redeuntis.

134. *Zephyrum.*] De vento illo occidentali, Ecl. 5. 5.

135. *Usus.*] Trajectus, via: ut Æn. 2. 453. *Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus Tectorum inter se Priami.*

Flumina: muscus ubi, et viridissima gramine ripa;
Speluncæque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstron Graii vertêre vocantes:
Asper, acerba sonans: quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
Concussus, sylvæque, et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.
Hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior instat)
Arcebis gravido pecori; armentaque pasces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.
Post partum, cura in vitulos traducitur omnis:
Continuóque notas et nomina gentis inurunt:
Et quos, aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cætera pascuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi:
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primùm laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio assuêrint; ipsis è torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos.
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent.
Pòst valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat æreus orbes.
Intereà pubi indomitæ non gramina tantùm,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem;

*ubi* sit *muscus, et ripa virens herbis; et* ubi *antra tegant* equas, *et umbra rupium incumbat. Circa sylvas Silari,* et circa *Alburnum virentem ilicibus, est plurima volitans* musca, *quæ Romanis nominatur asilus, Græci appellantes interpretati sunt œstrum; asperè et acerbè murmurans, quâ armenta tota territa fugiunt è sylvis, aër sonat percussus mugitibus, et sylvæ et ripa Tanagri aridi. Per hoc monstrum Juno exercuit olim iram horribilem, inferens perniciem juvencæ* filiæ *Inachi. Expelles quoque illum* asilum *à gravidis matribus, nam importunior ingruit mediâ æstate: et pasces armenta* quando *sol recens surrexit, aut* quando *stellæ inducunt noctem. Post partum omnis cura transfertur in vitulos: statimque imprimunt* iis *signa et nomina gentis, et* notant eos *quos velint: sive seponere ad propagandum armentum; sive servare dicatos sacrificiis; sive* quos velint *arare terram, et versare agrum asperum glebis solutis. Reliqui vituli pascuntur inter virides herbas. Tu exerce jam tum vitulos, quos erudies ad laborem et usum rusticanum: et institue rationem* eos *domandi: dum animi juvenum dociles* sunt, *dum ætas mutabilis* est. *Ac primò circumda collo laxos circulos è tenero vimine: deinde postquam colla* priùs *libera assueverint servituti; conjunge* duos *juvencos æquales, alligatos ipsis circulis, et coge eos simul incedere. Et jam tum rotæ sine onere sæpe trahantur* ab *illis per humum,* et illi *imprimant orbitas in superficie pulveris. Posteà axis è fago laborans sub magno onere strideat, et temo ex ære trahat rotas sibi conjunctas. Interim manu collige juvencis nondum domitis, non solùm herbas, et frondes edules salicum, et ulvam palustrem:*

NOTÆ.

146. *Est lucos Silari, &c.*] *Silarus,* nunc *Selo:* Italiæ fluvius in Lucaniâ: quo Lucani à Picentinis dividuntur. *Alburnus.*] Ejus regionis mons, *Alborno:* ex quo monte fluvius oritur, Tanagrus, *Negro,* tenuis, et ideò æstate ferè arescens. *Ilex* arbor glandifera, *yeuse,* HOLM-OAK.

147. *Asilo Romanum, &c.*] Tabanus, *taon,* GAD-FLY: musca boves agitans, veteribus Italis dicta est *asilus:* Græcis, οἶστρος.

153. *Inachiæ Juno, &c.*] Io, Inachi fluvii Peloponnesiaci, vel potiùs Argivorum regis, filia: ut lateret Junonem, à Jove in juvencam conversa est, et Junoni petenti dono data; ab eâ tradita est Argo pastori in custodiam: qui cùm fuisset à Mercurio sopitus et occisus, Io à Junone œstro immisso agitata, in Ægyptum usque fugit: ubi implorato Jovis auxilio pristinam recepit formam, nupsitque regi Osiridi, et post mortem ab Egyptiis habita est pro Deâ, sub Isidis nomine.

166. *Circlos.*] Syncope pro *circulos:* quemadmodum *sæclum* et *periclum,* pro *sæculum* et *periculum.*

168. *Aptos.*] Ligatos: ab ἅπτω, *ligo,* ut fusè ostendimus, Ecl. 7. 13.

172. *Faginus.*] E fago, *de hétre,* OF BEECH: Ecl. 1. 1.

175. *Vescas.*] Edules, quæ famem excitent, G. 4. 131. *Ulva.*] Herba quælibet palustris, sine certo nomine.

Sed frumenta manu carpes sata: nec tibi fœtæ,
More patrum, nivea implebunt mulctralia vaccæ;
Sed tota in dulces consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium, turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Jovis in luco currus agitare volantes;
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frænos audire sonantes;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, et plausæ sonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audiat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta accesserit æstas;
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis: sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis: tum cursibus auras
Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summâ vestigia ponat arenâ.
Qualis hyperboreis Aquilo cùm densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes atque arida differt
Nubila: tum segetes altæ campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant sylvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat, simul arva fugâ, simul æquora verrens.
Hic, vel ad Elei metas et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas;
Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

*sed* etiam *frumenta è* tenerâ *segete. Neque vaccæ partu solutæ replebunt tibi* lacte *candida mulctralia, ut* erat *consuetudo veterum: sed exhaurient totas mammas ad* alendos *dulces fœtus. Si verò studium magis est ad bella, et ad exercitus feroces; aut* si magis studium est *radere curru amnem Pisæ Alpheum, et impellere currus celeres in luco Jovis; primus labor equi est, videre contentiones et arma pugnantium; et ferre plangorem tubarum, et tolerare gemitum rotæ tractæ, et audire in stabulo crepitum frænorum: præterea magis ac magis lætari blandis laudibus magistri, et amare sonitum palpati colli. Audiat autem ista, ut primùm depulsus est à lacte matris: et vice* frænorum *præbeat collum mollibus loris,* adhuc *debilis, imò et tremens, necdum confidens ætati. At cùm quartus annus accesserit, tribus jam elapsis, statim incipiat describere gyros, et* incedere *passibus numerosis* ac *sonantibus: et inflectat alternè commissuras crurum,* ita ut *videatur coactus: deinde lacessat ventos cursu: et currens per campos patentes, quasi solutus fræno, vix attingat pedibus superficiem arenæ. Qualis est Aquilo, cùm imminet vehemens è septentrionalibus partibus, et* cùm *dissipat procellas Scythiæ et nimbos* adhuc *siccos: tum segetes altæ, et agri* spicis *fluctuantes tremiscunt modico flatu: et cacumina sylvarum edunt strepitum: et longi fluctus impellunt* se *ad litora. Aquilo* autem *ruit, simul radens cursu campos, et simul mare. Talis* equus *vel sudabit, et emittet ore spumam sanguineam, ad metas et magna spatia campi Olympici; vel meliùs trahet collo tenero vehicula Belgica.*

## NOTÆ.

176. *Sed frumenta, &c.*] Servius aliique explicant de farragine, hoc est de furfuribus triticeis, et farinâ hordeaceâ. Ego de herbis adhuc teneris, et recens ortis. Favent mihi voces, *carpes sata*, quæ planè herbarum putationem et collectionem notant. Favet præterea monitum Virgilii, v. 205. *Tum demum crassâ magnum farragine corpus Crescere jam domitis sinito:* ergo farragine interdicit indomitis, de quibus hìc agitur. Varro tamen hunc cibum permittit vitulis semestribus. Virgilius itaque dicendus est, aut Varroni esse contrarius; aut farraginem domitis copiosè, indomitis ac junioribus parcè tantùm permittere. *Fœtæ.*] Vox ambigua, quæ sæpe gravidas, hìc partu jam solutas, significat, Ecl. 1. 50. *Mulctralia.*] Vasa mulgendo pecori, Ecl. 3. 30.

180. 181. *Aut Alpheæ, &c.*] De *Pisâ*, urbs an fons tantùm fuerit, dubitare videtur Strabo, lib. 8. Regio certè fuit, et pars Elidis, sive Eleæ, in Peloponneso: in quâ *Olympiâ* urbs, et *Alpheus* fluvius, G. 1. 59. loca ludis Olympicis et Jovis templo, insignia. Vide suprà, v. 20.

183. *Lituosque pati.*] *Lituus*, species incurvæ buccinæ: à cujus similitudine *lituus* quoque dicitur augurum baculus, quo varias cœli regiones designabant.

196. *Qualis hyperboreis, &c.*] De *Scythiâ*, Ecl. 1. 66. De *Aquilone*, sive *Boreâ*, vento septentrionali, Ecl. 7. 51. De *Hyperboreis*, seu *Riphæis* Moscoviæ montibus G. 1. 240. Dicuntur Hyperborei: quia supra eos et ex iis flare incipit Boreas. Differt *Aquilo Scythiæ hyemes*, id est, nubes in Scythiâ collectas, meridiem versùs propellit; easque *aridas*, quia non solvit eas in pluviam, utpote siccus et constringens.

202. *Elei —— campi spatia, &c.*] Stadium Olympicum in Elide, de quo G. 1. 59. et G. 3. 20. et modò, v. 181.

204. *Belgica esseda.*] Essedum, vehiculi genus, tam ad iter, quàm ad bella comparatum. Eo quippe uti solitos fuisse Britannos in bellis memo-

Tum demum crassâ magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito: namque ante domandum
Ingentes tollent animos; prensique negabunt
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.
 Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quàm Venerem et cæci stimulos avertere amoris:
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideò tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata:
Aut intus clausos satura ad præsepia servant.
Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris, et sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magnâ sylvâ formosa juvenca:
Illi alternantes multâ vi prælia miscent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu: reboant sylvæque et magnus Olympus.
Nec mos bellantes unà stabulare: sed alter
Victus abit, longéque ignotis exulat oris:
Multa gemens ignominiam, plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores:
Et stabula aspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni curâ vires exercet, et inter
Dura jacet pernox instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis et carice pastus acutâ:
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco: ventosque lacessit
Ictibus, et sparsâ ad pugnam proludit arenâ.

*Tunc denique permitte ut magnum corpus* eorum qui jam *domiti* sunt *pinguescat densâ farragine: nam* si saginentur *antequàm domentur, efferent animum ferocem, et comprehensi recusabunt pati flagella flexibilia, et obtemperare duris frænis. Sed nulla cura magis corroborat* eorum *vires, quàm impedire coitum et aculeos insani amoris: sive boum sive equorum cultus alicui placet. Et proptereà removent tauros longè, et in deserta pascua, post montem interjectum, et translatos fluvios. Vel servant inclusos interiùs ad præsepia* pabulo *abundantia. Nam fœmina, dum videtur, paulatim minuit vires, et exhaurit* marem: *nec permittit* ut *meminerit sylvarum, et pabuli: illa quidem* facit hoc *dulcibus blanditiis: et sæpe cogit superbos amantes certare inter se cornibus. Pulchra juvenca pascitur in magnâ sylvâ:* tauri verò *illi vicissim multo ardore miscent pugnam plagis frequentibus: niger sanguis tingit membra, et cornua impinguntur conversa* vicissim *in* adversarium *obnitentem, magno cum gemitu, et sylvæ et magnum cœlum remugiunt. Nec solent adversarii manere in eodem stabulo: sed alteruter abit victus, et procul exulat in regione incognitâ: multùm dolens de ignominiâ, et vulneribus* illatis à *feroci victore: et* de *amicâ quam perdidit sine ultione: et exit è regnis avorum,* frequenter *retorquens oculos ad stabulum. Exercet igitur suas vires omni curâ, et jacet pernoctans in cubili strato sub duris saxis, comedens frondes hispidas, et juncos acutos: et experitur se: et discit furere in* sua *cornua, obluctans trunco arboris: et impetit aërem ictibus: et proludit ad pugnam arenis sparsis.*

## NOTÆ.

rat Cæsar, de bello Gall. lib. 4. Quod et vicinis quoque gentibus, ut Belgis qui Galliæ partem tertiam occupabant, fuisse in usu colligitur ex aliis auctoribus. De *farragine,* v. 176.

206. *Ante domandum.*] Vide infrà, v. 348.

208. *Lupatis.*] Lupatum, frænum asperrimum, uncis armatum ferreis, *lupinorum* dentium formam habentibus; unde nomen est.

215. *Uritque videndo.*] Dum videtur. Gerundia enim plerumque vim habent passivam, Ecl. 8. 71.

221. *Lavit.*] Dicitur *lavare,* et *lavere:* hìc *lavit,* non est præteritum à *lavare,* longam enim haberet syllabam primam; sed præsens, à *lavere,* atque ita habet brevem.

223. *Olympus.*] Cœlum translativè, propriè mons in Thessaliâ, de quo Ecl. 5. 56.

228. *Regnis avitis.*] Agris in quibus natus erat, ac veluti dominabatur: sic Ecl. 1. 70. *Mea regna videns mirabor aristas.*

230. *Jacit pernox.*] Servius tamen, et juxta omnium, ut ait, veterum exemplarium fidem, Pierius, legunt *pernix;* et explicant, *perseverans,* à pernitendo. At *pernix* nusquam habet hanc significationem, et ubique celeritatem notat: ut suprà, v. 93. *Pernix Saturnus,* et Æn. 4. 180. *Pedibus celerem et pernicibus alis.* Celeritas autem, huic tauro, mœrenti ac fesso, non convenit: legatur itaque *pernox,* cum utroque Scaligero.

231. *Carice.*] Plantâ ex arundineo genere, Gallicè non nominatâ, Angl. SEDGE; de quâ Ecl. 3. 20.

Pòst, ubi collectum robur vìresque receptæ,
Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus ut in medio cœpit cùm albescere ponto,
Longiùs ex altoque sinum trahit: utque volutus
Ad terras, immanè sonat per saxa, nec ipso
Monte minor procumbit: at ima exæstuat unda
Vorticibus, nigramque altè subjectat arenam.
Omne adeò genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgò
Tam multa informes ursi stragemque dedêre
Per sylvas: tum sævus aper, tum pessima tigris:
Heu! malè tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantùm notas odor attulit auras!
Ac neque eos jam fræna virûm neque verbera sæva,
Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos undâ torquentia montes.
Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcâ serus freta: quem super ingens
Porta tonat cœli, et scopulis illisa reclamant
Æquora: nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid Lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum,

*Deinde postquam robur reparatum est et vires refectæ, mutat locum, et celeriter incurrit in hostem immemorem. Veluti fluctus, cùm cœpit albescere procul in medio mari, et eminùs sinuatur: ac veluti volvens se ad litus, resonat horrendè inter rupes, et cadit non minor ipsâ rupe: at aqua infima ebullit in vortices, et superjicit in altum nigram arenam. Certè omne genus in terris, et hominum, et ferarum, et genus piscium, pecudes, et volucres versicolores, rapiuntur in furorem et ignem: omnes habent eundem amorem. Nullo alio tempore leæna negligens catulos crudelior errat in campis: neque ursi turpes edunt plures cædes passim et strages in sylvis: tunc aper* est *crudelis, tunc tigris est pessima: heu! tunc periculosè inceditur per desertos agros Africæ. Nonne vides, ut tremor quatiat omnia membra equorum, si duntaxat aër advexit* ad nares *notum odorem* fœminæ? *Tunc sane nec fræna aurigarum, nec sæva flagella, nec scopuli et rupes cavæ, neque fluvii interjecti et volventes saxa abrepta vi aquarum, retardant eos. Ipse aper Sabellicus irruit, et acuit dentes, et conculcat terram pedibus,* et *fricat costas arbore, et ex utrâque parte indurat humeros ad plagas. Quid* facit *juvenis cujus in ossibus durus amor excitat ignem? scilicet vigilans per obscuram noctem trajicit natatu fretum agitatum subitâ tempestate: super ejus* caput *magna porta cœli tonat, et mare impactum rupibus sonat: nec miseri parentes possunt* eum *impedire, nec* ipsa *insuper amica peritura crudeli morte. Quid, lynces maculosæ Bacchi, et genus acre luporum*

NOTÆ.

236. *Signa movet.*] Metaphora à bellis hominum, qui, cùm castra movent, signa terræ defixa avellunt alióque transferunt.

241. *Subjectat.*] *Superjicit:* et notavimus Ecl. 1. 46. præpositionem *sub* in compositis aliquando significare *super.*

249. *Libyæ.*] Africæ pars est, quæ vulgò pro Africâ totâ sumitur, G. 1. 241.

251. *Odor attulit auras.*] Commutatio: id est, aura, sive aër impulsus attulit odorem.

255. *Sabellicus sus.*] Vel aper, vel sus domesticus, è Sabinorum, vel Sabellorum regione, Romæ vicinâ. Æn. 7. 665.

258. *Quid juvenis, &c.*] Leander juvenis ex Abydo Asiæ oppido, cùm Heronem puellam, Veneris sacerdotem, è Sesto Thraciæ oppido, deperiret: clam noctu trajiciebat natatu fauces Hellesponti, inter utrumque oppidum interjectas: sed aliquando viribus destitutus, ac tempestate oppressus interiit. Cadaver cùm esset ad litus Thraciæ delatum, Hero doloris impatientiâ ex ipsâ arce in mare se præcipitem abjecit. De *Sesto, Abydo, et Hellesponto,* G. 1. 207.

261. *Porta cœli.*] Est juxta Manutium aër nubibus plenus: juxta alios, oriens, quia inde Solis incipit motus: juxta alios, ipsa nubes, ex quâ portæ instar hiscente, fulmen erumpit. Juxta Cerdanum optimè, regia, sive templum Jovis. Nam Jupiter à poëtis quasi è templo fulminare fingitur. Lucret. l. 1. 1096. *Cœli tonitralia templa.* Silius l. 1. 36. *Tonat alti regia cœli.*

264. *Lynces.*] Species luporum cervariorum, de quibus Ecl. 8. 3. Has, ut et tigres, currui Bacchus alligavit.

Atque canum? quid, quæ imbelles dant prælia cervi?
 Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium: superant montes, et flumina tranant:
Continuóque, avidis ubi subdita flamma medullis,
Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: et sæpe sine ullis
Conjugiis, vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per et scopulos et depressas convalles
Diffugiunt: non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus,
In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, et pluvio contristat frigore cœlum.
Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre novercæ,
Miscueruntque herbas, et non innoxia verba.
 Sed fugit intereà, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas;
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quàm sit, et angustis hunc addere rebus honorem.

*et canum: quid, fugaces cervi, quanta gerunt bella? Notabilis est tamen præ cæteris furor equarum. Et* verò *Venus ipsa immisit illis* hunc *furorem, quo tempore equæ Potniades devoraverunt maxillis membra Glauci. Amor rapit illas trans Gargara, et trans rapidum Ascanium: transcendunt montes, et trajiciunt fluvios: statimque, postquam ignis exarsit* in *medullis avidis, præsertim vere (quia vere calor redit in ossa) illæ omnes stant in altis rupibus obvertentes ora ad Zephyrum, excipiuntque levem aërem: et sæpe sine ullo concubitu, gravidæ vento,* quod *mirum* est *dictu, currunt per saxa, et rupes, et valles humiles: non ad* ortum *tuum, ô Eure; neque ad ortum Solis,* neque *ad Boream et Caurum, neque ad eam partem, unde oritur Auster nigerrimus, et* unde *contristat aërem pluviâ tempestate. Post hunc denique* conceptum *distillat è partibus genitalibus viscosus liquor, quem pastores apto nomine vocant hippomanes, quod sæpe malæ novercæ collegerunt, addideruntque* huic *herbas, et verba malefica. Sed fugit interim, fugit tempus irreparabile, dum ferimur circa singula, correpti amore. Hoc sufficit armentis; superest secunda pars laboris,* nempe *tractare greges lanigeros, et capellas hirsutas: hoc difficile* est; *hinc sperate gloriam, ô rustici laboriosi. Nec dubito animo, quàm sit difficile superare sermonis* dignitate *ista argumenta, et addere hoc ornamentum rebus vilibus.*

## NOTÆ.

267. *Glauci Potniades, &c.*] Glaucus, Sisyphi filius, è Potniâ Bœotiæ vico; cùm equas suas, quò essent velociores, à coitu cohiberet; Venus indignata tantum iis furorem immisit, ut dominum laniârint.

269. *Gargara——Ascanium.*] *Gargara,* pars Idæ montis, et oppidum in Troade. *Ascanius,* Bithyniæ fluvius in Asiâ. Hìc pro quolibet monte et fluvio.

273. *Ore omnes versæ, &c.*] Equas in Lusitaniâ circa Olyssiponem ex vento concipere memorant Solinus, Columella, Varro. Fabulam putat Justinus, remque detorquet ad pernicitatem equorum Gallециæ et Lusitaniæ. Virgilius, duce Aristotele, ex illo conceptu non verum fœtum, sed lentum virus stillare ait: idque vocant *hippomanes* ab equi furore: *ἵππος* enim *equus,* et *μανία, furor.* Est etiam *hippomanes,* caruncula, quæ fronti pulli adnascitur: utrumque venenatum creditur.

277. *Non, Eure, tuos, &c. in Boream, &c.*] Alii sic interpretantur: Non ad Eurum, sed ad Boream, &c. Ego sic: Non ad Eurum, neque ad Boream, &c. Quia scriptorum maxima pars videtur hanc vim uni Zephyro tribuere; ut et ipse Virgilius: *Ore omnes versæ in Zephyrum.* De *Zephyro,* vento occidentali, Ecl. 5. 5. De *Boreâ,* septentrionali, Ecl. 7. 51. De *Austro,* meridionali, Ecl. 2. 58. De *Euro,* orientali, G. 1. 371. *Caurus,* sive *Corus,* spirat inter septentrionem et occasum.

279. *Pluvio frigore.*] Auster non est frigidus, sed calidus atque humidus: unde *frigus* hìc, pro pluviâ tempestate usurpatur; ut *hyems* sæpe, pro æstivâ etiam tempestate, G. 1. 321. *Ferret hyems culmumque levem paleasque volantes.*

280. *Hippomanes.*] Suprà, v. 273.

286. *Hoc satis armentis: superat, &c.*] II. PARS. De *cultu ovium et caprarum.* Præcepta continet quatuor. I. De *hybernâ utriusque gregis curatione,* v. 295. II. De *æstivâ utriusque curâ, et meridianâ ac serotinâ pastione,* v. 322. III. De *lanificio,* v. 384. IV. De *lactis proventu,* v. 394.

Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis, quà nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens, stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas:
Et multâ duram stipulâ filicumque maniplis
Sternere subter humum: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat, turpesque podagras.
Pòst, hinc digressus, jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, et fluvios præbere recentes;
Et stabula à ventis hyberno opponere Soli
Ad medium conversa diem: cùm frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non curâ nobis leviore tuendæ,
Nec minor usus erit: quamvis Milesia magno
Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.
Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.
Quàm magis exhausto spumaverit ubere mulctra;
Læta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minùs intereà barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes;
Usum in castrorum et miseris velamina nautis.
Pascuntur verò sylvas, et summa Lycæi,
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos.
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,

*Sed amor suavis rapit me per altissimas solitudines Parnassi: Placet ire per* ea *culmina, per quæ nulla orbita veterum deflectit facili inclinatione* ad *Castaliam* undam. *Nunc, ô veneranda Pales, nunc canendum est magnâ voce. Principio, jubeo ut oves comedant herbam in mollibus stabulis, donec æstas frondosa paulatim redit: et* ut colonus *tegat duram terram multâ paleâ, et manipulis filicum, sub* ipsis ovibus; *ne rigor frigidus* terræ *lædat pecus tenerum, et importet scabiem ac turpes podagras. Posteà discedens ad ovibus, jubeo ut præbeat capreis arbutos virides, et det aquam recens* haustam; *et ut stabula* tuta *è ventis objiciantur Soli hyemali: versa ad meridiem: cùm frigidus Aquarius jam demum occidit, et aquam emittit sub extremum annum. Hæ quoque* capræ *non colendæ sunt à nobis minore studio, nec minor erit utilitas* ex iis: *etsi Milesia vellera* ovium, *imbuta Tyriâ purpurâ, magno* pretio *vendantur. E capris soboles frequentior* est, *et largior abundantia lactis: quantò magis mulctrale spumaverit, uberibus exhaustis;* tantò *copiosiùs lac fluet ex uberibus pressis. Intereà* pastores *etiam secant barbas, et pilos canos, et setas longas hircorum Libycorum, ad usus bellorum, et* ad *vestes pauperum nautarum.* Capræ *autem comedunt arbores et cacumina Lycæi, et rubos spinosos, et dumos qui amant* loca *edita: et ipsæ meminerunt redire in stabula, et eò deducunt suos* fœtus; *et vix transiliunt limen, uberibus onustis* lactæ. *Itaque omni curâ defendes* ipsas *à frigore et ventis nivalibus,*

## NOTÆ.

291. *Parnassi.*] De eo monte Phocidis, Ecl. 6. 29. Cujus in radicibus *Castalia* est, sive fons Castalius Musis sacer. De *Pale*, Deâ pabuli, suprà, v. 1.

297. *Filicumque maniplis.*] Filix, *fougère*, FERN, nota herba.

301. *Arbuta.*] Sunt propriè fructus arbuti: hìc sumuntur pro ipsâ arbuto, *arboisier*, STRAWBERRY-TREE: quæ arbor inter caprarum pabula numeratur à Colum. 1. 7. *Ea sunt arbutus, cytisus agrestis*, &c. Vide Ecl. 3. 82.

303. *Olim.*] Vulgò tempus significat præteritum, aut futurum: aliquando præsens, aut indefinitum, ut hìc, et Æn. 5. 125. *Quod tumidis submersum tunditur olim fluctibus.* Et alibi. Tunc autem significat, *aliquando, sæpe, denique*, &c.

304. *Extremoque irrorat Aquarius anno.*] Annum exprimit eum, qui à Martio mense numerari incipit: et sic desinit in Januarium, et Februarium: Aquarius autem oritur Januario, cadit Februario mense. *Aquarius*, dicitur Ganymedes, Trois filius, quem Jupiter, aquilâ transvectum in cœlum, suis poculis præfecit: unde urnam habet, aquam fundentis situ: de eo, Æn. 5. 252.

306. *Milesia, &c.*] Miletus, urbs in finibus Ioniæ et Cariæ: lanarum proventu celebrata. De *Tyro* et *purpurâ*, G. 2. 506.

311. 312. *Incanaque menta Cinyphii, &c.*] *Incana* affirmat, augetque: ut Æn. 6. 809. *Incanaque menta regis Romani* Numæ, qui annos 83. natus decessit. *Tondent.*] Priscianus sumit passivè pro *tondentur:* et *hirci*, accipit in nominativo: commodiùs tamen activè legetur; et *hirci*, in genitivo; suppresso nominativo *pastores*. *Cinyphii.*] Africani. Cinyps est Ptolomæo Africæ fluvius, propè Garamantas; ubi hirci sunt villosissimi.

313. *Usum in castrorum, &c.*] Ex hircorum pilis cilicia texuntur: vel ad nautarum militumque vestes, saccos, funes; vel etiam ad tegenda turrium tabulata, ne iis facilè ignis, bellicis machinis impactus, adhærescat. Ita Varro, Philo, &c. De *Lycæo*, monte Arcadiæ, Ecl. 10. 15.

Quo minùs est illis curæ mortalis egestas,
Avertes: victumque feres et virgea lætus
Pabula: nec totâ claudes fœnilia brumâ.
At verò Zephyris cùm læta vocantibus æstas;
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittes.
Luciferi primo cum sidere, frigida rura
Carpamus: dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenerâ pecori gratissimus herbâ est.
Inde, ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ;
Ad puteos, aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:
Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem:
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacrâ nemus accubet umbrâ.
Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum: cùm frigidus aëra Vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida Luna,
Litoraque halcyonem resonant, et acanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque et totum ex ordine mensem
Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet: Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram,

*quò minùs ipsæ provident mortali indigentiæ: portabisque libens cibos et pabula è virgis, nec claudes* ipsis *fœnile per totam hyemem. At verò cùm grata æstas* imminebit, *Zephyro invitante;* tum *induces utrumque pecus* ovium et caprarum *in saltus et in pascua: sub primum ortum Luciferi* fac ut *pascantur campos subfrigidos: dum mane novum* est: *dum herbæ candidæ sunt, et ros in teneris herbis jucundissimus est pecudibus. Deinde cùm quarta diei hora induxerit sitim, et cicadæ querulæ fatigabunt stridore* suo *arbores: jube ut greges circa puteos, aut circa profunda stagna, bibant aquam currentem canalibus* factis *ex ilice. At sub medium diem,* jube *ut quærant opacam vallem: si alicubi magna quercus Jovis antiquâ firmitate porrigit ingentes ramos; aut si alicubi obscura multis ilicibus sylva explicat sacram umbram. Posteà* jube ut famuli *iterum dent* illis *dulcem potum, et iterum ducant* illos *pastum, sub occasum Solis: cùm Vesper frigidus mitigat* calorem *aëris, et cùm Luna humida reparat arbores, et cùm litora perstrepunt* voce *halcyonis, et spinæ* cantu *acanthidis. Cur dicam versu pastores Numidiæ, cur pascua et pagos constantes paucis casis? Sæpe grex pascitur noctu dieque, et per totum spatium mensis: inceditque per longas solitudines, sine ullis stabulis: tanta est vastitas camporum. Pastor Numida trahit secum omnia, et domum, et larem, et arma, et canem Amyclæum, et pharetram Cretensem.*

## NOTÆ.

321. *Fœnilia.*] Loca in quibus fœnum includitur, non sunt claudenda: id est, ex iis semper educendum est fœnum ad alendas capras. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. De *Lucifero*, stellâ Veneris, Ecl. 6. 86.

327. *Quarta sitim, &c.*] Horas inæquales intelligit, quæ diem quemlibet in duodecim partes dividunt, ab ortu Solis ad occasum: et noctem quamlibet duodecim in partes. Quo sensu meridies *sexta* hora est; *quarta* nonæ nostræ respondet. De *cicadis, cigalles*, GRASSHOPPERS, Ecl. 2. 13. De *arbustis*, Ecl. 1. 40.

330. *Ilignis.*] Ex ilice factis. *Ilex* arbor glandifera, *yeuse*, HOLM OAK.

332. *Jovis quercus, &c.*] Quomodò sacra sit Jovi, Ecl. 7. 13. Monet Servius non esse mentem Virgilii, ut greges in sacros lucos deducantur, quod nefas erat: sed hìc *quercum Jovis*, et *sacram umbram*, generalia esse, non specialia epitheta: quia generatim omnis quercus Jovi, et omne nemus Dianæ sacratum est.

336. *Vesper.*] Stella Veneris, Ecl. 6. 86. De *halcyone*, avi, ejusque fabulâ, G. 1. 399. *Acanthis*, vel *carduelis*, avis, *chardonneret*, A GOLDFINCH.

339. *Libyæ.*] Libya generatim Africam significat, G. 1. 241. Tamen hi pastorum mores præcipuè pertinent ad eam Africæ partem litoralem, quæ *Numidia* vocata est: cujus incolæ *Numidæ* vel *Nomades*, à νομὴ, *pascuum:* quia pastioni pecorum addicti.

340. *Mapalia.*] Sallustius: *Ædificia Numidarum, quæ mapalia illi vocant: oblonga, incurvis lateribus tecta; quasi navium carinæ sunt.* Ab his non ferè differunt *magalia*, de quibus Æn. 1. 425. *Miratur molem Æneas, magalia quondam:* nisi quòd hæc vox primam habet longam, illa brevem.

344. 345. *Laremque—Amyclæumque canem, &c.*] De *Laribus* et *Penatibus*, Æn. 2. 717. *Amyclæ*, urbs Laconiæ, celebris canum genere et venatu, de quâ suprà, v. 89. *Cressa*, è Cretâ, insulâ Mediterranei maris, cujus incolæ sagittandi industriâ memorabiles.

Non secùs ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam cùm carpit, et hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.
At non, quà Scythiæ gentes, Mæoticaque unda,
Turbidus et torquens flaventes Ister arenas:
Quàque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illìc clausa tenent stabulis armenta: neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis, et alto
Terra gelu latè, septemque assurgit in ulnas.
Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentes haud unquam discutit umbras:
Nec cùm invectus equis altum petit æthera; nec cùm
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ:
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa priùs patulis, nunc hospita plaustris;
Æraque dissiliunt vulgò, vestesque rigescunt
Indutæ, cæduntque securibus humida vina,
Et totæ solidam in glaciem vertêre lacunæ,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Intereà toto non seciùs aëre ningit:
Intereunt pecudes; stant circumfusa pruinis

*Non aliter ac fortis Romanus in patrio exercitu, cùm ingreditur viam sub graviori onere, et obstat hosti castris ordine dispositis, antequàm expectetur. At non* sic fit *ubi sunt Scythiæ gentes, et Mæotica palus, et Danubius turbidus volvens flavas arenas; et ubi Rhodope reflectitur tendens ad medium septentrionem. Illic continent pecora clausa* in *stabulis: nec ullæ apparent, aut herbæ in agris, aut frondes in arboribus: sed terra jacet late deformata cumulis nivium, et altâ glacie, et tumescit ad usque septem cubitos. Semper* est *hyems, semper Cauri proflantes frigus. Præterea nunquam Sol dissipat umbras pallidas: nec quando conscendens currum ascendit in altum cælum; nec quando lavat rubris aquis Oceani currum cadentem. Crustæ subitæ constringuntur in currenti fluvio: et unda nunc portat dorso ferratas rotas; illa antè excipiens latas naves, nunc plaustra.* Vasa *ærea passim franguntur, et vestes indutæ congelantur; et* homines *rumpunt securibus vina* priùs *liquida, et totæ lacunæ convertunt* se *in duram glaciem, et gutta horrida durescit in barbis impexis. Interim non segniùs nix cadit per totum aërem: moriuntur pecora:*

## NOTÆ.

347. *Injusto sub fasce.*] Qui plùs æquo gravis est. Sexaginta fuisse librarum à Vegetio memoratur. Quarum autem esset rerum, patet ex Cicer. Tuscul. l. 2. 37. *Qui labor, quantus agminis? ferre plùs dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, in onere nostri milites non plùs numerant, quàm humeros, lacertos, manus.*

348. *Hosti Ante expectatum, &c.*] Vulgò referunt *hosti* ad *stat;* hoc sensu: *stat hosti, obstat hosti.* Iidemque *ante expectatum*, vertunt, *antequam expectetur;* ut suprà, v. 206. *Ante domandum,* pro *antequam dometur.* Quo exemplo dixit Silius, imitator Virgilii, l. 2. v. 31. *Dabitur tibi copia nostri, ante expectatum.* Habent tamen exemplaria nonnulla *hostem*, non *hosti:* atque ita legit Vegetius, l. 1. de Re Milit. et interpretatur, *ante hostem expectatum*, id est, *speratum, optatum:* ut animosam Romanorum audaciam notet.

349. *Scythiæ gentes, &c.* De iis, Ecl. 1. 66. *Mæotica unda.*] Palus Mæotis, *mar bianco:* ultra pontum Euxinum, à quo per Cimmerium Bosphorum distinguitur; Tanaim fluvium excipiens. Primam habet syllabam brevem apud Ovid. Trist. 3. 12. 2. *Longior antiquis visa Mæotis hyems. Ister.*] Danubius, de quo G. 2. 497.

351. *Redit medium Rhodope, &c.*] Mons ille Thraciæ, in orientem extenditur, ibique conjungitur cum Hæmo; tum inde abscedens, septentrionem versùs quasi regreditur. De *axe*, seu polo septentrionali, G. 1. 240.

355. *Septem——in ulnas.*] *Ulna*, à Græco ὠλένη, est propriè *cubitus:* sive spatium à flexu cubiti, ad medii digiti partem extremam: atque ita hìc sumitur. Latiùs etiam interdum sumitur pro spatio brachii utriusque extensi. Notandum autem hunc rigorem hyemis, noctisque perpetuitatem, non convenire propriè Scythiæ et Mæoticæ regioni: sed iis tantùm partibus, quæ ad polum accedunt propiùs: sub quo probant Geographi annum die unicâ, unicâ item nocte constare, utrâque semestri. Igitur hyperbolica est hæc descriptio, et *nullæ frondes, nullæ herbæ*, sunt *raræ frondes et herbæ. Cauri*, venti inter septentrionem et occasum spirantes.

359. *Rubro æquore.*] Non mari orientali, quod vulgò Rubrum dicitur, et Erythræum; sed occidentali, quod à colore decedentis solis rubescere videtur.

365. *Vertêre lacunæ.*] Fossæ, in quibus aquæ pluviæ, aliæque colliguntur. *Vertêre:* versæ sunt, verterunt se: ut alibi passim.

366. *Stiria.*] Gutta, diminutivum è *stilla.*

367 *Non seciùs.*] Non segniùs, G. 2. 277.

Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole novâ, et summis vix cornibus extant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ:
Sed frustrà oppositum trudentes pectore montem
Cominùs obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, et magno læti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub altâ
Otia agunt terrâ: congestaque robora, totasque
Advolvêre focis ulmos, ignique dedêre.
Hìc noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro:
Et pecudum fulvis velantur corpora setis.
  Si tibi lanicium curæ: primùm aspera sylva,
Lappæque tribulique absint: fuge pabula læta:
Continuóque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantùm cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum; plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,

*magna boum corpora stant circumdata nivibus: et cervi presso agmine torpent* sub *novo onere, et vix eminent extremis cornibus.* Incolæ *non persequuntur illos timidos immissis canibus, aut ullis laqueis, aut formidine pennarum rubrarum: sed cominùs feriunt ferro* eos, *dum propellunt pectore oppositum cumulum* nivis, *et occidunt* eos *altè rudentes, et læti referunt magno clamore.* Scythæ *ipsi securè* et *quietè vivunt in excavatis speluncis, sub profundâ terrâ: et inferunt focis, injiciuntque flammis quercus accumulatas et ulmos integras. Illic traducunt noctem ludendo, et imitantur vini potum fermento et baccis acidis. Sic genus hominum indocile, suppositum Boreali septentrioni, perflatur Riphæo vento: et tegitur* circa *corpora fulvis villis animalium. Si studes lanæ: primò sint procul sylvæ spinosæ, et lappæ, et tribuli: fuge pabula* nimis *pinguia: et statim elige greges teneris pilis candidis. Rejice autem illum arietem, etsi ipse sit candidus, cui lingua solùm nigra est sub humido palato, ne denigret maculis fuscis vellera fœtuum: et elige alium in campo pleno* ovium. *Sic Pan Deus Arcadiæ, si fas est credere, decepit te, ô Luna, captam dono niveæ lanæ:*

## NOTÆ.

372. *Puniceæ formidine pennæ.*] *Formido,* linea, aut funiculus erat, cui plumæ implicabantur variis tinctæ coloribus, ad feras terrendas, ut in retia agerentur. De colore *puniceo,* splendidè rubente, Ecl. 5. 17.

374. *Rudentes.*] Hanc vocem tribuit hìc *cervis;* Æn. 7. 16. *leonibus;* Æn. 8. 248. *Caco semifero;* Pers. Sat. 3. 9. *asino:* sed Persius primam producit, quam corripit Virgilius: *Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.*

380. *Fermento, atque acidis——sorbis.*] Designat duplicem speciem liquoris, qui vini defectum supplet in frigidioribus plagis. Primus fit *fermento,* id est, fermentatione hordei, tritici, avenæ: cùm scilicet certo quodam calore medicata grana turgescunt et acescunt: qui duo sunt effectus fermenti: quod ideò sic appellatur, à *ferveo,* quasi *fervimentum:* et sic ferè cerevisia fit, *la biere,* BEER. Alter liquor exprimitur è baccis fructibusque acidioribus contusis; qualia sunt poma, pyra, corna, sorba: *le cidre,* CYDER, &c.

381. *Hyperboreo septem, &c.*] De nomine *Hyperboreo,* suprà, v. 196. De nomine *septentrionum* variæ sunt sententiæ: probabilior illa, quæ Varronis est: ita dici à *bobus* qui *teriones* olim vocati sunt, quia in aratione terram terunt. Signum enim illud Boreale, quod *Ursam majorem* appellamus, rustici antiquitùs *Plaustrum majus* appellavere: ob septem stellas, in eo maximè conspicuas; et in plaustri, aut junctorum boum formam dispositas. Vicinumque signum dixerunt *Booten:* quia boves illos sive plaustrum, præ se agere videtur.

382. *Riphæo Euro.*] De *Riphæis* montibus Muscoviæ, valdè septentrionalibus, Geor. 1. 240. *Eurus,* ventus est orientalis, iisque montibus ingruit, quâ parte vergunt ad orientem: neque enim tota illa montium compages recto ordine ad polum tendit, sed longè latéque porrigitur.

385. *Lappæque, tribulique, &c.*] *Lappa, glouteron,* BURDOCK; *tribulus,* herba è carduorum genere, sine Gallico nomine: de iis jam, Geor. 1. 153.

*Fuge pabula læta.*] Quia succus omnis ex hoc cibo in adipem abit, non lanam.

388. *Nigra subest, &c.*] Plin. l. 8. 47. *Arietum maximè spectantur ora: quia cujus coloris sub linguâ habuere venas, ejus et lanicium est in fœtu: variumque, si plures fuere.*

392. *Pan Deus, &c.*] De *Pane,* Ecl. 2. 31. Macrobius fabulam testatur sumptam è Nicandro, qui Georgicorum antiquus scriptor fuit. Ita narrat Probus, ut velit Pana, amore Lunæ percitum, ei mediam gregis sui partem muneris loco

In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum, lotosque frequentes
Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, et magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent à matribus hœdos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;
Aut parco sale contingunt, hyemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed unà
Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum
Pasce sero pingui: nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros:
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulsos sylvestribus apros
Latratu turbabis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit;
Aut tecto assuetus coluber succedere et umbræ,

*invitans te in altam sylvam: nec tu aspernata es invitantem. At qui studet lacti, ille manu inferet in præsepia cytisum, et copiosas lotos, et salsas herbas: inde magis appetunt potum, et magis implent mammas, et relinquunt in lacte secretum saporem salis. Multi hœdos jam separatos arcent à matribus, cingendo extremum os loris ferratis. Quod expresserunt* lactis *sub ortum diei, et per horas diei;* id *coagulant per noctem: quod* expresserunt *sub noctem, et Sole occidente;* id *pastor ferens in canistris circa lucem vadit in urbem: aut condiunt moderato sale, et reservant in hyemem. Nec tibi ultima sit cura canum: sed simul ale sero pingui celeres canes Spartæ, et fortes Molossos. Illis custodientibus, nunquam timebis stabulis nocturnum latronem, aut incursiones luporum, aut inquietos Hispanos à tergo* ingruentes. *Sæpe etiam persequeris cursu pavidos onagros; urgebisque canibus leporem, et canibus damas. Sæpe insequens exturbabis latratu apros ejectos è cubilibus sylvestribus, et per montes altos impelles clamoribus magnum cervum in retia. Disce etiam urere in stabulis cedrum odoratam, et fugare galbaneo odore perniciosos chelydros. Sæpe, vel vipera tactu noxia latuit sub præsepibus malè purgatis, et territa fugit lucem: vel coluber, pestis infesta bobus, solitus subire tecta atque umbracula,*

## NOTÆ.

obtulisse; hanc elegisse oves candidissimas: atque ita deceptam fuisse, quod esset pars illa deterior. Aliter alii: nempe Pana se in arietem candidissimum transformâsse: Lunamque formæ candore deceptam ac sequentem, abduxisse in sylvas ac vitiâsse.

394. *Cytisum, lotosque.*] De *Cytiso*, Ecl. 1. 79. De *loto*, Geor. 2. 84.

404. *Nec tibi cura canum, &c.*] III. PARS. *De culturâ canum.* Præceptum unicum de ipsorum cibo: quem, *serum*, sive aquam lactis esse jubet: idque vocat *pingue*, quia ejus usus inducit pinguedinem.

405. *Veloces Spartæ, &c.*] *Sparta* sive *Lacedæmon*, nobilissima totius Peloponnesi urbs, cujus legislator Lycurgus fuit. *Molossia*, Epiri regio, sic dicta à Molosso, Pyrrhi Epiri regis, et Andromaches Hectoris viduæ filio, Æn. 3. 292. Spartani canes iis respondent, quos dicimus *levriers*, BEAGLES, Molossi iis, quos dicimus *dogues*, MASTIFFS.

408. *Iberos.*] Iberi rapinis assueti memorantur à Justino, l. 44. aliisque scriptoribus: iidem sunt, qui et Hispani; sive id nominis habuerint ad Ibero, *Ebre*, hujus oræ nobili flumine: sive ab Iberis Asiæ populis, inter Colchidem et Albaniam sitis, unde commigrâsse dicuntur.

409. *Onagros.*] Sylvestres asinos.

414. *Disce et, &c.*] IV. PARS. *De rebus pecori infestis.* Præcepta continet quatuor. I. Est *De fugandis serpentibus, vel odorum suffitu, vel saxis, vel fustibus*, v. 414. II. *De scabiei causis, nempe imbre, frigore, illoto sudore, spinarum vulneribus: deque ejus remediis, lotione, unctione, et sectione ulceris*, v. 444. III. *De febri, ejusque remedio, nempe venæ apertione*, v. 457. IV. *De peste, ejusque effectis latissimè*, v. 474.

415. *Galbaneoque, &c.*] *Galbanum.* succus est, gummi aut thuris modo expressus, è ferulâ, sive narthece; cujus nidore serpentes fugantur, ex Plin. l. 12. 25. *Chelydrus:* serpentis species, de quo, Geor. 2. 214.

417. *Vipera.*] Serpentis species; sic dicta, quasi *vivipara;* quia ex Aristotele Hist. Anim. l. 1. 6. cùm cæteræ serpentes ova pariant, una vipera vivum animal parit.

Pestis acerba boum, pecorique aspergere virus,
Fovit humum: cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice: jamque fugâ timidum caput abdidit altè,
Cùm medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus Austris,
Stagna colit, ripisque habitans hìc piscibus atram
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræque ardore dehiscunt;
Exilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti, atque exterritus æstu.
Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas:
Cùm positis novus exuviis, nitidusque juventâ
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad Solem, et linguis micat ore trisulcis.
Morborum quoque te causas et signa docebo:
Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altiùs ad vivum persedit, et horrida cano
Bruma gelu: vel cùm tonsis illotus adhæsit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri

*et infigere venenum pecori, incubuit terræ: cape manu lapides, cape fustes, ô pastor: et deturba tollentem minas ac tumentem sibilanti collo: jamque fugiens occuluit profundè timidum caput, cùm compages media* corporis, *et motus extremæ caudæ abrumpitur, et extrema curvatura trahit lentas spiras. Est etiam malus ille serpens in sylvis Calabriæ, contorquens dorsum squamosum erecto pectore, et magnis maculis notatus* sub *longâ alvo. Qui, quamdiu aliqui fluvii erumpunt è fontibus; et quamdiu terra humida est*, propter *ver udum, et Austros imbriferos, amat stagna, et degens in ripis illic avidus implet fœdam gulam piscibus et ranis clamosis: postquàm aquæ exsiccatæ* sunt, *et terra hiat calore, emergit in siccam terram, et vibrans oculos ignitos, et siti exasperatus, atque impatiens ardoris, furit per agros. Ne mihi tum veniat* in mentem *indulgere dulci somno sub aëre, nec jacere inter herbas in clivo nemoris: quando* ille *renovatus depositâ pelle, et juventute resplendens, aut relinquens in latebris fœtus vel ova, repit erectus ad Solem, et vibrat linguam trifidam. Docebo te etiam causas et indicia morborum. Fœda scabies corripit oves, cùm frigida pluvia profundè penetravit ad vivum, et hyems horrens albâ glacie; vel quando sudor hæsit,* nec *detersus est* ovibus, *post tonsuram;* et quando *spinæ asperæ læserunt* earum *corpora. Propterea pastores lavant aquis dulcibus totum gregem,*

## NOTÆ.

423. *Agmina caudæ.*] Agmen de serpente dicitur, quia corporis pars post partem succedit, atque *agitur;* instar exercitûs agminatim procedentis. Sic tribuitur pluviæ, G. 1. 322. *Cælo venit agmen aquarum:* quia gutta post guttam cadit. Sic tribuitur fluvio, Æn. 2. 782. *Leni fluit agmine Tybris:* quia fluctus post fluctum volvitur.

425. *Est etiam ille, &c.*] *Chersydrum* significat, eumque describit è Nicandro: nomen ejus à χέρσος, *terra*, et ὕδωρ, *aqua*, qui in terrâ et aquis vivit. Ex Solino, c. 8. frequentissima est chersydris *Calabria*, extrema pars Italiæ meridiem versùs.

429. *Austris.*] A meridie flantibus, Ecl. 2. 58.

431. *Ingluviem.*] Sinus est gutturis; sive pellis cava, quâ cibus primò ingestus, et adhuc indigestus, continetur.

435. *Sub dio.*] Sub divo, *sub Jove frigido*, inquit Horat. Od. l. 1. 25. sub cœlo et aëre: quia Jupiter pro aëre sumitur: vide G. 2. 325.

436. *Dorso.*] Vel *dorso nemoris*, id est, clivo et colle nemoroso, qui in dorsum assurgit. Vel, ut vult Mancinellus, *dorso jacuisse*, id est, resupinum jacuisse.

437. *Cùm positis novus exuviis, &c.*] Plinius, l. 8. 27. *Anguis hyberno situ membranâ corpus obductâ, fœniculi succo impedimentum illud exuit, rutilusque vernat. Exuit autem à capite primùm, &c.* Juxta alios pellem exuit, per arcta petrarum foramina transeundo.

438. *Catulos aut ova, &c.*] *Catuli*, propriè sunt canum fœtus: translativè, quorumlibet animalium. Videturque dubitare Virgilius, sitne chersydrus, *oviparus*, an *viviparus*, quemadmodum de viperâ mox dicemus. Probabiliùs oviparus est: et hìc, *catuli*, significant fœtus ex ovis egressos.

439. *Linguis —— trisulcis.*] Aristoteles de Part. Animal. l. 2. 17. serpentum linguam agnoscit longam ac bifidam; poëtæ trifidam: sive quòd in modum cuspidis conformata triplex habeat acumen; sive quòd ita vibretur celeriter ut non tantùm trifida, sed triplex etiam appareat: unde Ovid. Met. 3. 39. *Tresque micant linguæ.*

Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni:
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurcâ,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura,
Idæasque pices, et pingues unguine ceras,
Scillamque helleborosque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quàm si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, et meliora Deos sedet omina poscens.
Quin etiam ima dolor balantum lapsus ad ossa
Cùm furit, atque artus depascitur arida febris;
Profuit incensos æstus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul, aut molli succedere sæpiùs umbræ
Videris, aut summas carpentem ignaviùs herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et seræ solam decedere nocti;
Continuò ferro culpam compesce, priusquàm
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
 Non tam creber, agens hyemem, ruit æquore turbo,
Quàm multæ pecudum pestes: nec singula morbi
Corpora corripiunt; sed tota æstiva repentè,
Spemque, gregemque simul, cunctamque ab origine [gentem.
Tum sciat, aërias Alpes et Norica si quis

*et aries humido vellere demergitur in fluvium, et mersus rapitur aquâ profluente; aut ungunt acerbâ amurcâ corpus tonsum, et miscent spumam argenti, et sulphur vivum, et picem Idæam, et ceram pinguem unguento, et scillam, et graves helleboros, et nigrum bitumen. Nulla tamen est opportunitas magis commoda* in his *malis, quàm si quis possit secare ferro extremum oram ulceris:* nam *malum crescit et durat, dum tegitur: quamdiu pastor recusat admovere vulneribus manum medicam, et otiatur, petens à Diis successum meliorem. Prætereà, quando dolor penetrans in ossa intima ovium furit, et febris calida absumit corpus: prodest expellere calorem inflammatum, et inter extremas* ungulas *pedis aperire venam ex* quâ *sanguis exilit: quomodò solent* aperire *Bisaltæ, et sævus Gelonus cùm fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum, et* cùm *bibit lac coagulatum cum sanguine equorum. Quam* ovem *procul videris, aut quærere sæpiùs dulcem umbram, aut mandere negligentiùs summas herbas, aut ultimam incidere, aut residere in medio campo inter pascendum, et solam abire nocte* jam *provectâ;* hujus *morbum coërce statim ferro, antequàm sæva contagio gliscat in turbam,* quæ sibi *non cavet. Turbo tempestatem ferens non ingruit tam densus, quàm frequentes sunt pecudum morbi, neque morbi invadunt singula corpora, sed tota æstiva statim, et fœtas, et gregem, et totam gentem ab ipsâ origine. Tum* hoc *persuasum habebit, quisquis nunc etiam videbit, post tantum tempus, Alpes excelsas, et Norica*

## NOTÆ.

448, 449, 450, &c. *Amurca.*] Fæx olivarum, vel sedimentum olei. *Spuma argenti,* aliter *lithargyrium,* quæ materies in argenti fodinis reperitur. Abramus ex Calpurnii Ecl. 5. de vivo argento explicat. *Pix Idæa,* id est, optima, qualis est in Idâ, sive Cretæ insulæ, sive Troadis monte, duplex enim est. *Scilla* vel *squilla,* bulbi genus. *Helleborus* vel *helleborum,* sive *veratrum, grave* dicitur, quia olim noxium habitum est ac *terribile. Posteà tam promiscuum; ut plerique studiorum gratiâ, ad providenda acriùs quæ commentabantur, sæpiùs sumptitaverint,* Plin. l. 25. 5. Purgat, juxta eundem, vomitione, et sternutamento. *Bitumen* limus est, cujus natura vicina sulphuri. *Vivaque sulphura;* versus dactylicus, cujus extrema syllaba cum primâ versûs consequentis eliditur. Sic G. 2. 69. *Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida.*

460. *Ima ferire pedis, &c.*] Jubet Columella, l. 7. 5. *de talo, vel inter duas ungulas sanguinem emitti.*

461. *Bisaltæ quo more, &c.*] Mos ille tribuebatur, non *Bisaltis* duntaxat, Thraciæ vel Macedoniæ populis, neque duntaxat *Gelonis,* populis Scythiæ, vel Thraciæ, sed generatim Scythis, Sarmatis, Getis, et Massagetis omnibus: Ita Plinius, Claudianus, &c. *Lac.*] Vel ovium, vel equorum, cujus item apud eos usus fuit. De *Rhodope, Getis,* et *Gelonis,* G. 2. 115.

472. *Tota æstiva.*] *Æstiva* et *hyberna,* loca sunt ubi milites per æstatem et hyemem degunt: idque à militibus transtulit ad greges, qui æstivis noctibus non continentur in stabulis; sed in pascuis sub dio.

474. *Tum sciat aërias Alpes, &c.*] V. PARS et ultima, sive Epilogus. *Descriptio sævissimæ pestis;* quæ tractum omnem Alpinum vastaverat: regionem olim pascuis et pecore feracissi-

Castella in tumulis, et Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque pòst tanto videat, desertaque regna
Pastorum, et longè saltus latéque vacantes.
Hìc quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu;
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus;
Rursus abundabat fluidus liquor; omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum niveâ circumdatur infula vittâ,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat antè sacerdos;
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates:
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaque jejunâ saniẹ infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgò moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit ægros
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum, atque immemor herbæ
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit: demissæ aures: incertus ibidem
Sudor, et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus.

*castella in collibus, et agros Timavi* fluvii *Iapidiæ et regna pastorum deserta, et sylvas longè latéque vacuas. Hic olim dira pestilentia orta est corruptione aëris, et inflammata est toto ardore autumni, et interfecit omne genus pecudum, et omne* genus *ferarum, et vitiavit aquas, et fœdavit pabula veneno. Nec modus mortis erat vulgaris: sed postquàm sitis fervida penetrans in omnes venas contraxerat misera membra; tum humor tabidus exudabat, et convertebat in se paulatim* medullam *omnium ossium putrefactam morbo. Sæpe in medio sacrificio Deorum victima stans ante aram, dum infula lanea alligatu niveis tæniis, cecidit moribunda inter ministros stupefactos. Aut si sacerdos priùs occiderat aliquam cultro; ex eâ neque viscera imposita aris concipiunt ignem; neque aruspex interrogatus potest reddere responsa: et cultri suffixi vix colorantur sanguine, et superficies arenæ nigrescit exiguâ sanie. Præthereà vituli moriuntur in fertilibus pascuis, et exhalant dulces animas in stabulis plenis. Prætereà rabies oritur blandis canibus: et tussis anhela concutit porcos ægros,* eosque *strangulat tumente gutture. Equus* assuetus *victoriæ cadit, miser* post tot nobilia *exercitia, cibique negligens: et abhorret à potu, et crebrò percutit terram ungulis: aures dejectæ* sunt: *sudor dubius* est *ibidem, et ille quidem frigidus* in iis qui mox *morituri sunt: pellis rigescit, et dura ad tactum resistit tangenti. Primis diebus ante mortem dant hæc indicia.*

## NOTÆ.

mam: ac licèt multò ante Virgilii tempora sævìisset, illius adhuc vestigia tum restabant. *Alpes*, montes, qui Italiam à Galliâ et Germaniâ disterminant, Ecl. 10. 47. *Norici*, natio Germanica, in limite Alpium et ultra Alpes: nunc Bavaria, fortassè et Austria. *Timavus*, fluvius Carnorum in eâ Venetorum ditione quæ Forojuliensis dicitur, *le Frioul.* Hìc olim *Iapides*, gens Illyrica, Straboni *Iapodes*, Ecl. 8. 6.

481. *Tabo.*] *Tabum*, diminuta vox à *tabes:* quæ liquefactio est, rei alicujus soliditatem solvens: vulgò sumitur *tabum*, pro corrupto sanguine, nec multùm differt à *sanie:* hìc tamen pro corruptione sumitur. Oritur à Doricâ voce *τάκω* pro *τήκω*, *liquefacio.*

482. *Simplex.*] Non facilis, ex usu et ordine naturali; sed violenta ac difficilis. Citatque Servius illud è Sallustio: *Ne simplici quidem morte moriebantur.*

487. *Lanea dum, &c.*] Infula, ut ex Paschalio, aliisque constat; fuit latior fascia, lanea et alba: caput non quidem totum operiens, sed tempora instar diadematis cingens: unde vitta seu tænia pendebat. Hâc victimæ, sacerdotes, vates, coronabantur. *Lanea* quidem, quia lanæ magnus in sacris usus fuit: vide Ecl. 8. 64. Æn. 4. 457.

497. *Faucibus angit obesis.*] Benè *angit;* quia *angina* morbus est fauces occupans: *squinancie*, QUINSY. *Obesis.*] Vel naturâ, vel morbo.

498. *Infelix studiorum.*] Pari formâ dixit Virgilius, G. 4. 491. *Victus animi.* Æn. 5. 73. *Ævi maturus.* Æn. 11. 73. *Læta laborum, Dido.* Æn. 11. 416. *Fortunatus laborum*, &c.

500. *Incertus Sudor.*] Vel cujus causa incerta est, cùm nulla præcesserit fatigatio, vel potiùs varius, instabilis, qui modò oritur, modò desinit.

Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus interdum gemitu gravis: imaque longo
Ilia singultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
  Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos: ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio: furiisque refecti
Ardebant: ipsique suos jam morte sub ægrâ
(Dii meliora piis, erroremque hostibus illum)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus: it tristis arator,
Mœrentem abjungens fraternâ morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repôstæ:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ:
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina: nec somnos abrumpit cura salubres.
  Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis, et uris

*Si verò progressu* temporis *morbus incipit augeri, tum verò oculi inflammantur: et anhelitus educitur ab intimo pectore, interdum impeditus gemitu: et tendunt ima ilia longo suspirio, sanguis niger fluit è naribus, et lingua sicca hæret gutturi obstructo. Utile fuit* primò *immittere* in os *liquorem Bacchicum insinuato cornu: hoc solum visum remedium morientibus. Deinde hoc ipsum perniciosum erat: et* vino *corroborati inflammabantur furore: et jam, non longè ab ægrâ morte, lacerabant dentibus* carne *nudatis sua membra discerpta. Dii* reservate *meliora piis, et illam rabiem hostibus! Ecce autem taurus anhelans cadit sub ferreo vomere, et ejicit ex ore sanguinem mistum spumâ, trahitque ultimum spiritum. Arator tristis incedit, solvens taurum dolentem fratris morte, et relinquit aratrum fixum in medio labore. Non umbræ profundarum sylvarum, non jucundæ possunt herbæ recreare animos* taurorum, *non amnis clarior electro, qui fluens inter saxa percurrit campum: at ima latera flaccescunt et stupor tenet oculos* eorum *immobiles, et cervix vergit ad terram deprimente pondere. Quid prosunt* illis *labor, aut opera* collata homini? *Quid* prodest *arâsse vomere terras difficiles? Tamen, non dona Bacchi è Massico* monte, *non epulæ coacervatæ nocuerunt* illis. *Aluntur frondibus et pabulo herbæ communis: potus sunt rivi puri, et amnes agitati cursu: nec curæ excutiunt somnum salutarem. Aiunt nullo alio tempore desideratas* fuisse *boves in illis plagis, ad sacra Junonis:*

## NOTÆ.

510. *Lenæos.*] Bacchicos. Sic dictus Bacchus à ληνὸς, *torcular*, G. 2. 4.

522. *Electro.*] Electrum purissimè fulget: sive pro *succino* sumatur, *ambre*, AMBER: de quo Ecl. 8. 54. sive pro metallo, de quo Æn. 8. 402.

526. *Massica Bacchi.*] Vina è Massico, monte Campaniæ. De *Baccho*, Ecl. 5. 30. 69.

531. *Tempore non alio, &c.*] Volunt plerique omnes post Servium, allusum hic esse ad historiam, quæ ab Herodoto, Plutarcho, Valerio refertur. Sic autem à Cicerone Tuscul. l. 1. 113. *Argiæ sacerdotis Cleobis et Biton filii prædicantur. Nota fabula est. Cùm enim illam ad solemne et statum* Junonis *sacrificium curru vehi jus esset, morarenturque jumenta: tunc juvenes, ii, veste positâ, ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cùm currus ductus esset à filiis, precata à Deâ dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset à Deo: pòst, epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.* Sed id quoquo modo Servius detorqueat, extra rem omnino est. Illud unum inde cognoscimus, Junonis sacerdotes, curru invectas, ad templa processisse. Ego suspicor adhibitos currus ad ipsa sacra, sive simulacra Junonis, sive alia quælibet sacrificii instrumenta convectanda: quemadmodum Cereris simulacrum plaustris quoque vehebatur. Juvat conjecturam tarditas boum: at Junonis sacra lentè admodùm et graviter solita circumferri, notum est ex Horatio, Sat. 1. 3. 10. *Persæpe velut qui Junonis sacra ferret.* Ex Athenæo, apud quem adagii loco est, Ἡραῖον βαδίζειν, *Junonio gressu incedere.* De *Junone*, Æn. 1. 19.

532. *Uris imparibus.*] Cùm boves mansueti deessent, feri jungebantur, iique inæquales, quod in re curuli difforme est. De *Uris*, sive bobus sylvestribus, G. 2. 347.

Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægrè rastris terram rimantur, et ipsis
Unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
Contentâ cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immensi prolem et genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: insolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit et curvis frustrà defensa latebris
Vipera, et attoniti squamis astantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non æquus, et illæ
Præcipites altâ vitam sub nube relinquunt.
  Præterea, nec jam mutari pabula refert,
Quæsitæque nocent artes: cessere magistri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.
Sævit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone: morbos agit antè metumque,
Inque dies avidum surgens caput altiùs effert.

*et currus tractos* fuisse *ad alta templa* ab *uris inæqualibus. Itaque* agricolæ *difficilè proscindunt terram rastris, et ipsis unguibus defodiunt semina, et obnixo collo trahunt per altos montes plaustra stridentia. Lupus non meditatur insidias circa ovile, nec errat noctu circa greges: asperior cura subigit illum: timidi damæ et fugaces cervi jam vagantur, et inter canes, et circa domos. Jam in ultimo litore fluctus lavat progeniem vasti maris, et omne genus piscium, veluti corpora naufraga, et vituli* marini *præter solitum fugiunt in fluvios. Moritur quoque vipera, frustrà tecta cavis latibulis, et hydri conterriti squamis arrectis. Aër est perniciosus ipsis avibus, et illæ cadentes amittunt vitam inter altas nubes. Præterea nec jam prodest mutare pabula: et medicinæ adhibitæ noxiæ sunt. Recessere* medicinæ *principes, Chiron* filius *Philyræ, et Melampus* filius *Amythaonis. Et pallida Tisiphone furit, emissa in lucem è nocte infernâ: præ se ducit morbos et metum, et assurgens indies, extollit altiùs caput insatiabile.*

## NOTÆ.

533. *Donaria.*] Aliquando *dona* significant: hìc *templa*, sive loca in quibus dona servantur. Apuleius. l. 9. *Ibi donarium Deæ perquàm opulentum.*

534. *Rastris.*] De iis, G. 1. 160. *Plaustra.*] De iis, G. 1. 163.

543. *Fugiunt in flumina phocæ.*] Marinæ pestilentiæ metu, ad flumina præter consuetudinem fugiunt. Plin. l. 9. 7. *Vituli marini, quos vocant phocas, spirant ac dormiunt in terrâ: item testudines.* Quare vitæ sunt ancipitis, et in utroque elemento vivunt.

545. *Vipera.*] Plinius l. 10. 62. *Terrestrium sola intra se parit ova unius coloris, et mollia, ut pisces. Tertiâ die intra uterum catulos excludit: deinde singulos diebus singulis parit, viginti ferè numero. Itaque, cætera tarditatis impatientes, perrumpunt latera, occisâ parente.* Ita ferè Aristoteles, Nicander, Plutarchus, &c. Proptereáque Romæ parricidæ submergebantur insuti culeo cum viperâ, cane, gallo et simiâ. Ælianus tamen, et alii, superesse partui suo viperam tradunt: idque verius esse nunc ferè constat.

545. *Hydri.*] Plinius l. 28. 4. *In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, quod in aquâ vivit: hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno.* Ab ὕδωρ, *aqua.*

550. *Phillyrides Chiron, &c.*] Id est, præstantissimi medici, quales olim fuere *Chiron* et *Melampus. Chiron* fuit Centaurus, Saturni et Philyræ filius, ut diximus suprà, v. 92. Qui cùm crevisset, abiit in sylvas, ibique herbarum viribus cognitis, sapientissimus evasit medicus: à Peleo, Nerei genero; et Thetide, Pelei uxore, ad instituendum Achillem electus. Denique cùm esset graviter vulneratus fortuito casu Herculeæ sagittæ, Lernæo sanguine infectæ; doloris impatientiâ oravit superos, ut sibi quanquàm immortali, mori liceret: quo concesso, ab iis in cœlum translatus est, et in Zodiaco locatus, ubi nunc *Sagittarius* vocatur. *Melampus*, Amythaonis et Dorippes filius, dicitur augurio claruisse, et animalium omnium atque avium percepisse voces. Filias Prœti furiis agitatas ad sanam mentem restituit, Ecl. 6. 48. Ob medicinæ scientiam, templo, festis et sacrificiis honoratus. Pausan. l. 1.

551. *Stygiis.*] *Styx* fons Arcadiæ est, fluvius habitus inferorum, et à superis tantâ veneratione cultus, ut per illum jurarent; et, si juramentum violarent, divinitate, usuque nectaris per centum annos privarentur. Hic autem honos ei concessus: quia ejus filiæ Victoria, Vis, Robur, Zelus, Diis opem adversùs Titanas tulerant, ut est apud Hesiodum in Theog. Nomen à στυγέω, *odi.*

552. *Tisiphone.*] Una è Furiis, de quibus G. 1. 278.

Balatu pecorum, et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripæ, collesque supini.
Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abscondere discant.
Nam neque erat coriis usus: nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flammâ.
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verùm etiam invisos si quis tentârat amictus;
Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

*Fluvii, et siccæ ripæ, et colles curvi fremunt balatu ovium et frequentibus mugitibus. Jamque* Tisiphone *edit strages turmatim, et accumulat in ipsis stabulis cadavera diffluentia fædâ tabe: donec in mentem venit* populis *sepelire* ea *terrâ, et occultare in foveis. Nam neque* ulla *erat utilitas in coriis: nec quisquam potest abluere undis, aut purgare igne viscerâ:* ac *ne tondere quidem villos corrosos lue et sanie: nec possunt tangere telas putridas. Sed etiam si quis attrectaverat vestes e*jusmodi *odiosas, ardentes pustulæ, et fædus sudor adhærebat membris graveolentibus: et sacer ignis absumebat deinde membra attactu* fœdata, *ejus qui vel brevi tempore vestes tardabat* eas dimittere.

NOTA.

556. *Sacer ignis.*] Malè Servius interpretatur de *sacro morbo,* qui *epilepsia* est. Reliqui de eo qui dicitur vulgò, *ignis sancti Antonii;* Græcis, ἕρπης; Plinio, *zoster* et *circinus;* et à Lucretio ita describitur, l. 6. 660. *Existit sacer ignis et urit corpore serpens, Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.*

# P. VIRGILII MARONIS

# GEORGICORUM

## LIBER IV.

## ARGUMENTUM.

*POST brevem de apibus et mellatione propositionem, dedicationemque operis, opus ipsum octo partibus exequitur. I. Est de commodâ apum habitatione. II. De earum pabulatione, examinibus, pugnis. III. De duabus earum speciebus. IV. De earum quasi civili prudentiâ et republicâ. V. De mellationis temporibus. VI. De morbis apum, morborumque signis ac remediis. VII. De apum reparatione, cùm perierunt. VIII. De reparationis hujus inventore, et auctore Aristæo, cujus fabulam epilogi loco fusè narrat: eidemque attexit fabulam Eurydices et Orphei.*

PROTINUS aërii mellis cœlestia dona
Exequar: hanc etiam, Mæcenas, aspice partem.

INTERPRETATIO.
*Continuò describam cœlestia munera aërii mellis: O Mæcenas! fave huic etiam parti* Georgicorum.

NOTA.

1. *Aërii mellis cœlestia dona.*] *Ex aëre ros* defluit, adhæretque floribus et arborum foliis; inde colligitur ab apibus, et mel conficitur. Quare *aëris* et *cœli* donum est. De *Mæcenate* in arg. Georg.

Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces: totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prælia dicam.
In tenui labor, at tenuis non gloria: si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
  Principio sedes apibus statioque petenda,
Quò neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hœdique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus à stabulis, meropesque, aliæque volucres,
Et manibus Procne pectus signata cruentis
Omnia nam latè vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes, et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus:
Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster inumbret.
Ut, cùm prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus;
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conjice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad æstivum Solem; si fortè morantes

*Dicam spectacula parvarum rerum admiranda tibi, et reges* apum *generosos et mores, atque artes totius generis per ordinem, et species, et pugnas. Labor* ille est *in parvâ* re, *sed gloria non est parva; si Dii adversi permittunt aliquem* id exequi, *et* si *Apollo invocatus exaudit. Primò quærenda* est *apibus sedes et habitatio,* in loco *ad quem venti non possint pervenire; (nam venti impediunt quominùs* apes *ferant pabula in alveare) et* in quo *oves, et hœdi petulantes non saltent super floribus, et juvenca vaga per agros non excutiat rorem* ex herbis, *nec premat herbas nascentes. Absint quoque à pingui alveari lacerti maculosi splendenti tergo, et meropes, et cæteræ aves, et* imprimis *Procne,* quæ *notavit* sibi *pectus manibus sanguinolentis. Nam circùm populantur omnia, et rostro ferunt ipsas apes,* ut sint *gratum pabulum pullis crudelibus. Sed adsint fontes puri, et stagna* cooperta *viridi lanugine, et parvus rivus currens inter herbas; palmaque, vel magnus oleaster tegat vestibulum. Ut quando novi reges ducent prima examina vere* sibi *commodo; et* quando *juniores* apes *ludent egressæ ex alvearibus; tunc ripa propinqua invitet* eas, *ut se subtrahant calori; et arbor occurrens excipiat* eas *hospitio foliorum. In mediam aquam, sive stabit immota, sive fluet, projice salices obliquas, et magnos lapides: ut possint stare in* iis quasi *in frequentibus pontibus, et explicare alas ad Solem æstivum: si fortè*

## NOTÆ.

7. *Numina læva.*] *Læva,* modò in bonam, modò in malam partem sumuntur; ut diximus Ecl. 1. 16. Hìc in malam, ita enim explicat hunc versum Gellius l. 5. 12. Dicitque *vim esse quorundam Deorum in lædendo magis, quàm in juvando potentem——nam Deos quosdam, ne obessent, placabant.* In his ponit Deum *Averruncum,* et *Robigum,* et *Vejovem,* cujus erat Romæ templum, in eoque simulacrum, sagittas tenens quasi paratas ad nocendum: indéque nomen ejus deducit, quòd sicut *Jovem* dixerant Deum, qui juvaret; ita *Vejovem,* qui non juvaret: particula enim *ve,* aliquando augendæ, aliquando minuendæ rei, valet. *Vejovem* autem, et *Plutonem,* et *Ditem,* unum eundemque esse perhibet Martianus Capella. Et verò Virgilius Æn. 4. 636. *Plutonem* vocat *Jovem Stygium:* ac Plutonem et Furias et cætera inferorum numina, *læva* et adversa hominibus fuisse habita, nemo nescit, testaturque Arnobius l. 3. De *Apolline* vatum Deo, Ecl. 3. 104.

8. *Principio, &c.*] I. PARS. De *apum habitatione.* Præcepta continet duo. I. *De commodo alvearibus loco: deque iis, quæ adesse circùm aut procul abesse debent,* v. 8. II. *De formâ alvearium,* v. 33.

13. *Squalentia terga lacerti.*] Lacertus, *lésard,* A LIZARD. *Squalor, squalidus, squaleo, squalens,* derivantur à *squamis:* significantque quicquid ita inculcatum obsitumque est, ut squamarum in serpentium pisciumque coriis densitatem et asperitatem referat. Ita definit Gellius l. 2. 6. Sic Æn. 10. 314. *Per tunicam squalentem auro:* quia aurum densè intextum erat. Sic maculæ in lacerto. Sic in corporibus congeries sordium.

14. *Meropes.*] *Merops* avis, quæ et *apiaster* dicitur, *guespier,* A BEE-EATER, apibus infesta. *Procne,* hirundo: notas quasdam habet in pectore, quæ sanguinem aliquo modo referunt: quas sibi impressisse fingitur, plangens pectus manibus cæde filii sui cruentatis. Fabulam vide Ecl. 6. 78.

21. *Examina.*] Apum coloniæ, ad novas sedes quærendas ex alvearibus egressæ, *essains,* SWARMS. De iis Ecl. 7. 13.

Sparserit, aut præceps Neptuno immerserit Eurus.
Hæc circum casiæ virides, et olentia latè
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
Floreat: irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus; nam frigore mella
Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit:
Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ
Nequicquam in tectis certatim tenuia cerâ
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent: collectumque hæc ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terrâ fodêre larem; penitùsque repertæ
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.
Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
Unge fovens circùm, et raras superinjice frondes.
Neu propiùs tectis taxum sine, néve rubentes
Ure foco cancros: altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.
Quod superest, ubi pulsam hyemem Sol aureus egit

*Eurus vehemens dissipaverit redeuntes, aut disjecerit in aquas. Circa illa* omnia, *casiæ virides, et serpylla longè redolentia, et copia thymbræ graviter halantis floreat, et violæ* illic *irrigentur liquido rivo. Ipsa autem alvearia, sive à te compacta* sint ex *corticibus cavatis, sive texta vimine flexili, habeant introitum arctum. Nam hyems constringit mella frigore, et calor resolvit eadem liquefacta: utriusque violentia pariter formidabilis est apibus: neque frustrà illæ diligenter cerâ oblinunt parvas rimas domorum, et complent margines* rimarum *fuco, et floribus, et servant ad hos ipsos usus gluten collectum, tenacius visco et pice* montis *Idæ in Phrygiâ. Sæpe etiam (si vera est fama) aperuerunt sibi domum sub terrâ, effossis latibulis, et inventæ sunt profundæ* in *lapidibus cavis, et* in *alvo arboris cariosæ. Tu tamen, et unge alvearia hiantia, circùm linens molli luto: et superjice* luto *folia tenuia: néve permitte ut taxus sit vicinior alveari: néve coque* in *foco cancros rubentes: néve colloca* alveare *propè paludem profundam; aut ubi odor luti gravis* est; *aut ubi saxa intus cava resonant pulsu* vocis, *et soni species allisa resilit. Quod spectat* ad alia, *quando Sol rutilus expulit hyemem*

## NOTÆ.

29. *Neptuno immiserit Eurus.*] *Neptunus*, hìc pro quibuslibet aquis: Geor. 1. 14. Eurus, pro quolibet vento violentiore, Geor. 1. 371.

30—32. *Casiæ virides.*] *Casia*, lavendula est, aut rosmarinus. Ecl. 2. 49. *Serpyllum*, *serpolet*, WILD THYME, Ecl. 2. 11. *Thymbra*, quæ satureia, et cunila etiam dicitur, herba condimentaria, *sariette*, SAVORY. *Violaria*, loca violis consita.

38. *Cerâ Spiramenta linunt, fucoque et floribus.*] Non cerâ propriè, neque floribus; sed *melligine*, id est, glutine quodam, et viscosâ tenacique materiâ, unde operis fundamenta conficiunt, ex Plin. l. 11. 6. et 7. aliisque. *Commosis*, *pissoceros*, et *propolis*. *Commosis*, κόμμωσις, crusta est prima, atque ima, saporis amari, dicta quasi *gummitio*, à κόμμι, *gummi:* quia fit è lachrymis arborum, salicis, ulmi, arundinis: è gummi præsertim, et resinâ, &c. *Pissoceros*, πισσόκηρος, secunda est crusta, dilutior, fitque è mitiore gummi, mediæ naturæ inter picem et ceram; unde nomen habet à πίσσα, *pix*, et κηρὸς, *cera*. *Propolis* tertia crusta, et proximum favorum stabilimentum, crassioris materiæ, cui florum succus additur; *hâc omnes frigoris aut injuriæ aditus obstruuntur*, inquit Plinius: hanc significat Virgilius *fucoque et floribus;* crustas alias inferiores per *gluten*.

39. *Fuco.*] Herba est, lactucæ similis, ex algæ genere, *fucus marinus* à Plinio dicta: hujus aliqua species quadantenùs rubet. *Laudatissima*, inquit, *quæ in Cretâ insulâ juxta terram in petris nascitur, tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui posteà non possit*, l. 32. 6. et l. 26. 10. Notat Aldrovandus in Musæo metallico, l. 1. 7. mulieres antiquas hâc herbâ conciliâsse ruborem genis: indéque factum, ut pigmenta omnia muliebris formæ, imprimisque cerussa ad candorem præparata, dicta sit *fucus*, *fard*, PAINT.

41. *Visco et Phrygiæ, &c.*] Hoc *viscum*, vel hic *viscus*, *glu*, BIRDLIME. De *pice* Idæ montis in Phrygiâ, Geor. 3. 450.

44. *Pumicibusque.*] Pumex, *pierre ponce*, PUMICE-STONE.

45. *Tu tamen et, &c.*] Etsi intus apes alvearia glutine obducant: tu tamen unge exteriùs limo, ad majorem cautelam, &c.

47. *Taxum.*] *Taxus*, *if*, YEW-TREE, de quâ Geor. 2. 29. ab alvearibus amovendâ, quia ex ejus succo mel amarissimum conficitur, quale est Corsicum, Ecl. 9. 57.

*Néve rubentes, &c.*] Cancri, *écrevisses*, CRABS, rubentes cùm cocti sunt, nidore nocent apibus. *Palus* altitudine submergit apes: quia non facilè patitur lapides, quibus quasi pontibus apes inhæreseant. *Cœnum*, nocet odoris gravitate. *Echo*, remisso sono pavidas facit.

51. *Quod superest, ubi, &c.*] II. PARS. De *pabulatione apum, examinibus, pugnis.* Præ-

Sub terras, cœlumque æstivâ luce reclusit:
Illæ continuò saltus sylvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio quâ dulcedine lætæ
Progeniem nidosque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulces et frondea semper
Tecta petunt: huc tu jussos asperge sapores,
Trita melisphylla, et cerinthæ ignobile gramen:
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circùm.
Ipsæ consident medicatis sedibus: ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.
  Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuóque animos vulgi, et trepidantia bello
Corda licet longè præsciscere: namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,

*sub terras, et aperuit cœlum lumine calido: statim apes volant per saltus et sylvas, et carpunt flores purpureos, et volando degustant superficiem fluviorum. Ex his* floribus et aquis *recreatæ nescio quâ delectatione, nutriunt fœtus, et* conficiunt *eorum nidos: ex his elaborant artificiosè ceras novas, et fabricant mella glutinosa. Deinde quando videbis examen emissum ex alvearibus per æstatem serenam, volare in altum aërem, et nigram nubem* apum *diffundi vento; Considera: quærunt semper aquas dulces, et ramos frondentes,* ubi considant: *sparge circa hunc locum odores præscriptos, meliphylla confricata, et vilem herbam cerinthæ: et excita tinnitum, et quate circùm cymbala* Cybeles, *matris* Deorum: *apes consistent in sedibus* sic *præparatis: apes sese immittent more suo in intima alvearia. Si verò exire* voluerint *ad certamen (nam sæpe discordia magno impetu inflammat utrumque regem) statim licet longè præsentire et iras plebis, et corda belli avida: nam Martius etiam strepitus rauci æris excitat tardas, et auditur bombus referens fractos sonitus buccinarum. Tunc festinæ inter se congregantur, et micant alis, et acuunt aculeum rostris, et parant* ad pugnam *brachiola,*

NOTÆ.

cepta continet duo. I. *Quomodò examina cogenda sint in alvearia*, v. 58. II. *Quomodò pugnæ compescendæ sint*, v. 86.

*Egit sub terras.*] Sub polum Australem, sive antarcticum, quem *sub pedibus Styx atra videt*, Geor. 1. 243. Pellit autem Sol hyemem ad illas partes, quia ad nostras accedit, ab illis recedit: quo ex recessu sequitur hyems.

*Æstivâ luce.*] Calidiore; nec enim propriè æstas hìc significatur, sed ver.

54. *Libant.*] Degustant, radunt. Æn. 1. 740.

57. *Excudunt ceras.*] Metaphora à fabris ferrariis ducta, quorum est propriè ferrum *cudere:* ideò comparabit apes cum Cyclopibus, v. 170.

59. *Nare per æstatem liquidam.*] *Nare* sæpe pro *volare: volare* sæpe pro *nare,* mutuâ translatione sumuntur: vide Æn. 5. 219.

*Liquidam.*] Puram, serenam: unde Ecl. 6. 33. *Et liquidi simul ignis.*

63. *Melisphylla.*] Ita restituit è manuscriptis N. Heinsius, cùm antè, non sine Latinæ quantitatis damno, legeretur secundâ brevi, *meliphylla.* Citrago est Latinorum, Gallorum, *melisse*, BALMGENTLE: herba apibus gratissima, Græco nomine dicta à *μέλι, mel,* et *φύλλον, folium.*

*Cerinthæ.*] *Cerintha, κήρινθον,* à *κηρίον, favus:* Gallicè *pasquete*, HONEYSUCKLE, juxta Ruellium, à pascendis apibus.

64. *Tinnitusque cie, et Matris, &c.*] Certum est apes tinnitu æris colligi unum in locum: gaudio-ne, an metu, Aristoteles dubitat: Plato et Plinius gaudio tribuunt: Varro et Columella metui.

*Cymbala.*] Ærea instrumenta concava, quæ bacillis æreis percussa tinnitum edebant.

*Matris.*] Cybeles matris Deorum, quæ et *Rhea*, et *Ops*, et *Vesta*, vocata est: cujus in sacris quatiebantur cymbala, ex veteri instituto *Corybantum*, sive *Curetum*, de quibus infrà dicemus, v. 151.

67. *Duobus regibus.*] Colum. l. 9. 9. *Inter se, tanquam civilibus bellis; et cum alteris, tanquam cum exteris gentibus, præliantur.* Hìc bellum describitur civile. Nam ex Plin. l. 12. 16. *Nascuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ cæteras fugant.*

69. *Trepidantia.*] Non timida; sed cum festinatione tumultuantia, sic Æn. 9. 114. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,* id est, ne festinate. Sic infrà v. 73. *Tum trepidæ inter se coëunt.*

Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactæ sudum, camposque patentes,
Erumpunt portis: concurritur: æthere in alto
Fit sonitus: magnum mixtæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt: non densior aëre grando,
Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant:
Usque adeò obnixi non cedere, dum gravis, aut hos,
Aut hos, versa fugâ victor dare terga subegit.
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
Verùm ubi ductores acie revocaveris ambos:
Deterior qui visus; eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacuâ sine regnet in aulâ.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
(Nam duo sunt genera hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidiâ, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora gentis:
Namque aliæ turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cùm venit, et terram sicco spuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, et fulgore coruscant,
Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles: hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantùm dulcia, quantùm
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
At cùm incerta volant, cœloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt,
Instabiles animos ludo prohibebis inani.

*et stipantur densæ circa regem et ipsius cellam, et invitant hostem magno fremitu. Itaque quando invenerunt tempus serenum, et spatia* aëris *aperta, eruunt è portis:* pugna *committitur: fit strepitus in alto aëre, confusæ densantur in magnum globum, et cadunt præcipites: non pluit grando spissior ex aëre, nec tantum glandium ex ilice quassatâ. Ipsi* reges *in mediis exercitibus, alis notabiles, agitant magnum animum in parvo corpore, obstinati non recedere, eò usque, quò victor terribilis cogat, vel hos, vel illos, dare in fugam terga conversa. Hæ commotiones animorum, et hæ tantæ pugnæ sedabuntur, repressæ jactu exigui pulveris. Sed postquàm revocaveris à pugnâ geminos reges: da neci eum, qui visus* fuerit *pejor, ne noceat consumendo* cibos: *et permitte ut melior regnet in domo vacuâ ab* hoste. *Alter erit lucidus notis auro asperis (sunt enim duo* apum *genera) hic melior* est, *formâ pulcher, et clarus squamis rutilantibus: alter ille horridus* est *ignaviâ, et trahens magnam alvum sine honore. Ut geminæ* sunt *formæ regum, ita species gentis: Namque aliæ apes horrent fœdæ, quemadmodum viator, qui venit ex loco valdè pulverulento, et sitibundus excreat pulverem ore sicco: aliæ lucent et micant splendore, ardentes corporibus, quæ aspersa* sunt *auro et similibus notis. Hoc genus melius* est: *ex his exprimes stato anni tempore mel dulce: nec tam dulce, quàm et purum, et mitigaturum asperam vim vini. At cùm examina volant incerta, et ludunt per aërem, et fastidiant favos, et deserunt alvearia inania, revocabis animos mobiles ab inutili licentiâ.*

## NOTÆ.

75. *Prætoria.*] Cellas regum: metaphora ducta à castrensibus tabernaculis eorum, qui bella administrabant: quod munus primò prætoribus, deinde consulibus demandatum fuit, ex Festo. Hinc etiam apud Columellam et Martialem *prætoria* sunt ampla ædificia rustica; in quibus fortassè jus rusticis, à domino ac patrono dicebatur.

91. *Alter erit, &c.*] III. PARS. De *variis apum speciebus.* Duæ sunt: rufæ, quæ minores; et nigræ magisque variæ, quæ majores. Prima species melior. Rex magnitudine præstat in suâ quisque specie, et in supremis favis habitat.

*Squalentibus.*] Vide suprà v. 13.

96. *Ceu pulvere ab alto cùm, &c.*] Comparat horridam secundæ speciei nigritiem, vel cum vultu habituque viatoris, qui pulvere ac sudore obsitus spuit; vel cum ipso illius sputo, quod in fœdum salivæ ac terræ globulum humi colligitur.

102. *Liquida.*] Pura et sine fæce: quæ enim omnino liquida sunt, mala sunt, ut admonet Servius.

*Bacchi domitura saporem.*] Vel mulsum intelligit, quod fiebat duabus vini mensuris, admixtâ mellis unâ: vel quodlibet vinum asperum, quod melle temperabatur. Ita enim Horatius Sat. l. 2. 4. 24. *Aufidius forti miscebat mella Falerno, mendosè——leni præcordia mulso prolueris meliùs:* ergo distinguit Horatius hanc vini temperaturam à mulso. Ita Cerdanus. Quanquam nihil vetat in eo damnari Aufidium ab Horatio, quòd ille mulsum non è vino levi, sed aspero Falerno condiret. De *Baccho,* Ecl. 5. 69.

Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
Eripe: non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti:
Et custos furum atque avium, cum falce salignâ,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis,
Tecta serat latè circum, cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat, ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, et terris festinem advertere proram;
Forsitan et pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti:
Quóque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ, tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis: nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque hederas, et amantes litora myrtos.
Namque sub Œbaliæ memini me turribus altis,
Quà niger humectat flaventia culta Galesus,

*Nec magna erit difficultas revocare: tu evelle regibus pennas: nullus audebit illis morantibus vagari per aërem, aut eruere signa è castris. Horti spirantes croceis floribus* eas *alliciant; et tutela Priapi Hellespontiaci, abactrix latronum et volucrum, cum falce è salice,* eas *servet.* Ille *ipse, qui curat talia, transferens ex altis montibus thymum et pinos, plantet* eas *undique circa alvearia: ipse atterat manus duro* plantationis *labore: ipse infodiat terræ plantas fertiles, et invergat* plantis *aquam opportunam. Ego certè, nisi jam sub ultimum finem laborum colligerem vela, et properarem torquere proram ad terram: fortassè cantarem quoque, quæ ratio culturæ ornaret hortos fertiles, et* cantarem *rosaria Pæsti bis fœcundi: et quomodò intyba, et margines virentes apio, lætarentur aquis irrigantibus, et* quomodo *cucumis curvatus per herbam tumesceret in* modum *ventris: nec prætermisissem narcissum tardè florentem, et caulem acanthi flexilis, et hederas albentes, et myrtos quæ amant litora. Namque sub altis mœnibus Tarenti, quà profundus Galesus irrigat agros flaventes* segetibus, *memini me*

## NOTÆ.

108. *Castris audebit vellere signa.*] Metaphora è militiâ Romanorum; qui cùm castra metabantur, signa in terram defigebant ante prætorium; cùm castra movebant, evellebant; et si facilè quidem, bonum erat omen; contrà, si difficilè.

109. *Croceis.*] Versicoloribus: color certus pro incerto: de eo colore, Ecl. 4. 44.

110. *Cum falce salignâ, Hellespontiaci, &c.*] Solebant in hortis omnibus Priapi statuam collocare, cum falce è quolibet rudi ligno: pro quo genere, salignum posuit, id est, è salice. De *Priapo,* Ecl. 7. 33. *Hellespontiacus* dicitur, quia colebatur imprimis Lampsaci, quæ urbs est in minore Mysiâ ad fretum Hellespontiacum. De *Hellesponto, détroit de Gallipoli,* THE STREIGHTS OF GALLIPOLI, Geor. 1. 207.

112. *Pinosque.*] Victorius, non *pinum* arborem, sed genus esse putat virgulti semper virentis: Taubmannus etiam florem. Sed quicquid ab iis affertur in rem suam, vanum est. Neque enim, ut volunt, Columella l. 9. 4. pinum inter frutices agnoscit, sed inter arbores apibus gratas; pinumque conjungit cum ilice, *semper virens pinus et minor ilex.* Neque Apollodorus eam inter flores admittit, cùm admittit inter *coronamenta:* ut enim lauro triumphatores; sic pinu coronabantur victores ludis Isthmiis; nec tamen laurus est è florum genere. Neque Virgilius in Culice, v. 405. eùm dixit *semper florida pinus,* significavit, pinum florem esse perennem; sed arborem perpetuò florentem metaphoricè, id est, semper virentem.

119. *Biferique rosaria Pæsti.*] *Pæstum* oppidum et sinus Lucaniæ, *Pesto:* cujus solum rosis nobile, quas bis, nempe mense Maio et Septembri, ferebat.

120. *Intyba.*] *Chicorée,* SUCCORY, G. 1. 120. *Ripæ.*] Margines fontium. *Apium.*] *Persil,* PARSLEY, Ecl. 6. 68. *Cucumis.*] *Concombre,* CUCUMBER, olus notæ figuræ. *Narcissum.*] Ecl. 2. 48. Tardiùs floret; ideò *sera comantem* vocat: et *sera* dicit, pro *serò;* adjectivum plurale neutrum, pro adverbio. *Vimen acanthi.*] Caulem *brancæ ursinæ,* de quâ Ecl. 3. 45. Non vero *spinæ Egyptiæ,* quæ alterum genus acanthi est, de quo Geor. 2. 119. De *myrtis,* Ecl. 2. 54.

125. *Namque sub Œbaliæ, &c.*] Tarenti: urbis in Italiæ sinu maximè australi: cujus instaurator fuit Phalantus, ex Œbaliâ, seu Laconiâ, profectus.

126. *Quà niger, &c.*] *Galesus, Galaso,* Calabriæ fluvius est, in sinum illum Tarentinum defluens: *niger* dicitur, vel ab umbrâ circumstantium arborum: unde à Propertio l. 2. 34. 67. vocatur umbrosus: *Umbrosi subter spineta Galesi;* vel à profunditate aquarum, quæ nigritiem inde contrahunt: unde frequens est illud

Corycium vidisse senem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hìc rarum tamen in dumis olus, albaque circùm
Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver,
Regum æquabat opes animis: seràque revertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus vere rosam, atque autumno carpere poma:
Et cùm tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frænaret aquarum;
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æstatem increpitans seram, Zephyrosque morantes.
Ergo apibus fœtis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pyrum, et spinos jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verùm hæc ipse equidem, spatiis exclusus iniquis,
Prætereo, atque aliis pòst commemoranda relinquo.
  Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam: pro quâ mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ,

*vidisse senem Corycium: qui habebat pauca jugera agri deserti: terra illa, nec apta erat* arationi *boum, nec opportuna* pastioni *pecorum, nec commoda vitibus. Tamen in illo loco,* priùs *dumoso, plantans rara olera, et in circuitu candida lilia, ac verbenas, ac edule papaver, æquabat animo divitias regum, et nocte* jam *provectâ rediens domum, onerabat mensam cibis non emptis. Primus colligebat vere rosam, et autumno poma: et cùm tristis hyems frangeret adhuc lapides* vi *frigoris, et cohiberet glacie fluxum aquarum; ille jam tum tondebat frondes flexilis acanthi, incusans æstatem pigram et Zephyros tardos. Itaque primus abundabat apibus fœcundis, et multis examinibus; et colligebat mel spumosum è favis compressis: habebat tilias, et pinos copiosas: et quot pomis arbor ferax se vestierat* tempore *novorum florum; totidem matura* poma *retinebat autumnî* tempore. *Ille etiam digesserat in ordinem ulmos tardè* crescentes, *et piros duras, et spinos jam ferentes pruna, et platanum jam præbentem umbracula bibentibus. Sed ego quidem arctatus spatiis angustioribus, ista omitto, et relinquo aliis deinde commemoranda. Nunc age, describam proprietates, quas ipse Jupiter addidit apibus: propter quod donum* obtinendum, *apes, secutæ canoros sonitus Corybantium et æra crepitantia, nutriverunt*

## NOTÆ.

epithetum Homero, *μέλαν ὕδωρ, nigra aqua.* Erythræus legit *piger*, quia certum est eum lentissimè labi.

127. *Corycium senem.*] Vel nomen fuit hujus senis proprium; vel appellativum à gente: *Corycus* enim, *κώρυκος*, mons croci ferax, et oppidum fuit Ciliciæ: quæ regio est Asiæ in litore maris inde dicti Cilicii. Hujus incolæ *Cilices*, eò quòd piraticum exercerent, à Pompeio petiti bello; et partim occisi, partim in fidem recepti, agris ab eo donati sunt: præsertimque Cilicum remiges, quorum operâ usus erat Pompeius, in Calabriâ Tarentinoque agro collocati sunt. Ex iis hunc unum esse aliquem non immeritò suspicantur. *Flaventia culta.*] Loca culta et flaventia: duo adjectiva, quorum alterum substantivi vim obtinet, ut Geor. 1. 393. *Aperta serena.*

130. *Rarum.*] Raris, non densis ordinibus, consitum: quod in sterili terrâ fit.

131. *Verbenasque premens.*] *De la vervéne*, VERVAIN, Ecl. 8. 65.

*Premens.*] Plantans, Geor. 2. 346. *Quæcumque premes virgulta per agros.*

*Vescumque papaver.*] Edule, causam vide suprà Geor. 1. 212. Vescum item, minutum ac parvum significat. Ovid. Fast. 1. 3. *Vescaque parva vocant.* Plin. l. 7. 20. *Corpore vesco fuisse, sed eximiis viribus Tritanum,* memorat.

137. *Mollis acanthi.*] *Brancæ ursinæ*, Ecl. 3. 45. De *Zephyris*, Ecl. 5. 5.

141. *Tiliæ, atque, &c.*] *Tilia, tilleul,* LIME-TREE: arbor nota. *Pinus uberrima*, vel plurima, vel ferax pinearum nucum, vel ferax glutinis, quo apes utuntur ad mellis fundamina: vide suprà, v. 39.

144. *In versum, &c.*] De arborum ordinatâ plantatione, Geor. 2. 277.

*Eduram pyrum.*] Duritiem vel ad lignum refert, vel ad fructum; aut nondum maturum, aut etiam in maturitatem intus lapidescentem. De hâc voce, *edurâ*, vide Geor. 2. 65. De *platano*, PLANE, ibidem, v. 70.

145. *Spinos jam pruna ferentes.*] Spinus, vel significat prunum sylvestre, quod vult Car. Stephanus; vel spinam ipsam, quæ in prunum conversa sit per insitionem, de quâ insitione, Geor. 2. 73.

149. *Nunc age, &c.*] IV. PARS, De *apum republicâ, et quasi civili prudentiâ,* in melle conficiendo, in rege observando, &c.

151. *Curetum sonitus, &c.*] Saturnus cùm filios mares devoraret, vel ex pacto cum Titane

Dictæo cœli regem pavêre sub antro.
Solæ communes natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum;
Et patriam solæ, et certos novere penates.
Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lacrymam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ, spem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
Cùm properant: alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna:
Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt
In numerum; versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter (si parva licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,

*regem cœli sub cavernâ Dictæâ. Solæ* animalium *habent fœtus communes, et domos urbis communes, et vitam ducunt sub legibus immobilibus: et solæ cognoscunt patriam, et statas domos: et previdentes hyemem futuram, exercent* se *labore per æstatem, et congregant in commune* bona *parta. Aliæ enim provident cibis, et lege constitutâ laborant per campos: pars intra claustra alvearium componunt ima fundamenta favorum, ex succo narcissi et viscoso glutine corticis: posteà tenaces concamerant ceras: aliæ alunt* incubando *fœtus crescentes,* qui sunt *spes generis: aliæ addensant mella expurgata, et implent favos puro nectare. Sunt* aliquæ *quibus statio ad portas sorte obtigit: et* quæ *per vices prævident pluviam et nubes aëris; aut accipiunt onera venientium; aut conflato agmine expellunt ex alvearibus fucos,* quod est *genus pigrum. Fervet labor, et mella thymum halantia benè olent. Ac veluti quando Cyclopes fabricantur fulmina è massis emollitis: alii accipiunt, et remittunt aërem follibus e tauri corio* factis; *alii mergunt in aquas æra stridentia: Ætna plangit* sub *incudibus* sibi *impositis. Illi inter se attollunt brachia magno robore per ordinem, vertuntque ferrum mordaci forcipe. Non aliter (si licet comparare parva magnis) ingenita cupiditas congregandi* mella *urget apes Atticas, unamquamque* juxta *suum officium. Seniores curant alvearia;*

## NOTÆ.

fratre, vel ex metu suo, cùm esset in fatis, fore ut à filiis regno pelleretur: Rhea sive Ops, aut Cybele, ejus uxor, Jovem, in Cretâ natum, in antro Dictæi montis, qui Idæ monte vicinus est, occuluit; jussitque ut *Curetes,* sive *Corybantes,* sive *Dactyli,* sacrorum suorum administri, cymbalis, æreisque clypeis circa cunas obstreperent, ne vagitus proderet infantem patri. Hujus porrò insulæ rex dicitur fuisse *Melissus,* cujus filiæ duæ Jovem aluerunt caprino lacte et melle; unde fabulæ ferunt, capram nomine Amaltheam, et apes Curetum cymbalis excitas, Jovis nutrices fuisse: et ob id quidem beneficium, capram à Jove relatam inter sidera, cornu ejus nymphis nutricibus datam, hâc adjectâ facultate, ut quidquid optâssent, id illis ex eo cornu largiter emanaret; apes, cùm anteà nihilo essent muscis aliis sagaciores, novâ sagacitate fuisse præditas: unde facultates illæ *additæ* dicuntur.

*Pro quâ mercede.*] Supple, *consequendâ:* quasi hoc sibi officii sui præmium ac finem apes proposuerint.

158. *Victu.*] Pro *victui:* dativus contractus, de quo, Ecl. 5. 29. De *Narcisso,* Ecl. 2. 48. De *glutine,* quo ceræ et mellis fundamenta conflant, suprà v. 39.

162. *Suspendunt ceras, &c.*] Plinius l. 11. 10. *Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis à sole fornicatis, ne desit aditus ad sarciendum.* De *Nectare,* potu Deorum, Ecl. 5. 71.

165. *Sorti.*] Pro *sorte:* sic *igni* pro *igne,* Geor. 1. 267. *Capiti* pro *capite,* Ecl. 6. 16.

168. *Fucos.*] *Guespes,* DRONES. Ex Plinio l. 11. 11. *Sunt quasi servitia apum, his sunt cellarum minimæ: quamobrem imperant iis, primosque in opera expellunt, tardantes sine clementiâ puniunt.*

170. *Cyclopes, &c.*] De iis, et *Ætnâ* monte, Geor. 1. 471. et fusiùs Æn. 3. 569.

175. *In numerum.*] Certo quodam ordine, ac veluti numeroso malleorum concentu.

177. *Cecropias.*] Atticas, à primo Atticorum rege Cecrope: mel autem Atticum celebre fuit, præsertim ex *Hymetto* monte.

Et munire favos, et Dædala fingere tecta.
At fessæ multâ referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ: pascuntur et arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis, nusquam mora: rursus easdem
Vesper ubi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras et limina circùm.
Pòst ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec verò à stabulis pluviâ impendente recedunt
Longiùs, aut credunt cœlo, adventantibus Euris:
Sed circùm tutæ sub mœnibus urbis aquantur,
Excursusque breves tentant: et sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.
Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verùm ipsæ è foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt: ipsæ regem, parvosque Quirites
Sufficiunt: aulasque et cerea regna refingunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultróque animam sub fasce dedêre:
Tantus amor florum, et generandi gloria mellis.

*et tuentur favos, et construunt domos artificiosas. At juniores redeunt lassæ provectâ nocte, refertæ thymo* circa *crura: et hinc inde carpunt arbuta, et salices virides, et casiam et crocum rufum, et tiliam viscosam, et hyacinthos nigrescentes. Simul omnes quiescunt à labore, simul omnes laborant. Mane exeunt portis, nullo in loco ignavia* est. *Posteà cùm Hesperus eis significavit recedendum* esse *ex agris* et *pastione: tunc adeunt alvearia, tunc reficiunt corpora. Murmur excitatur, et strepunt circa vestibulum et portas. Deinde cùm jam consederunt in cellis, silent per noctem, et conveniens sopor tenet membra lassa. Non autem abeunt longiùs ab alvearibus, quando imber instat, nec confidunt aëri, quando imminent venti; sed, securæ prope parietes alvearis, circùm hauriunt aquas, et faciunt breves excursiones; et sæpe, ut quemadmodum naves fluitantes* habent *arenam* contra *agitationem fluctuum, ita, apprehendunt lapillos, et his sustinent se per nubes vagas. Miraberis autem hanc consuetudinem placuisse apibus: quòd nec vacant coitui, nec inertes enervant corpus libidine, nec emittunt fœtus partu. Sed ipsæ rostro colligunt fœtus è foliis et herbis dulcibus: Ipsæ supplent reges et parvos cives, et reparant palatia ac regna cerea. Sæpe quoque vagando contuderunt alas in duris saxis, et sponte amisere vitam sub onere: tantus est* ipsis *amor florum, tanta gloria faciendi mellis.*

## NOTÆ.

179. *Dædala.*] A Dædalo, ingeniosissimo Atheniensi fabro, qui labyrinthum condidit; artificiosa quælibet opera, *Dædala*, vel *Dædalea* dicta sunt. De eo plura, Æn. 6. 29.

181. *Crura thymo plenæ.*] Plin. l. 11. 10. *Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id naturâ scabra: priores pedes rostro.*

*Arbuta passim, &c.*] Arbuta, *fruits d'arboisiers*, ARBUTE-BERRIES, Ecl. 3. 82. Casia, *lavande*, LAVENDER, Ecl. 2. 49. Crocos, *safran*, SAFFRON, Ecl. 4. 44. Hyacinthus, *glayeul*, GLADDER, Ecl. 3. 63. Tilia, *tilleul*, LIME-TREE. De *ferrugineo* colore, Ecl. 2. 18.

186. *Vesper.*] Stella Veneris, Ecl. 6. 86.

192. *Euris.*] Quibuslibet ventis, propriè tamen orientalibus.

195. *Saburram.*] Arenam graviorem, quâ naves ad certam usque mensuram onerantur, ac *saburrantur*, ut stabiliores fiant.

198. *Concubitu.*] Pro *concubitui*, Ecl. 5. 29. Plin. l. 11 16. *Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos et subtilis quæstio fuit: apum enim coitus visus est nunquam. Plures existimavere oportere confici floribus. Gallinarum modo incubant. Id quod exclusum est, primùm vermiculus videtur candidus, donec ruptis membranis, quæ singulos cingunt ovorum modo, universum agmen emergat.* Ita ferè Aristoteles aliique, qui omnes putant reperiri ab iis aliquid in floribus, quod sit seminis loco; idque deinde formatum in fœtus, ab iis demitti ore.

201. *Quirites.*] Cives, ductâ metaphorâ à Romanis civibus, qui dicti sunt *Quirites;* vel à Romulo rege, qui dictus est *Quirinus;* vel à *Curibus*, oppido Sabinorum, postquàm fœdus ictum est inter Tatium eorum regem, et Romulum.

203. *Duris in cotibus.*] *Cos*, usurpatur sæpe pro lapide, qui ferro acuendo adhibetur. Hìc tamen et alibi pro quolibet lapide aspero, et caute. *Cos*, itaque et *cautes*, idem sunt: quemadmodum et à Græcis usurpatur *ἀκόνη* in utrâque significatione.

Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi
Excipiat (neque enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domûs, et avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic Ægyptus, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi, mens omnibus una est;
Amisso, rupere fidem: constructaque mella
Diripuere ipsæ, et crates solvêre favorum.
Ille operum custos, illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, et corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
Æthereos dixere: deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum; sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.
Si quando sedem angustam, servataque mella
Thesauris relines; priùs haustu sparsus aquarum,

*Itaque licèt brevis vitæ finis eas urgeat (non enim vivunt plus* quàm *septem annos) tamen genus* earum *manet immortale, et fortuna familiæ subsistit per multos annos, et numerantur avi avorum. Præterea Ægyptus, et magna Lydia, et gens Parthorum, et Hydaspes Mediæ non ita venerantur regem. Rege vivo, unanima est concordia omnium;* rege *mortuo, dissolvunt societatem, et ipsæ rapiunt mella accumulata, et evertunt compagem favorum. Ille* rex *præsidet operibus, admirantur illum, et omnes circa* illum *conglobantur multo* cum *murmure, et ambiunt* illum *magno numero, et sæpe efferunt humeris, et* in *bello objiciunt corpora* pro eo, *et quærunt per vulnera gloriosam necem. Quidam ob hæc indicia, et considerantes hæc specimina* prudentiæ, *dixerunt, partem divinæ mentis et cœlestes spiritus inesse apibus. Quippe* dixerunt *Deum fusum esse per omnes, et terras, et tractus maris, et cœlum profundum: ex illo pecudes, armenta, homines, omne genus ferarum,* denique *quemlibet nascendo sibi attrahere animam. Quippe* dixerunt *omnia post dissolutionem reverti ac referri ad eum: nec esse locum exinanitioni: sed* omnia *volare viva, sui* quæque *sideris in ordinem, atque ire in altum cœlum. Si aliquando recludis arctum alveare, et mella servata in favis; priùs os* tuum *imple, imbutus haustu aquarum;*

## NOTÆ.

210. *Regem non sic, &c.*] Comparat obsequia apum erga reges, cum studio populorum: eorum maximè qui deliciis fracti dominos quasi servili cultu adorabant. Tales *Ægyptii*, de quibus infrà, v. 287. *Lydi*, quorum regio pars est Asiæ minoris, Pactolo, aurifero flumine perfusa, Crœso olim regi ditissimo subdita. *Parthi*, de quibus, Ecl. 1. 62. *Medi* ad occidentem Parthorum siti: qui hìc per Hydaspem fluvium notantur. *Hydaspes* tamen ab uno Virgilio in Mediâ, ab aliis in Indiâ collocatur; ab aliis in Indum influere dicitur ad urbem Nysam, ab aliis in mare labi. Probus putat *Medum* dici victoriæ causâ; quia Medi et Persæ, duce Alexandro, Indiam domuerant: quod si admittatur, *Græcus* etiam et *Macedo*, meliori jure potuit vocari; quod quis ferat? Abramus legit, *Indus Hydaspes*, sed sine fide manuscriptorum. Ego admodum incertam fuisse et esse ejus notitiam puto, nec aliâ de causâ dixit Horatius, Od. 1. 1. 22. 8. *Quæ loca fabulosus lambit Hydaspes:* adeò varia de illo narrantur.

214. *Crates favorum.*] Quia favi in modum craticularum cancellati sunt.

220. *Esse apibus partem, &c.*] Sequitur hìc doctrinam Pythagoræ et Platonis. Pythagoræ opinio sic à Servio explicatur: *Omnia animalia ex quatuor elementis et divino spiritu constare manifestum est. Trahunt enim à terrâ carnem, ab aquâ humorem, ab aëre anhelitum, ab igne fervorem, à divino spiritu ingenium: quod quia est in apibus, sicut in hominibus (namque metuunt, cupiunt, dolent, gaudent; quæ probantur ex his quæ faciunt: dimicant enim, colligunt flores, prævident pluvias) fateamur necesse est, etiam apes partem habere divinitatis.* Platonis autem opinio est in Timæo, Deum, cùm mundum condidit, astris parem distribuisse numerum animarum; singulisque astris singulas attribuisse, quasi totidem vehiculis. Pythagoræ autem et Platonis communis sententia est, animam esse interitûs expertem; et, cùm exit, pervenire in cognatam sibi animam mundi, ut testatur Plutarchus l. 4. de Placit. Philos. Juxta has igitur sententias docet Virgilius, *morti non esse locum*, id est, exinanitioni: quippe cùm anima remaneat: deinde animam reverti *sideris in numerum*, id est, ad ea sidera quibus singulæ addicuntur; atque ita in cœlum reverti, quæ præcipua Dei sedes est.

229. *Relines, &c.*] Aperies, detractâ illâ omni materiâ, quâ totum alveare apes *linunt*. Tum duplici utere industriâ ad fugandas apes. I. Aquam

Ora fove, fumosque manu prætende sequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora messis.
Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias, et Oceani spretos pede repulit amnes:
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi,
Tristior hybernas cœlo descendit in undas.
Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hyemem, parcesque futuro,
Contusosque animos et res miserabere fractas;
At suffire thymo, cerasque recidere inanes
Quis dubitet? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis:
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis;
Aut dirum tineæ genus, aut invisa Minervæ
In foribus laxos suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint; hoc acriùs omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.

*et prætende manu fumos* qui *insequantur* apes. Apiarii *bis colligunt favos plenos, duo sunt tempora mellationis. Simul ac Taygete Pleias monstravit terris formosum vultum, et repulit pede aquas Oceani à* se *contemptas: aut cùm eadem, fugiendo astrum Piscis imbriferi, descendit mœsta è cœlo in aquas hybernas. Illæ* apes *iracundæ sunt supra modum, et offensæ immittunt venenum punctione, et affixæ venis relinquunt aculeos occultos, et amittunt vitam in vulnere. Si verò timeas hyemem sterilem, et provideas in futurum, et miserescas gentis afflictæ opumque direptarum: tamen quis omittat fumigare* eas *thymo, et auferre ceras superfluas? Nam sæpe occultus lacertus corrosit favos, cubilia plena* sunt *blattis fugientibus lucem, et fucus iners otiatur prope alienum cibum, aut asper crabro se miscet* apibus, armatus *majori aculeo, aut importunum genus tinearum, aut aranea odiosa Minervæ suspendit in portis telas tenues. Quò magis fuerint evacuatæ, eò diligentiùs omnes contendent reparare jacturam gentis vexatæ, et replebunt cellas, et conficient favos è floribus.*

## NOTÆ.

haustam ore presso sparge super alvearia, pluviæ in modum. II. Prætende fumum.

*Haustu sparsus aquarum Ora fove.*] Supple, *et deinde projice in pluviæ modum.* Priùs legebatur, *ore fove:* ambiguâ et difficili sententiâ. Rescripsit è manusc. N. Heinsius: *Ora fove.*

231. *Bis gravidos cogunt, &c.*] V. PARS. De *mellationis temporibus;* verno scilicet, et autumnali. Per *gravidos fœtus* haud dubiè mella intelligit, quæ sunt fructus et proventus apum: neque enim significat propriè fœtus, qui non sunt *gravidi;* neque matres apes, quæ dici non possunt *fœtus.*

232. *Taygete simul, &c.*] Una è *Pleiadibus,* sub quâ sex etiam alias comprehendit: de iis G. 1. 138. Earum ortu et occasu notat duplex tempus colligendi mellis, quod metaphoricè *messem* vocat. Oriuntur oriente Sole in Tauro, circa ultimum Aprilem, aut initium Maii: occidunt oriente Sole, circa finem Octobris, aut initium Novembris: vide G. 1. 221.

233. *Oceani amnes.*] Quia Oceanus terram ambit.

234. *Sidus fugiens Piscis aquosi.*] Certè fugimus tantùm insequentes: at nullum propriè piscium sidus Pleiades sequitur, sed antecedit. Nodum hunc ut solvat Petitus versum sic interpungit: *Aut eadem sidus fugiens, ubi piscis æquosi tristior hybernas cœlo descendit in undas:* hoc sensu: *Aut eadem fugiens sidus,* id est Solem; *ubi descendit in undas hybernas piscis aquosi,* id est, in quas jam sidus piscium ante descendit. Alii aliter solvunt. Ego servatâ vulgari interpunctione; per piscem aquosum, intelligo *hydram,* qui serpens est in aquis degens, unde nomen habet ab *ὕδωρ, aqua:* hoc enim sidus, etsi in occasu Pleiadum, gradibus circiter quinquaginta ab iis distet: tamen eas subsequitur, iisque videtur imminere.

238. *Animasque in vulnere ponunt.*] Hoc inde fit, quia aculeus cum alvo, sive intestino, consertus est: et, cùm infixus fuit, è vulnere retrahi nequit sine alvi ruptione.

239. *Sin duram, &c.*] Si providens in futurum nolis mella omnino detrahere, ne per hyemem deficientibus floribus apes fame pereant: relinque partem aliquam mellis ad cibum hybernum; et interim purga alveare à noxiis pestibus; ut sunt stellio, *lesard,* THE LIZARD: blatta, *cloporte,* THE WOOD-LOUSE: fucus, *guespe,* THE DRONE: crabro, *freslon,* THE HORNET: tinea, vermiculi genus, corrodens vestes et alia, &c.

246. *Invisa Minervæ aranea.*] Arachne, Lydia, lanificii arte ausa cum Minervâ contendere; ægrè ferens opus suum ab eâdem confractum esse, suspendio sibi vitam abstulit: à Minervâ in araneam transformata est.

250. *Foros.*] *Fori* sunt spatia in navibus apertiora, tabulata, in quibus inceditur: unde

Si verò (quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo,
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis:
Continuò est ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et tristia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus omnes:
Ignavæque fame, et contracto frigore pigræ.
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
Frigidus ut quondam sylvis immurmurat Auster;
Ut mare sollicitum stridet refluentibus undis;
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hìc jam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultrò
Hortantem, et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallæ admiscere saporem,
Arentesque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psythiâ passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et graveolentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de cespite sylvam,
Aureus ipse: sed in foliis, quæ plurima circùm
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
Asper in ore sapor: tonsis in vallibus illum
Pastores, et curva legunt prope flumina Mellæ.

*Si autem (quoniam vitæ* conditio *intulit quoque apibus nostras miserias) corpora earum langueant tristi ægritudine, poteris deinceps cognoscere id signis non incertis. Statim ægræ habent alium colorem, horrida macies deturpat speciem: tunc efferunt* ex *alvearibus cadavera carentium lumine, et ducunt tristia funera: aut eædem dependent ad portam simul implicatæ pedibus: aut omnes intus clausæ morantur in alvearibus, desides præ fame, et pigræ præ frigore contrahente* membra. *Tum murmur obscurius auditur, et susurrant* longo *tractu: quemadmodum Auster frigidus aliquando sibilat in sylvis: quemadmodum mare turbatum stridet fluctibus reciprocantibus; quemadmodum ignis fervens æstuat* in *fornacibus clausis. Tunc consulo*, ut *galbanei odores urantur illìc, et mella infundantur per cannas arundineas; ultrò excitando et invitando* apes *languidas ad cibum familiarem. Juvabit etiam addere* huic melli *succum gallæ contritæ*, *et rosas siccas, vel mustum multo igne spissatum, vel passas uvas è psythiâ vite, et thymum Atticum*, *et* centaurea *gravia odore. Est etiam in pratis flos, cui agricolæ dedere nomen amelli: planta* est *facilis repertu. Quippe uno è cespite erigit magnam copiam caulium: aureus ipse* est; sed *purpura violæ nigricantis sublucet in foliis, quæ multa in orbem ambiunt* floscula. *Sæpe altaria Deorum ornantur torquibus* amello *implexis. Sapor illius asper est palato: pastores colligunt eum in pratis demessis, et ad flexuosa fluenta Mellæ.*

## NOTÆ.

nomen habent, vel à *ferendo*, vel quòd *foris* emineant. Sunt item in circo ejusmodi spatia, è quibus videntur spectacula. Hinc diminutivum est *foruli:* quæ sunt apud Suet. et Juven. librorum conditoria in bibliothecis. Hìc pro cellulis melleis usurpantur.

251. *Si verò, &c.*] VI. PARS. De *morbis apum eorumque signis et remediis.*

257. *Pedibus connexæ, &c.*] Non puto hìc *uvam* significari, siquidem ut lætitiæ indicium apponitur infrà v. 558. Itaque intellige de singulis aut pauculis apibus, quæ vel mortuæ, vel languidæ pedibus adhærent ad limina.

261. *Frigidus Auster.*] Quilibet ventus: Auster enim non frigidus, sed humidus est. Macrobius tamen ait frigidum esse ab origine; et humidum fieri cùm per zonæ torridæ plagam ad nos commeat. *Quondam.*] Aliquando. Sic Geor. 3. 99. *Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis incassùm furit.*

264. *Galbaneos, &c.*] Galbanum, *galbanon*, gummi è narthece sive ferulâ, in Syriâ: hujus odor fugat serpentes. Galla, *pomme de chêne*, OAK-APPLE; Defrutum, vinum coctum, *resine*, SODDEN WINE: de quo Geor. 1. 295. Racemi passi, *sechés au Soleil*, DRIED IN THE SUN: quem in usum apta præ cæteris vitis Psythia, de quâ Geor. 2. 93. Centaurea, orum; vel centauria, æ; et centaurium, ii; *fiel de terre*, CENTORY: herba quæ nomen traxisse dicitur à Chirone Centauro: quia adhibita vulneri quod ipsi Herculis sagittæ fecerant, eum sanavit. *Cecropium thymum*, quia frequens in Hymetto monte Atticæ regionis, in quâ primus regnavit Cecrops. *Amellus* certissimè est, *Aster Atticus*, id est, *stella Attica;* ob formam et patriam sic dicta: Aliter *bubonium*, id est *inguinalis;* quòd inguinum doloribus medeatur: in hortis visu notissima, nomine Gallis ignota.

278. *Melle.*] Vel Melæ, fluvii Galliæ Cisalpinæ, prope Brixiam. Unde nomen habet *amellus flos*, juxta Servium.

Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone canistris.
Sed si quem proles subitò defecerit omnis,
Nec genus unde novæ stirpis revocetur, habebit;
Tempus, et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo cæsis jam sæpe juvencis
Insincerus apes tulerit cruor. Altiùs omnem
Expediam, primâ repetens ab origine, famam.
Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circùm pictis vehitur sua rura phaselis
Quâque pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis;
Omnis in hâc certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primùm atque ipsos contractus ad usus
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti,
Parietibusque premunt arctis: et quatuor addunt
Quatuor à ventis obliquâ luce fenestras.

*Coque radices illius in vino optimo, et plenis calathis offer* apibus *in cibum ad foramina* alvearis. *Sed si aliquis amiserit subitò totam gentem, nec habeat unde reparetur genus novæ familiæ:* tunc *tempus* est *aperire inventum memorabile Arcadii apiarii, et quomodò occisis bobus, jam sæpe sanguis putridus produxerit apes. Narrabo famam omnem hujus facti, repetens* eam *altiùs à primâ origine. Nam, quâ* parte *felix natio Pellæi Canopi accolit Nilum insidentem* agris *inundante flumine, et circumnavigat suos agros in naviculis versicoloribus: et quâ* parte regiones *vicinæ Persis pharetratis attingunt* Ægyptum; *et quâ* parte *fluvius defluens ab usque nigris Æthiopibus fœcundat Ægyptum nigro limo, et præcipitans exonerat se in ostia septem distincta; tota regio collocat in hoc invento spem certam. Primùm quæritur locus angustus, et arctatus ad hunc ipsum usum: hunc tegulis parvi tecti et contractis muris coarctant: adjunguntque quatuor fenestras, obliquo lumine, à quatuor ventis.*

## NOTÆ.

281. *Sed si quem, &c.*] VII. PARS. De *reparatione apum, ejusque reparationis inventore Aristæo.* Is Apollinis filius fuit, ex Cyrene filiâ Peneï fluminis, vel regis: in Arcadiâ deinde regnâsse dicitur: et apum ac mellis usum, lactisque coagulum invenisse, vide Geor. 1. 14.

287. *Quà Pellæi, &c.*] Locus perdifficilis. Vult Cerdanus duplicem hìc regionem significari Ægyptum et Indiam: duplicem fluvium: Nilum et Indum: utrobique inventam esse artem reparandarum apum. Sed refutatur: tum quia non est verisimile quod contendit, versum hunc suppositum esse; *et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,* qui versus planè de Nilo intelligi debet; et locus ipse totus, de Nilo, non de Indo: tum quia malè diceretur Indus devectus ab Indis, cùm Indiæ fines non ingrediatur. Abramus hìc comminiscitur nescio quid de Gange Indico fluvio, qui per subterraneos meatus erumpat in Ægyptum, ibique Nilum efficiat. Ego omnia de Nilo interpretor: et quæ duo videntur obstare, sic explico. I. Dicitur *Devectus ab Indis,* id est, Æthiopibus, qui ab antiquis Indi vocabantur, ut jam notavimus, Geor. 2. 171. Et verò quicquid olim jactatum sit de ignotis Nili fontibus, nunc compertum est oriri ex duobus fontibus ad radices Lunæ montium, ad meridiem lacûs ingentis, quem impermixtus aquis mox deinde præterfluit. Lacus dicitur *Zembre.* II. *Vicinia Persidis urget* reipsâ Ægyptum, non inquam, ipsa Persis, sed vicinæ Persidis regiones, nempe Arabia, Syria, &c. quæ omnia Persidis nomine comprehendit, quia subjecta aliquando fuerant Persarum imperio, Cyri nempe et Cambysis ejus filii, qui Ægyptum ipsam ditioni adjecit. Solet autem Virgilius terminos regionibus, quàm potest latissimos, assignare: ut vidimus Ecl. 1. 63. et Geor. 1. 490. Nunc singulæ voces explicandæ.

*Canopus.*] Urbs est Ægypti, quam poëta innuit vicinam esse Alexandriæ, cùm Canopum vocat *Pellæum,* id est, *Alexandrinum.* Alexander enim, conditor Alexandriæ, in urbe Macedoniæ Pellâ natus erat. Per *Gentem Canopi* Ægyptios omnes intelligit, quia urbs illa erat antiquissima; sita ad maximum è septem ostiis, quibus Nilus in mare se exonerat.

*Gens fortunata.*] Propter fertilitatem regionis.

*Stagnantem flumine Nilum.*] Quia Sole in Cancrum subeunte, crescere incipit per centum dies ad usque Autumnum: quâ exundatione fœcundantur agri, per quos itur Phaselis et navigiis angustis, ex arundine papyraceâ.

*Pharetratæ Persidis.*] Quia Persæ equitatu, venatione, et sagittandi arte insignes fuerunt; siti ad orientem Assyriæ, ad occidentem Asiæ, ad meridiem Parthiæ, ad septentrionem sinûs Persici. De *Indis,* Geor. 1. 57.

298. *Quatuor à ventis.*] Qui flant è quatuor mundi cardinibus, sive partibus oppositis, unde

Tum vitulus, bimâ curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares, et spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur; plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt: et ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes.
Hoc geritur, Zephyris primùm impellentibus undas,
Antè novis rubeant quàm prata coloribus, antè
Garrula quàm tignis nidum suspendat hirundo.
Intereà teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat: et visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primò, mox et stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis, magis aëra carpunt:
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere: aut ut nervo pulsante sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prælia Parthi.
Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
  Pastor Aristæus, fugiens Peneïa Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput astitit amnis,
Multa querens; atque hâc affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes: quid me præclarâ stirpe Deorum
(Si modò, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quò tibi nostri
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia solers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.

*Tum quæritur juvencus jam flectens cornua* in *fronte bienni: huic multùm repugnanti clauduntur ambæ nares, et halitus oris; et huic interfecto verberibus, contusa viscera putrefiunt intra pellem non laceratam. Sic relinquunt depositum in* loco *clauso, et lateribus substernunt fragmina ramorum, thymum, et casias novas. Hoc fit, cùm primùm Zephyri agitant aquas, antequàm campi pingantur novis coloribus* florum, *antequàm loquax hirundo defigat nidum* in *tignis* domorum. *Intereà humor calefactus in ossibus teneris effervescit: et congregantur mirabili modo animalia digna visu, primò carentia pedibus, deinde alis etiam strepentia, et magis, magisque tentant auras tenues: donec evolent,* tam densè, *quàm imber cadens per æstatem è nubibus: aut quàm sagittæ ex arcu emittente, si quando fugaces Parthi faciunt præludia pugnandi. O Musæ! quis Deus invenit hanc artem in nostra commoda? Unde nova hæc hominum experientia cepit exordium? Pastor Aristæus relinquens Tempe,* quæ *Peneo* alluuntur, *apibus amissis per morbum et famem, ut narratur: stetit mæstus ad sacrum fontem summi fluvii, multùm querendo; et allocutus est matrem his verbis: Mater Cyrene, mater, quæ habitas in fundo hujus fontis; cur me produxisti odiosum fatis ex illustri Deorum genere, si modò Thymbræus Apollo pater meus est, ut memoras? aut quònam depulsus est à te amor* tuus *erga me? Cur jubebas me sperare* honores *immortalium? Ecce amitto, cùm sis mea mater, hunc ipsum honorem vitæ mortalis, quem diligens cura frugum et pecorum vix pepererat mihi exploranti omnia.*

## NOTÆ.

*cardinales* vocantur: Eurus ab oriente, Zephyrus ab occidente, Boreas à septentrione, Notus à meridie.

300. *Nares, et spiritus, &c.*] Oculi etiam, et partes omnes ad halitum aut egestionem necessariæ, linteo oblito pice obstruebantur.

302. *Per integram, &c.*] Nec enim laceranda est pellis et cruentanda, sed paulatim ictibus maceranda; ita ut viscera, carnes, et ossa etiam comminuantur intra pellem. Id cavendum admonet auctor Geoponicarum præceptionum.

304. *Casiasque.*] Rosmarinum, vel lavendulam, Ecl. 2. 49.

305. *Hoc geritur Zephyris, &c.*] Id est, circa initium veris: monetque auctor Geoponic. per tres hebdomadas includendum esse, donec putrefiat.

310. *Trunca pedum, &c.*] Hinc aliqui dictas volunt *apes*, quasi *ἄποδες*, *sine pedibus;* sed verum etymon retuli, Ecl. 7. 13.

311. *Magis, magis aëra carpunt.*] Exprimit primos conatus ad volandum, cùm alas ventilant.

314. *Leves——Parthi.*] De iis, Ecl. 1. 62. Levitatem refero, vel ad fugæ dolos, vel ad equitandi peritiam.

317. *Pastor, &c.*] VIII. PARS. *Fabula Aristæi et Orphei;* Epilogi loco.

*Tempe.*] Thessaliæ vallis est, quam Peneus fluvius præterfluit, Geor. 2. 469. Fugiebat ille Tempe, ubi degebat; ut ad caput, sive fontem Penei fluvii, qui matris suæ Cyrenes pater erat, excurreret, quasi ad maternam domum. De *Aristæo* suprà, v. 283. et Geor. 1. 14.

323. *Thymbræus.*] Apollinis cognomen, à

Quin age, et ipsa manu felices erue sylvas:
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes:
Ure sata, et validam in vites molire bipennem:
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit: eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore:
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla;
Nesææ, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores;
Clioque, et Beroë soror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopeia;
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisque dolos, et dulcia furta,
Aque Chao densos Divûm numerabat amores.
Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures

*Age ergo, ipsa etiam evelle manu fæcundas arbores, immitte infestum ardorem in pecora, et eneca segetes, incende agros et impelle validam securim in vites: si tanta negligentia meæ gloriæ cepit te. At mater percepit sonum* vocis *è cubili profundi fluvii: circa eam Nymphæ nebant Milesiam lanam, tinctam multo colore vitri: et Drymo, et Xantho, et Ligea, et Phyllodoce,* quarum *coma sublucens diffusa* erat *per colla candida: Nesææ, et Thalia, et Spio, et Cymodoce, et Cydippe, et flava Lycorias; altera* adhuc *virgo, altera jam passa primam difficultatem partûs: et Clio, et soror ejus Beroë, ambæ Oceani filiæ, ambæ vestitæ auro, et versicoloribus pellibus; et Ephyre, et Opis, et Asia Deïopeia, et velox Arethusa, sagittis denique depositis. Inter quas Clymene narrabat vanam solicitudinem Vulcani,* de custodiendâ Venere, *et fraudes, jucundaque furta Martis; et numerabat frequentes amores Deorum ab usque Chao. Quibus cantilenis intentæ, dum versant fusis molles lanas, rursus querela Aristæi perculit aures matris,*

NOTÆ.

Thymbrâ Troadis oppido, ubi templum ejus celebre, in quo ferunt Achillem à Paride fuisse occisum.

330. *Stabulis inimicum ignem.*] Vel incendium, vel potiùs sacrum illum ac pestiferum ignem de quo Geor. 3. 566.

331. *Bipennem.*] Securim utrimque acutam, à *binâ pinnâ:* nam *pinnæ* sunt quædam fastigia; ut summitates in templis, quæ vocantur *pinnacula.*

334. *Milesia vellera.*] Pretiosa, ex urbe Mileto in finibus Ioniæ, et Cariæ. Species est pro genere.

335. *Hyali colore.*] Vitreo, inter cœruleum, et viridem medio: ab ὕαλος, *vitrum.*

336. *Drymoque, &c.*] Nympharum nomina partim ex Homero, l. 18. 39. partim ex Hesiodo in Theogon. v. 245. Drymo, à δρύμος, *sylva quercea.* Xantho, à ξανθὴ, *flava.* Ligea, à λίγεια, *canora.* Phyllodoce, à φύλλον, *folium,* et δέχομαι, *capio.* Nesææ, Νησαίη, à νῆσος, *insula.* Spio, à σπεῖον, *spelunca.* Thalia, à θάλλω, *floreo.* Cymodoce, à κῦμα, *unda,* et δέχομαι, *capio.* Cydippe, à κῦδος, *gloria,* et ἵππος, *equus.* Lycorias, à λύκος, *lupus.* Clio, à κλείω, *laudo.* Ephyre, à φύρω, *rigo.* Opis, ab ὤψ, ὠπὸς, *vultus.* Deïopeia, à δήϊος, *ardens,* et ὄψ, ὀπὸς, *vox.* Asia eadem appellatur, adjectivo nomine, quia ex Asiâ palude, de quâ Geor. 1. 383. Clymene, à κλύω, *audio.* Arethusa, primò venatrix et Dianæ comes, tum sagittis et venatione dimissâ, ab eâdem mutata in fontem, Ecl. 12. 1.

340. *Lucinæ.*] De hâc partuum præside Deâ, Ecl. 4. 10.

345. *Curam inanem Vulcani, &c.*] Venus Vulcani conjux Martem amavit: in adulterio deprehensa est à marito; et subtilissimis vinculis cum adultero irretita, Deorum ludibrio exposita est. *Curam inanem Vulcani,* appellat, sive in custodiendâ uxore, sive in eâdem irretiendâ: neque enim illa vincula opprobrium Vulcani sustulere, sed evulgavere. De *Vulcano,* Geor. 1. 295. De *Marte,* Ecl. 9. 12.

347. *Aque Chao.*] Ita restituit Heinsius ex antiquis MSS. cùm anteà legeretur, *Atque Chao,* et *Eque Chao.* Chaos, indigesta moles, ex quâ omnia eruperunt: vulgò numeratur inter ea nomina, quæ per casus non declinantur; tamen hìc ablativus est *Chao.* Sensus est: Narrabat Clymene amores Deorum, incipiens, vel à primâ mundi formatione, vel ab ipso Chao qui primus Deorum fuit, juxta Hesiodum in Theogon. v. 116. ubi Deorum progenitores constituit, *Chaos, Tellurem,* et *Amorem.*

348. *Mollia pensa.*] Manipulos lanæ. *Pensum,* vel à *pendeo,* quia pendet è colo; vel

Luctus Aristæi, vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summâ flavum caput extulit undâ.
Et procul: O, gemitu non frustrà exterrita tanto,
Cyrene soror; ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristæus, Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans, et te crudelem nomine dicit.
Huic perculsa novâ mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos; fas illi limina Divûm
Tangere, ait. Simul altâ jubet discedere latè
Flumina, quà juvenis gressus inferret: at illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
  Jamque domum mirans genitricis et humida regna,
Speluncisque lacus clausos lucosque sonantes,
Ibat; et ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primùm se erumpit Enipeus,
Unde pater Tyberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caïcus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta

*et omnes è vitreis sedibus obstupuerunt: sed ante alias sorores Arethusa prospectans extulit flavum caput è superficie aquæ. Et procul* dixit: *O Cyrene soror, non frustrà obstupefacta tanto luctu; ipse mœstus Aristæus, tua maxima cura, adstat tibi lachrymans ad fontem Penei patris* sui: *et te appellat nomine crudelem. Huic respondit mater, percita mentem novo timore: Age, duc* illum *ad nos, licet* illi *ingredi in domum Deorum. Statimque jussit ut aquæ latè dividerentur, quà juvenis dirigeret passus: at aqua accumulata in speciem montis cinxit ipsum, et excepit magno gremio, et admisit intra fluvium. Jamque ibat admirans domum matris, et regna liquida, et aquas clausas in receptaculis, et sylvas resonantes: et stupefactus magno motu aquarum, considerabat omnes fluvios labentes sub magnâ terrâ, distinctos locis, et Phasim, et Lycum, et fontem ex quo Enipeus, emittit se primò et ex quo pater Tibris, et ex quo fluvius Anio, et Hypanis strepens inter saxa, et Caïcus Mysiæ, et Eridanus deauratus* circa *duo cornua taurini vultûs, quo nullus alius amnis rapidior currit per agros fertiles in mare splendidum. Postquam pervenit in tecta cubiculi* structa *è pumice impendente,*

## NOTÆ.

potiùs à *pendo*, quia appenditur, ut cuique assignatur cum mensurâ et pondere.

358. *Fas illi, &c.*] Quia Deo patre, matre Nymphâ genitus est.

364. *Speluncisque lacus clausos, &c.*] De fluviorum origine duæ sunt opiniones præcipuæ: altera Platonis, altera Aristotelis. Plato eorum commune receptaculum intra terræ viscera conditum putat; quem hìc sequitur Virgilius: Aristotelis è mari profluere existimat, quem sequitur Homerus, l. 21. 195. Adit igitur Aristæus matris domum in illo communi receptaculo. *Lucos sonantes* appellat poëta herbas in fluviis et lacubus magnâ copiâ enascentes, quæ aquarum interstrepentium motu agitantur.

367. *Phasimque, Lycumque, &c.*] *Phasis*, fluvius nobilis in Colchide, oriens in Armeniæ montibus, in pontum Euxinum labens: circa quem frequentes aves, inde dicti Phasiani, *faisans*, PHEASANTS. *Lycus*, multiplex; præcipuus in eâdem Colchide. *Enipeus* in Thessaliâ, Pharsalicos campos irrigans. *Tyberinus* et *Anio* in Italiâ. *Hypanis* in Scythiâ. *Caïcus* in Mysiâ. *Eridanus* in Italiâ: de eo Geor. 1. 482.

368. *Se erumpit.*] Sic Lucretius, l. 4. 1108. *Se erupit venis collecta cupido.*

371. *Et gemina, &c.*] Tauri forma à poëtis vulgò fluviis omnibus attribuitur; unde Horatius Od. 4. 14. 25. *Sic tauriformis volvitur Aufidus.* Id autem fit vel, quia fluvii aquarum pleni mugitum taurorum imitantur; vel quia terram sulcant instar boum; vel quia flexuosos dividuntur in alveos, qui vocantur *cornua*. *Auratus* dicitur Eridanus, maximè propter stellas, quibus in cœlo insignis est; est enim astrum hujus etiam nominis.

*Gemina cornua.*] Quia etsi in plura, tamen in duo præcipua dividitur.

372. *Pinguia culta.*] Vide suprà v. 126. *Flaventia culta.*

373. *In mare purpureum.*] Poëtæ *purpureum* dixere quicquid nitet ac splendidum est: quale est *mare*, Sole præsertim affulgente. Catullus, quercûs *ramos purpureos* appellavit: Albinovanus ad Leviam, *purpuream nivem:* Horatius *purpureos olores.*

374. *Pendentia pumice tecta.*] *Pumex*, lapis ob foraminum multitudinem levissimus, *pierre ponce*, A PUMICE-STONE.

*et Cyrene cognovit immoderata lamenta filii: sorores per ordinem invergunt aquas manibus et offerunt mappas corrasis pilis: pars onerat mensas cibis, et ponit pocula plena* vino: *altaria incenduntur ignibus thureis. Et mater ait: Accipe duo pocula vini Lydii,* hoc *effundamus* in honorem *Oceani. Simul ipsa orat et Oceanum parentem rerum, et Nymphas sorores* suas, *quæ tuentur innumeras sylvas, et innumeros fluvios. Ter respersit ardentem flammam puro vino; ter flamma supposita emicuit ad* usque *summum tecti. Quo omine corroborans animum* illius, *sic ipsa incipit: In Carpathio sinu maris vates est, Proteus cœruleus, qui perambulat magnum mare* invectus *piscibus, et curru equorum* habentium *duos pedes. Hic nunc revisit portus Emathiæ, Pallenemque patriam; hunc* nos *nymphæ veneramur, hunc et ipse Nereus senior* colit: cum enim sit *vates, cognoscit omnia, et quæ sunt* præsentia, *et quæ præterita, et quæ post imminent futura. Nam sic placuit Neptuno: cujus ducit sub mari magnos greges et phocas infames. O nate, ille primò tibi stringendus est catenis, ut explicet tibi omnem originem morbi, et det bonos successus. Quippe nulla dabit* tibi *consilia nisi coactus, neque vinces illum precando. Quando ceperis* illum, *injice* illi *vim durorum vinculorum: contra hæc* vincula *fraudes* ejus *inutiles cadent.*

Perventum, et nati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisque ferunt mantilia villis:
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
Pocula; Panchæis adolescunt ignibus aræ.
Et mater: Cape Mæonii carchesia Bacchi:
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,
Centum quæ sylvas, centum quæ flumina servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,
Cœruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus, patriamque revisit
Pallenen; hunc et nymphæ veneramur, et ipse
Grandævus Nereus: novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est: immania cujus
Armenta, et turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, priùs vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram et vincula capto
Tende: doli circùm hæc demum frangentur inanes.

## NOTÆ.

379. *Panchæis adolescunt, &c.*] Nullum ferè convivium apud antiquos absque re sacrâ et libatione: vide Æn. 1. 727. De thure Panchææ regionis in Arabiâ, Geor. 3. 139. De *libatione*, Ecl. 7. 33.

380. *Mæonii carchesia Bacchi.*] *Carchesium* ex Athenæo, est poculum oblongum, circa mediam partem mediocriter compressum, ansis à summo ad infimum pertinentibus. *Mæonium* vinum, id est Lydium: Lydia enim Asiæ minoris regio, priùs Mæonia dicta est, arboribus ferè carens, et vite consita, ex Strabone, l. 13.

382. *Oceanumque patrem rerum.*] Ex Orpheo et Homero, multis locis; eorumque philosophorum sententiâ, qui, Thalete Milesio duce, ex aquâ putabant constare omnia: Cicero meminit Acad. 2.

384. *Ter——nectare Vestam.*] De mysteriis numeri ternarii, Ecl. 8. 75. De *nectare* quod hìc pro vino sumitur, Ecl. 5. 71. De *Vestâ* Deâ, quæ hìc pro igne usurpatur, Geor. 1. 498.

387. *Carpathio.*] Pars Mediterranei maris, *Carpatho* circumjecta: quæ insula est obversa Ægypto, inter Cretam et Rhodum mediâ: hodie *Scarpanto*. De *Neptuno*, Geor. 1. 14.

388. *Proteus.*] Neptuni et Phœnices, vel Oceani et Tethyos filius: Ægyptius genere juxta Homerum; sed juxta Virgilium ex peninsulâ *Pallene*, quæ est in Macedoniâ, inter sinum Thermaicum et Toronaicum. Regnavit in Ægypto, ex communi opinione; ex Platone, ibidem sophista fuit; ex Luciano, histrio: unde eum, quas vellet, induisse formas et mutâsse memorant. Aiunt et hunc fuisse pastorem Neptunii pecoris, nempe phocarum: et Neptunum, ejus in gratiam è quodam Pallenes hiatu speluncam sub mari fecisse, quâ illum in Ægyptum usque secum perduxit.

389. *Et juncto bipedum, &c.*] Eosdem et pisces et equos appellat; sed bipedes, equos videlicet marinos qui pedes duos partemque corporis anteriorem habent equorum, posteriore desinunt in pisces. *Emathia*, Macedonia est, Geor. 1. 490. De *Pallene* mox diximus. De *Nereo*, Ecl. 6. 35.

Ipsa ego te, medios cùm Sol accenderit æstus,
Cùm sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quò fessus ab undis
Se recipit; facilè ut somno aggrediare jacentem.
Verùm ubi correptum manibus, vinclisque tenebis;
Tum variæ illudent species, atque ora ferarum.
Fiet enim subitò sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulvâ cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quantò ille magis formas se vertet in omnes;
Tantò, nate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cùm lumina somno.
  Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis; quò plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos;
Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.
Hìc juvenem in latebris aversum à lumine Nympha
Collocat, ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat cœlo, et medium Sol igneus orbem
Hauserat: arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant;
Cùm Proteus consueta petens è fluctibus antra
Ibat: eum vasti circùm gens humida ponti
Exultans, rorem latè dispergit amarum.
Sternunt se somno diversæ in litore phocæ.
Ipse (velut stabuli custos in montibus olim,

*Ego ipsa, cùm Sol calefecerit medium diem, cùm herbæ siccæ sunt, et umbra jam jucundior est gregibus, ducam te in latebras senis, in quas se recipit è mari fatigatus: ut facilè invadas* eum *stratum somno. Sed cùm tenebis* illum *comprehensum manibus et vinculis; tunc variæ figuræ et vultus belluarum te decipient. Nam repentè apparebit sus horribilis, et sæva tigris, et serpens squameus, et leæna rufo capite; aut emittet stridorem acutum flammæ, et sic expediet* se *è vinculis, aut effugiet solutus in aquas tenues. Sed quò magis ille mutabit se in omnes figuras; eò magis, ô nate, constringe vincula retinentia; usque dum evadat talis, transformato corpore, qualem aspexeris, cùm somnus inceptus clauderet oculos. Hæc dixit, et sparsit liquidum odorem ambrosiæ, quo perunxit totum filii corpus; at illi suavis odor exivit è capillis unctis, et conveniens robur inditum est membris. Est ingens antrum in latere montis excavati, quò plurimi fluctus pelluntur* vi *ventorum, et finduntur in sinus replicatos;* quod est *aliquando receptaculum tutissimum nautis periclitantibus. Proteus occultat se intus objectu ingentis saxi. Hìc Nympha constituit juvenem in insidiis remotum à luce, ipsa remanet procul latens in nube. Jam rapidus Sirius, comburens sitientes Indos, ardebat* in *cœlo, et Sol flammeus siccaverat medium orbem; herbæ arescebant, et radii urebant* usque *ad limum profunda flumina calefacta siccatis alveis: cùm Proteus exibat è mari petens solitam speluncam: circa eum genus humidum magni maris exiliens spargit latè aquam salsam. Vituli marini abjiciunt se* præ *somno separati in litore. Ipse Proteus (quemadmodum aliquando custos armenti in montibus,*

## NOTÆ.

415. *Ambrosiæ.*] Cibus est Deorum; *Nectar* potus: confunduntur tamen sæpe, ut hìc, ubi *liquidus odor* dicitur ambrosiæ, Ecl. 5. 71.

418. *Habilis venit vigor.*] Ut luctari facilè posset cum Proteo, contra vincula obluctaturo.

421. *Statio tutissima.*] Vel in ipso specu, vel in cacumine rupis, vel inter rupem ipsam, et continentem: videtur enim rupes non in litore, sed in ipso mari fuisse, non longè à litore, ideóque spatii satis rupem inter et litus fuisse interjectum, ut possent illic stare naves, adversùs vim ventorum, rupis objectu defensæ. *Olim,* aliquando, Geor. 3. 303.

425. *Sirius Indos, &c.*] Significat calorem tunc fuisse vehementissimum, qualis est tempore *meridiano,* per dies *caniculares.* Meridiem ista exprimunt, *medium Sol igneus orbem,* &c. Caniculares dies efficit *Sirius,* stella in ore majoris Canis, de quâ Geor. 2. 353. *Indos.*] Pro quibuslibet calentibus plagis: de iis Geor. 1. 57.

Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni),
Considit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille suæ contrà non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram, fluviumque liquentem.
  Verùm ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. At ille:
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere cuiquam.
Sed tu desine velle: Deûm præcepta secuti
Venimus huc, lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multâ
Ardentes oculos intorsit lumine glauco;
Et graviter frendens, sic fatis ora resolvit:
  Non te nullius exercent numinis iræ;
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum, pœnas (ni fata resistant)
Suscitat, et raptâ graviter pro conjuge sævit.
Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.
At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implêrunt montes: flêrunt Rhodopeïæ arces,

*cùm Hesperus revocat vitulos è pastione ad stabulum, et cùm agni auditi à* lupis *excitant eos balatibus) sedet in rupe in medio* armentorum, *et recognoscit* eorum *numerum. Siquidem offertur Aristæo copia hujus* capiendi, *vix passus senem disponere* ad somnum *corpus fatigatum, irruit* in eum *magno clamore, et invadit vinculis dormientem. Contrà Proteus, non oblitus suæ industriæ, vertit se in omnia prodigia rerum, et* in *ignem, et* in *belluam horribilem, et* in *amnem fluentem. Sed postquàm nulla fraus invenit* modum *fugiendi, victus revertitur ad propriam* formam, *ac demum locutus est ore humano: At quis tibi, audacissime juvenum, imperavit ut venires in meam domum? aut quid à me postulas? ait. Ille autem* respondit: *Scis, ô Proteus, scis ipse; neque ullus potest te decipere. Tu verò cessa velle* fallere me; *obsecuti jussis Deorum venimus huc, ad petendum oraculum,* quod medeatur *damnis rerum* nostrarum. *Hæc solùm locutus est. Posteà vates magno denique impetu defixit oculos cæruleâ luce* coruscantes; *et minaciter collidens* dentes, *sic aperuit os ad fata* evulganda: *Alicujus Dei ultio te persequitur: solvis* pœnam *magni sceleris: Orpheus, nequaquam propter meritum miser, imprecatur tibi has pœnas (nisi fata obstent) et atrociter furit ob conjugem* sibi *ereptam. Illa quidem virgo moritura, dum te fugeret currens juxta fluvios, non animadvertit ante pedes altâ in herbâ magnum serpentem degentem in ripâ. At turba Dryadum ejusdem ætatis impleverunt clamoribus summos montes: ploraverunt rupes Rhodopeïæ,*

## NOTÆ.

434. *Vesper.*] Hesperus, stella Veneris, de quâ Ecl. 6. 86.

447. *Neque est te fallere cuiquam.*] Pro *nec licet cuiquam:* Græca locutio. Vide Ecl. 10. *Nec sit mihi credere.*

454. *Orpheus.*] Thrax: Calliope matre; patre, vel Apolline, vel Œagrio Thraciæ fluvio; Ecl. 3. 46. De *Eurydice* Nymphâ, nihil admodùm narratur præter ea, quæ habet hìc locus.

455. *Haudquaquam ob meritum pœnas, &c.*] Triplex interpretatio. I. Abrahami: *omnino præter meritum,* id est, majores quàm tu meruisti. Non placet, quia anteà Proteus *magna* vocavit ipsius *commissa.* II. Servii et aliorum: *non adhuc juxta meritum:* id est, minores quàm tu mereris. Sed sanè videntur verba aliud sonare. III. Quam suggerit Taubmannus, refert hæc verba ad Orpheum: *miserabilem nullo suo merito,* et in hâc hæreo.

458. *Hydrum.*] Serpentem in aquis, humidisque locis degentem, ab ὕδωρ, *aqua.*

460. *Dryadum.*] Nympharum sylvestrium, à δρῦς, *quercus,* Ecl. 2. 46.

461. *Flêrunt Rhodopeïæ arces, &c.*] Enumerat varia Thraciæ loca, quæ Orphei dolore commota sunt. *Rhodope,* mons est, de quo Ecl. 6. 30.

*Arces.*] Montes, rupes, ab ἄκρον, *summum:* sic Geor. 1. 240. *Ripheasque arduus arces.*

*Rhodopeïæ arces.*] Hiatus et contractio diphthongi longæ ante vocalem, Græco more.

*Pangæa.*] Neutrum plurale, singulare masculinum est *Pangæus,* Thraciæ mons, in Macedoniae confinio, Philippis: urbi imminens.

Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyia.
Ipse cavâ solans ægrum testudine amorem,
Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigrâ formidine lucum
Ingressus, Manesque adiit, regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum:
Quàm multa in sylvis avium se millia condunt,
Vesper ubi, aut hybernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimùm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quos circùm limus niger, et deformis arundo
Cocyti, tardâque palus inamabilis undâ
Alligat, et novies Styx interfusa coërcet.
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima leti
Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues

*et Pangæus altus, et Martia terra Rhesi, et Getæ, et Hebrus, et Attica Orithyia. Orpheus leniens cavâ citharâ dolorem amoris, solus canebat te, ô dulcis uxor, te desertâ in ripâ, te die oriente,* te die *occidente, solus canebat. Ingressus etiam Tænarias cavernas,* quæ sunt *portæ profundæ inferorum, et sylvam obscuram tenebroso metu, adiit Manes, et Plutonem timendum, et animos insuetos leniri precibus hominum. At umbræ tenues, cantu* Orphei *excitatæ ex intimis locis inferorum, et figuræ carentium lumine, incedebant: quàm multa millia volucrum occultant se in sylvis, quando Hesperus, aut frigida pluvia pellit* eas *è montibus: uxores, et mariti, et corpora fortium heroum spoliata vitâ, pueri, et puellæ innuptæ, et juvenes elati in busta ante oculos parentum. Quos limus niger, et fœdæ arundines Cocyti, et palus odiosa pigris aquis circumcludit, et Styx novies circumvoluta compescit. Obstupuerunt etiam ipsæ domus, et profundissima Tartara mortis, et Furiæ implicatæ cæruleis serpentibus crinium* loco,

## NOTÆ.

462. *Rhesi Mavortia tellus.*] Prolepsis est, sive anticipatio temporis: Rhesus enim Trojani excidii tempore vixit: Orpheo agitur posterior. De *Rheso*, Thraciæ rege, Martis filio, Æn. 1. 473. *Mavortia tellus.*] Thracia, quia Mars in Thraciâ natus, in Rhodope monte, ex Jove et Junone. De *Getis*, populis Scythiæ ac Thraciæ contermi-nis, Geor. 2. 115. De *Hebro*, Thraciæ fluvio, Ecl. 10. 65.

463. *Actias Orithyia.*] Erechthei Athenarum regis filia; rapta à Boreâ in Thraciam; ex eo peperit Calaïn et Zethen, quibus alæ deinde succreverunt. *Actias* dicitur, ab Atticâ regione. *Attica* enim ex Strabone l. 9. sic appellata est deformato nomine ab *Actica:* cùm à veteribus *Acte* vocata esset, quia tota litoralis; ἀκτὴ autem est *litus*. *Orithyia*, vox quatuor syllabarum, quarum mediæ duæ diphthongi sunt: ὠρείθυια, unde versus spondaicus est.

467. *Tænarias fauces.*] *Tænarus*, plur. *Tænara;* promontorium Peloponnesi, dividens sinum Messeniacum à Laconico: quod Græci fabulabantur aditum esse inferorum, Æn. 6. 237.

*Ditis.*] Plutonis, qui Jovis et Neptuni frater inferorum imperium sorte obtinuit: Proserpinam, Cereris filiam, rapuit, &c. Utrumque nomen à divitiis habet, quæ è terræ visceribus effodiuntur. *Dis* quidem Latinè dictus à *divitiis; Pluton* Græcè à πλοῦτος, quæ vox idem significat.

468. *Nigrâ formidine lucum.*] Sylvas in inferis etiam myrteas, aliasque constituit, Æn. 6. v. 444. ac deinceps. Et hìc est enallage sive immutatio; *caligantem nigrâ formidine*, pro *caligantem nigredine formidabili.*

469. *Manes.*] Sumuntur et pro mortuorum animis, et pro loco ipso inferorum, ubi animi degunt, et pro Diis ipsis inferorum. De iis ita philosophatur Apuleius lib. de Deo Socratis, omnium, opinor, optimè. Statuit, I. Animos illos generatim dici *lemures.* II. Ex his lemuribus qui posterorum curam sortitus, pacato et quieto nomine domum possidebat, *larem* dici familiarem. III. Qui propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, in terrâ quodam exilio puniebatur, inane terriculamentum bonis, noxium malis, *larvam* dici. IV. Cùm incertum erat, quæ cuique sortitio evenisset, utrùm lar esset, an larva; *Manem* Deum nuncupari, et honoris causâ vocabulum esse additum. *Manes* porrò dictos putant, vel à *manando*, quia manant et discurrunt per auras; vel ab antiquâ voce *manus*, hoc est *bonus;* unde et *mane* derivatum volunt. Reliqua vide Æn. 6. 743.

471. *Erebi.*] Juxta Hyginum, Deus est inferorum, ex Chao et Caligine progenitus, pater Noctis: juxta alios, ipsa est inferorum profundissima sedes, ab ἐρέφω, *tego.*

479. *Cocyti*——480. *Styx.*] Inferorum flumina sunt, Æn. 6. 323.

482. *Tartara.*] *Tartarus*, plur. *Tartara*, in-

Eumenides: tenuitque inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens, casus evaserat omnes;
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Ponè sequens; namque hanc dederat Proserpina legem
Cùm subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsâ,
Immemor, heu! victusque animi, respexit: ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa: Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retrò
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas.
Dixit, et ex oculis subitò, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa: neque illum
Prensantem nequicquam umbras, et multa volentem
Dicere, præterea vidit: nec portitor Orci
Ampliùs objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quò se raptâ bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, quâ numina voce moveret?
Illa quidem Stygiâ nabat jam frigida cymbâ.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëriâ, deserti ad Strymonis undam
Flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.
Qualis populeâ mœrens Philomela sub umbrâ
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes, detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et mœstis latè loca questibus implet.

*et Cerberus hians continuit tria guttura, et orbis rotæ Ixioniæ quievit,* flante vento contrario. *Jamque regrediens vitaverat omnia pericula; et Eurydice* ipsi *restituta redibat in altam lucem, propiùs sequens: nam Proserpina posuerat hanc conditionem; cùm repentina insania occupavit improvidum amantem, condonanda* illa *quidem, si* Dii *inferi scirent condonare* quicquam. *Stetit, et jam in ipso* aditu *lucis, immemor et impatiens animo, respexit Eurydicem suam: illic omnis opera perdita* est, *et pactum crudelis regis rescissum, et fragor ter auditus per stagna Averna. Illa* sic *locuta est: Quis, et me miseram et te perdidit, ô Orpheu? Quis tantus furor? Ecce rursus dura fata retrò appellant me, et somnus claudit oculos fluitantes. Jam ergo vale: trahor circumfusa magnis tenebris, et porrigens tibi manus imbecilles, heu! non* ampliùs *tua. Sic locuta est, et ex oculis statim evanuit in aliam* partem, *veluti fumus commixtus in aërem tenuem: neque posteà vidit Orpheum, frustrà captantem umbras, et conantem multa loqui: neque portitor inferorum passus est deinde* eum *trajicere fluvium interjectum. Quid faceret? quò se conferret, conjuge bis ereptâ? quibus lacrymis Manes, quibus verbis Deos flecteret? Eurydice quidem jam frigida vehebatur naviculâ Stygiâ. Aiunt illum septem integros menses continuò ploravisse, sub rupe altâ, juxta aquas deserti Strymonis, et revolvisse frigidis in cavernis* hos casus suos, *movendo tigres, et trahendo cantu quercus. Qualis luscinia tristis sub umbrâ populi lamentatur pullos amissos, quos crudelis agricola deprehendens* in *nido abstulit* adhuc *implumes; illa verò plorat* per *noctem, et stans in ramo renovat lugubrem cantum, et implet loca omnia tristibus querelis.*

## NOTÆ.

fimus inferorum locus: à *ταράττω, conturbo,* quòd illic plena sint omnia perturbationis: vel à *ταρταρίζω, tremore obrigesco.*

483. *Eumenides.*] Furiæ: Geor. 1. 278.

*Cerberus.*] Canis triceps, custos inferorum, Æn. 6. 417. *Ixion.*] Geor. 3. 38.

487. *Proserpina.*] Geor. 1. 39. 493.

*Stagnis Avernis.*] *Avernus,* lacus in Campaniâ: Latinis habitus ostium inferorum, ut *Tænarus* Græcis, Æn. 6. 337.

496. *Natantia lumina.*] *Invalida,* juxta Servium: *humida,* quod, juxta doctrinam Hippocratis, in ægrotante mortis indicium est: *fluitantia et errantia,* juxta Scaligerum; dum, modò clauduntur, modò aperiuntur; ut fit quando somnus invitis obrepit.

502. *Portitor Orci.*] *Charon,* qui animas cymbâ transportat, Æn. 6. 299. *Orcus,* inferi, Geor. 1. 277.

508. *Strymonis.*] Macedoniæ fluvii, in confinio Thraciæ.

511. *Philomela.*] Quæ in lusciniam conversa est, Ecl. 6. 78.

Nulla Venus, nullique animum flexere hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaïmque nivalem,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat; raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona quærens: spreto Ciconum quo munere matres,
Inter sacra Deûm, nocturnique orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmoreâ caput à cervice revulsum,
Gurgite cùm medio portans Œagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah! miseram Eurydicen, animâ fugiente, vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: et se jactu dedit æquor in altum;
Quáque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: namque ultrò affata timentem:
Nate, licet tristes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi causa: hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misêre apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, et faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed modus orandi qui sit, priùs ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, et intactâ totidem cervice juvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra Dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem,
Corporaque ipsa boûm frondoso desere luco.
Pòst, ubi nona suos aurora ostenderit ortus,

*Nullus amor, nulla conjugia lenierunt animum. Solus percurrebat glacies Boreales, et Tanaïm nivosum, et agros nunquam carentes Riphæo gelu, lugens Eurydicen ereptam, et vana dona Plutonis: quo* nuptiali *munere contempto mulieres Ciconum, inter ceremonias Deorum, et nocturna origa Bacchi disjecerunt per vastos campos* membra *laniati juvenis. Tunc etiam, cùm Hebrus Œagrius ferens medio in fluento volveret caput* ejus *resectum à candido collo, ipsa vox et lingua frigida Eurydicen, ah! infelicem Eurydicen, appellabat animâ erumpente; ripæ totius fluminis repetebant Eurydicen. Hæc* dixit *Proteus, et se saltu immisit in profundum mare; et quà* se *immisit, supra caput* suum *convolvit aquam spumantem: at Cyrene non* se immisit: *nam prior allocuta* est *trepidantem: Fili, potes abjicere ex animo mæstam solicitudinem. Hæc est tota origo morbi: ideò Nymphæ, cum quibus Eurydice miscebat choreas in profundis sylvis, intulerunt funestam perniciem apibus. Tu supplex offer dona, obsecrans veniam, et cole Napæas placabiles. Nam concèdent veniam precibus, et deponent furorem. Sed anteà docebo per ordinem, quæ sit ratio precandi. Elige quatuor tauros insignes robusto corpore, qui nunc tondet tibi cacumina viridis Lycæi, et totidem juvencas, collo* nondum *subacto. Erige his* victimis *quatuor altaria in altis templis Nympharum, et effunde è gutturibus sacrum sanguinem, et relinque ipsa corpora victimarum in frondente luco. Deinde, quando nona aurora patefecerit ortum suum,*

NOTÆ.

516. *Hymenæi.*] De *Hymenæo,* conjugii Deo, Geor. 3. 60. De *Hyperboreis* regionibus, Geor. 3. 196. De *Riphæis* montibus, Geor. 1. 240. De *Dite,* suprà v. 467.

517. *Tanaïm.*] *Tanaïs,* fluvius in Moscorum finibus oriens: in Mæoticam paludem influens, Europam ab Asiâ disterminans.

520. *Spreto Ciconum quo munere matres.*] Ita lege ex antiquis aliquot codic. non *spretæ:* quia sic constat sibi sententia: Thraciæ enim mulieres Orpheum de nuptiis solicitaverant: *quo nuptiali munere spreto,* ipsum laniavere. *Cicones,* gens fuit Thraciæ, circa ostia Hebri, et montem Ismarum, de quibus Geor. 2. 37.

521. *Nocturnique orgia Bacchi.*] *Orgia,* sacra Bacchi ab ὀργὴ, *furor,* quòd cum furore peragerentur. De *Bacchis,* et *Baccho,* Ecl. 5. 29. 69.

524. *Œagrius Hebrus.*] Orphei truncum caput in Hebrum cum lyrâ projectum, dicitur in insulam Lesbum appulisse, atque ibi esse sepultum; lyra relata inter sidera, et à singulis Musis, quarum cecinerat laudes, stellis novem insignita. Hebrus *Œagrius* dicitur ab *Œagro:* sive Œagrus rex fuerit Thraciæ, qui nomen suum fluvio reliquerit, ut vult Diodorus Siculus; sive fluvius fuerit, ex quo Hebrus nascitur, ut vult Servius.

535. *Napæas.*] Nymphæ lucorum sunt, à νάπη, *saltus, viretum.*

539. *Lycæi.*] Montis Arcadiæ, quâ in regione Aristæus aliquando regnavit. De *aurorâ,* Geor. 1. 249.

Inferias Orphei lethæa papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitulâ venerabere cæsâ,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.
Haud mora, continuò matris præcepta facessit:
Ad delubra venit, monstratas excitat aras,
Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, et intactâ totidem cervice juvencas.
Pòst, ubi nona suos aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hìc verò subitum, ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt; liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis,
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summâ
Confluere, et lentis uvam demittere ramis.
Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otî:
Carmina qui lusi pastorum: audaxque juventâ,

*dabis inferias Orpheo è papaveribus lethæis, et coles mitigatam Eurydicen occisâ vitulâ, et immolabis ovem nigram, et repetes lucum. Sine morâ, statim exsequitur mandata matris; venit ad templa, erigit altaria præscripta, ducit quatuor tauros insignes robusto corpore, et totidem juvencas, collo* nondum *subacto: deinde, postquam nona aurora patefecerat suum ortum, dat inferias Orpheo, et repetit lucum. Illic verò vident prodigium improvisum et mirabile dictu; apes stridere toto utero inter putrefacta viscera boum, et erumpere fractis costis, et diffundi magnas* earum *nubes; et jam* eas *congregari in cacumine arboris, et è ramis flexibilibus dependere* in modum *uvæ. Hæc cantabam de culturâ agrorum et pecorum, et de arboribus; dum magnus Cæsar tonat circa profundum Euphratem, et victor distribuit leges populis non invitis, et præparat* sibi *viam ad cælum. Illâ tempestate Neapolis amœna me Virgilium nutriebat, vacantem studiis otii privati: qui lusi versibus pastoralibus; et confidens juventuti,*

## NOTÆ.

545. *Inferias Orphei lethæa, &c.*] *Inferiæ*, sacrificia, quæ Diis manibus offerebantur. *Orphei*, dativus Græcus 'Ορφεῖ, Ecl. 4. 57. *Papavera lethæa*, id est, oblivionem et somnum inducentia: à λήθη, *oblivio*, Geor. 1. 78. Æn. 6. 323.

556. *Stridere, effervere.*] Penultimâ brevi, Geor. 1. 456.

558. *Uvam demittere.*] Certè hìc lætitiæ signum est illa apum glomeratio, de quâ vide suprà v. 257.

561. *Fulminat Euphratem bello, &c.*] Certum est ex hoc loco, ultimam huic operi manum admotam esse post bellum Alexandrinum, occisis Cleopatrâ et Antonio: cùm Octavianus per Syriam in Asiam hyematurus abiisset. Tunc enim non longè aberat ab Euphrate. Tunc Tiridatem Phraatemque, de regno Parthiæ contendentes, victoriæ suæ terrore aliquomodò composuerat; Tiridatemque victum in Syriâ permiserat versari, Phraatis filium obsidem secum abducebat Romam. Tunc divinos maximè honores affectabat; et templa sinebat sibi fieri Nicomediæ, Pergami, et alibi passim. Quæ omnia, ut constat ex Dione, l. 5. contigere per hyemem anni U. C. 724. exeuntis, cùm natus esset Octavianus, annis expletis 33. Virgilius item 40. Neque enim aliud est in historiâ tempus, cui meliùs assignari hæc possint. Tumque videtur poëta addidisse operi jam perfecto, quicquid in eo passim legimus de Octaviani victoriis, Geor. 2. 171. *Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris, &c.* Geor. 3. 28. *Atque hìc undantem bello, magnumque fluentem Nilum, &c.* Quod autem dicunt ejus vitæ scriptores, eum Octaviano, ex Actiaco bello reduci, et Attellæ commoranti, legisse Georgica, Mæcenate suscipiente legendi vices, id aut omnino falsum est, aut certè non nisi post bellum Alexandrinum contigit. Constat enim ex Dione, Plutarcho, et aliis, Octavianum, confecto bello Actiaco, non stetisse in Italiâ, nisi paucissimos dies Brundusii: indéque statim in Græciam Asiamque abiise, ibidemque hyemâsse, ad instruendos Alexandrini belli apparatus; tantum abest, ut Atellam, quæ urbs est Campaniæ, venerit.

564. *Parthenope.*] Neapolis, urbs Italicæ Campaniæ maritima, nunc regni caput; à Chalcidensibus, qui Cumas Italicas condiderunt, etiam condita. Ii primo illam *Parthenopen* vocaverunt, invento ibidem tumulo unius è Sirenibus hujus nominis, quæ dolens Ulyssem cantu suo non fuisse allectum, mortem sibi con-

Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

*te cecini, ô Tityre, sub umbraculo opacæ fagi.*

NOTÆ.

sciverat. At cùm loci hujus ubertas et frequentia Cumis noceret, hanc posteà diruerunt: deinde grassante latè pestilentiâ admoniti divinitùs, instaurârunt, vocaveruntque *Neapolim*, id est, urbem novam. De Virgilii in eâ commoratione ac morte, vitam consule.

*Studiis ignobilis otî.*] Studia intelligit privata literarum ac bonarum artium, quæ à poëtâ modestissimo dicuntur *ignobilia*, præ administratione reipublicæ et magistratuum, ad quos nunquam Virgilius accessit.

FINIS GEORGICORUM.

## P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIS.

### ARGUMENTUM.

*ÆNEIS poëma heroïcum, sive epicum; ab Æneâ Trojano, Veneris et Anchisæ filio. Priami genero, nomen habet: non quòd actiones illius omnes comprehendat; sed unam inter omnes præcipuam, scilicet regnum in Italiâ fundatum. Scripta est à Virgilio in gratiam, tum Romanæ totius gentis, tum familiæ imprimis Juliæ, quæ originem referebat suam ad Iülum sive Ascanium, Æneæ filium ex Creüsâ Priami filiâ. In hanc porrò familiam adscitus à Julio Cæsare avunculo fuerat Octavianus, tunc rerum potens, atque Egypto subactâ, M. Antonio et Cleopatrâ interfectis, unus orbis Romani dominus. Scribi cœpta est, Anno U. C.* 724. *exeunte; Virgilii* 40. *Octaviani* 33. *cùm Octavianus in Asiâ non longè ab Euphrate hyemaret: atque ita Virgilius post adhibitam Georgicis extremam manum, continuò animum Æneidi videtur applicuisse; in eâque annos, ut habet Servius, undecim collocâsse, quot ab eo tempore ad mortem Virgilii omnino numerantur. Secutus est Virgilius, ut in Bucolicis Theocritum, in Georgicis Hesiodum; ita in Æneide Homerum: cujus Odysseam sex prioribus libris, Iliadem sex posterioribus, expressit, an etiam superavit? id vero ambigitur inter doctos.*

### DE NATURA POEMATIS EPICI.

POEMA *epicum,* sive *epopœia*, sic dictum est ab *ἔπος, verbum,* quia totum poëtæ dictione seu narratione continetur. Definitur ex doctrinâ Aristotelis: *Imitatio actionis unius illustris, completæ, certæ magnitudinis, quæ narratione et versu hexametro viros principes cum admiratione et delectatione ad primarias virtutes excitat.*

Quinque complectitur, *actionem, fabulam, mores, sententiam, dictionem.* Actio, est poëmatis materia: fabula, est actionis forma et tractatio: mores, sententia, dictio, sunt necessaria fabulæ ornamenta. Poëta sumit actionem ab heroë, fabulam ab arte suâ, mores à philosophiâ, sententiam à rhetoricâ, dictionem à grammaticâ.

ACTIO debet esse *una, illustris, completa, certæ magnitudinis.*

*Una*, id est, ab uno heroë præcipuo, et uno continuo spatio temporis absque intermissione perfecta: talisque prætereà, ut alias in actiones integras item completasque dividi non possit.

*Illustris,* ergo et virorum principum, et in gravi splendidâque materiâ.

*Completa,* cui nihil desit eorum omnium, quæ adesse debent, ut absoluta et ad finem perducta dici queat.

*Certæ magnitudinis* sive *durationis,* quæ vulgò anni unius spatio, interdum etiam minore definitur: ab eâ nimirum actionis parte, unde poëta sumit poë-

matis exordium; ad usque poëmatis finem. Sic Odyssea dies quinque omnino et quinquaginta: Ilias annum integrum capit.

FABULA constat partibus, sive planè necessariis, quæ sunt *exordium, nexus,* et *solutio;* sive non planè necessariis, quæ sunt *episodia.*

*Exordium,* habet propositionem actionis, invocationem numinis, etiam aliquando dedicationem operis principi aut amico viro.

*Nexus,* est variorum casuum series, ad eam usque perducta partem operis in quâ fit actionis flexus in felicitatem aut infelicitatem.

*Solutio,* est quicquid ab eo flexu ad finem usque actionis peragitur.

*Episodia,* sunt actiones quædam adscititiæ, quæ cum actione præcipuâ veluti necessariam, certè verisimilem conjunctionem habent. Ea vulgò in nexum, rarò in solutionem, nunquam in exordium inseruntur. Ἐπεισόδια dicta ab ἐπὶ, *super, præter,* εἰς, *in,* et ὁδὸς, *via;* quasi *supervenientia in viam et seriem* actionis.

MORES denique manifestant animi affectus. SENTENTIA mentis cogitationes exprimit. DICTIO mores et sententiam repræsentat.

## DE NATURA ÆNEIDOS.

ACTIO Æneidos, ut nuda est operis materia, sic se habet. Æneas, incensâ à Græcis Trojâ, cum suorum reliquiis mari se committit, Italiam petiturus, unde majores ejus orti esse ferebantur: illuc, post casus terrâ marique varios, appellit: excipitur humaniter à Latino, tunc ibidem regnante; et Laviniæ nuptiis in generum adoptaretur, nisi obstaret Turnus, Dauni Rutulorum regis filius. Is Laviniæ nuptias jampridem ambiens, Æneam gravi bello vexat; sed ab eo victus et occisus, sponsam ei regnumque habendum denique permittit.

*Unam* esse, atque *illustrem,* eam actionem liquet.

*Completam* negavit Maphæus Vegius, ideóque sibi posse visus est decimum tertium librum Æneidi assuere, quo dolorem Rutulorum, Turni funus, Æneæ nuptias et apotheosin complexus est: temerè omnino. Nam apotheosis à Jove promissa est lib. 1. 259. *Feres ad sidera cœli Magnanimum Æneam.* Tum confirmata l. 12. 794. *Indigetem Æneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi cœlo.* Jam Lavinia regnumque Latii à Turno moriente Æneæ permittitur l. 12. 937. *Tua est Lavinia conjux.* Cætera, quæ ad pompam luctumque pertinent, frigida ac puerilia, certè minimè necessaria.

*Magnitudinem* habet *certam* ac justam: licèt enim octo circiter annis durâsse actio tota dicatur; unum tamen ex iis, eumque ultimum, poëta complectitur: superioribus reliquis in episodicam Æneæ coram Didone narrationem redactis. Mambrunus quidem sexdecim menses Æneidi attribuit, eò adductus, quòd Anchises, ut ex l. 5. liquidum est, obierit in Siciliâ verno tempore. Unde sic colligit: Æneam non multò pòst, verno item tempore, inde solvisse, cùm in Africam tempestate ejectus est; quid enim eum, mortuo patre, fatis in Italiam vocantibus, diutiùs in Siciliâ tenuisset? tum addit eundem in Africâ, totam hyemem, atque adeò annum ferè traduxisse: siquidem inde iterum in Siciliam ineunte vere trajiciens, anniversarios patri ludos celebravit: reliquis autem in Italiâ præclarè gestis menses minimùm quatuor esse tribuendos. Pugnat contrà Segresius, in egregiâ præfatione in Gallicam Æneidos interpretationem: ostenditque Æneam è Siciliâ non nisi Julio mense, quarto nempe post obitum patris, in Africam appulisse, toto illo intervallo temporis, vel reficiendæ classi vel expectandæ commodæ tempestati, curisque aliis impenso. Atque ita legitimo unius anni spatio Æneis tota continebitur; quod suis locis probabimus, præsertim l. 1. 535. et 756.

FABULA, sive actio suis episodiis ornata, repeti potest ex argumentis cuique libro præfixis; eâ tamen cautione, ut, si quæritur ordo temporis, secundus liber primùm legendus sit, tum tertius, deinde primus, quartus deinceps et cæ-

teri: artis enim, sive poëmatis, alium ordinem poëta instituit: seriemque consultò perturbavit earum rerum, quas historicus singulas, prout evenerunt, recto ac naturali ordine describeret.

*Exordium* brevissimum, versus vix quindecim capit. Unde autem sumendum sit, dubitatur: utrum ab illis versibus: *Ille ego;* an ab his, *Arma virumque cano.* Ego ab his puto sumendum, veteres secutus, Virgilii præsertim æquales. qui quoties Æneidos meminere, toties eam his ipsis vocibus designârunt. Ovid. Amor. l. 1. 15. 25. *Tityrus et segetes, Æneiaque arma legentur.* Idem Trist. l. 2. 533. *Felix Æneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros.* Propert. l. 2. 34. 63. *Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma.* Martialis l. 8. 56. 19. *Protinùs Italiam concepit et arma virumque, Qui modò vix culicem fleverat ore rudi.* Ausonius Epig. 129. *Arma virumque docens, atque arma virumque peritus, &c.* Et verò abesse prævios quatuor versus à MSS. antiquissimis testatur Pierius: adeò ut N. Heinsius nec editioni suæ dignatus sit adscribere. Vulgò tamen adscribuntur, sed seorsim ab aliis consequentibus: unde conjiciunt plerique à Tuccâ et Vario, quasi parùm aptos tanti operis exordio, fuisse sublatos; factos tamen à Virgilio: non quidem ut exordium, sed ut auctoris signaculum notamque, operis editioni præfigendam, et inter recitandum ab eo supprimi solitam: unde cùm statim ordiretur ab *Arma virumque,* &c. poëma sub his versibus, non sub aliis, innotuisse probabile est.

*Nexus* totis duodecim libris, ad usque duellum Æneæ cum Turno pertinet.

*Solutio* incipit à duello.

*Episodia* sunt, Junonis consilium de subvertendâ Trojanâ classe, Æneæ apud Didonem diversio, amores, narratio Trojani incendii, cæteraque ejusmodi, quæ partes quidem sunt fabulæ, non autem actionis: possunt enim ab actione, qualis anteà nudè descripta est, omnino separari; à fabulâ, sine gravi ejus immutatione, non possunt.

MORES ubique æquabiles, et ad imitationem ac delectationem aptissimi. SENTENTIA autem et DICTIO sic absoluta ac perfecta est, ut vel hoc utroque nomine princeps poëtarum Virgilius habendus sit.

# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIDOS
## LIBER I.

## ARGUMENTUM.

*PROPOSITIONE et invocatione præmissis, narratio incipit à septimo Æneæ expeditionis anno: quo tempore, Trojanis è Siciliâ in Italiam solventibus, Juno tempestatem excitat, conciliato sibi Æolo. Sedat tempestatem Neptunus. Naves Æneæ septem in portum Africæ se recipiunt, reliquis aliò disjectis. Venus apud Jovem de filii calamitate queritur. Solatur eam Jupiter, expositâ Æneæ ejusque posteritatis futurâ felicitate. Mittitur Mercurius, qui Carthaginiensium animos Trojanis placabiles reddat. Venus habitu venatricis occurrit Æneæ, regionem cum Achate exploranti: indicatâque Didonis ac regionis conditione, utrumque nebulâ septum Carthaginem dimittit. Illic Æneas, templum ingressus, primùm in belli Trojani picturas incidit: deinde in Didonem, et in socios, quos fluctibus oppressos putaverat, Didoni supplicantes. Dat se in conspectum Æneas: à Reginâ benignè excipitur: accersitur per Achatem Ascanius: cujus in locum dolo Veneris Cupido substituitur, ut Æneæ amorem Didoni inspiret. Abeunt omnes in aulam ad convivium.*

ILLE ego, qui quondam gracili modulatus avenâ
Carmen; et egressus sylvis, vicina coëgi
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

INTERPRETATIO.

*Ego ille* sum, *qui olim cecini cantilenas tenui calamo: et egressus è sylvis coëgi propinquos agros, ut obedirent agricolæ quantumlibet cupido:* quod *opus jucundum* fuit *rusticis. Sed jam horrida Martis*

ARMA, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora: multùm ille et terris jactatus et alto,

*Cano bella et hominem, qui pulsus fatis, primus venit è regione Trojanâ in Italiam, et* ad *litus Lavinum. Ille multùm agitatus* fuit *terrâ et mari*

NOTÆ.

1. *Trojæ.*] Troja, regio Phrygiæ minoris, in Asiâ minore; cujus urbs præcipua *Ilium*, ab Ilo rege dicta; non procul ab Idâ monte. Hæc et *Troja*, à Troë rege; et *Dardania*, à Dardano Trois avo; et *Teucria*, à Teucro Dardani socero, vocata est. Ejus arx *Pergamus*, plur. *Pergama.*

*Primus.*] Antenor tamen priùs in Italiam venit, Pataviumque condidit: sed non priùs Trojâ profectus est, neque ad Lavinum litus venit, sed in Venetiam, ut legitur infrà v. 242.

2. *Italiam.*] Regio est Europæ notissima, in formam ocreæ extensa; inter Hadriaticum sinum, à septentrione et oriente; ac mare Tyrrhenum à meridie: ad septentrionem et occidentem Alpibus separatur à Germaniâ et Galliâ.

*Lavina.*] Id est, quæ deinde *Lavina* dicta sunt, à Laviniæ nomine quæ, Latini filia, Æneæ nupsit. Unde hìc *prolepsis* agnoscitur, sive anticipatio temporis. Servius tamen affirmat eandem urbem dictam esse primò *Lavinum*, à Lavino Latini fratre; deinde *Laurentum*, ob inventam ibidem laurum à Latino, cùm regnum fratre mortuo suscepisset; et hoc utroque nomine fuisse insignitam, priusquàm Æneas in Italiam veniret; tertiò denique ab Æneâ vocatam esse *Lavinium*, à Laviniâ uxore. Sed unde Lavinum hunc Latini fratrem fuisse acceperit, non liquet. Laurentum item ac Lavinium unam urbem fuisse negat Strabo; quare primæ opinioni adhæreo. Damnant Virgilium nonnulli, quòd *Lavina* non *Lavinia* dixerit: sed præterquàm quòd sibi constant in eâ scriptione MSS. omnes, habet quoque Propertius l. 2. 34. 64. *Jactaque Lavinis mœnia litoribus.*

3. *Litora.*] Quamvis Lavinium distaret à litore, juxta Servium, octo milliaribus; juxta alios, minimùm tribus; litus tamen, quod huic urbi respondebat, eodem nomine insigniri potuit.

*Terris jactatus et alto, &c.*] Propositio est sex priorum librorum; qui continent maritima pericula.

*Multa quoque et bello, &c.*] Propositio est sex posteriorum, qui terrestria continent.

Vi Superûm, sævæ memorem Junonis ob iram.
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi causas memora: quo numine læso
Quidve dolens regina Deûm, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantæne animis cœlestibus iræ?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tyberinaque longè
Ostia: dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo. Hìc illius arma,

per *potentiam Deorum, et propter iram memorem crudelis Junonis. Multa quoque toleravit præterea* in *bello; donec fundaret urbem, et induceret Deos in Latium; ex quo* facto *populus Latinus, et cives Albani, et muri altæ Romæ* orti sunt. *O Musa, suggere mihi causas* earum rerum; *quo Deorum violato, vel quo* scelere *offensa regina Deorum coëgerit hominem pietate illustrem agitari tot calamitatibus,* et *suscipere tot labores. Tantusne furor* inest *mentibus divinis? Fuit urbs vetus,* quam *colonia Tyriorum incoluit, Carthago* nomine, *procul ex adverso Italiæ et ostiorum Tiberis; abundans opibus, et acerrima belli artibus. Juno dicitur hanc unam habitâsse præ cæteris regionibus,* etiam *Samo postpositâ. Illìc Junonis arma,*

NOTÆ.

4. *Memorem Junonis ob iram.*] Id est, iram Junonis memoris: quarum autem rerum memoris, habes infrà v. 26.

5. *Dum conderet urbem.*] *Lavinium.* In quam primùm Deos et sacra intulit: quæ Albæ parens fuit, ac deinde Romæ. Malè enim ait Servius posse explicari de *Trojâ,* quam condidit Æneas 7. 159. statim post adventum in Italiam, castrorum potiùs quàm urbis in speciem: siquidem hujus deinde mentio nulla. Malè item de *Româ:* siquidem urbs hìc significatur, unde *Albani patres atque altæ mœnia Romæ* orta sint.

6. *Deos Latio.*] Penates, de quibus Æn. 2. 717. *Latio,* pro *in Latium:* ut, *It clamor cœlo,* Æn. 5. 451. *Latium* Italiæ regio: de quâ Æn. 7. 54.

*Genus unde Latinum.*] Quomodò ex Æneâ genus Latinum? si quidem Latini ante adventum Æneæ in Italiam noti erant; quare Juno ad Jovem, Æn. 12. 820. *Pro Latio obtestor. Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troës fieri jubeas.* Facilè solvunt, qui vocem *unde* ad Latium referunt: patet enimverò, ex Latio ortos esse Latinos, Albanos item, et Romanos: cùm ii omnes populi Latium incoluerint. Quia tamen meliùs vox *unde* refertur ad factum Æneæ, idcirco quæritur quomodò genus Latinum inde ortum dicatur. Hunc autem modum suggerit Servius: quia victor Æneas, cùm Trojanum nomen Latinis imponere jure potuisset, ipse Latinum nomen Trojanis imposuit suis, et ex utroque genere unum fecit; quo ex genere mixto, *Albani* deinde *patres,* sive reges: et *mœnia Romæ* propagata sunt: uti infrà fusiùs dicetur, v. 261.

8. *Musa.*] Musam invocat nullo certo nomine: Homeri exemplo, qui in Iliade, Μῆνιν ἄειδε, Θεὰ, *Iram cane, Dea;* et in Odysseâ, Ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα, *Virum mihi dic, musa.* Alibi Calliopen, heroici carminis præsidem, distinctè invocat; hìc obscurè.

*Quo numine læso.*] Quibus læsis numinibus. Quippe præter Junonem, Deos alios Æneas infestos habuit: ut patet ex illo versu, qui huic respondet, *Vi superûm, sævæ memorem Junonis ob iram.*

9. *Tot volvere casus.*] Pro *tot volvi casibus:* quod quanquam durum est, tamen firmatur hoc Statii non absimili exemplo, ex Theb. l. 2. 402. *Ex quo frater inops ignota per oppida tristes Exul agit casus:* pro *agitur casibus.*

12. *Tyrii.*] *Tyrus,* urbs Syriæ in Phœniciâ, inter Sidonem ad septentrionem, et Ptolemaidem ad meridiem, in orâ maris Mediterranei. Nunc *Sur* dicta, olim *Sarra:* unde *Sarranum* ostrum, pro *Tyrio,* celebratum est. Tyrii, cùm in Africam venerunt, dicti sunt *Pœni,* quasi *Phœni:* quia ex *Phœniciâ* profecti.

*Coloni.*] Propriè sunt ii, qui terram colunt, agricolæ: ut suprà, v. 3. *Ut quamvis avido parerent arva colono, &c.* Aliquando sumuntur pro parte civium, qui ex consensu civitatis ad sedes alias incolendas deducuntur, diciturque *colonia:* quales sexaginta supra centum deductæ à Romanis varia in loca numerantur. Tyrii autem, Carthaginis conditores, non propriè *coloni* fuere, sed profugi; siquidem non ex consensu suæ civitatis, sed fugâ et secessione, Tyro profecti sunt.

13. *Carthago.*] Urbs, caput Africæ, Græcis Καρχηδὼν dicta. Æmula Romæ diu fuit, cum eâque gessit bella tria gravissima: à Scipione victa primùm et vectigalis facta; postmodùm à Scipione Æmiliano deleta. De illâ, deque illius initiis, dicemus in argumento libri 4.

*Tyberina Ostia.*] *Tyberis,* fluvius Italiæ, de quo Æn. 8. 330. Ostia ejus duo, quibus in mare Tyrrhenum evolvitur: ubi urbes duæ, *Ostia* ad orientem, *Portus* ad occidentem.

15. *Magis omnibus unam, &c.*] Multas habuit urbes sibi addictas Juno, Argos, Spartam, Mycenas. Imprimis Samon.

16. *Samo.*] *Samos,* sive *Samus,* insula est

Hìc currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
Si quà fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis:
Necdum etiam causæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo. Manet altâ mente repôstum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.

*illic currus fuit: jam tunc Dea contendit ut illa imperet populis; protegitque* eam in hanc spem, *si fatum* id *quo modo permittat. Enimverò audierat prolem deduci è stirpe Trojanorum, quæ aliquando dirueret mœnia Tyriorum. Inde per cladem Africæ, gentem* illam *futuram ubique dominam, et bello gloriosam: ita statuisse Parcas.* Audierat hoc *Juno, hoc* ipsum *timens, et reminiscens præteriti belli quod prima suscitaverat contra Trojanos pro Argis* sibi *dilectis. Præterea causæ iracundiæ et sæva indignatio non abierant adhuc ex animo: residet infixum profundâ in mente judicium Paridis, et contumelia contemptæ pulchritudinis* suæ, *et familia* sibi *odiosa, et munus Ganymedis* à Jove *rapti.*

NOTÆ.

Icarii maris, Ioniæ adjacens, contra Ephesum. In eâ Juno adolevit, nupsitque Jovi: ideóque templum ejus erat Sami nobilissimum, et simulacrum habitu nubentis, et sacro ritu nuptiarum.

17. *Arma, Hìc currus fuit.*] Currum Junonis describit Homerus Il. 5. 720. cujus ministra est Hebe: hunc aut similem intellige, aut potiùs *thensam*, vehiculum, quo Deorum simulacra in sacris circumferebantur.

*Illius arma.*] Vel hasta fuit: agnoscit enim Plutarchus Junonem *Curitim*, et *curis* linguâ Sabinorum hasta est. Vel sceptrum et fulmen, his enim insignibus ornatum fuit Carthagini simulacrum Junonis. Vel clypeus; refert enim Servius hanc solemnem è sacris Tiburtibus formulam: *Juno curilis, tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulas sanè.*

19. *Si quà fata sinant.*] Juno enim, et ipse Jupiter, Diique cæteri subditi erant fato, quod esse dicebatur causa rerum immutabilis et æterna.

22. *Venturum excidio, &c.*] Modicius hìc agnoscit ablativum casum: *excidio* pro *per excidium;* hoc sensu: *Hinc populum Romanum futurum latè regem per excidium Africæ.* Vulgò tamen agnoscitur dativus: *venturum excidio,* pro *ad excidium;* ut, *It clamor cœlo,* pro *ad cœlum;* hoc sensu: *Populum Romanum hinc,* id est, *post Carthaginis expugnationem, latè ac sine æmulo regnantem, venturum ac progressurum ad excidium totius Africæ.* Placet utraque interpretatio: secunda communior: prima subtilior. *Libya,* pars Africæ, pro totâ, Geor. 1. 241.

*Sic volvere Parcas.*] Parcæ tres, quæ fatorum humanorum fila volvunt: de iis, Ecl. 4. 47.

23. *Id metuens.*] Difficile est intelligere quò nominativus iste referatur. Alii referunt ad verbum superius, *audierat;* hoc sensu: *Audierat Carthaginem à Romanis delendum esse, id metuens;* id est, *cum metu audierat.* Alii ad posterius verbum, *arcebat longè Latio;* hoc sensu: *Id metuens; præterea his aliis tribus causis,* quæ per parenthesin enumerantur, *accensa, arcebat Trojanos Latio.* Sed longior sanè mihi videtur ille trajectus: potest tamen admitti, si *Necdum etiam,* cum quatuor sequentibus versibus, parenthesi includatur.

*Saturnia.*] Juno Saturni et Opis filia: atque ita Jovis soror, itemque conjux.

24. *Prima.*] Quia origo belli Trojani fuit judicium Paridis: à quo postpositæ Veneri fuerunt Juno et Pallas: Juno igitur prima et dignitate et tempore, Græcis idcirco adversùs Trojanos favit.

*Argis.*] Urbis nomen est in Peloponneso; *Argi* masculinum plurale, vel *Argos* neutrum singulare: cives hujus, et Græci deinde omnes *Argivi* communiter dicti.

26. *Repôstum.*] *Repositum;* syncope frequens apud Poëtas. Lucret. l. 1. 35. *Tereti cervice repôstâ.* Hor. Epod. 9. v. 1. *Quando repôstum Cæcubum ad festas dapes.*

27. *Judicium Paridis.*] Paris sive Alexander, Priami et Hecubæ filius: à patre primùm expositus in sylvis, quia, cùm Hecuba facem ardentem parere se somniâsset, conjectores responderant, infantem, quem in utero gestabat, Trojani excidii causam futurum: à matre tamen clam educatus in Idâ monte, propter æquitatis famam à Diis electus est judex pulchritudinis, inter Junonem, Palladem, ac Venerem: orto nempe inter eas dissidio, propter malum aureum ad Pelei nuptias à Discordiâ illatum, atque inscriptum his verbis, *Detur pulcherrimæ,* Paris Veneri malum addixit: postmodùm agnitus ab Hectore fratre et parentibus, ac deinde missus in Græciam, et Menelai Spartani regis hospitio usus, Helenam ejus uxorem Veneris favore secum abduxit: ad quam repetendam, bellum à Græcis conflatum est. Occidit deinde Achillem in templo Thymbræi Apollinis, et paulò pòst à Philoctete occisus est.

28. *Et genus invisum.*] Quia Trojanorum genus à Dardano fluxerat, Jovis filio ex Electrâ pellice, Atlantis filia. Infrà v. 235.

*Rapti Ganymedis honores.*] Munus mini-

His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, reliquias Danaûm atque immitis Achillei,
Arcebat longè Latio : multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circùm.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, et spumas salis ære ruebant ;
Cùm Juno, æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum ; Méne incepto desistere victam,
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere regem ?
Quippe vetor fatis ! Pallásne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oïlei ?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis :
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

*His insuper irritata, repellebat procul à Latio Trojanos, reliquias Græcorum et crudelis Achillis, agitatos per totum mare: et* illi *à multis annis vagabantur impulsi fatis circa maria omnia. Tanti erat momenti fundare Romanum populum. Vix vela faciebant læti è conspectu Siculæ terræ in altum mare, et* rostris *æratis secabant spumas maris, cùm Juno servans sub pectore plagam immortalem, hæc mente* volvebat: *Egóne ut victa cessem à cœpto, nec possim arcere* ab *Italiâ regem Trojanorum? scilicet impedior fatis! An Pallas potuit incendere naves Græcorum, et ipsos submergere mari, propter culpam et furorem solus Ajacis Oïlei? Ipsa vibrans è nubibus rapidum fulmen Jovis, et dissipavit naves, et turbavit mare ventis, ipsumque* Ajacem *evomentem flammas è transfosso pectore, involvit turbine, et impegit rupi acutæ.*

## NOTÆ.

strandi pocula in Deorum conviviis, translatum est ab Hebe, Deâ juventutis, ad Ganymedem, formosum puerum, Troïs filium, à Jove sub aquilæ formam latente sublatum inter sidera, cùm in Idâ monte venaretur.

*Rapti.*] Vel genitivus est casus, et refertur ad *Ganymedis;* vel nominativus pluralis, et *honores* respicit, qui rapti, seu erepti sunt Hebe, Junonis et Jovis, vel juxta alios, unius Junonis filiæ.

29. *His accensa super.*] Accensa *super his,* id est, *de eis causis tribus,* nempe judicio Paridis, Electræ amoribus, et Ganymedis honore. Donatus ac Servius meliùs *super* explicant, quasi *præterea;* nempe accensa his tribus; *super* sive *præter* metum de Carthaginis excidio conceptum: quæ quarta erat odii ejus in Æneam causa.

30. *Danaûm, &c.*] Græcorum, à *Danao* Ægypti fratre, qui in Græciam navigavit, indeque expulso rege Sthenelo, Argos tenuit, ac novæ gentis parens fuit.

*Achillei.*] Genitivus est pro *Achillis;* causam vide infrà v. 220. *Achilles* Pelei et Thetidis filius, regnavit in Australi Thessaliæ parte, quæ Phthiotis dicta est. Statim ab ortu Stygiis aquis immersus, atque inde vulnere non violabilis, præterquam eâ pedis parte, quâ, dum lavaretur, à matre comprehensus est. Occultatus à Thetide inter Lycomedis, Scyri regis filias, habitu muliebri, ne ad Trojam iret, unam earum vitiavit Deidamiam, ex eâque Pyrrhum suscepit. Agnitus tamen Ulyssis dolo, et ad illam expeditionem profectus, Hectorem occidit, et vicissim à Paride occisus est, sagittâ in talum impactâ. *Pelides* à patre Peleo dictus: *Æacides,* ab avo Æaco, Jovis filio, Æginæ insulæ rege, de quo Æn. 2. 7.

34. *Siculæ telluris.*] Sicilia, insula Mediterranei maris, de quâ fusè Æn. 3. 687. Hinc solvit Æneas mense Julio exeunte, ut diximus in argumento generali.

38. *Teucrorum.*] Trojanorum, à *Teucro* rege: de quo infrà v. 235.

39. *Quippe vetor fatis.*] Occurrit objec ioni, quæ peti posset è summâ vi fatorum in ipsos Deos; ut est indignatio cum amaro quodam joco: *Quasi verò fata debuerint ultionem injuriæ permittere Palladi, mihi negare.* De *Pallade,* Ecl. 2. 61.

40. *Argivûm.*] Non propriè Argivorum, sive Græcorum omnium: sed Locrensium: qui cum rege suo Ajace, Oïlei filio, post Trojanum excidium patriam repetentes, tempestate oppressi sunt: Ajax ipse fulmine afflictus à Pallade; eò quòd is, captâ Trojâ, Cassandram Priami filiam virginem, et vaticinandi munere insignem, in ipso Palladis templo vitiâsset. Juxta Homerum tamen submersus est à Neptuno, eò quòd invitis Diis evasurum se è fluctibus impudenter jactâsset, Odys. 4. 505.

41. *Ajacis Oïlei.*] Duo enim Ajaces fuerunt. Hìc Oïlei, Locrensium regis; alter Telamonis, Salaminis regis filius, qui propter amissa in judicio Achillis arma, in gladium incubuit.

*Oïlei.*] Substantivum est, et est *Ajax Oïlei,* nempe *filius;* ut alibi *Deïphobe Glauci,* nempe *filia.*

42. *Jovis.*] A quo fulmen mutuata fuerat, ut graviorem infligeret plagam. Juno enim, et Pallas, et Vulcanus, fulmina mittere dicebantur; sed non tam valida quàm Jupiter.

45. *Scopuloque.*] Aut Caphareo, Eubœæ monti: aut juxta Homerum Odyss. 4. 507. Gyrææ petræ, quam Didymus esse putat Gyarum, Ægæi insulam, non longè à Delo, sterilissimam et exilii loco habitam à Romanis.

Ast ego, quæ Divûm incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux, unâ cum gente tot annos
Bella gero: et quisquam numen Junonis adoret
Prætereà, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. Hìc vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circùm claustra fremunt. Celsâ sedet Æolus arce,
Sceptra tenens; mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed Pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque et montes insuper altos
Imposuit, regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole, (namque tibi Divûm pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversas, et disjice corpora ponto.

*Ego verò quæ gradior regina Deorum, Jovisque et soror et uxor, bellum facio à tot annis adversùs unicum populum; et aliquis posteà colet divinitatem Junonis, aut supplex imponet victimam altaribus? Talia volvens Dea privatim animo ardente, venit in Æoliam, regionem tempestatum, et loca plena furiosis ventis. Illic rex Æolus spatiosâ in cavernâ continet auctoritate suâ ventos pugnantes et tempestates sonantes. eosque coërcet catenis et carcere. Illi impatientes tumultuantur circa obices, magno cum fragore montis. Æolus sedet in summo monte, tenens sceptrum, et mitigat animos, et moderatur furorem. Nisi id faceret, scilicet* venti *rapidi secum raperent maria ac terras et cœlum intimum, eaque per aerem traherent. Sed Deus omnipotens id timens clausit eos in antris obscuris, et super imposuit moles altarum rupium, præfecitque regem, qui constanti lege sciret et eos coërcere, et iis permittere laxiora fræna,* quoties *juberetur. Apud quem Juno tunc supplicans usa est his verbis: Æole, (nam parens Deorum et rex mortalium tibi dedit, et mitigare, et concitare vento fluctus) natio mihi infensa currit per mare Tyrrhenum, in Italiam ferens Trojam et Penates domitos. Adde impetum ventis, et obrue naves submersas: aut impelle* in *diversas* partes, *et disperge corpora mari.*

## NOTÆ.

46. *Incedo regina, &c.*] De gravitate Junonii incessûs, Geor. 3. 532. Solemnia Deorum cum sororibus connubia sunt. Ovid. Met. 9. 498. *Dii nempe suas habuere sorores. Sic Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit, Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.* Per Jovem autem, fabulæ ætherem cœlumque igneum significârunt; per Junonem, aërem; unde Juno Jovis *soror* dicitur, quia aër ætheri subtilitate persimilis; *conjux* verò, quia aër ætheri subjectus. Ex Cicerone et Macrobio. Tamen Virgilius aërem ipsum et ætherem videtur in uno Jove adumbrâsse, eique Terram conjugem attribuisse, Geor. 2. 325.

51. *Austris.*] Propriè ventis à meridie flantibus, de quibus Æn. 2. 58. Hìc promiscuè pro omnibus.

52. *Æoliam.*] Non hìc Asiæ minoris regio significatur, inter Troadem et Ioniam sita, *Æolia,* sive *Æolis* dicta; sed *Æoliæ insulæ* inter Italiam et Siciliam sitæ, numero septem; aliter *Vulcaniæ* et *Hephæstiades* appellatæ: quarum principes sunt Lipara, Hiera, Strongyle. *Vulcaniæ* et *Hephæstiades* dictæ, quia propter frequentem ignium eruptionem Vulcanus, qui Græcis Ἥφαιστος, ibidem habere officinam existimatus est; præsertim in Hierâ, de quâ Æn. 8. 416. *Æoliæ* verò, quia Æolus, Hippotæ filius, ibidem regnavit, maximè in Strongyle: rex ventorum habitus ideò, quia juxta Plinium, Diodorum, ac Solinum, ex insularum fumo ventos in triduum prædicere nautis solitus erat: unde hæ insulæ dicuntur hìc *ventorum patria.* Nomen Æoli ab αἴολος, *varius,* ob naturam ventorum mutabilem.

56. *Arce.*] Vel propriè in arce, quæ ipsi palatii loco sit; vel in summâ montis rupe: rupes enim *arces* aliquando appellantur, Geor. 4. 461. *Flerunt Rhodopeïæ arces.*

59. *Verrantque.*] Vox Lucretiana, l. 5. 267. *Validi verrentes æquora venti.*

62. *Fœdere.*] Est enim quoddam veluti fœdus, imperium principum in subditos: quo subditi obsequium principibus, principes subditis tutelam promittunt.

67. *Tyrrhenum æquor.*] Mediterranei maris ea pars est, quæ Italiam ad meridiem alluit; unde *mare inferum* etiam vocatur, et mare *Tuscum:* à Tusciâ sive Etruriâ ad fretum Siculum extenditur: *mer de Toscane,* THE TUSCAN SEA.

68. *Ilium in Italiam, &c.*] De *Ilio,* Trojâ, suprà, v. 1. De *Italiâ,* v. 2. De *Penatibus,* Diis domesticis, Æn. 2. 717.

*Ego habeo quatuordecim Nymphas formoso corpore: è quibus Deïopeiam, quæ specie elegantissima* est, *sociabo* tibi *firmo conjugio, et propriam addicam: ut pro tali officio transigat tecum omnes annos, et efficiat te patrem formosâ sobole. Æolus hæc vicissim* respondit: *Tua cura est, ô regina, considerare quid velis; æquum est me exequi tua mandata. Tu mihi demereris Jovem, et imperium, et eam qualemcunque auctoritatem: tu facis ut occumbam mensis Deorum et reddis* me *dominum nubium ac tempestatum. Postquam hæc dicta* sunt, *concussit cavernosum montem ad latus intortâ cuspide: ac venti quasi turmatim erumpunt, quà via aperta* est, *et agitant flatu terras. Insederunt mari, ac simul Eurusque, Notusque, et frequens tempestatibus Africus, evertunt totum mare ab ipso fundo: et propellunt ad litora magnos fluctus. Sequitur et clamor hominum, et stridor funium. Statim nubes auferunt cœlum et lucem ex oculis Trojanorum: nox obscura insidet mari: poli tonuere, et aër splendet frequentibus fulguribus: et omnia ingerunt hominibus præsentem necem. Continuò membra Æneæ frigore dissolvuntur: Ingemit, et attollens ad astra ambas manus, talia ore pronunciat: O ter et quater felices,*

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deïopeiam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchrâ faciat te prole parentem.
  Æolus hæc contrà: Tuus, ô regina, quid optes
Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere Divûm,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
  Hæc ubi dicta, cavum conversâ cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum.
Eripiunt subitò nubes cœlumque, diemque,
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
  Extemplò Æneæ solvuntur frigore membra.
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,

## NOTÆ.

71. *Nymphæ.*] Propriè minora aquarum numina sunt, ut diximus, Ecl. 2. 46. Addicuntur tamen et aliis numinibus quasi famulæ.

72. *Deïopeiam.*] Nomen à δήϊος, *ardens*, et ὄψ, ὀπὸς, *vox.*

73. *Connubio.*] Vulgò secundam syllabam habet longam, quia est à *nubo*, cujus prima longa: ita Æn. 3. 319. *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas.* Æn. 4. 316. *Per connubia nostra, &c.*

75. *Pulchrâ prole.*] Innuit hìc Æolum, liberis fuisse hactenus infelicem; Sisypho nempe latrociniis infami, Macareo sororis suæ Canaces incesto amatore: hos enim duos hujus etiam Æoli ventorum regis liberos facit Ovidius Ep. Heroid. 11. 9. Et propterea Juno novam ei conjugem proponit, ex quâ digniores suscipiat liberos. Adde quòd Dea nuptiarum et partuum est: unde non indecora est hæc ejus promissio.

77. *Fas est.*] Licebit mihi facere, etiamsi illicita jusseris; tibi enim tam multa debeo, sceptra, gratiam Jovis, ut nemini reus possim videri, si jussa tua, quæcunque fuerint, impleverim. Atque id ad mentem Donati. Servius verò ait esse commutationem negativi sensûs in affirmativum; *fas est capessere*, pro *nefas est non capessere:* ut alibi affirmativus in negativum commutatur; *munera nec sperno*, pro *libenter accipio*, Æn. 7. 261.

79. *Epulis accumbere.*] Divinitatis hæc nota est: sic notat Horatius divinitatem Herculis. Od. l. 4. 8. 29. *Sic Jovis interest Optatis epulis impiger Hercules.*

80. *Tempestatum potentem.*] Dominum. Sic Hor. Od. l. 1. 3. 1. *Sic te diva potens Cypri.*

85. *Eurusque, &c.*] *Eurus* ventus ab oriente, *Notus*, à meridie, qui et *Auster* dicitur. *Africus*, ab Africâ spirans, inter occidentem ac meridiem.

87. *Stridorque rudentum.*] Nauticorum funium, qui propter gravem in motu stridorem, *rudere* quodammodò videntur.

89. *Teucrorum.*] Trojanorum, suprà, v. 38.

92. *Extemplò.*] *Continuò:* et verbum est sacrorum, ut *ilicet* judiciorum: quemadmodum enim *ilicet*, dimisso senatu, id est, *ire licet;* ita *extemplò*, sacrificio peracto, pronunciabatur à præcone quo significaretur, ut exirent *è templo.* Quod quia citò fiebat, ideò pro *citò* et *continuò* sumi utrumque cœptum est.

93. *Ingemit.*] Accusatur hìc à quibusdam Æneas pusilli animi, sed temere: non enim hìc mortem deprecatur, sed mortem ingloriam atque inutilem.

Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere! ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuâque animam hanc effundere dextrâ?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simoïs correpta sub undis
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volvit.
  Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversâ ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus Aras,

*quibus accidit mori in oculis parentum, ad muros excelsos Trojæ: ô generosissime nationis Danaorum, fili Tydei, egóne non potui mori in campis Trojanis, et amittere hanc vitam tuâ manu? Ubi durus Hector periit armis Achillis, et magnus Sarpedon: ubi Simoïs volvit inter aquas tot correptos clypeos hominum, et galeas, et generosa corpora. Talia dicenti, tempestas stridens* ab *Aquilone percutit* ex *oppositâ* parte *velum, et propellit fluctus ad astra. Rumpuntur remi, deinde prora detorquetur, et objicit latus undis: succedit mons aquæ altitudine præruptus. Alii pendent è summo fluctu: mare hians pandit aliis terram inter fluctus: mare ebulliens turbatur arenis. Notus affligit tres* naves *abreptas ad scopulos occultos; scopulos* inquam illos, *quos Itali in medio mari appellant Aras,*

## NOTÆ.

96. *Danaûm, &c. Tydide, &c.*] *Danaûm*, Græcorum, à Danao, suprà, v. 30. *Tydide.*] Vocativus Græcus. Diomedem intelligit, Tydei filium, Argivorum ducem Trojano bello: de quo Æn. 11. 243. Ab eo vulneratus Æneas in coxâ, et tantùm non occisus est, Iliad. 5.

99. *Sævus.*] Hìc pro *forti*, bonam in partem sumitur.

*Æacidæ.*] Achillis, qui nepos fuit Æaci, suprà v. 34.

*Hector.*] Priami et Hecubæ filius, Trojæ propugnator, qui decimo obsidionis anno ab Achille occisus est, et bigis alligatus, ac circa Patrocli sepulchrum et Trojæ muros tractus: cadaver à Priamo redemptum auro, postquam dies duodecim insepultum fuisset.

100. *Sarpedon.*] Jovis ex Laodamiâ filius, Lyciæ rex, Priamo contra Græcos in auxilium venit et à Patroclo occisus est.

*Simoïs.*] Fluvius Troadis, ex Idâ monte, per agrum Trojanum in Scamandrum profluens, et cum eo in Hellespontum, non longè à Sigeo promontorio: nunc dicitur *Simoers.*

102. *Aquilone.*] Qui et *Boreas* appellatur, ventus septentrionalis. Ecl. 7. 51.

103. *Adversà.*] Quia Aquilo, flans à septentrione, adversùs est illàc navigantibus è Siciliâ in Italiam. Atque hujus quidem venti flatu Æneas, qui solverat è Drepani portu, et Siciliæ parte maximè occidentali; jamque aliquantùm in mare Tyrrhenum ad septentrionem processerat; retrò ad meridiem actus est, Africam versùs. Ubi cùm inter Siciliam atque Africam, quasi medium teneret; tum Notus à meridie, tres naves ad septentrionem et *aras* repulit, v. 108. Eurus ab oriente, tres alias in occidentem impegit, ad latera Africæ, et Syrtim minorem, v. 110.

104. *Prora avertit.*] In quibusdam codd. *proram avertit*, et refertur ad *procella*; in cæteris meliùs *prora avertit*, id est, *avertit se. Prora.*] Pars navis anterior.

105. *Insequitur cumulo, &c.*] Dabit lucem hæc imitatio Ovidiana Met. 15. 508. *Cùm mare surrexit, cumulusque immanis aquarum, In montis speciem curvari et crescere visus.*

108. *In saxa latentia.*] Non in quælibet saxa latentia: sed in ea, quæ ab Italis *aræ* vocantur: quænam autem illa sint, mox inquiremus.

109. *Aras.*] 1. Explicant aliqui apud Pomponium Sabinum, de Aris Philænorum, loco in Africâ celebri, propter mortem duorum ejus nominis fratrum, qui, pro disterminandis Carthaginensium suorum à Cyrenaicâ ditione limitibus, ibi se vivos defodi passi sunt: ut est apud Sallust. in Jugurthâ. At locus ille circa Syrtim majorem, in continenti Africæ fuit: igitur Notus, meridionalis ventus, non potuit illuc naves pellere; adde quòd sunt aræ istæ *mediis in fluctibus.* 2. Scaliger in Comment. ad Epistolam 9. Ausonii, *aras* ait esse moles et crepidines, quibus flumina aut maria coërcentur, Gallicè, *quays*, KEYS: citatque hos Virgilii versus, sed malè; nam crepidines illæ litora muniunt, *aræ* istæ sunt *mediis in fluctibus.* Firmat sententiam hoc ejusdem epistolæ versu: *Desertus vacuis solisque exerceor aris:* sed libenter, nec temerè rescriberem, vel *agris*, vel *oris;* cui lectioni favet impensè subsequentium versuum sententia. Addit locum è Tertulliani Pallio, cap. 5. *Soleo de quâlibet margine, vel arâ, medicinam moribus dicere;* putatque *margine* et *arâ* hìc esse synonyma: sed præterquam quòd in quibusdam codd. legitur *area*, non *ara;* manifestum est nihil hìc esse quod ad mare fluviosque pertineat: et hæc esse Cynici cujusdam philosophi verba, qui profitetur se ad dicendum, non suggestu, non pulpito indigere, sed et quolibet loco paulò editiore, quales sunt in viis margines, qualis in aris gradus,

quæ sunt quasi *gra e dorsum in superficie maris. Eurus tres naves impellit à pleno* mari *in brevia et syrtes, res visu miserabilis: easque impingit in vada et circumdat vallo arenæ. Ingens fluctus ante oculos ipsius* Æneæ *vercutit à prorâ in puppim, unam* navim, *quæ ferebat Lycios et fidelem Orontem: concidit gubernator, et pronus subvertitur in caput: navem verò fluctus ter eodem in loco circùm involvens torquet et præceps vortex absorbet mari.*

Dorsum immane mari summo. Tres Eurus ab alto
In brevia et syrtes urget, miserabile visu;
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circùm, et rapidus vorat æquore vortex.

## NOTÆ.

concionem habere. 3. Ex Servio et Pomponio Sabino colligitur *aras* insulas esse, Africam inter et Siciliam positas non longè à Lilybæo Siciliæ promontorio, communi nomine *Ægates* appellatas; tres numero Phorbantiam, nunc *Lavenzo;* Ægusam, nunc *Favignana;* Hieram, nunc *Maretamo;* easque admodùm scopulosas, et saxis *latentibus* vallatas. Ad has constat victos esse navali prælio Pœnos à Q. Lutatio Catulo, consule, anno U. C. 512. et pace ibidem constitutâ terminatum ab eo feliciter fuisse bellum Punicum primum; iis conditionibus, ut quicquid insularum est Africam inter et Italiam, Romani juris deinceps foret. Id habetur ex Floro, Cornelio Nepote, Polybio. Testatur Servius ex illo fœdere saxa illa dicta Italis fuisse *aras propitias*, et eo nomine appellari apud Sisennam historicum veterem, cujus opera perierunt. Atque ille insularum situs planè cum Virgilianâ tempestatis descriptione convenit, qualem explicuimus ad v. 107. Non possum tamen, quin hìc Turnebum, et Pomponium Melam, obiter perstringam. Turnebus quidem l. 26. c. 23. saxa illa magno in honore apud Romanos habita confirmat ex hoc Lucani l. 8. 892. *Augustius aris Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum Tarpeiis.* Ubi sanè dormitavit vir sagax: patet enimverò legentibus, saxum hoc Lucani, tumulum illum esse subitarium, quo Pompeii cadaver in Ægyptio litore conditum est; et hanc esse versuum sententiam: *saxeum Pompeii tumulum, quem fluctus alluit in litore, augustiorem esse aris illis, quas adulatrix Roma victori Cæsari deinde erexit:* vox autem *Tarpeiis* planè sequenti versui adjungenda est. Pomponius Mela, cùm l. 2. c. 7. vocavit *Ægates Romanâ clade memorabiles*, aut erravit, aut cladem intellexit, non quam Romani passi sint, sed quam Pœnis intulerint.

110. *Dorsum immane, &c.*] Quomodò igitur *latentia:* siquidem dorsum in mari faciebant? scilicet *dorsum* faciebant insulæ: circumjecta insulis saxa *latebant.* Polybius l. 4. de Istri ostiis loquens, ait, in iis aggestiones quoque arenarum esse, quas nautæ vocant *pectora; καλοῦσι δ' αὐτοὺς οἱ ναυτίκοι στήθη.*

111. *In brevia et syrtes.*] Non in omnia *brevia*, sed in ea quæ peculiariter vocantur *syrtes.* Et *brevia, vada, syrtes,* communiter significant partes illas maris, ubi frequentes et vento mutabiles fiunt arenarum aggestiones: *brevia* quidem dicta *βραχέα*, quia *brevis* et parùm alta ibidem aqua est: *vada*, quia pedibus illàc facile est *vadere*, difficile navibus: *syrtes*, à *tractu*, inquit Sallustius, id est, quasi *σύρτεις*, à *σύρω*, *traho*, quia eò *limum arenamque, et saxa ingentia fluctus trahunt*, ait idem. Syrtes ejusmodi duæ sunt in Africano litore, vastos in sinus porrectæ, Tripolitanam regionem utrimque vallant: major ad orientem est, *les sèches de Barbarie*, THE QUICK-SANDS OF BARBARY: minor ad occidentem, *le golfe des Caps;* THE GULF OF THE CAPS: major à minore disjungitur ducentis et quinquaginta passuum millibus. Itaque de minore solâ hìc est sermo: pluralem tamen numerum poëta ad rem augendam adhibuit. Et *Eurus* facilè potuit ad Syrtis illius occidentale latus, Carthagini vicinius, Æneæ naves impellere, cùm ab oriente spiret.

113. *Lycios.*] Asiæ minoris populos, inter Pamphyliam et Cariam, qui Trojanis in auxilium venerant: et mortuo rege suo Sarpedone, Æneæ adhæserant. *Orontes*, eorum dux, magister navis, *Leucaspis* videtur fuisse, de quo Æn. 6. 334.

114. *A vertice, &c.*] Explicat Servius, *à puppi*, quam ait esse verticem navis: malè, non enim, *à puppi in puppim* pontus ferire potest. Idem Servius, ab *Aquilone*, seu *Boreali polo;* qui *vertex* appellatur: duriùs Modicius, *à puncto verticali*, quod Arabes *Zenith* vocant; curiosiùs Taubmannus, *à vertice*, sive, quod idem est, *vortice aquarum aut ventorum;* Lucretius enim l. 1. 293. de ventis, *Interdum vertice torto corripiunt:* sed ab eo sensu videtur abhorrere præpositio *à*. Ego interpretor *à prorâ;* quæ pars est navis, si non mole altior, saltem acutior et in rostrum desinens: unde *vertex* dici potest. Adde quòd levior cùm sit, faciliùs potuit fluctuum impetu attolli, et in puppim subverti: unde *pronus magister in caput* revolutus fuerit.

117. *Vortex.*] Charisius distinguit *verticem*, à *vortice;* et hunc derivat à *vorando*, illum à *vertendo.* Alii tamen meliùs utrumque à *vertendo* deducunt, et utriusque vim confundunt; ut significent quicquid *vertitur* ac torquetur, ut in

Apparent rari nantes in gurgite vasto:
Arma virûm, tabulæque et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ;
Et quâ vectus Abas, et quâ grandævus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
 Intereà magno misceri murmure pontum,
Emissamque hyemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis: graviter commotus, et alto
Prospiciens, summâ placidum caput extulit undâ.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cœlique ruinâ.
Nec latuere doli fratrem Junonis, et iræ:
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri?

*Videntur pauci enatantes in immenso mari:* et *arma hominum, et tabulæ, et Trojanæ opes per aquas. Jam tempestas superavit firmam navem Ilionei, jam* navem *generosi Achatæ, et* eam *quâ portabatur Abas, et quâ senior Alethes: et omnes solutis juncturis laterum admittunt perniciosam aquam, et rimis dehiscunt. Intereà Neptunus animadvertit mare magno tumultu agitari et immissam tempestatem, et profunda* maris *ab imis vadis revoluta; graviter iratus, et mari providens, sustulit caput tranquillum è superficie aquæ. Cernit naves Æneæ dispersas toto mari, Trojanos obrutos fluctibus et aëris fulminibus. Nec fraudes et iræ Junonis ignotæ fuerunt fratri* Junonis: *appellat ad se Eurum ac Zephyrum, deinde hæc ait: Tantáne vos cepit confidentia ex vestrâ origine?*

## NOTÆ.

aquis, ventis, extremâ parte axis, capillis: à capillis autem, ad summam capitis partem exprimendam transfertur *vertex;* à capite, ad cacumina montium atque arborum. Patet utriusque vocis affinitas ex Quinctiliano, qui ait Scipionem Africanum primùm in *vortices* et *vorsus* literam *o* mutâsse in *e*.

118. *Apparent rari, &c.*] Hoc de navi Orontis intelligendum: ex quâ pauci enatare conabantur, cæteris mari demersis.

*Gurgite vasto.*] *Gurges* est pars maris aut fluvii profundi, aquas ingenti sono quasi sorbens; unde à soni similitudine nomen habet: sumitur hìc, ut vulgò apud cæteros poëtas, pro toto mari: et est tapinosis, sive rei magnæ expositio humilior; unde additur, *vasto.* Sic Æn. 3. 197. *Dispersi jactamur gurgite vasto.*

119. *Troïa gaza.*] Persica vox, ærarium significat, ex Pomp. Mela, l. 1. 11. Neque tantùm pro auro sumitur quod natare non potuisset; sed pro quâlibet pretiosâ suppellectile. Addit Mela, *Gazam,* Palæstinæ urbem inde nomen accepisse; quòd Cambyses Persarum rex, cùm Ægyptum armis peteret, *huc belli opes et pecuniam intulisset.* *Troïa* adjectivè, *Troïus, Troïa,* trium syllabarum.

120. *Ilionei—Achatæ.*] *Ilionei* vult esse dativum Servius, et casum pro casu positum: at dativus quidem est Græcus, sed genitivus Latinus, *Ilioneus, Ilionei.* *Achatæ* quoque genitivus est Latinus primæ declinationis, ut Æn. 4. 351. *Me patris Anchisæ.* Et *Achates* quidem fidus erat Æneæ amicus, de quo passim ubique sermo est. *Ilioneus* mox apud Didonem naufragorum orator erit, v. 521.

121. *Abas——Alethes.*] *Abas,* is fortè, qui à Lauso Mezentii filio occiditur, Æn. 10. 427. *Alethes,* ut præcipui vir consilii atque auctoritatis inducitur, Æn. 9. 246. *Hìc annis gravis atque animi maturus Alethes.*

122. *Hyems*] Vis tempestatis: æstas enim tunc erat: ut videbimus v. 535. Sic de æstivâ tempestate, Geor. 1. 321. *Ita turbine nigro Ferret hyems culmumque levem stipulasque volantes.*

123. *Imbrem.*] Vel propriè pluviam, vel ipsam maris aquam: aqua enim generatim imber à Lucretio dicitur, l. 1. 715. *Ex igni, terrâ, atque animâ procrescere, et imbri.*

125. *Neptunus.*] Jovis et Plutonis frater; maris præses. Uxorem habuit Amphitriten; ex quâ Nymphas complures suscepit. Muros Trojanos condidit cum Apolline: equum è terrâ suscitavit, cum Pallade contendens de nomine Athenis imponendo, ut habetur, Geor. 1. 14. Nomen ejus, juxta Ciceronem, à *nundo;* juxta Varronem, à *nubendo,* quia terras aquis obnubit et cooperit.

126. *Stagna vadis.*] Tapinosis, humilis expressio majoris rei; *stagnum* enim est *aqua stans: vadum,* locus in mari aut fluvio, ubi parùm aquæ, multùm arenæ est; hìc utrumque pro *mari.*

129. *Cœlique ruinâ.*] Imbre, fulguribus, fulminibus, quæ è cœlo *ruunt.*

130. *Fratrem Junonis.*] Neptunum: ambo enim Saturnum patrem, Opem matrem habuerunt, Neptunus autem dicitur Junonis frater: quia aër, qui Juno est, confinis est aquæ, quæ Neptunus

131. *Eurum——Zephyrumque.*] Ventos oppositos; hunc ab occidente, illum ab oriente.

132. *Generis fiducia.*] Venti enim principes feruntur Auroræ et Astræi Titanis filii esse. Admonet ergo Neptunus objurgando, ut, si Gigantum majorum suorum imitari pervicaciam velint, pœnas eorundem timeant.

Jam cœlum terramque, meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego—Sed motos præstat componere fluctus.
Pòst mihi non simili pœnâ commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem;
Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illâ se jactet in aulâ
Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citiùs tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, Solemque reducit.
Cymothoë simul, et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti;
Et vastas aperit syrtes; et temperat æquor,
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat;
Tum, pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor: æquora postquàm
Prospiciens genitor, cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

*Jam audetis, ô venti, absque meâ auctoritate, confundere cœlum et terram, et attollere tantos cumulos* fluctuum? *Vos ego* puniam. *Sed melius est sedare turbatas aquas. Deinceps non luetis crimina tali pœnâ. Celerate fugam, et dicite ista vestro regi: Non illi concessam* esse *dominationem maris, et potentem tridentem: sed mihi per sortem. Habet ille rupes ingentes,* quæ sunt *vestræ domus, ô Eure: Æolus glorietur in illâ aulâ, et clauso carcere ventorum exerceat imperium. Sic dixit, et celeriùs* quàm *dixerat sedat inflatum mare, et pellit nimbos congregatos, et* rursus *inducit Solem. Simul* cum eo *Cymothoë, et Triton connitens, depellunt naves* ab *acuto scopulo: ipse* Neptunus *sublevat* eas *tridente, et recludit immensas syrtes, et sedat mare, et perstringit superficiem aquarum levibus rotis. Et quemadmodum sæpe, cùm in populo numeroso commota est seditio, et plebs vilis furit animis: et jam tædæ ac lapides volant, ira suppeditat tela: tunc si fortuitò viderint virum aliquem insignem virtute ac meritis, tacent, et stant attentis auribus: ille temperat animos et placat corda sermone. Ita omnis tumultus maris cessavit, statim atque pater videns mare, et vectus per aërem serenum, impulit equos, et currens immisit habenas currui facili.*

## NOTÆ.

133. *Cœlum terramque.*] Puto hìc à Neptuno communem elementorum omnium perturbationem ventis exprobrari: et per *cœlum* quidem, aërem et ætherem: per *terram,* aquam etiam significari, quæ cum terrâ conglobata est.

*Numine.*] *Numen* propriè *nutus* est; sive motus quidam oculorum et capitis, quo petenti significamus nos postulata concedere. Hinc ad significandam voluntatem Deorum traducitur, ut hìc, et Æn. 2. 777. *Non hæc sine numine Divûm eveniunt.* Tum ad potentiam eorundem et auctoritatem, ut suprà, v. 48. *Et quisquam numen Junonis adoret?* Et infrà v. 666. *Et supplex tua numina posco.* Denique ad ipsum Deum, ut Geor. 4 453. *Non te nullius exercent numinis iræ.* Et Æn. 4. 382. *Si quid pia numina possunt.*

135. *Quos ego.*] Reticentia, ad terrorem incutiendum. Supple: *Quos ego si corripuero, probè ulciscar.* De hâc figurâ, Ecl. 3. 25.

137. *Maturate fugam.*] Celerate. De hâc voce, Geor. 1. 261.

138. *Tridentem.*] Sceptrum Neptuni, quod ipsi tribuitur: vel quia tria sunt aquarum genera, maria, flumina, paludes: vel potiùs, ut innuit Cornutus, quia piscatores telo ejusmodi ad venationem piscium utebantur, vocabantque *fuscinam.*

139. *Saxa.*] Æoliarum insularum, de quibus v. 52.

144. *Cymothoë—Triton.*] Dii marini. *Cymothoë* Nympha, Nerei et Doridis filia: à *κῦμα,* *unda,* et *θέω, curro.* *Triton,* Neptuni et Amphitrites, aut Salaciæ Nymphæ filius: superiore parte hominem, inferiore piscem referens, Neptuni buccinator, conchâ utens pro tubâ.

146. *Syrtes.*] De *syrtibus,* suprà v. 111.

155. *Cœloque aperto.*] Non per cœlum vectus, inquit Servius; sed vectus per maria, cœlo jam sereno. Tamen sic aër mari jungitur, inquit Corradus, ut vectus per mare Neptunus, moveri tamen in aëre dici possit.

156. *Flectit equos.*] Geminos, marinos, qui ipsius currui à poëtis alligantur: pedibus anterioribus instructos, posterioribus carentes. Unde sic à Statio describuntur, Achil. l. 1. 390. *Illi spumiferos glomerant à pectore fluctus, Ponè natant, delentque pedum vestigia caudâ.* Et à Virgilio Geor. 4. 389. *Proteus magnum qui piscibus æquor, Et juncto bipedum curru metitur equorum.* Equos hujusmodi bipedes, quos à caudæ flexu *hippocampos* appellant, inter poëtarum figmenta refert Aldrovandus: nullosque agnoscit nisi quadrupedes, quorum effigiem refert, magis bubulæ aut suillæ, quàm equinæ, affinem: vocatque *hippopotamos,* à fluviis,

Defessi Æneadæ, quæ proxima litora cursu
Contendunt petere, et Libyæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent: tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbrâ.
Fronte sub adversâ scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. hìc fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi, optatâ potiuntur Troës arenâ,

*Trojani fatigati conantur assequi cursu litora quæ vicina* sunt *et deflectunt ad plagas Africæ. Est locus in longo recessu,* ubi *insula format portum oppositu laterum, quibus omnis è mari* veniens *fluctus frangitur, et finditur in sinus replicatos. Hinc et inde rupes immanes et duo scopuli eminent ad cœlum: quorum sub cacumine undique mare placidum quiescit: præthereà umbraculum arborum micantium, et nemus obscurum horrentibus tenebris desuper impendet. Ex oppositâ parte, caverna* est *in scopulis suspensis: in* cavernâ *sunt aquæ dulces, et sedilia è vivo lapide; domus* videtur *Nympharum. Illìc nulla retinacula continent naves lassatas, anchora non affigit* eas *unco dente. Illuc intrat Æneas congregatis navibus septem ex totâ multitudine; et Trojani* ex iis *egressi* cum *magno terræ desiderio, obtinent arenam desideratam,*

## NOTÆ.

præcipuè Ægypti, ubi frequentes dicuntur inveniri, maximè in Nigro et Nilo.

156. *Curru.*] Dativus antiquus, pro *currui:* de quo Ecl. 5. 29.

158. *Libyæ.*] Pars est Africæ ad oram Mediterranei maris, ad occidentem Ægypti: variè à variis scriptoribus definita: vulgò pro totâ Africâ sumitur.

159. *Est in secessu, &c.*] Portum, à naturâ, non ab arte factum describit. Et nunc aliqui volunt esse portum Africanæ Carthaginis, sed falsò; statim enim vidisset Æneas fundamenta urbis, quæ non vidit nisi posterâ die. Alii dicunt eam descriptionem planè convenire portui Carthaginis Hispanicæ, sive novæ; at ea similitudo casu occurrit; neque enim ad Hispanicas, sed ad *Lybicas oras* Æneas vertitur. Turnebus meliùs putat portum illum fictum à poëtâ, circa litus Carthaginense, et omnino expressum ad formam Ithacensis portûs, apud Homer. Odyss. 13. 95.

159. *Insula portum, &c.*] Suppressa est vox relativa *quem,* aut adverbium *ubi:* sic supra: *Urbs antiqua fuit: Tyrii, &c.* pro *quam Tyrii, &c.* Hæc autem est loci descriptio. 1. Sinus est longus ac profundus, non latus in orâ Libyæ. 2. Sinûs illius fauces, ne laxiores sint, clauduntur objectu insulæ: quæ in longum porrecta, latus unum opponit sinui, alterum pleno mari. 3. Insula sinum ita claudit, ut aditum tamen in sinum utrimque liberum relinquat. 4. Sic insula mari latus opponit, ut fluctus eò allapsi frangantur, et in se sinuatim revoluti, non recto impetu, sed magno flexu, per extrema insulæ aditum utrimque in portum quærant. 5. Sinus ipse, non insula, scopulis ferè circumcingitur; quorum altissimi duo procurrunt ad extrema terræ continentis cornua, et utrumque aditum defendunt, sylvis in vertice inumbrati. 6. In intimo sinûs recessu, quæ frons est adversa portum subeuntibus, scopuli antrum exhibent vivis aquis irriguum, &c.

161. *Sinus reductos.*] Vel sinus in se revolutos ac replicatos, quos unda cum impetu sic allisa semper facit; ut explicamus Geor. 4. 420. Vel sinus à se invicem recedentes, ut explicat Turnebus; qui sic exponit quoque illud Horatii, Epod. 2. 13. *Aut in reductâ valle,* id est, *recedente ac remotâ.*

163. *Sub vertice tuta.*] Quia scopuli imminent mari, atque insulæ: ideòque locum à ventis ac tempestate tutum præstant.

164. *Scena.*] *Scena, σκηνὴ,* est *umbraculum,* à *σκιὰ, umbra:* unde hìc propriè dicitur: transfertur ad theatrum, Geor. 2. 481. et 3. 24.

*Coruscis Desuper, horrentique, &c.*] Vel sylvis *desuper* Sole illustratis; *subter,* ramorum opacitate horrentibus. Vel sylvis crispantibus et ventorum impulsu agitatis, et ingenti umbrâ nigrantibus; scena et nemus *desuper* imminent. Nam *desuper,* et ad *coruscis,* et ad *imminent* referri potest.

*Coruscis.*] Notat interdum *splendorem,* ut Geor. 1. 233. *Corusco semper sole rubens.* Interdum *motum,* ut Æn. 12. 919. *Telum Æneas fatale coruscat;* id est, *movet, vibrat.* Sic *micare* ambiguum est, Æn. 10. 396. *Semianimesque micant digiti,* id est, *moventur.*

168. *Hìc fessas non, &c.*] Vel significat adeò tutum à procellis portum esse, ut naves vinculis et anchoris in eo non egeant. Vel dicit, Nymphis unis familiarem esse locum, ignotum adhuc mortalibus; necdum ullas eò naves appulisse.

170. *Septem.*] Nempe viginti navibus Trojâ solverat, infrà v. 385. Una Lyciorum mox naufragio periit, v. 117. Duodecim mari dissipatæ, deinde incolumes redibunt, v. 397.

Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primùm silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circùm
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum: frugesque receptas
Et torrere parant flammis, et frangere saxo.
Æneas scopulum intereà conscendit, et omnem
Prospectum latè pelago petit, Anthea si quà
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caïci.
Navem in conspectu nullam, tres litore cervos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hìc, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresque ipsos primùm, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, sternit: tum vulgus, et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec priùs absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina bonus quæ deinde cadis onerârat Acestes

*et sternunt in litore corpora salsis* undis *fluentia. Et primò Achates excussit scintillam è lapide, et recepit ignem in frondibus, et circumjecit sicca alimenta, et suscitavit flammam in foco. Tum fatigati casibus educunt frumenta infecta undis, et instrumenta pistoria: incipiuntque et coquere igne, et comminuere lapide, frumenta erepta* è naufragio. *Interim Æneas conscendit rupem, et petit omnem undique prospectum* in *mare,* si *alicubi Antheum cernat agitatum vento, et Phrygias naves, vel Capyn, vel arma Caïci in altis puppibus. Nullam videt navem ante oculos,* sed *tres cervos vagantes in litore: hos toti greges sequuntur à tergo, et turba pascitur per valles. Illìc stetit et cepit manu arcum et sagittas veloces, quæ arma fidelis Achates ferebat. Ac primò interficit ipsos duces, tollentes capita sublimia cornibus ramosis: deinde persequens telis per frondosam sylvam turbat vulgus et reliquam multitudinem. Nec cessat antequàm victor affligat ad terram septem magna corpora, et* eorum *numerum æqualem faciat numero navium. Posteà redit in portum, et distribuit inter omnes socios. Deinde dividit vina, quæ largus Acestes imposuerat cadis*

## NOTÆ.

176. *Rapuitque in fomite flammam.*] Servius et Diomedes hìc agnoscunt speciem solœcismi: *in fomite,* pro *in fomitem;* idque factum à poëtâ ex veteri licentiâ circa communes præpositiones, *in, sub, super, &c. Fomes,* inquit Servius, sunt assulæ, quæ ab arboribus cadunt, cùm inciduntur, et igni concipiendo commodæ sunt. Mihi tamen hìc videtur aliquid prætereà significari; et *fomitem* sumi pro *foco,* ubi sit congeries grandiorum lignorum: *focus* enim et *fomes* sunt pariter à *foveo.* Sensus igitur erit: 1. Excudit scintillam. 2. Suscepit eam in foliis. 3. Foliis arida alia nutrimenta adjecit, putà assulas. 4. Ex iis foliis, ac nutrimentis jam flagrantibus rapuit in fomite flammas: id est, celeriter et raptim excitavit flammam in foco et strue lignorum.

177. *Cererem.*] *Ceres,* Saturni et Opis filia fuit; frugum repertrix, ideóque hìc pro *pane* sumitur; ut *Bacchus,* pro *vino.*

*Cerealiaque arma.*] Arma, sunt cujusque artis instrumenta. Sic Geor. 1. 160. *Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma.* Hìc igitur artis pistoriæ significantur instrumenta.

178. *Fessi rerum.*] Earum nempe quæ ipsis acciderant, ut Æn. 12. 589. *Trepidæ rerum,* vel fessi miseriarum, ut infrà v. 466. *Sunt lacrymæ rerum.*

179. *Et torrere, &c.*] Transpositio; prius enim fuit tundere saxo fruges, quàm *panem* coquere.

181. *Anthea, &c.*] *Antheus,* accusat. Græco *Anthea;* de quo mentio est Æn. 12. 443. *Capys* qui Capuæ deinde conditor fuit: de quo Æn. 10. 145. *Caïcus,* de quo Æn. 9. 35.

182. *Phrygiasque biremes.*] Naves, quæ duplici remorum ordine instructæ erant, Æn. 5. 119.

183. *Arma Caïci.*] Explicant multi de insignibus figuris belluarum, avium, monstrorum, quæ in puppi exsculptæ navi nomen dabant: unde altera *Centaurus,* Æn. 5. 121. altera *Chimæra,* ibid. 118. &c. Ego cum Corrado existimo, *arma* esse ipsa, quæ à navigantibus in puppi ordine disponebantur, præsertim clypeos, ut in veteribus nummis et monumentis videre est: sic Æn. 10. 80. *Præfigere puppibus arma,* pro *armare naves.* Et fortassè navis Caïci clypeos atque arma certæ cujusdam habebat formæ, quâ facilè dignosci posset.

184. *Cervos.*] Aristoteles et Plinius negant in Africâ cervos esse. Affirmat tamen Dalecampius in Plin. l. 8. 33. additque id jam omnibus notum esse.

195. *Vina bonus, &c.*] Parùm commoda vocum perturbatio, quæ vocis unius immutatione facilè tolli potuisset: *Deinde bonus quæ vina*

Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mœrentia pectora mulcet:
  O socii (neque enim ignari sumus antè malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem, penitusque sonantes
Accêstis scopulos: vos et Cyclopea saxa
Experti: revocate animos, mœstumque timorem
Mittite: forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illìc fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
  Talia voce refert: curisque ingentibus æger,
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris:
Tergora diripiunt costis, et viscera nudant:
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.
Litore ahena locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires: fusique per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.
  Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ:
Amissos longo socios sermone requirunt,
Spemque metumque inter dubii: seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.

in *litore Siculo, dederatque heros discedentibus: et solatur verbis mœsta corda. O socii (nam non obliti sumus malorum præteritorum) ô qui tolerâstis acerbiora! Deus ponet his quoque terminum. Vos accessistis ad rabiem Scyllæ, et ad rupes intus latrantes: vos experti estis quoque rupes Cyclopum: resumite animos, et pellite tristem metum: fortassè gratum erit aliquando recordari harum etiam* rerum. *Per casus diversos, per tàm multa pericula rerum, tendimus in Latium; ubi fata monstrant sedes tranquillas: in illo* loco *licebit regnum Trojanum excitari. Perseverate, et reservate vos ipsos ad res prosperas. Hæc dicit ore* quidem tenus, *et anxius gravi solicitudine spem fronte fingit;* sed *comprimit corde profundum dolorem. Trojani parant se ad prædam et ad futuras epulas, detrahunt pelles è costis, et detegunt carnes: alii scindunt in partes et trajiciunt verubus* eas adhuc *palpitantes: alii disponunt ærea* vasa in *litore, et subjiciunt ignem. Tum reficiunt vires cibo, et discumbentes in gramine satiantur vino veteri et pingui* carne *ferarum. Postquàm fames pulsa est cibo, et mensæ sublatæ* fuerunt, *inquirunt longo colloquio de sociis amissis, inter spem ac timorem incerti, utrùm putare* debeant eos *vivere, an in extremis versari, nec jam audire* quamvis *inclamentur.*

## NOTÆ.

*cadis onerârat Acestes, dividit.* De *Aceste*, Siciliæ rege, Æn. 5. 36.

*Cadis onerârat.*] *Cadus*, vas vinarium, aliter *amphora Attica*, capiens *urnas* duas. *Onerârat cadis vina*, pro *onerârat cados vino.*

196. *Trinacrio.*] Siculo. *Sicilia* dicta est *Trinacria* à tribus promontoriis, de quibus Æn. 3. 687.

198. *Antè malorum.*] Agnoscit hìc J. C. Scaliger *synthesin*, sive *conjunctionem:* ita ut *antemalorum* sit una vox è duabus composita; opponitque hanc figuram *sejunctioni*, quâ vox una in duas dissolvitur, ut infrà v. 614. *Quæ me cunque vocant terræ.* Turnebus mavult suppressum esse articulum et verbum, ferè Græco more; et sensum esse: *malorum quæ fuerunt antè:* quemadmodum apud Ovid. Met. 1. 20. *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus;* id est, *quæ sunt sine pondere.*

201. *Accêstis scopulos.*] Pro *accessistis ad scopulos.* Sic *extinxem*, pro *extinxissem*, Æn. 4. 606. Et *direxti* pro *direxisti*, Æn. 6. 57. De *Scyllâ* olim virgine, nunc scopulo ad fretum Siculum, Æn. 3. 420. De *Cyclopibus* ejusdem Siciliæ ad montem Ætnam incolis, Æn. 3. 569.

205. *Latium.*] De eâ Italiæ regione, Æn. 7. 54.

207. *Durate.*] Perseverate, sustinete: quo sensu activè etiam dicitur, Æn. 8. 577. *Quemvis durare laborem.* Et apud Horat. Od. l. 1. 14. 7. *Vix durare carinæ possint imperiosius æquor.*

210. *Prædæ accingunt.*] Cervis, quæ venatorum *præda* erat, ad cibum curandum *accingunt* se, id est, parant: solent enim ministri ad præstandam commodiùs operam, defluentem vestem altiùs *cingere.*

211. *Tergora, &c.*] Per *tergora*, pelles intellige, per *viscera*, vel interiora quæ educuntur; vel juxta alios, carnes ipsas quæ pelli proximè subjectæ sunt. Per *ahena*, vasa ærea; vel ad elixandas carnes; vel, ut mavult Servius, ad lavanda ante epulas hominum corpora. Errat tamen Servius, cùm ait heroicis temporibus elixæ carnis usum non fuisse. Nam Ovid. Met. 1. 228. de Lycaone loquitur, qui, ante ipsa diluvii tempora, hospitum suorum *semineces partim ferventibus artus mollit aquis, partim subjecto torruit igni.*

215. *Implentur veteris Bacchi, &c.*] Græcorum more, apud quos verba implendi regunt genitivum. Sic Plaut. in Amphit. A. 1. S. 2. v. 8. *Erroris ambo ego illos et dementiæ complebo. Bacchi*, id est, vini, cujus inventor fuisse dicitur à poëtis: Jovis et Semeles filius fuit, Ecl. 5. 69.

219. *Vocatos.*] Significat eos esse mortuos;

Præcipuè pius Æneas, nunc acris Orontei,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum
Et jam finis erat: cùm Jupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes,
Litoraque, et latos populos; sic vertice cœli
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas,
Tristior, et lacrymis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus: O, qui res hominumque Deûmque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres:
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certè hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato à sanguine Teucri,

*Imprimis pius Æneas, nunc dolet privatim* fortunam *generosi Orontis, nunc fortunam Amyci, nunc duram sortem Lyci, et fortem Gyan, et fortem Cloanthum. Et jam erat finis, cùm Jupiter ex alto cœlo despectans mare navigabile, et terras humiles, et litora, et diffusas gentes, tali* situ *stetit in supremâ* parte *cœli, et fixit oculos in regnis Africæ. Venus autem tristior, et* habens *pulchros oculos lachrymis perfusos, illum alloquitur volventem animo tales curas: O* tu, *qui sempiternâ potentiâ moderaris res hominum ac Deorum, et fulmine terribilis es: Quid meus Æneas tam grave peccare contra te* potuit, *quid Trojani potuere? Quibus, jam oppressis tam multiplici clade, totus orbis terrarum clauditur propter Italiam? Sanè promiseras hinc aliquando, annis labentibus, Romanos, hinc duces orituros esse è stirpe Teucri instauratâ,*

NOTÆ.

et alludit ad morem veterum, qui et morientium manes, et eos, quos per errorem amiserant, ter vocabant. Sic Æn. 6. 505. *Tunc egomet tumulum Rhæteo in litore inanem Constitui, et magnâ manes ter voce vocavi.* Et Æn. 2. 769. *Mœstusque Creüsam Nequicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.* Huc etiam valet *Hylæ inclamatio*, Ecl. 6. 43.

220. *Orontei.*] In genitivo casu pro *Orontis.* Sic apud Ciceronem *Ariobarzani, Verri*, &c. pariter in genitivo. Ratio è Græcis repetenda est, apud quos frequens erat declinationum commutatio. Sic nomina in ευς ut Ἀχιλλεύς, efferebant Dores, per ης, Ἀχίλλης: poëtæ vicissim nomina in ης, ut Ἀντιφάτης, efferebant, per ευς, Ἀντιφατεύς Hinc nomina Latina ex iis deducta ad duplicem quoque declinationem pertinent: et dictum est *Achillei*, suprà, v. 34. *Ulyssei*, Ecl. 8. 70. hìc *Orontei:* ab *Achilleus, Ulysseus, Oronteus*, Ἀχιλλεύς, &c. Vicissimque *Orphei*, dativo casu, Ecl. 4. 57. *Orphen*, accusativo, *Oronten, Achillen, Ulyssen:* ab *Orphes, Orontes, Achilles, Ulysses:* Ὀρφης, &c. An vero *Orontei* an *Oronti; Achillei* an *Achilli* scribendum sit, inanis est controversia.

221. *Amyci, &c.*] Duo hujus nominis à Turno deinceps occidentur: alter Æn. 9. 771. alter Æn. 12. 509. Uter hic fuerit, non liquet, qui naufragio periisse nunc putatur, unde tamen emersit cum aliis compluribus, de quibus v. 513. *Lyci* pugna cum Turno describitur, Æn. 9. 545. De *Gyâ* et *Cloantho*, frequens sermo est nauticis in ludis, Æn. 5.

223. *Finis erat.*] Cœnæ, colloquii, diei.

224. *Velivolum.*] Ubi naves velis, quasi alis, volant: Æn. 3. 520. *Velorum pandimus alas.* Et contrà, volucres nare per aërem dicuntur; de Dædalo, Æn. 6. 16. *Gelidas enavit ad Arctos;* ibidemque, v. 19. *Remigium alarum.* De *Libyâ*, pro *Africâ*, v. 162.

233. *Cunctus ob Italiam.*] *Ob* non est hoc loco *circa*, ut somniat Servius; sed *propter:* quod enim Italiam petunt, ideò tantus in eos exarsit Deorum ut hominum furor, et toto orbe arceantur.

234. *Volventibus annis.*] Usu venit in illâ voce, quod vix usquam in aliâ. Nempe ut activa vox passivam habeat vim et hìc, et Geor. 1. 163. *Volventia plaustra*, id est, *volubilia, quæ volvuntur.* Tum ut vox futuri temporis, præteritum significet, ut Æn. 9. 7. *Volvenda dies en attulit ultrò;* et apud Lucret. l. 6. *Glans etiam longo cursu volvenda liquescit;* id est, *voluta.*

235. *Revocato à sanguine Teucri.*] *Dardanus* Jovis dicitur filius, ex Electrâ Atlantide, Coriti Tusciæ regis uxore. Hic cùm venisset in Phrygiam, Teucri regis, in Phrygiæ parte, gener factus, ei successit in regnum, et urbem *Dardaniam* condidit, quæ deinde dicta est *Troja.* Itaque Trojani modo *è sanguine Teucri*, modò *Dardanidæ* appellantur. Hinc statuit Servius, hoc loco *Teucri* nomen à poëtâ substitutum esse pro nomine *Dardani:* siquidem Dardanus ex Italiâ, non Teucer, ortus erat: at hoc durum videtur. Corradus *sanguinem Teucri*, Trojanos explicat; sed negat Dardanum Italum fuisse: atque adeò *revocata* interpretatur, non ut cæteri *revocata in Italiam;* sed *restituto et revocata in pristinum splendorem unde per incendium urbis exciderat.* Tamen quia Virgilius affirmat Dardanum ex Italiâ oriundum esse, Æn. 3. 167. ideò è Servio et Corrado tertiam explicandi rationem compono: et per *sanguinem Teucri*, Trojanos: per *revocationem*, reditum in Italiam intelligo; hoc sensu: Sanguis Teucri et sanguis Dardani, jam unus

Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur; quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hìc tamen ille urbem Patavî sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa: nunc placidâ compôstus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram

*qui mare et terras regerent omni auctoritate: quodnam consilium mutavit te, ô pater? Hâc spe lenibam* dolorem *de interitu Trojæ et tristi occidio, compensans* his *fatis fata adversa. Nunc* tamen *idem infortunium persequitur homines agitatos tot casibus: quem ponis terminum laborum, ô magne rex? Antenor, cùm effugisset è medio Græcorum, potuit securus intrare in sinum Illyricum et intima regna Liburniæ, et transgredi fontem Timavi: unde per novem scaturigines, magno cum sonitu montis exit* quasi *profusum mare, et aquis strepentibus operit agros. Nihilominùs ille fundavit illic urbem Patavium, et sedes Trojanorum, et imposuit populo nomen, et suspendit arma Trojana, jamque quiescit fruens dulci pace. Nos,* qui sumus *tua soboles, quibus promittis regiam cœli, amissis navibus, (horrenda* res) *prodimur propter furorem solius* Junonis,

## NOTÆ.

idemque est; is revocabitur in Italiam: unde profluxit, non per Teucrum quidem, sed per Dardanum.

239. *Fatis contraria fata rependens.*] Compensans Trojani fati acerbitatem, jucundâ spe Romani fati. Sed cur Venus timeat mobilem erga Trojanos Jovis animum, cùm immobilem esse fati vim sciat? Puto ego *Fatum*, nihil aliud fuisse, quàm immutabilem rerum et eventuum seriem, in Jovis mente, sive decretis existentem; quam proinde solus ipse cognosceret: solus Diis per se, hominibus per oracula declararet; unde ait Harpyia fatidica, Æn. 3. 251. *Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit.* Addo, fatum veteres immobile quidem credidisse: sic tamen, ut crederent: 1. Ejus eventum, etsi omninò impediri non posset, posse tamen aliquantùm retardari. Ita Juno, Æn. 7. 313. *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.* 2. Eventum pendere sæpe à certis conditionibus, quibus elusis, fatum élusum esset. 3. Fati cujuslibet declarationem, sive per Jovem, sive per oracula, posse esse ambiguam. Unde sæpe tam Dii, quàm homines, contra fata sibi adversa nitebantur. Hìc igitur Venus timet, ne Jupiter parùm sincerè de futurâ Æneæ felicitate sit locutus.

242. *Antenor.*] Hunc aliqui testantur ex sorore Priami natum esse, de quo sic Livius initio historiæ: *Constat Trojâ captâ, in cæteros sævitum esse Trojanos, duobus, Æneâ Antenoreque, et vetusti jure hospitii,* (quia Ulyssem sub habitu mendici latentem et à se agnitum, Priamo non prodiderant) *et quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem, cum multitudine Henetûm, qui seditione ex Paphlagoniâ pulsi, et sedes et ducem, rege Pylemene ad Trojam amisso, quærebant, venisse in intimum maris Hadriatici sinum: Euganeisque, qui inter mare et Alpes incolebant, pulsis; Henetos Trojanosque eas tenuisse terras. Et in quem primum ingressi sunt locum, Troja vocatur, pagoque inde Troja nomen est: gens universa, Veneti appellati.* Addunt, *Patavium* urbem ab ipso conditum in illo tractu, nunc *Padoüe, Padua.* De *Achivis*, Græcis, v. 488.

243. *Illyricos penetrare sinus, &c.*] Iter Antenoris describit per mare Hadriaticum, qui sinus est ingens, cui ad meridiem adjacet Italia; ad septentrionem *Illyricum, l'Esclavonie, Sclavonia;* cujus Illyrici pars orientalis est *Dalmatia;* occidentalis *Liburnia*, nunc maritima pars Croatiæ. Ulteriùs in intimo sinu sunt *Carni*, nunc pars fori Julii, *Frioul:* ubi fluvius est *Timavus.* In meridiem deinde, Italiam versùs, reflexo cursu occurrit Veneta regio, ubi *Patavium* et *Venetiæ*, urbes celeberrimæ.

245. *Per ora novem, &c.*] De *ostiis Timavi* explicantur: quæ varias inter insulas divisa, septem ab aliis, ab aliis octo, novemque numerantur. Quidni ad *fontem Timavi* referam? qui dicitur è monte erumpere per novem scaturigines, quæ deinde in unum confluunt fluvium brevissimum quidem, sed latissimum: unde *maris* nomen ipsi attributum ab incolis, testatur Servius ex Varrone. Hunc tamen fluvium hodie obscurum esse rivulum perhibent. De illo jam diximus, Ecl. 8. 6.

248. *Teucrorum, et genti, &c.*] Trojanorum, à Teucro, suprà, v. 235. *Genti nomen dedit*, cùm Venetos appellavit ab Henetis sociis. *Arma fixit Troïa*, dum pagum Trojam ibi condidit, suprà, v. 242.

250. *Cœli quibus annuis arcem.*] Quia inter indigetes Æneam aliquando vocandum esse, fatum ferebat, Æn. 12. 94. De *Indigetibus*, G. 1. 498.

Prodimur, atque Italis longè disjungimur oris.
Hic pietatis honos? Sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque Deorum,
Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ: dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes urbem et promissa Lavinî
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli
Magnanimum Æneam, neque me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet;
Longiùs et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italiâ, populosque feroces
Contundet, moresque viris et mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iülo
Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes

*et procul ejicimur ab Italis litoribus. Hoc præmium est virtutis? Sic restituis nos in regna? Pater hominum ac Deorum illi subridens* eâ *facie quâ serenat aërem et tempestates, tetigit labra filiæ: deinde hæc dicit: Abstine metu, Cytherea: fata tuorum stant tibi immota: videbis urbem et muros promissos Lavinii, et sublimem extolles ad astra cœli generosum Æneam, neque* aliud *consilium mutavit me. Ille (dicam enim tibi, siquidem ea cura te solicitat: et explicabo secreta fatorum,* ea *longè revolvens) faciet grave bellum* in *Italiâ, et domabit gentes asperas, et dabit viris leges et urbes: donec tertia æstas eum viderit dominantem, et tres hyemes fluxerint post Rutulos domitos. At puer Ascanius, cui modò adjicitur agnomen Iüli,* qui *dicebatur Ilus, dum res Iliacæ vigebant regno; traducet imperando triginta magnos annos, mensibus labentibus;*

## NOTÆ.

252. *Prodimur.*] Tradimur à te in potestatem hostium.

256. *Oscula libavit natæ.*] *Natæ,* non dativo casu, sed genitivo. *Libavit,* non *dedit;* sed *leviter tetigit. Oscula,* non *basia:* sed *summum os, parvum os.* Id est, *os suum summo natæ ori leviter admovit.* Sic Ovidius *oscula* dixit diminutivè, pro *parva ora,* Met. 1. 499. *Videt igne micantes sideribus similes oculos, videt oscula.* Et Martialis, Ep. lib. 11. 92. 4. *Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi.* Et Horat. Od. 1. 13. *Dulcia barbarè lædentem oscula.*

*Natæ.*] Quadruplex fuit Venus, ex Cic. 1. 3. de Nat. Deorum. Præcipuæ sunt; ea quæ nata est è spumâ maris: et eâ quæ Jovis et Diones filia fuit, de quâ hìc sermo est. Utraque vulgò confunditur, et re, et nomine: utraque enim Græcis dicitur Aphrodite, ab ἀφϱὸς, *spuma.* Latinis autem *Venus;* quòd inquit Cicero, ad omnes *veniat,* est enim voluptatis Dea; at *trahit sua quemque voluptas.*

257. *Parce metu, Cytherea.*] *Metu,* pro *metui,* dativus antiquus, de quo Ecl. 5. 29. *Cythera, orum,* insula Mediterranei maris, contra Cretam, non longè à Maleâ Peloponnesi promontorio, dicata Veneri; τὰ κύθηϱα, secundâ syllabâ longâ, quamquam in *Cytherea* brevis est.

258. *Lavinî.*] Pro *Lavinii.* Et prima in hoc nomine communis est; hìc brevis, ut et versu 270. alibi longa, ut v. 2. *Italiam fato profugus Lavinaque venit litora.* Sic quoque prima in *Italia, Italiam fato, &c.* et v. 252. *Prodimur, atque Italis, &c.*

266. *Ternaque transierint, &c.*] Per tres æstates tresque hyemes, tres annos describit, quibus Æneas regnavit Lavinii, post Turnum, Rutulorum regem, à se devictum. Tacet autem de Æneæ morte quæ variè à variis describitur. Aliqui occisum volunt in prælio adversùs Mezentium: aut certè post victoriam nusquam comparuisse; inde habitum inter Deos. De *Latio,* Æn. 7. 54. De *Italiâ* et *Lavinio,* suprà, v. 2. De *Rutilis* Latii populis, Turno subditis, Æn. 7. 794.

267. *At puer Ascanius.*] *Ascanius,* sic dictus est, ab Ascanio Phrygiæ fluvio, ut putat Servius; *Ilus* ab ipso Ilio, sive Trojâ, ut innuit hìc Virgilius. Hoc porrò nomen deformatum deinde est in *Iülus,* ab ἴουλος inquiunt, quæ est *prima lanugo;* quia videlicet Mezentium singulari certamine occiderat, cùm primâ lanugine vestiretur, ut refert ex Catone Servius. At hæc minimè cum Virgilio conveniunt, qui cædem Mezentii tribuit Æneæ, Æn. 10. 874. Neque cum iis, quæ de morte Æneæ retulimus. Et certè sic obscura sunt heroica illa, aut potiùs fabulosa tempora, ut dubitet Livius utrùm Creüsæ, an Laviniæ filius sit, is, qui Albam condidit, Ascanius.

269. *Triginta, &c.*] Regnasse ait Ascanium annos triginta; alii dicunt octo et triginta: fortè triginta Lavinii, octo Albæ.

*Volvendis.*] Revolutis, suprà, v. 234.

*Orbes.*] Annos, quia *in se sua per vestigia volvitur annus,* Geor. 2. 402.

*Magnos orbes.*] Si comparentur cum lunaribus, qui breviores ac menstrui sunt.

Imperio explebit, regnumque ab sede Lavinî
Transferet, et longam multâ vi muniet Albam.
Hìc jam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectoreâ: donec regina sacerdos
Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus ætas,
Cùm domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchrâ Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Julius, à magno dimissum nomen Iülo.
Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,

*et transportabit regnum ab urbe Lavinio, et multo labore ædificabit Albam longam. Illic deinde regnum erit* per *annos trecentos integros sub stirpe Trojanâ; donec Ilia, regii* sanguinis *sacerdos, Marte gravida, edet partu binam sobolem. Posteà Romulus, gaudens rufo tegmine lupæ altricis* suæ, *succedet* in curam *gentis, statuet urbem Martiam, et appellabit Romanos de suo nomine. Ego illis nec definio limites ditionis, nec durationem: concessi imperium absque termino. Immò acerba Juno, quæ nunc timore commovet mare et terras et cœlum, mutabit sententiam in melius, et mecum promovebit Romanos dominos rerum, et populum togatum. Ita placuit. Veniet fluentibus temporibus ætas, quando familia Assaraci subjiciet servituti Phthiam, nobilesque Mycenas, et imperabit Argis superatis. Orietur Cæsar, Trojanus illustri origine, qui definiet ditionem* suam *Oceano, famam sideribus,* isque erit *Julius,* quod *nomen deductum* est *à magno Iülo. Tu olim secura illum excipies* in *cœlo, oneratum spoliis Orientis:*

## NOTÆ.

273. *Hectoreâ.*] Trojanâ, ab Hectore Priami filio, suprà, v. 199.

274. *Regina Sacerdos Marte gravis, &c.*] Ilia, sive Rhea Sylvia, Numitoris, Albani regis filia, atque hinc dicta *regina;* ab Amulio, patris fratre et expulsore, sacerdotio Vestæ addicta, ut virgo permaneret; à Marte compressa, Remum ac Romulum peperit. Hi, jubente Amulio, per Faustulum pastorem feris expositi, à *lupâ* nutriti dicuntur: juxta alios ab Accâ Laurentiâ Faustuli uxore, quæ meretricio cognomine *lupa* appellabatur. Hi ulti avum suum, et occiso Amulio, Romam condidere. Romulus urbi nomen dedit; fratrem, saltu parvitati mœnium illudentem, interfecit: post bella deinde plurima fulmine ictus, in cœlum raptus esse creditus est.

276. *Mavortia.*] Marti dicata, quia Mars Remi et Romuli pater.

277. *Suo de nomine.*] *Romulus* diminutivum est nominis ad blanditias; nomen ipsum *Romus,* unde *Roma:* citatque Servius in eam rem hæc Sibyllæ verba, 'Ρωμαῖοι 'Ρώμου παῖδες.

282. *Togatam.*] Per *togam,* exteriorem vestem, vulgò albam, distinguit Romanam gentem à cæteris: Romanorum enim tam erat propria *toga,* quam *pallium* Græcorum, *braccæ* Gallorum.

283. *Lustris.*] Varro l. 5. de L. L. *Lustrum nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est, solvendo: quod quinto quoque anno vectigalia et tributa per censores persolvebantur.* Complectitur autem perfectum quinquennium: unde differt ab *Olympiade,* quæ quadriennium duntaxat capit.

284. *Domus Assaraci.*] Benè Romanos vocat domum Assaraci. Nam in duobus Trois filiis, Ilo et Assaraco, familia regia divisa est; et ex *Ilo* reges Trojani, propagati sunt; ex *Assaraco* Capys, è Capy Anchises, ex Anchisâ Æneas ortus est, ex quo Romani.

*Phthiam, &c.*] Urbs est et regio Thessaliæ, Achillis patria et ditio. *Mycenæ,* urbs Peloponnesi, in quâ regnavit Agamemnon. *Argi,* urbs item Peloponnesi, in quâ idem regnâsse quoque dicitur ab Euripide passim in Oreste: patetque ex ejus tragœdiâ v. 98. et 101. duarum illarum urbium populos, quòd inter se vicini essent, eidemque regi parerent, ideò communia habuisse nomina; et promiscuè utrosque modò Argivos, modò Mycenæos esse appellatos: id quod Strabo ipse annotavit l. 8. Argivos tamen illos ad bellum Trojanum duxisse dicitur Diomedes ab Homero Iliad. 2. 563. Quod autem hìc disputant interpretes, à quo Romanorum ducum urbes illæ captæ sint, discutiemus Æn. 6. 838.

288. *Julius.*] De hoc Julio Cæsare diximus totâ passim Ecl. 5.

289. *Orientis.*] Ex quatuor enim triumphis, quibus victor Cæsar per urbem invectus est, diebus quatuor continuis; secundus de Ægypto fuit,

*ille etiam invocabitur per vota. Tunc dura tempora mansuescent compositis bellis. Cana fides, et Vesta, Romulus cum fratre Remo jus distribuent: odiosæ portæ belli claudentur ferro et strictis compagibus: intus sceleratus furor sedens super arma crudelia, et ligatus post terga centum æreis catenis, frendebit horrens ore sanguinolento. Hæc dicit, et mittit è cælo filium Maiæ: ut regio, et ut mœnia novæ Carthaginis aperiantur*

Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt: diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portæ: Furor impius intus
Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
 Hæc ait, et Majâ genitum demittit ab alto:
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces

## NOTÆ.

Ægyptique rege, Ptolemæo; tertius de Pharnace Ponti rege; de Galliâ primus; de Africâ et Hispaniâ ultimus.

291. *Aspera tum positis, &c.*] Ex his et sequentibus confirmatur id quod in argumento diximus de tempore inchoatæ Æneidos. Incepta enim est, exeunte anno U. C. 724. Deducta ad hunc, quem explicavimus, locum, ineunte anno sequenti 725. Quo anno, Kal. Januariis, renunciatus est Octavianus quintùm consul; et portæ Jani, pacato jam orbe bellisque civilibus extinctis, clausæ. Tum eodem anno triplicem triumphum celebravit, Sextili mense, (qui post annos duos Augustus appellatus est:) nempe unum de Pannoniis et Dalmatis, alterum, de Actio et Macedoniâ, tertium de Ægypto et Cleopatrâ. Quòd autem hujus libri scriptio ad sequentes annos non pertineat, patet ex eo, quòd vaticinium Jovis desinit in clausis Jani portis, quæ anno proximè sequente rursus apertæ sunt, ob bellum Cantabricum.

292. *Cana Fides, et Vesta, Remo, &c.*] Perfectam reipublicæ felicitatem describit; quæ his quatuor continetur, *religione, fide, legitimâ auctoritate, pace. Religio* conjungit principem et populos cum Deo: *fides* populos, et inter se, et cum principe sociat; *auctoritas* principem populo commendat; *pax* rempublicam cum reliquis terrarum populis conciliat. *Religio* per *Vestam* adumbratur, quæ ignem significat, inquit Servius: et proinde sacrificia, quæ sine igne esse non possunt: de hâc Geor. 1. 498. *Fides*, eaque antiqua, per *canitiem* insignitur. *Auctoritas* principum per Remum ac Romulum, primarum legum auctores. *Pax* per clausas belli portas.

*Remo cum fratre Quirinus.*] Vel alludit ad discordiam utriusque fratris, quam comparat cum bellis civilibus, hoc sensu: frater à fratre non dissidebit ampliùs, non insidiabitur fratri, non occidet fratrem; ut in civilibus bellis usu venit: sed res, mores, auctoritas communis inter eos; idem sensus futurus est: Romulus ipse cum Remo, si nunc vivat, de imponendo urbi nomine, legibusque conveniret. Vel Octavianum et Agrippam intelligit: nam Octavianus eodem anno censor factus, collegam assumpsit sibi Agrippam, victoriarum omnium suarum administrum, etiam deinde generum: quo in munere senatum expurgâsse, patriciorum familias supplevisse ambo dicuntur. Et verò jam Octavianum *Quirini* nomine insigniverat Virgilius, Geor. 3. 27. ubi de *Quirino*, Romuli nomine, diximus.

294. *Claudentur belli portæ.*] Templum Jani à Romulo conditum quidam volunt, post initum fœdus Romanos inter et Sabinos, ideóque pingi Janum fronte geminâ, ad significandum coitionem geminæ gentis. Macrobius tamen ante bellum Sabinum innuit conditum fuisse, siquidem ait in ipsâ pugnâ, templo statim patente, calidæ aquæ torrentes erupisse, qui Sabinorum exercitum jam victorem fugârint. Unde ortus mos ejus aperiendi, cùm ingruerit bellum, ad memoriam et spem auxilii. Quicquid sit de fundatore, Numa certè instituit, ut aperiretur bello, pace clauderetur. Rarò autem contigit claudi: primò sub Numâ: secundò post primum bellum Punicum, T. Manlio consule: deinde ter sub Octaviano, ut evincit Lipsius Elect. l. 1. c. 20. nempè, primò post Alexandrinam victoriam, ejusdem consulatu quinto; iterum post bellum Cantabricum, consulatu decimo; denique orbe terrarum terrâ marique pacato, consulatu undecimo. Deinceps à Nerone per ludum; denique à Domitiano.

295. *Ahenis post tergum nodis.*] Nodis vinculorum æreorum. Alludit, juxta Turnebum, ad imaginem belli, hoc habitu pictam ab Apelle, et ab Augusto dedicatam in foro suo; ut est apud Plin. l. 35. 10. Sed nondum hoc tempore forum dedicatum erat. Juxta Germanum, ad simulacrum Martis à Spartanis in urbe suâ sic constricti.

297. *Majâ genitum.*] Mercurium, Jove genitum, et Maiâ Atlantis filiâ, quæ inter Pleiades stellas numeratur: editum in *Cyllene*, Arcadiæ monte, unde dicitur *Cyllenius*: nuncium Deorum, unde habet *gemini commercia mundi*, superi scilicet atque inferi, et capite ac pedibus alatus pingitur: Deum eloquentiæ, palæstræ, mercatorum, ac furum: inventorem lyræ, quam Apollini dono dedit.

298. *Carthaginis—Teucris.*] De illâ, suprà v. 13. De his, v. 38.

Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris:
Et jam jussa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo: imprimis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Æneas per noctem plurima volvens,
Ut primùm lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos; quas vento accesserit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominesne, feræne,
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavatâ,
Arboribus clausam circùm atque horrentibus umbris,
Occulit: ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater mediâ sese tulit obvia sylvâ,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalyce, volucremque fugâ prævertitur Eurum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior: Heus, inquit, juvenes! monstrate mearum
Vidistis si quam hìc errantem fortè sororum,
Succinctam pharetrâ et maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus. At Veneris contrà sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum,
O, quam te memorem? virgo! namque haud tibi vultus

*ad hospitium Trojanorum: ne Dido, ignara voluntatis* divinæ, *prohiberet eos à suâ regione. Ille volat per latum aërem,* utens *alis* quasi *remis, et statim constitit in litore Africæ: et jam exsequitur mandata; et Carthaginienses deponunt asperum animum, Deo jubente: præcipuè regina sumit animum lenem et mentem placidam erga Trojanos. Sed pius Æneas multa cogitans per noctem, statim atque lux alma orta est, statuit egredi, et considerare nova loca, et inquirere quasnam in regiones* vi *ventorum venerit, quinam* eas *habitent, an homines, an feræ (nam cernit* loca *inculta) et* statuit *renarrare* ista *sociis,* postquam *inquisiverit. Abscondit in curvo sylvarum, sub speluncâ cavâ, naves undique cinctas arboribus et umbrâ nigrante: ipse incedit comitatus solo Achate, quassans manu duo jacula latis cuspidibus* armata. *Huic* Venus *genitrix occurrit obviam in medio sylvæ,* præ se *ferens vultum et amictum virginis, et arma virginis Lacænæ: aut* talis, *qualis Harpalyce Thracia impellit equos, et præcurrit cursu celerem Eurum. Quippe, juxta consuetudinem* venatorum, *suspenderat humeris commodum arcum,* quasi *venatrix, et permiserat ventis difflare capillos:* habens *nuda genua, et vagos plexus* vestium *diffluentes, coërcitos nodo. Et prior ait: Heus juvenes! docete num fortasse videritis hìc vagantem aliquam mearum sororum, instructam pharetrâ et pelle versicoloris lyncis, aut urgentem clamore cursum spumantis apri. Sic* locuta est *Venus. At natus Veneris ita cœpit loqui vicissim: Nec ulla tuarum sororum audita* est, *nec visa à me, O virgo! quam te dicam* esse? *non enim habes speciem*

## NOTÆ.

299. *Ne fati nescia Dido.*] Voluntatis divinæ, quæ Trojanos benignè excipi jubebat. Sic Æn. 8. 292. *Fatis Junonis iniquæ.*

301. *Remigio alarum, &c.*] De hâc translatione, v. 224. De *Libyâ,* Africæ parte, v. 158. *Pœni,* quasi Phœni, Carthaginenses, è Phœniciâ oriundi.

310. *Convexo.*] Concavo: est enim *convexum* exterior rei rotundæ superficies; *concavum* interior; et promiscuus est poëtis utriusque vocis usus. Æn. 4. 451. *Tædet cœli convexa tueri,* id est, *concava.* Et Ov. Trist. l. 11. 20. *Inque modum tumuli concava surgit aqua,* id est, *convexa.*

316. *Spartanæ.*] Virgines enim Spartanæ, secundùm Lycurgi instituta, virilibus etiam studiis exercebantur, imprimisque venatu.

*Equos Threïssa fatigat.*] Comparatio quidem non in equitatione est, aut præcipiti cursu; neque enim equitabat aut præceps currebat Venus: sed in ipso habitu, quo Venus Amazoni similis est. *Threïssa.*] E Thraciâ, non Europæâ, sed Asiaticâ, ut ostendemus, Æn. 11. 659. ubi fusè de Amazonibus.

317. *Harpalyce.*] Celebris Amazon, quæ patrem suum à Getis bello captum dicitur fortiter et celeriter ex eorum manibus recepisse.

*Eurum.*] Quid mirum, si fluvii impetum eques præcurrit? tum, quàm insolens fluvio epithetum *volucrem?* Quare locum solerter emendat V. C. Daniel Huetius; legitque non *Hebrum,* sed *Eurum,* in quem ista perquàm conveniunt. Juvat conjecturam, quòd facilis fuit literarum in iis vocibus commutatio: tum quòd *Hebrus* fluviis est Thraciæ Europææ, ut dictum est, Ecl. 10. 65. Amazones autem Thraciam Asiaticam incoluerunt, Æn. 11. 659.

317. *Fugâ.*] Cursu. Sic Geor. 3. 142. de equo: *Acri carpere prata fugâ.*

323. *Lyncis.*] *Lynx* animal est acutissimi visûs, è luporum cervariorum genere.

Mortalis, nec vox hominem sonat. O, Dea certè!
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una,
Sis felix, nostrumque leves quæcunque laborem:
Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas: ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostrâ cadet hostia dextrâ.
 Tunc Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque altè suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyriâ regit urbe profecta,
Germanum fugiens: longa est injuria, longæ
Ambages: sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugârat
Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum,
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ: factumque diu celavit; et ægram,
Multa malus simulans, vanâ spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago

*mortalem, nec vox tua refert hominem. O, Dea certè! an* verò *soror Phœbi, an una è genere Nympharum, esto propitia, et quæcunque es, minue nostram solicitudinem: et doce, quo demum sub cœlo, quâ in regione terrarum versemur: vagamur nescii hominum et locorum* istorum: *huc impulsi ventis et magnis tempestatibus. Multa hostia occidetur manu meâ,* in honorem *tuum, ante altaria. Tunc Venus* ait: *Non equidem me* judico *dignam tali cultu: Consuetudo est puellarum Tyriarum, ferre pharetram, et cingere altè tibias purpureis ocreis. Cernis regna Punica, Tyrios, et urbem Agenoridum: sed regio Libya* est, *gens bello ferox. Dido tenet* hoc *regnum, quæ exiit* ex *urbe Tyro, fugiens fratrem: longa est* ea *injuria, longi circuitus: sed perstringam summa rerum capita. Huic maritus erat Sichæus, inter Phœnices agris ditissimus, et magno amore dilectus ab infelici* Didone: *huic* Sichæo *pater* eam *dederat* adhuc *virginem, et primis auspiciis conjunxerat: sed frater* Didonis *Pygmalion tenebat regnum Tyri, crimine crudelior præ cæteris omnibus. Hos inter medios odium ortum est. Ille sacrilegus, et obcæcatus cupidine divitiarum, clam occidit ipsum gladio ante altaria improvidum, non curans amores sororis: et diu abscondit scelus, et plurima malitiosè simulans, inutili spe fefellit mœstam conjugem. At umbra ipsa mariti insepulti apparuit ei in somno,*

## NOTÆ.

329. *Phœbi soror.*] Diana: utriusque pater Jupiter, mater Latona. De utroque, Ecl. 3. 67. De *Phœbi* nomine, ibid. 62.

330. *Sis felix.*] Dicitur *felix*, et qui habet felicitatem, et qui facit esse felicem, inquit Servius. Sic Ecl. 5. 65. *Sis bonus ô felixque tuis.*

337. *Suras, &c.*] *Sura* pars est tibiæ maximè carnosa et mollis. *Cothurnus* est calceamenti genus, Ecl. 7. 32.

338. *Punica, &c.*] Quasi *Phœnica*, seu *Phœnicia*, unde Dido et Carthaginienses profecti.

*Tyrios.*] Non cives, sed colonos, Carthaginis conditores.

*Agenoris.*] Id est *Agenoridum:* ab Agenore, qui in eâ regnavit regione, quæ Phœnicia deinde appellata est, fuitque inter Didonis avos, ut videbimus in argumento lib. 4. De *Libycis finibus*, v. 158.

343. *Conjux Sichæus.*] Idem, et avunculus Didonis fuit, et Herculis sacerdos, et nomine Acerbas: ex Justino. *Sichæus*, hìc primam producit; alibi corripit, v. 720. *Abolere Sichæum.*

345. *Pater.*] Belus rex Tyri, v. 729.

346. *Primis ominibus.*] Primis nuptiis. Cicero de Divin. l. 1. 104. *L. Flaccum ego audivi cùm diceret, cùm vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causâ: quod fieri more veterum solebat.*

348. *Quos inter, &c.*] Adjungit hæc Servius verbis proximè præcedentibus: *Immanior ante omnes eos, inter quos furor medius venit;* id est, *inter omnes qui unquam odio et furore incensi sunt.* Alii distinguunt meliùs, et ad Pygmalionem ac Sichæum referunt, *quos inter ortum est odium;* si non mutuum, saltem Pygmalionis in Sichæum; quod sufficit ut *medium* dici possit. De *Pygmalione*, in argumento libri 4.

349. *Ante aras.*] Herculis, cujus erat sacerdos Sichæus, et hæc erat prima post regem dignitas, ex Justino l. 18.

350. *Securus amorum.*] Negligens, contemnens, nihil sibi ab iis timens. Sic loquitur Juno de Trojanis, Æn. 7. 304. *Securi pelagi atque mei.*

353. *Inhumati.*] Centum annos errabant

Conjugis, ora modis attollens pallida miris:
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit, cæcumque domûs scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriâque excedere suadet:
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota, fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; naves, quæ fortè paratæ,
Corripiunt, onerantque auro: portantur avari
Pygmalionis opes pelago: dux fœmina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.
  Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?
Quóve tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem:
  O Dea! si primâ repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Antè diem clauso componet vesper Olympo.
Nos Trojâ antiquâ (si vestras fortè per aures
Trojæ nomen iit) diversa per æquora vectos,
Forte suâ Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates

*mirum in modum erigens caput pallidum; revelavit fatalia altaria, et pectus gladio confossum, et declaravit omne crimen ignotum familiæ. Deinde suadet, ut celeret fugam, et exeat è patria: et ad subsidium itineris, aperit antiquos thesauros in terrâ, incognitum pondus auri et argenti. His* rebus *concitata Dido instruit fugam et socios. Concurrunt, quibus erat aut odium crudelis tyranni, aut gravis metus: invadunt naves, quæ casu instructæ* erant, *easque onerant auro: vehuntur mari divitiæ avari Pygmalionis; mulier auctor* est *facti. Pervenerunt* ad ea *loca, ubi mox videbis magnos muros, et arcem novæ Carthaginis se attollentem: et emerunt agrum* dictum *Byrsam, nomine ab* ipsâ *fraude* deducto; tanti spatii, *quantum possent includere pelle tauri. Vos verò, quinam* estis *denique, aut quânam è regione profecti estis? aut quem in locum habetis iter? Æneas* huic *talibus* verbis *interroganti* respondit *suspirans, et educens vocem* ex *intimo pectore: O Dea! si revolvens à primâ causâ progrediar; et* si tibi *otium sit audire historiam nostrarum calamitatum; priùs Hesperus clauso cœlo sepeliet diem. Tempestas, casu solito, projecit ad litus Africæ nos, pulsos per varia maria è Trojâ vetere, (si fortassè nomen Trojæ venit ad aures vestras). Sum pius Æneas, famâ super cœlum cognitus, qui fero mecum navibus Penates*

## NOTÆ.

inhumatorum umbræ: ut est Æn. 6. 329. Crudelitati igitur addiderat impietatem Pygmalion, qui cæsum Sichæum insepultum abjecerat.

359. *Ignotum argenti.*] Justinus, l. 18. 4. *Sichæus aurum metu regis, non tectis sed terræ crediderat: quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Idque Pygmalionis cupiditatem ad scelus incenderat.

362. *Paratæ.*] Vel ad frumenta aliunde convehenda, ut ait Servius. Vel ut ipsam Didonem ad Pygmalionem transportarent: *Finxit enim se,* inquit Justinus, *ad regem migrare velle; sed ministros migrationis à rege missos navibus imposuit, &c.*

364. *Pygmalionis opes.*] Vel quas jam ut suas Pygmalion animo conceperat. Vel quia reipsâ, cum opibus conjugis opes quoque Pygmalionis rapuit Dido.

336. *Arcem: Mercatique, &c.*] Dido in Libyam appulsa, cùm ab Iarbâ Getulorum rege pelleretur, emit ab eo tantum terræ, quantum amplecti bovis corium posset. Quod ubi obtinuit, corio tenuissimas in partes conciso, stadia occupavit duo ac viginti. Explicat Donatus de pecuniâ è bubulo corio, quæ primis temporibus in usu fuit, quâ Dido mercata sit urbis solum. Ita fabulæ. Quid verum sit, vide in argumento lib. 4.

373. *Annales.*] Benè; quia totis decem annis Trojæ obsidio, septem annis Æneæ navigatio duraverat.

374. *Diem clauso, &c.*] Duplex hìc metaphora. I. Est à morte ac tumulo: *componere,* enim est *sepelire;* et *diem clauso Olympo componere,* est, *diem in cœlo quasi in tumulo sepelire ac condere.* Dies enim ut nasci dicitur, sic mori: Statius, Sylv. l. 4. 6. 3. *Jam moriente die.* Horatius Sat. l. 1. 9. 28. *Omnes composui felices; nunc ego resto.* Virg. Ecl. 9. 52. *Longos Cantando puerum memini me condere Soles.* II. Est, quòd cœlum claudi nocte, et aperiri die dicatur: unde Geor. 3. 261. *Porta tonat cœli.*

*Vesper.*] Stella Veneris, Ecl. 6. 86.

*Olympus.*] Mons Thessaliæ, qui pro cœlo sumitur, Ecl. 5. 56.

377. *Forte suâ.*] *Casu suo, quo solet;* et nomen est à nominativo *fors.* De *Trojâ,* v. 1. De *Libyâ,* v. 158. De *Penatibus,* Æn. 2. 717. De *Italiâ,* v. 2.

Classe veho mecum, famâ super æthera notus.
Italiam quæro patriam, et genus ab Jove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,
Matre deâ monstrante viam, data fata secutus:
Vix septem convulsæ undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europâ atque Asiâ pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus: medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud (credo) invisus cœlestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modò, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios lassemque relatam
Nuntio, et in tutum versis Aquilonibus actam:
Ni frustrà augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætantes agmine cycnos,
Æthereâ quos lapsa plagâ Jovis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedêre:
Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modò, et quà te ducit via dirige gressum.
Dixit; et avertens roseâ cervice refulsit,
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem

*ereptos è* potestate *hostium. Quæro Italiam patriam, et originem* familiæ meæ, quæ est *à supremo Jove. Conscendi mare Phrygium viginti navibus, genitrice Deâ iter ostendente, obsecutus fatis* mihi *positis. Vix septem* naves *supersunt concussæ fluctibus et Euro.* Ego *ipse incognitus, egenus, erro per solitudines Africæ, ejectus ex Asiâ et Europâ. Nec Venus sustinuit eum longiùs queri: medio in dolore sic interlocuta est: Quicunque es, non odiosus superis ducis spiritum vitalem, opinor, si quidem appulisti urbi Tyriæ. Perge tantummodò, et hinc conferte ad palatium reginæ. Tibi enim annuncio socios rediisse, et naves reductas* esse, *et provectas in securum* locum *Aquilonibus mutatis: nisi mendaces parentes* mei *frustrà* me *docuerunt* artem *auspiciorum. Aspice duodecim cycnos turmatim exultantes, quos avis Jovis labens è cœli partibus agitabat vacuo* in *aëre: jam videntur longâ serie, vel eligere* sedes *in terrâ, vel jam electas considerare propiùs. Quemadmodum illi redeuntes ludunt alis strepitantibus, et turmatim circumiere aërem, et emisere cantus: non alio modo, et naves tuæ, et flos tuorum, vel portum occupat, vel inflatis velis intrat ostia* portus. *Perge tantummodò, et dirige passus quà via te ducit. Sic locuta est, et recedens resplenduit pulchrâ cervice, et capilli ambrosiâ* delibuti *exhalaverunt è capite divinum odorem:*

## NOTÆ.

379. *Famâ super æthera notus.*] Secutus est Virgilius Homerum Odys. 9. 20. ubi ait Ulysses ad Alcinoum: *Καί μου κλέος οὐρανὸν ἵκει*, *Et mea gloria cœlum attigit.*

380. *Patriam, et genus.*] Dardanus enim, Jovis filius, auctor alter Trojanæ gentis, Italus fuit, v. 235.

381. *Phrygium.*] Alluens Phrygiam minorem. Duplex enim est ejus nominis in Asiâ minore regio: altera *major*, quæ tota Mediterranea est; altera *minor*, quæ maritima est ad Propontidem, Hellespontum et Ægæum mare, contra insulam Lesbon. Hæc minor etiam *Troas* dicta est, quæ pars ejus fuit præcipua.

383. *Euroque.*] Vento orientali, quo naves ejus, partim ad latus Syrtis minoris, partim ad litus Africæ dejectæ sunt, v. 110.

384. *Ignotus.*] Licèt enim Æneæ nomen *famâ super æthera notum sit;* ipse tamen Afris nondum sub eo nomine innotuit.

385. *Europâ atque Asiâ.*] Troja enim est in Asiâ, unde profectus est; Italia in Europâ unde rejectus in Africam.

391. *Versis Aquilonibus.*] Ut enim Aquilo à septentrione ad meridiem Æneæ naves pepulerat in Africam v. 102. ita ut illæ è minori Syrte ad litus Carthagini vicinum emergerent, opus fuit ut Aquilo in fugam *versus* retrò cederet, prævaleretque Notus à meridie.

392. *Ni frustrà, &c.*] Ne Divinitas futuri prædictione palam fiat, fingit se à parentibus imbutam augurandi arte.

394. *Jovis ales.*] Aquila, quæ ministra fulminis dicitur, quia tempestatis tempore super altissimas nubes sese volatu erigit.

402. *Avertens.*] Supple *se*, ut suprà, v. 104. *Tum prora avertit.*

*Roseâ cervice.*] Vel ad colli colorem refero, unde Venus dicitur ab Anacreonte 53. 22. *ῥοδόχρους*, *rosicolor:* vel roseam interpretor, *pulchram*, quâ de re dicemus infrà v. 591. Et hoc primum affert Divinitatis indicium, *fulgorem roseæ cervicis.*

403. *Ambrosiæque comæ.*] Secundum Divinitatis indicium, *suavitas odoris.* Sic Ovid. Fast. 5. 375. *Omnia finierat, tenuis secessit in auras. Mansit odor, posses scire fuisse Deam.* More autem Homerico *ambrosiæ comæ*, vel sunt *immortales;* vel potiùs, *respersæ succo ambrosiæ.* De *Ambrosiâ* et *nectare*, Ecl. 5. 71.

Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit Dea. Ille ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
  At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circùm Dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
  Corripuere viam intereà, quà semita monstrat.
Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars aptare locum tecto et concludere sulco.
Jura magistratusque legunt sanctumque senatum.
Hìc portus alii effodiunt: hìc alta theatris
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate novâ per florea rura

*vestis decidit ad pedes infimos, et gressu apparuit vera Dea. Æneas, statim atque agnovit genitricem* suam, *prosecutus est abeuntem talibus verbis: Cur tu etiam, ô dura, decipis tam sæpe filium* tuum *vanis figuris? quare non permittitur applicare dexteram* meam *dexteræ* tuæ, *atque audire et reddere verba non simulata? Sic queritur* de eâ, *et dirigit passus ad urbem. Sed Venus cinxit euntes tenebroso aëre, et circumdedit multo tegmine nubis*, utpote *Dea, ne quis posset eos videre, néve quis tangere, aut facere moram, aut petere rationem* cur *venissent. Ipsa se attollens abit Paphum, et redit gaudens in regionem suam: ubi templum et centum altaria fervent* in *ejus* honorem *thure Arabico, et redolent flores novos. Interim ingressi sunt viam, quà callis ostendit. Et jam conscendebant collem, qui valdè impendet urbi, et desuper aspicit turres oppositas. Æneas admiratur magnitudinem* urbis, ubi erant *olim casæ: admiratur portas, et tumultum, et pavimenta viarum. Festinant ardentes Tyrii: pars extendit muros, et erigit arcem, et manibus rotat lapides: pars eligit locum* ad *tectum, et cingit fossâ: eligunt jura, et magistratus et sacrum concilium. Illic alii excavant portus, illic alii ponunt profunda fundamenta theatri, et secant è rupibus ingentes columnas*, quæ sint *alta ornamenta futurarum scenarum.* Talis est eorum labor, *qualis labor occupat apes*

## NOTÆ.

404. *Pedes vestis, &c.*] Tertia Divinitatis nota, *promissa vestis ad pedes.* Idque Dearum omnium proprium fuisse, præterquam Virtutis, docet Lactantius in Statium, l. 10. v. 639. Proprium item Baccho attribuit Propertius, l. 3. 15. 32. Tibullus quoque ac Statius.

405. *Incessu patuit Dea.*] Quartum et maximum Divinitatis argumentum, *incedendi modus.* Quem sic ab humano distinguit Heliodorus Æthiop. l. 3. ut divinus non dimotione pedum et transpositione, sed continuo impetu et quasi lapsu quodam fiat: unde perhibet statuas Deorum apud Ægyptios, conjunctis et quasi unitis pedibus insistere: citatque testem Homerum. Et verò apud Theocritum, Idyl. 17. 25. Dii vocantur νήποδες, *usu pedum carentes*, et apud Callimachum, Hymno, 5. 3. Pallas Θεὸς εὔτυκος ἕρπει, *Dea parata serpit.* Addit et aliud indicium Divinitatis Heliodorus, quòd Dii recto obtutu, neque clausis unquam palpebris intueantur. Statius tamen gressum Diis non fluentem, sed humano majorem et nimium tribuit, l. 10. 347. *Tamen aspera produnt ora Deum, nimiique gradus.*

413. *Cernere ne quis, &c.*] Dubitabat enim Venus, quo in eos animo Dido futura esset, Junonis cultui addicta.

415. *Paphum.*] Urbem in Cypro, notissimâ Mediterranei maris insulâ, Veneri dicatam.

416. *Centumque Sabæo, &c.*] Tacitus l. 2. de sacris Paphiæ Veneris: *Hostiæ, ut quisque voverit, mares deliguntur. Certissima fides hœdorum fibris. Sanguinem aræ effundere vetitum, precibus et igne puro altaria adolentur.* Unde hìc cùm de aris fiat mentio nulla, fit de victimis. *Sabæum thus*, petitum è *Sabæis*, Arabiæ Felicis populis: de quibus, Geor. 1. 57.

421. *Magalia.*] Seu *mapalia*, rusticorum Afrorum casæ sunt, de quibus, Geor. 3. 340.

426. *Jura.*] Alii pro *legibus*; alii pro *juridicis*; alii meliùs pro *locis ipsis* accipiunt, ubi jus dicendum erat. Sic enim accipimus, quoties dicimus *in jus rapere, in jus ambulare.* De *Scenis* theatralibus, Geor. 2. 381. et 3. 24.

Exercet sub Sole labor, cùm gentis adultos
Educunt fœtus, aut cùm liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!
Æneas ait, et fastigia suscipit urbis.
Infert se septus nebulâ, mirabile dictu,
Per medios, miscetque viris: neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit mediâ, lætissimus umbrâ;
Quò primùm jactati undis et turbine Pœni
Effodêre loco signum, quod regia Juno
Monstrârat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.
Hìc templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine Divæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primùm in luco nova res oblata timorem
Leniit: hìc primùm Æneas sperare salutem
Ausus, et afflictis meliùs confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,

*ad Solem, æstate incipiente, per agros floridos: quando emittunt grandiorem sobolem generis, aut cum densant mella liquidiora, et implent alvearia suavi nectare, aut excipiunt onera venientum* è pastu, *aut collectâ turmâ expellunt à stabulis* suis *fucos, pigrum gregem. Fervent* omnes in *opere, et mella odorata olent thymum. O felices, quorum muri jam eriguntur: inquit Æneas, et spectat altitudinem urbis. Immittit se in medios* cives *clausus nube*, quod *admirabile* est *dictu: miscet se viris, nec videtur à quoquam. Erat in mediâ urbe sylva* sacra, *gratissima* propter *umbram: quo loco Pœni, agitati fluctibus et ventis, primùm fodiendo* repererunt *signum, quod regina Juno* eis *ostenderat;* nempe *caput bellicosi equi: ita quippe* ostenderat, *populum* illum *futurum esse nobilem bello,* et *aptum vivere æternâ famâ. Hoc* loco *Tyria Dido ædificabat Junoni magnum templum, splendidum muneribus, et præsentiâ Deæ: cui limen æreum impositum erat gradibus, et trabes compactæ ære, et cardo stridebat* in *portis æreis. In hâc* sacrâ *sylvâ nova res occurrens primò minuit metum: hìc Æneas primò ausus est sibi promittere salutem, et meliùs sperare de rebus malè affectis. Nam dum circumspicit singula magno in templo,*

## NOTÆ.

433. *Nectare.*] Potu Deorum, de quo Ecl. 5. 71. Hìc pro *melle* sumitur.

435. *Fucos.*] *Guêpes,* DRONES, apum quasi servitia sunt, Geor. 4. 168.

444. *Caput acris equi.*] Justinus, l. 18. 5. *In primis fundamentis caput bubulum inventum est: quod auspicium quidem fructuosæ terræ; sed laboriosæ, perpetuóque servæ urbis fuit: propter quod in alium locum urbs translata. Ubi quoque equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.*

445. *Facilem victu.*] Explicat Pierius, *quæ facile vinci posset;* ita ut *victu* supinum à *vinco,* passivè significet: sed malum hoc omen, bonum autem hìc quæritur. Explicat Germanus Valens, quæ *facilè vincere posset;* ita ut *victu,* supinum à *vinco,* activè significet. Explicant alii communiter, *quæ sit fertilis frugibus, et commoda ad victum;* ita ut *victu,* sit supinum à *vivo.* Ego eodem supino usus, *victu* à *vivo,* interpretor de famâ et gloriâ gentis, quæ florere æternùm debeat: hoc enim est propriè, *vivere per sæcula.*

446. *Sidonia.*] *Tyria:* Nam *Sidon,* urbs Phœniciæ, in Syriâ, portus in orâ Mediterranei maris, nunc *Sayde:* hìc pro *Tyro* sumitur; quia utraque vicina, et à Phœnicibus condita, et eidem regi subdita.

448. *Limina.*] *Portæ* ac *januæ* partes omnes hìc distinguemus. *Porta* propriè de urbibus dicitur: quia cùm circuitus urbis aratro primùm designabantur, quâ parte relinquendus erat in urbem aditus, attollebatur aratrum ac *portabatur,* ne sulcum imprimeret. At privatarum domorum ingressus; cùm apertus est, dicitur *janua,* vel ab *eundo,* vel à *Jano:* cùm clausus est, dicitur *ostium,* ab *obstando.* Nam ea per quæ prohibetur ingressus, si *foras* aperiuntur, dicuntur *fores:* si duas in partes ab utroque latere panduntur, *bifores:* si ab uno tantùm latere, sed in se *volvuntur* ac replicantur, vocantur *valvæ,* quasi *volvæ.* Id autem, quo vertuntur fores, est *cardo:* quia est earum, vel quasi *cor,* ut volunt Servius et Isidorus: vel quasi hamus ex quo suspenduntur, est autem *hamus* Græcis κράδη. Tum *limen,* est transversum in januâ lignum, inferius vel superius; vel à *limes,* quia illic terminatur domus; vel à *limus,* id est, *obliquus* et *transversus.* Denique *Postes,* sunt arrectaria portarum, quasi *post ostium:* saxa vel ligna ab utroque portæ latere, quibus cardines, sera et repagula immittuntur. Hæc tamen omnia promiscuè vulgò usurpantur pro januâ.

Reginam opperiens; dum, quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam famâ totum vulgata per orbem;
Atridas, Priamumque et sævum ambobus Achillem.
Constitit, et lacrymans: Quis jam locus, inquit, Achate!
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus! sunt hìc etiam sua præmia laudi,
Sunt lacrymæ rerum, et mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait: atque animum picturâ pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, utì bellantes Pergama circum
Hâc fugerent Graii, premeret Trojana juventus;
Hâc Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrymans: primo quæ prodita somno
Tydides multâ vastabat cæde cruentus:
Ardentesque avertit equos in castra, priusquàm
Pabula gustâssent Trojæ, Xanthumque bibissent.
Parte aliâ fugiens amissis Troïlus armis,

*expectans reginam; dum admiratur quæ sit felicitas* illius *urbis, et manus opificum invicem* concordes, *et difficultatem operum, cernit prælia Trojana per ordinem, et bellum jam famâ cognitum per omnes terras, et Atrei filios, et Priamum, et crudelem utrisque Achillem. Substitit et flens: Quis jam locus est, ait, ô Achate! quæ plaga in terris non plena nostrorum casuum? Ecce Priamus! hìc quoque datur virtuti sua merces, est commiseratio calamitatum, et casus hominum movent corda. Depone timorem, hæc fama afferet tibi aliquam salutem. Sic locutus est: et obleetet mentem vanis picturis, multùm gemens, et irrigat faciem copioso fletu. Nam cernebat, quemadmodum pugnantes circa Trojam Græci hàc fugerent,* et *Trojana juventus persequeretur* eos: *hàc Trojani* fugerent; *et Achilles cristâ insignis immineret è curru. Non longè hinc agnoscit plorans tabernacula Rhesi è candidis velis prodita: quæ in primâ nocte filius Tydei populabatur multâ strage sanguinolentus, et abducit acres equos in castra* Græcorum, *antequàm carpsissent pabula Trojæ, et potâssent* aquam *Xanthi. Parte aliâ Troïlus, fugiens dilapsis armis,*

## NOTÆ.

458. *Sævum ambobus Achillem.*] Tres tamen sunt; *Atridæ* duo, Menelaus et Agamemnon, Atrei regis Mycenarum filii; et *Priamus*, Trojæ rex. Tum *Achilles* Menelao sævus non fuit; sed Agamemnoni tantùm, cùm recessit ab ejus exercitu propter ereptam sibi Briseïda; et Priamo, cujus filium Hectorem occidit, et indignè habuit. Quomodo igitur *ambobus?* An geminos Atridas pro uno posuit, quia unius patris erant filii? An ambobus posuit, pro *utrisque?* An geminos exercitus significavit, Atridarum et Priami? An potiùs legemus cum Senecâ Epist. 104. *Atriden*, non *Atridas*, ut ad unum Agamemnona referatur? Hunc sanè malim audire quàm Donatum, qui *sævum* interpretatur, *sæviorem*, Agamemnone scilicet ac Menelao.

462. *Lacrymæ rerum.*] Propter res adversas, calamitates. Sic Æn. 2. 784. *Lacrymas dilectæ pelle Creüsæ*, id est, Lacrymas propter dilectam Creüsam, et dolorem de eâ conceptum mitiga.

466. *Pergama.*] *Pergamus*, arx fuit Trojana in editissimo urbis loco sita: unde alta omnia ædificia deinde *Pergama* appellata sunt. Cave, ne arcem illam confundas cum urbe *Pergamo*, quæ in eâdem Phrygiâ minore posteà condita est ad Caïcum fluvium, fuitque *Attalicorum* regum sedes, et Galeni patria, et celebris usu chartæ pergamenæ, *du parchemin*, PARCHMENT.

468. *Hâc Phryges, instaret, &c.*] *Phryges* Trojani, qui Phrygiæ minoris partem incolebant; suprà, v. 381. *E curru* pugnabant sæpe veteres, quo miles et auriga ferebantur. De *cristis*, Æn. 3. 468.

469. *Rhesi.*] Rhesus Thraciæ rex, Martis, vel Strymonis filius: cùm Trojanis veniret in auxilium; adduceretque secum equos, quorum erat fatum, ut, si semel Xanthi aquam bibissent, Troja foret invicta: clausis jam portis, coactus est in litore tentoria ponere. Sed proditus à Dolone, Trojano speculatore, qui in Græcorum speculatores Diomedem et Ulyssem inciderat, à Diomede interfectus est, et equi fatales abducti. Iliad. 10. 453. Equi porrò illi ferocitate præcellebant, ab equis Diomedis Thraciæ regis oriundi, humanâ carne vesci solitis; quibus ideò dominum ipsum devorandum Hercules tradidit.

*Primo somno.*] *Somnus* pro *nocte*, ut Geor. 1. 208. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.*

*Tydides.*] Diomedes, Tydei filius, Æ. 11. 243.

473. *Xanthum.*] Diis ita dictum, hominibus verò *Scamandrum*, inquit Homerus: quia nomen illud isto antiquius: fluvium Troadis, ex Idâ monte profluentem, unde se in Hellespontum exonerat.

474. *Troïlus.*] De ejus ætate variæ sunt sententiæ. Virgilius hunc *puerum*, Horatius *impuberem* facit: alii, ut Hyginus et Tzetzes, jam

Infelix puer, atque impar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et versâ pulvis inscribitur hastâ.
Intereà ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, et tunsæ pectora palmis.
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis

*miser adolescens, et* quanquam *inæqualis,* ausus *pugnare in Achillem, trahitur* ab equis, *et pendet resupinus è curru vacuo, retinens tamen habenas: huic et cervix et capilli raptantur per humum, et pulvis sulcatur hastâ inversâ. Intereà Trojanæ sparsis capillis ibant ad templum Palladis non* ipsis *amicæ, et portabant* ei *pallam: mæstæ* more *supplicantium, et percutientes pectus palmis. Dea infensa tenebat oculos defixos in terram. Achilles traxerat Hectorem ter circa muros Trojanos, et vendebat auro cadaver exanimum. Tunc autem* Æneas *emittit ex intimo pectore magnum gemitum, ut vidit spolia, et currum, et ipsum cadaver amici, et Priamum tendentem manus exarmatas. Animadvertit etiam se mixtum principibus Græcis, et exercitus orientales, et arma nigri Memnonis. Penthesilea furens ducit turmas Amazonum* instructas *scutis lunatis,*

## NOTÆ.

grandiorem, et unum è maximis Priami natis. Variæ quoque de ejus morte opiniones: Theocritus et Lycophron eum volunt, ob spretum Achillis amorem, in templo Apollinis ab Achille fuisse occisum: alii, in ipso certamine: alii per vim: alii ex insidiis.

475. *Impar congressus Achilli.*] Vel *impar Achilli:* vel ut mavult Servius, *congressus Achilli,* id est, cum Achille: ut Catullus dixit in carmine nupt. v. 64. *Noli pugnare duobus.*

478. *Versâ pulvis inscribitur hastâ.*] Non hastâ Troili, quam adhuc manu retineret; nam *amissis armis,* id est, *dilapsis,* ferebatur: et sola lora manu implicata retinebat. Igitur hastâ Achillis, quæ per Troili pectus adacta, et cum eo resupino *inversa,* ferro pulverem sulcabat.

479. *Non æquæ Palladis.*] Infestæ, propter judicium Paridis, de quo, v. 27. De *Pallade,* v. 39. Ibant autem ad templum Trojanæ mulieres, duce Hecubâ, Heleni et Hectoris admonitu, cùm gravem à Diomede accepissent cladem; ut Deam Diomede faventem, et pepli dono, et sacrificiis placarent, Iliad. 6. 302.

480. *Crinibus Iliades, &c.*] Alludit ad morem Romanarum mulierum, quæ in luctu, aperto capite, et solutis passisque crinibus incedebant, fortassè etiam Trojanæ ac barbaræ; cùm contrà Græcæ tonderent comas: quod docet Plutarchus in Romanis Quæst.

*Peplum.*] Offerebatur Deabus, non in luctu tantùm; sed etiam solemnibus quibusdam diebus, muneris loco: *Palladi,* præsertim; *Junoni,* ex Pausaniâ l. 2. et Statio Theb. 10. 56. Imò et *Veneri,* ex Claudiano de nuptiis Honor. v. 123. Eo induebantur simulacra; sic enim Stat. Theb. 10. 65. *Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres induerant ebur. Peplum* autem fuit palla, sive pallium muliebre, subtili arte contextum, ad pedes effusum, sine mànicis; coloris, aliquando purpurei, aliquando candidi: aureâ fimbriâ clavisque aureis, et variis Deorum heroumque figuris ornatum.

483. *Ter circum, &c.*] De *Achille,* v. 30. De *Hectore,* v. 99.

488. *Achivis.*] Græcis. *Græcia* enim propriè dicta, sive *Hellas, Achaia* quoque appellata est, ab *Achæo* quodam, vel Jovis filio, vel Zethi, qui in eâ regione regnavit; cujus populi *Achæi* et *Achivi* sunt dicti; est et alia minor *Achaia,* Peloponnesi pars.

489. *Eoasque acies, et, &c.*] *Memnon* Auroram matrem, Tithonum patrem habuit, Laomedontis Trojani regis filium. Quare Trojanorum in auxilium venisse dicitur, cum ingentibus Indorum et Æthiopum copiis; et ab Achille occisus, è rogo suo aves produxisse; quæ duas in partes divisæ, rostris atque unguibus, ad parentandum auctori suo, decertaverint. Ejus statua, in Ægypto, Solis orientis icta radiis, emisisse sonum memoratur.

*Eoas.*] Orientales, ab ἠὼς, *Aurora.*

490. *Amazonidum.*] Id est, *Amazonum:* quæ sibi mammam alteram inurebant, ne jaciendis sagittis esset impedimento: alteram baltheo substringebant. Nomen inde ab α privativo, et μαζὸς, *mamma.* De iis fusè, Æn. 11. 659. &c. Harum regina *Penthesilea,* Trojanis post mortem Hectoris opem tulit: et juxta aliquos ab Achille; juxta alios, à Neoptolemo Achillis filio interfecta est.

*Peltis.*] Scutis brevissimis, in formum mediæ Lunæ.

Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
  Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum formâ pulcherrima Dido
Incessit, magnâ juvenum stipante catervâ.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus Divæ, mediâ testudine templi,
Septa armis solioque altè subnixa, resedit.
Jura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat:
Cùm subitò Æneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitùsque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates
Lætitiâque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant; sed res animos incognita turbat.
Dissimulant, et nube cavâ speculantur amicti,

*et ardet inter media millia, nectens cingulum aureum sub nudato ubere,* utpote *bellatrix, et audet puella certare* cum *viris. Dum ista mirabilia conspiciuntur ab Æneâ Trojano, dum stupet, et stat defixus in hoc solo aspectu; regina Dido specie clarissima venit in templum, magnâ juvenum turbâ ambiente. Talis Diana ripis Eurotæ, vel per culmina Cynthi, miscet choreas; quam secutæ mille Oreades hinc atque inde congregantur: Diana gestat humero pharetram, et incedens extat supra cæteras Nymphas. Lætitia tacitè mulcet animum Latonæ. Talis erat Dido, talem se attollebat læta inter medios, urgens opus, et regna futura. Deinde sedit ad fores Junonis, sub medio fornice templi, cincta militibus, et altè suffulta solio. Distribuebat jus et leges civibus, et dividebat in æquas partes laborem operum, aut ducebat sorte. Cùm repentè Æneas videt accedere* cum *ingenti multitudine Antheum, et Sergestum, et generosum Cloanthum, et alios Trojanorum, quos nigra tempestas mari disjecerat, et abstulerat ad litora omninò diversa. Obstupuit continuò ipse,* et *continuò Achates* quoque *commotus est gaudio et timore; cupiebant avidè sociare dextras* cùm iis, *sed successus incertus turbat mentes. Dissimulant* adhuc, *et obtecti cavâ nebulâ considerant,*

## NOTÆ.

498. *Qualis in Eurotæ, &c.*] Explodit hanc Didonis cum Dianâ comparationem Valerius Probus apud Gellium, l. 9. c. 9. aitque nihil tam improsperè à Virgilio conversum esse ex Homero, apud quem illa reperitur, Odys. 6. 102. defendit eam Scaliger Poëtic. l. 5. c. 3. aitque Virgilianam esse à magistro, Homericam à discipulo. Ego in Valerii sententiam paulò sum propensior: vel ideo, quòd ex iis circumstantiis, quas sanè multas congerit, nulla est ad rem, nisi multitudo Oreadum, quæ Dianam comitantur; cæteræ omninò à Didone diversæ sunt.

*Eurotæ.*] Fluvii in Laconiâ, Spartam alluentis: quæ regio venatu celebris est.

*Cynthi.*] Montis in insulâ Delo, ubi Diana et Apollo nati sunt.

499. *Choros.*] Multitudo saltantium et canentium est propriè *chorus.*

500. *Oreades.*] Nymphæ montium, ab ὄρος, *mons.* Ecl. 2. 46.

502. *Latonæ.*] Filiæ Cœi Titanis, quæ Dianam et Apollinem ex Jove peperit in insulâ Delo, Ecl. 3. 67.

505. *Tum foribus Divæ, &c.*] Adjungit Servius hæc verba proximè præcedentibus, hoc sensu: *Instat regina operi, tum præsertim ædificandis Junonii templi foribus.* Affert et aliam interpretationem, quam, etsi priori postponat, ego tamen propono: nempe medio in templo locum fuisse separatum, ubi servabatur simulacrum Numinis, et religio administrabatur; isque appellatur à Polluce *sacellum, delubrum,* à Vitruvio *cella,* à cæteris *adytum, penetrale;* atque is, vel velo, vel muro septus erat, et pervius *foribus;* quemadmodum nostris in templis usu venit. Iis porrò in *foribus* Dido jus dicebat: et mos ille Romanorum deinceps fuit, in templis jus dicere, ac senatum habere. *Mediâ testudine.* Medio in templo, cujus tectum concavum et fornicatum erat in morem testudinis, *tortuë,* ARCHED.

510. *Anthea, Segestumque, &c.*] De *Antheo,* v. 181. De *Cloantho,* et *Sergesto,* passim lib. 5. nauticis in ludis. De *Teucris,* Trojanis, suprà v. 38.

Quæ fortuna viris, classem quo litore linquant,
Quid veniant: cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coràm data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Justitiâque dedit gentes frænare superbas:
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à navibus ignes,
Parce pio generi, et propiùs res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ:
Œnotrii coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Huc cursus fuit:
Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitúsque procacibus Austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa

*quæ sociorum sors, quo* in *litore reliquerint naves, cur veniant: veniebant autem electi singulis è navibus, poscentes veniam, et lamentando accedebant ad templum. Postquam ingressi* sunt, *et data est facultas loquendi coram* Reginâ: *spectatissimus* intra socios *Ilioneus sic incepit sedatâ mente: O Regina, cui Jupiter permisit exstruere urbem novam, et coërcere æquitate populos feroces: nos miseri Trojani, acti ventis per omnia maria, precamur te: propelle dira incendia à navibus, ignosce religiosæ genti, et benigniùs aspice miserias nostras. Nos non venimus, aut vastare gladio domos Africanas, aut obducere ab litore prædas raptas: non inest menti ea violentia, nec tanta ferocitas victis. Est regio* quam *Græci vocant nomine Hesperiam: regio antiqua, potens bello et fertilitate terræ: Œnotrii populi* ipsam *incoluerunt: nunc rumor* est, *posteros eam regionem appellavisse Italiam, de nomine ducis. Illuc dereximus cursum: cùm repentè oriens è mari procellosus Orion impulit* nos *in vada latentia, et petulantibus ventis,* ac *mari superante, funditùs disjecit, perque aquas, perque rupes inaccessas:*

## NOTÆ.

519. *Orantes veniam.*] Orantes ut mitiùs haberentur: nam *venia* non semper *culpam* supponit; sed sæpe *pacem* et favorem significat: Cicero, pro Rabir. 5. *Ab Jove pacem et veniam peto.* Pro Fonteio, 20. *In bellis gerendis, à Diis immortalibus pacem et veniam petunt.* De *Ilioneo*, v. 120.

530. *Est locus, Hesperiam, &c.*] Supple *quem*, ut suprà, v. 12. *Urbs antiqua fuit, Tyrii,* supple, *quam Tyrii.* Italia multis nominibus dicta fuit, pro variâ temporum ratione. *Hesperia,* quod nomen ipsi cum Hispaniâ commune fuit; vel ab *Hespero,* Atlantis Mauritaniæ regis fratre, qui primò obtinuit Hispaniam, indeque à fratre pulsus in Italiam venit; vel ab *Hespero,* Veneris stellâ; quæ mane sub Luciferi nomine apparet, serò sub nomine *Hesperi,* atque ita occasum significat; quo factum est, ut Græci ex iis regionibus, quas habent ad occasum, Italiam appellaverint *Hesperiam magnam;* Hispaniam verò, *minorem Hesperiam.* Alterum Italiæ nomen fuit *Œnotria;* vel ab *Œnotro* rege Sabinorum; vel ab Œnotro, Lycaonis Arcadiæ regis filio; vel potiùs ab *οἶνος, vinum,* et *ὀτρύνειν, incitare,* quòd vini ferax regio sit. Aliud ejusdem regionis nomen est *Italia;* vel ab Italo rege Siculorum; vel à bobus, qui veteri linguâ Græcâ dicebantur *ἰταλοὶ,* et illic fuere in magnâ copiâ. Alia item nomina tulit, de quibus fusè Kircherus in Latio l. 1. c. 1. 2. 3. Quodnam autem sit omnium antiquissimum, difficile est conjicere: Virgilius *Italiam,* novissimum putat, cùm ait, minores *Italiam dixisse.*

531. *Ubere glebæ.*] De formâ illâ loquendi, Geor. 2. 185.

535. *Orion.*] De hujus signi cœlestis fabulâ dicemus, Æn. 3. 517. Ex hoc autem versu probat Segresius, Æneam non nisi Julio mense in Africam esse appulsum. Nam de triplici tantùm Orionis ortu hìc agi potest, de *quotidiano,* de *heliaco,* de *acronyco:* quas voces explicuimus, Geor. 1. 217. et 221. et 229. Constat autem de *quotidiano* non posse explicari; sic enim Orion quotidie tempestates excitaret: non de *acronyco,* qui hyeme contingit; ergo de ortu *heliaco,* qui nunc in Julii initio cadit, olim tamen in medium Junium: at vis hujus sideris, non ad unum ortûs diem, sed ad consequentes etiam dies pertinere putanda est. Firmat opinionem hoc etiam versu libri 4. 52. ubi Anna Didoni suadet, ut Æneam per hyemem detineat: *Dum pelago desævit hyems, et aquosus Orion:* quod omninò tunc intelligendum de ortu ejus *acronyco,* qui mensibus post heliacum circiter quinque contingit.

536. *Procacibus Austris, &c.*] Obstinatè importunis. Hor. Od. l. 1. 26. 2. *Tradam protervis in mare Creticum portare ventis.* Lucret. l. 6. 110. *Furit petulantibus Euris.* De *Austris* ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

537. *Salo.*] *Sal* et *Salum* usurpat Virgilius, pro mari, quod Græcis dicitur *ἅλς,* Æn. 5. 866. *Sale saxa sonabant.*

Dispulit: huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ:
Bella cient, primâque vetant consistere terrâ.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma;
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis,
Quem si fata virum servant, si vescitur aurâ
Æthereâ, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certâsse priorem
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque à sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, et stringere remos.
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere; ut Italiam læti Latiumque petamus:
Sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iüli;
At freta Sicaniæ saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et latè fines custode tueri.
Quis genus Æneadûm, quis Trojæ nesciat urbem?
Virtutesque, virosque, et tanti incendia belli?
Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni:
Nec tam aversus equos Tyriâ Sol jungit ab urbe
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva;

*pauci enatavimus huc ad vestra litora. Quodnam* est *hoc genus hominum? aut quæ regio tam crudelis tolerat hanc consuetudinem? negatur* nobis *arena* pro *hospitio; bella movent, et impediunt* quominùs *maneamus* in *primo litore. Si despicitis genus humanum, et vindictam hominum; at exspectate Deos memores æqui et iniqui. Regem habebamus Æneam, quo non fuit ullus justior, nec pietate, nec bello et armis insignior. Si fata virum hunc servant, si spirat aërem cœlestem, nec adhuc cecidit* sub *sævas umbras; nullus* est *timor* nobis, *neque pœnitebit te provocâsse priùs* eum *beneficiis. Sunt etiam* nobis *urbes* in *terrâ Siculâ, et arma, et Acestes illustris è Trojanâ origine. Permittatur* nobis *detrahere* ad *terram naves ventis fractas, et accommodare trabes è sylvis, et abscindere remos. Ut læti eamus in Italiam et Latium, si conceditur ire in Italiam, sociis et rege recepto: si verò salus extincta* est, *téque mare Africæ tenet, ô pater optime Trojanorum, nec jam superest spes Ascanii: at saltem* ut *eamus ad mare Siciliæ, et* ad *paratas urbes, ex quibus huc pulsi* sumus, *et* ad *regem Acesten. His verbis Ilioneus* orabat: *intereà Trojani omnes murmure approbabant. Tum Dido, vultu demisso, breviter loquitur: Ejicite metum* ex *animo, ô Trojani: expellite solicitudinem. Difficilis* status *rerum* mearum, *et novitas dominationis, cogunt me facere talia, et circùm munire terminos custodibus. Quis ignoret familiam Æneæ, et Trojam urbem, et virtutes, et populos, et incendia tanti belli?* Nos *Pœni non habemus adeò crassa ingenia, nec Sol alligat equos* currui *tam remotus ab urbe Carthagine. Seu vos appetitis magnam Italiam, et agros Saturni,*

## NOTÆ.

543. *Sperate Deos, &c.*] Exspectate, Æn. 4. 419. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, et perferre soror potero.*

*Fandi atque nefandi.*] Illius, quod *fas* et *nefas* est; utrumque enim à *fando* dicitur: quia quod æquum est, dignè *fari* possumus: quod iniquum, *fari* non possumus.

546. *Si vescitur aurâ.*] Si spirat, si halitum ducit ex aëre. Et verò apud Lucret. l. 1. 5. 72. *Vesci*, est *uti: Quôve modo genus humanum variante loquelâ Cœperit inter se vesci.*

550. *Acestes.*] Rex Siciliæ, de quo, Æn. 5. 36. De *Siciliâ* insulâ, Æn. 3. 687.

552. *Stringere remos.*] Ecl. 9. 61. *Agricolæ stringunt frondes;* id est, *amputant.*

554. *Ut Italiam, &c.*] De eâ v. 2. De *Latio*, Æn. 7. 54. De *Teucris*, Trojanis, suprà v. 235. De *Libyâ*, Africâ, v. 158. De *Iülo*, Ascanio, v. 267. De *Sicanis*, Siculis, Æn. 3. 687. De *Dardanidis*, Trojanis, suprà v. 235.

561. *Vultum demissa.*] Puduit enim reginam minimè barbaram, naufragos, et exteros à suis tam durè habitos fuisse.

565. *Genus Æneadûm.*] Non nepotes Æneæ, qui nulli tum erant; sed majores, à quibus ille genus ducebat.

567. *Pœni.*] Dicti quasi *Phœni*, v. 338.

568. *Nec tam aversus, &c.*] Sensus est: *Tyriam urbem non esse tam remotam à Solis ortu et calore:* atque adeò cives suos ingenio non

Sive Erycis fines, regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves:
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
Afforet Æneas! Equidem per litora certos
Dimittam, et Libyæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus sylvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, et fortis Achates:
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant: prior Æneam compellat Achates:
Nate Deâ, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, cùm circumfusa repentè
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, clarâque in luce refulsit,
Os, humerosque Deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, et lætos oculis afflârat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repentè
Improvisus ait: Coràm, quem quæritis, adsum

*sive regionem Erycis, et regem Acesten: dimittam* vos *securos præsidio, et reficiam opibus. Vultisne etiam manere mecum pariter* in *hoc regno; urbs quam condo, vestra est: trahite* in terram *naves: Trojanus et Tyrius à me tractabitur* sine *ullâ diversitate. Atque utinam ipse rex Æneas adesset, pulsus eodem vento! Sanè mittam fidos* homines *circa litora, et mandabo* ut illi *pervestigent extremam Africam: si* fortè *naufragus vagatur aliquibus in sylvis, aut urbibus. His sermonibus excitati, et generosus Achates, et pater Æneas, jamdiu optabant exire è nube. Prior Achates alloquitur Æneam: Fili Veneris, quod consilium jam venit in mentem? cernis omnia tuta, et naves et socios recuperatos; unus tantùm deest, quem ipsi conspeximus mediis in undis submersum: reliqua conveniunt* cum *sermone matris* tuæ. *Vix ea locutus erat, cùm subitò nebula circumjecta rumpit se, et solvitur in vacuum aërem.* Visus *est stans Æneas, et emicuit claro splendore, similis Deo se*cundùm *vultum et humeros. Ipsa enim mater aspiraverat filio decorem in comâ, et egregiam lucem juventutis, et hilarem pulchritudinem oculis. Qualem pulchritudinem ars adjicit ebori, aut quando argentum, vel marmor Parium cingitur rutilo auro. Tunc sic alloquitur reginam, et statim omnibus inexpectatus inquit: Adsum præsens,* ego *quem quæritis,*

## NOTÆ.

esse tam obtuso. *Non obtusa, &c.*] Aiunt enim philosophi, populos qui frigidioribus in plagis nascuntur, vulgò tardiori esse indole.

569. *Hesperiam magnam, &c.*] Italiam, v. 530. *Saturnia arva.*] Eam Italiæ partem, quæ *Latium* dicta est, quòd in eâ Saturnus latuerit. Æn. 8. 319. *Erycis fines.*] Siciliæ montem in parte occidentali, nunc *Monte de S. Julien*, non longè à Drepano; cui nomen imposuit *Eryx*, ibidem sepultus. De eo, Æn. 5. 24. *Acestes.*] Ejusdem Siciliæ rex, Æn. 5. 36.

573. *Urbem quem statuo, vestra est, &c.*] Servius refert accusativum *urbem*, ad præcedens verbum *vultis;* hoc sensu: *Vultis his considere regnis? vultis urbem quam statuo? vestra est.* Vulgò tamen agnoscunt Grammatici mutationem casûs. *Urbem quam statuo*, pro *urbs quam statuo.* Aliqui, quibus accedo, solam ordinis mutationem putant, pro *quam urbem statuo.*

575. *Noto.*] De *Noto*, sive Austro, vento meridionali, Ecl. 2. 58.

584. *Unus abest.*] *Orontes*, de quo, v. 113.

591. *Purpureum.*] Ad colorem potest referri qui rubicundus ac roseus juvenibus ferè est. Sic suprà, v. 402. tribuitur Veneri *rosea cervix.* Sic Æn. 10. 16. *Venus aurea* dicitur, fortè ex aureo colore capillorum. Quanquam his nominibus existimo non tam certum colorem significari, quàm generatim pulchritudinem: ut cùm dixit Horat. Od. l. 4. 1. 10. *Purpureis ales oloribus.* Piso Albinov. *Brachia purpureâ candidiora nive.* Homerus Odyss. 6. 231. Κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, *comas hyacinthino flori similes.* Cùm enim inter colores pulcherrima sit purpura; inter metalla aurum; inter flores rosa, et veterum æstimatione, hyacinthus: ideò hæc nomina, ad exprimendam quamlibet pulchritudinem transtulerunt. Expressus est hic locus, cum sequenti comparatione, ex Homeri Odyss. l. 6. 229. ubi Minerva formam addit Ulyssi, ut Nausicaæ placeat.

592. *Manus addunt, &c.*] *Manus*, pro arte et labore hìc sumuntur; ut suprà, v. 455. *Artificumque manus inter se.*

593. *Parius lapis.*] Marmor candidum è Paro insulâ, in mari Ægæo.

Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores:
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias. Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido: nec quicquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Dî tibi (si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est) et mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
Quæ me cunque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextrâ, lævâque Serestum:
Pòst alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
  Obstupuit primò aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
Quis te, nate Deâ, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Túne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,

*Trojanus Æneas, servatus à fluctibus Africæ. O* quæ *sola miserta* es *infandarum calamitatum Trojæ! Quæ nos excipis urbe et domo,* nos qui sumus *reliquiæ Græcorum, fracti jam omnibus infortuniis terræ et maris, indigentes omnium* rerum. *Non est nostræ facultatis tibi referre gratias debitas, ô Dido: nec quodcunque usquam est nationis Trojanæ, quæ dissipata est toto mundo, tibi reddere* possit *præmia merita:* sed soli *Dii, si aliqui Dii respiciunt pios, si est ullo in loco aliquid justitiæ;* sed *et* tua *mens conscia sibi æquitatis. Quæ tam fortunata tempora te protulerunt! qui tanti parentes talem produxere? Quamdiu amnes current in mare, quamdiu umbræ* arborum *circuibunt cacumina* in *montibus, quamdiu cœlum alet astra: semper gloria, et nomen tuum, et laudes durabunt: quæcunque regio trahat me* ad se. *Sic locutus apprehendit* manu *dextrâ carum Ilioneum, et sinistrâ Serestum, posteà alios, et generosum Gyan, et generosum Cloanthum. Obstupuit primò Tyria Dido ob aspectum, deinde ob tantam calamitatem Æneæ; et sic ore dixit: Quæ te fortuna, ô fili Deæ, persequitur per tot discrimina? Quæ potentia te projecit ad crudelia litora? Tune* es *ille Æneas, quem alma Venus peperit Anchisæ Trojano prope aquas Phrygii Simoëntis? Ego quidem recordor Teucrum venisse Sidona,*

## NOTÆ.

598. *Reliquias Danaûm.*] Suprà, v. 30.

603. *Si qua pios, &c.*] Modicius ait tria hìc promitti virtutis præmia: primum à Diis, *si qua pios respectant numina;* secundum ab hominibus, *si quid usquam justitiæ est:* tertium ab ipsâ Didonis conscientiâ, *et mens sibi conscia recti:* quasi dicat Æneas: *Non meum est, nec Trojanorum, tantam virtutem remunerare; sed Deorum, sed omnium hominum, sed tui ipsius:* nam virtus sibi est ipsa præmium.

608. *Lustrabunt convexa, &c.*] *Convexa* montium accipio, pro *cacuminibus,* quæ rotunda et convexa sunt: *lustrabunt* pro *circuibunt;* quemadmodum Hercules Æn. 8. 231. *Ter totum fervidus irâ Lustrat Aventini montem,* id est *circuit. Lustrare* autem propriè significat *expiare,* à *luo:* per translationem, *circuire,* quia expiationes agrorum et urbium per *circuitiones* fiebant, unde de sacrificio ambarvali ait Virgil. Ecl. 5. 75. *Et cùm lustrabimus agros.* Umbræ porrò ad motum Solis moventur, et in orbem circumflectuntur.

608. *Polus dum sidera pascet.*] E veterum opinione, qui Solem et sidera, quia igneæ atque adeò voracis naturæ, pasci crediderunt aquarum humore in cœlum educto: sed frustrà quidam legunt *palus;* nam Lucretius in multis Virgilii magister, dixit l. 1. 231. *Unde æther sidera pascit.*

611. *Ilionea, &c.*] Penultimam, naturâ brevem, metri causâ produxit, Ionum more, qui Ἰλιονῆα dicunt, pro Ἰλιονέα. *Serestum.*] Testatur Pierius in Longobardico cod. *Sergestum,* legi, et, v. 514. dixit, *Anthea Sergestumque videt:* nulla de *Seresto* mentio. Tamen l. 12. 561. distinguuntur hæc duo nomina: *Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum.*

617. *Dardanio Anchisæ.*] Notanda gravitas versûs, quæ oritur ex hiatu vocalium, et spondeo quinti pedis. *Dardanio,* Trojano v. 235. *Anchisæ,* Capyos filio, Assaraci nepoti, è stirpe Trojanorum regum. Hic à Venere adamatus; oculis deinde privatus fuisse dicitur, quòd amores jactâsset suos. De *Venere,* v. 256. De *Simoënte,* fluvio, v. 100. De *Phrygiâ,* v. 381.

619. *Teucrum memini Sidona.*] Teucer, Telamonis Salaminis insulæ regis, filius, cùm è bello Trojano rediiset in patriam, inultâ fratris Ajacis morte, qui dolis Ulyssis circumventus, ob dolorem de amissis judicio armis Achillis, mortem sibi intulerat; à patre actus in exilium, et Cyprum appulsus, urbem illic, de patriæ suæ nomine, Sa-

Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiquâ Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agite, ô tectis, juvenes, succedite nostris!
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam, hâc demum voluit consistere terrâ.
Non ignara mali, miseris succurrere disco.
Sic memorat, simul Ænean in regia ducit
Tecta, simul Divûm templis indicit honorem.
Nec minùs intereà sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos:
Munera, lætitiamque Dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, cœlataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros, antiquâ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten:
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera prætereà, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet, pallam signis auroque rigentem,

*ejectum è terminis patriæ, et quærentem nova regna ope Beli. Tunc* meus *pater Belus populabatur pinguem Cyprum, et victor* cum imperio *possidebat. Jam* inde *ab illo tempore nota est mihi ruina urbis Trojanæ, et nomen tuum, et reges Græci. Ipse* Teucer *hostis, extollebat magnis laudibus Teucros,* Trojanos, *et aiebat se oriundum è veteri Teucrorum* illorum *familiâ. Agite ergo, ô juvenes, intrate* in *nostras domos. Similis fortuna voluit, ut ego quoque agitata per multos casus, denique manerem hâc in regione. Non inscia miseriarum didici auxiliari miseris. Sic loquitur: statimque ducit Æneam in regiam domum, et eodem tempore mandat sacra* fieri in *templis Deorum. Interim nec minore* curâ *mittit ad litora sociis Æneæ, viginti tauros, centum corpora hirsuta porcorum, centum agnos pingues, cum* centum *ovibus:* prætereà *dona et gaudia Bacchi. At domus interior splendidè ornatur regali pompâ, et sub medio tecto parantur epulæ.* Adsunt *vestimenta perfecta* magno *artificio et purpurâ illustri* tincta: *magna* vasa *argentea* in *mensis, et egregia facinora majorum sculpta in auro, ordo rerum longissimus deductus per tot viros, ab* ipso *ortu veteris familiæ. Æneas (nam affectus paternus non sustinuit* ejus *animum tardare* diutiùs) *mittit celerem Achatem ad naves,* ut *referat ista Ascanio, et adducat eum in urbem. Tota solicitudo cari patris posita est in Ascanio. Insuper imperat, ut afferat munera servata* ex *Trojano excidio, pallam figuris aureis asperam,*

NOTÆ.

lamina constituit. Addit Virgilius Cyprum tunc temporis à Belo, Tyri rege, Didonis patre, fuisse expugnatam; atque adeò Teucrum venisse ad Belum, ut ejus ope sedem in illâ insulâ obtineret. *Sidona.*] De quâ urbe, v. 446. De *Belo* in argumento lib. 4.

622. *Cyprum.*] Ingentem insulam Mediterranei maris, in sinu Issico inter Ciliciam et Syriam, Veneris olim cultu celebrem.

624. *Pelasgi.*] Propriè Thessali; qui sic dicti sunt, vel à *Pelasgo,* Lycaonis Arcadiæ regis filio, à quo ducebant originem; vel quasi *Pelargi,* à πελαργὸς; *ciconia,* quia ciconiarum more per multas regiones erraverunt. Pro Græcis omnibus, et hìc, et passim sumuntur.

626. *Teucrorum à stirpe.*] Trojanorum, qui ab antiquo Teucro, Dardani socero, sic dicti fuerant, v. 235. Ab eâ Teucri stirpe oriebatur Teucer, per Hesionem matrem suam, quæ Laomedontis Trojani regis filia fuit: Laomedon Ili filius, Ilus Trois, Tros Erichthonii, Erichthonius Dardani, Dardanus Teucri gener.

636. *Lætitiamque Dei.*] Vinum; lætitiam Dei, id est Bacchi, de quo infrà, v. 734. *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Gellius aliique legunt non *Dei;* sed, vel *dii,* vel *die;* qui sunt antiqui genitivi, à nomine *dies:* ut G. 1. 208. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas:* Et sensus erit; missa esse à Didone hæc omnia, ut diem illum hilariter Trojani ducerent. Plura tamen et vetustiora exemplaria habent *Dei.*

648. *Pallam.*] Pallium muliebre; utraque vox, vel à *palam,* quia vestis est exterior; vel à πάλλω, *vibro,* quòd frequenti motu vibretur.

Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argivæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cùm peteret, inconcessosque Hymenæos,
Extulerat: matris Ledæ mirabile donum.
Prætereà sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
  At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues:
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
  Nate, meæ vires, mea magna potentia; solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis:
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi: et nostro doluisti sæpe dolore.

*et velamen cui croceus acanthus intextus* erat: *ornamenta Argivæ Helenæ, quæ ipsa Mycenis exportaverat, cùm iret Trojam ad vetitum conjugium, dona miranda Ledæ matris* ejus. *Prætereà sceptrum, quod Ilione primogenita filiarum Priami tulerat quondam, et monile ex unionibus* ad ornatum *colli, et coronam duplici* textu *auri et gemmarum: properans ista* afferre *Achates dirigebat iter ad naves. At Venus volvit animo novos dolos, nova consilia;* nempe *ut Cupido, mutatâ formâ et vultu, veniat pro dulci Ascanio, et inflammet muneribus amantem reginam, ac immisceat ignem ossibus* ejus. *Nam metuit domum dubiam, et Tyrios fallaces: angit* eam *aspera Juno, et* hæ *solicitudines per noctem redeunt. Igitur alloquitur alatum Amorem his verbis: Fili,* qui es *meum robur, et magna mea vis: fili, qui solus despicis fulmina supremi Jovis,* quibus vicit *Typhoëum: confugio ad te, et supplex imploro tuam potestatem. Notum tibi* est, *quomodo frater tuus Æneas agitetur mari circa omnia litora, odio Junonis* nobis *infensæ; et sæpe condoluisti mihi dolenti.*

## NOTÆ.

649. *Croceo velamen acantho.*] Ornatum variis flexibus acanthi herbæ, croceo colore, vel auro expressæ. *Velamen* aliqui *cycladem* esse volunt: genus fœmineæ vestis tenuissimum, rotundum, ac fimbriatum: alii, quia croci fit mentio, putant esse *epicrocum*, amiculum tenue ac perlucidum: iique meliùs, qui *epicrocum* velaminis instar fuit, *cyclas* talaris vestis. Prop. l. 4. 7. 40. *Auratâ cyclade signat humum. Acanthus, branche ursine*, BEARSFOOT, herba coronaria, Ecl. 3. 45. *Crocus*, flos, SAFFRON.

650. *Argivæ Helenæ.*] Patrem habuit Jovem, sub Cycni specie; matrem Ledam, Tyndarei Laconiæ regis uxorem. Leda ova duo peperit: ex altero Pollux et Helena divino semine: ex altero Castor et Clytæmnestra mortali semine exclusi sunt. Dixit tamen Horatius, sed contra communem opinionem, Pollucem et Castorem ex eodem ovo prodiisse, Sat. l. 2. 1. 26. *Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem, Pugnis.* Nupsit Helena Menelao, cui erepta est à Paride; et Trojam deducta, ortum dedit bello Trojano: suprà, v. 27. Cætera de eâdem, Æn. 2. 567. et 6. 511. *Argivæ.*] Græcæ: non enim *Argis* nata fuit. Nec *Mycenis* regnavit: sed vir ejus Menelaus frater fuit Agamemnonis, qui in hâc utrâque regnavit urbe, suprà, v. 284. Menelaus autem adscitus in generum à Tyndareo, Spartæ, sive Lacedæmonis rege, mortuis Castore ac Polluce, Spartæ regnavit. Promiscuè tamen sumuntur harum urbium nomina, propter vicinitatem, omnes enim sunt in Peloponneso.

651. *Pergama.—Hymenæos.*] Illa, pro *Trojâ* sumuntur, v. 466. Hi, pro nuptiis, G. 3. 60.

653. *Ilione.*] Polymnestoris Thraciæ regis uxor.

655. *Duplicem.*] Quia duplex erat in eâ ordo, sive fascia; altera aurea, altera gemmea.

657. *Cytherea.*] Venus, v. 256. *Cupido*, amoris Deus, duplex à quibusdam fingitur; honestus, Jove ac Venere prognatus: turpis, Nocte atque Erebo. Alii non Jovem, sed Mercurium honesto patrem assignant.

661. *Bilingues.*] Vel alludit ad duplicem linguam, quâ utebantur, Phœniciam et Libycam; vel perfidiam notat genti familiarem, proverbio enim fuit, *Punica fides.*

665. *Typhoëa.*] Fulmina, quibus Gigantes vicit, imprimisque Typhoëum, de quo G. 1. 279. Sunt qui scribunt *Typhoïa:* nec admodum refert: debuit enim dici *Typhoeia*, à Græco τυφώεια: perinde autem potuit ex diphthongo ει, vel abjici ι, ut fieret *Typhoëa*, vel abjici ε, ut fieret *Typhoïa*.

Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: et vereor, quò se Junonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocircà capere antè dolis et cingere flammâ
Reginam meditor, ne quo se numine mutet;
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Quà facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius, accitu chari genitoris, ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens pelago et flammis restantia Trojæ.
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacratâ sede recondam:
Ne quà scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non ampliùs unam,
Falle dolo: et notos pueri puer indue vultus:
Ut, cùm te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas laticemque Lyæum,
Cùm dabit amplexus, atque oscula dulcia figet;
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
  Paret Amor dictis charæ genitricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iüli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: et fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci aspirans complectitur umbrâ.
Jamque ibat dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Cùm venit, aulæis jam se regina superbis
Aureâ composuit spondâ, mediamque locavit.

*Hunc Tyria Dido detinet, et retardat dulcibus sermonibus: et dubito quem habitura sint* exitum *hæc hospitia,* quibus præest *Juno: non quiescet in* hoc *flexu tam commodo* rerum. *Quapropter meditor priùs occupare reginam fraude, et ambire igne; ne mutet se* ad *ullius Dei* nutum; *sed* ut *mecum prosequatur Æneam magno amore. Quomodo possis id exequi, audi jam consilium meum. Regius juvenis, quem maximè curo, parat* se *vocatu dilecti patris,* ad *eundum in urbem Carthaginem, portans munera* quæ *supersunt è naufragio, et incendio Trojæ. Ego occultabo illum sopitum somno, sacro* in *loco, super alta Cythera, vel super Idalium* nemus: *ne possit aliquo modo cognoscere fraudes* meas, *et medius intervenire. Tu simula per fraudem formam illius, et puer assume notam faciem pueri, non plùs quàm unâ nocte: ut cùm Dido læta excipiet te sinu, inter epulas regias et liquorem Bacchicum, cùm amplectetur* te, *et præbebit* tibi *suavia oscula; insinues* ei *secretam flammam, et decipias* eam *veneno* amoris. *Amor obtemperat mandatis dilectæ matris, et deponit alas, et eundo imitatur incessum Ascanii. Venus autem infundit Ascanio dulcem somnum in membra: et Dea aufert* eum, *compositum* in *suo sinu, in altas sylvas Idaliæ: ubi amaracus suaviter halans cingit illum floribus, et gratâ umbrâ. Et jam ibat Cupido, obediens jussis* Æneæ, *et portabat Carthaginiensibus regalia munera, gaudens duce Achate. Quando venit, tum regina discumbit in aureâ spondâ* et *magnificis tapetibus, et mediâ sedet.*

## NOTÆ.

670. *Phœnissa.*] E Phœniciâ oriunda, et Junonis cultui addicta, suprà v. 446. De *cardine,* qui hìc pro flexu rerum sumitur; ex eo quòd janua flectitur et vertitur in cardine, v. 449.

678. *Sidoniam.*] Carthaginem, coloniam Sidoniorum ac Tyriorum, v. 12.

680. *Super alta Cythera, &c.*] Ut Æn. 6. 794. *Super et Garamantas et Indos proferet imperium:* vel est, *ultra* vel *in. Cythera, orum.*] Insula Mediterranei maris contra Cretam, v. 257. *Idalium.*] Vel *Idalia,* oppidum et nemus est insulæ Cypri.

686. *Lyæum.*] Bacchicum: Bacchus enim *Lyæus* dictus est à λύω, *solvo,* quòd curis animum solvat ac liberet. De *Iülo,* sive *Ascanio,* v. 267. De *Venere,* v. 256.

693. *Amaracus.*] Herba coronaria, suavissimi odoris, flosculos emittens perpusillos, candidos, *marjolaine,* MARJORAM.

697. *Aulæis.*] Velis pretiosisque tapetibus: vel suspensis super lectum, vel in lecto substructis.

698. *Aureâ spondâ, &c.*] *Sponda,* pars lecti exterior est; sæpe pro toto lecto sumitur, à σπονδή, *fœdus:* unde et sponsis nomen est. *Aureâ.*] Dissyllabâ voce; quomodo Æn. 7. 190. *Aureâ percussum virgâ.*

*Mediamque locavit.*] Usus ad mensam duplex fuit, vel sedendi in sellâ, vel in lecto discumbendi. Sedendi usus antiquior et severior: Barbari et orientales populi molliores, discumbendi morem invexere. Unde Romani primis temporibus sedêre: post Asiam debellatam, auctis opibus ac deliciis, discubuere: mulieres tamen adhuc sedendi morem præ modestiâ retinebant. Augusti temporibus obsolescebat in domibus, et in sacris tantùm Capitolii epulis servabatur: ut est apud Valerium Max. l. 2. 3. Patet autem ex Livio l. 28. 18. Afros discumbere solitos, jam inde à Scipio-

Jam pater Æneas et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates:
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.
Necnon et Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iülum,
Flagrantesque Dei vultus, simulataque verba:
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
  Præcipuè infelix, pesti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, et puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem;
Reginam petit: hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, et interdum gremio fovet: inscia Dido,
Insideat quantus miseræ Deus. At memor ille
Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum

*Tum pater Æneas, et tum juvenes Trojani* simul *accedunt, et discumbunt in lectis purpureis. Ministri infundunt aquam manibus, et proferunt panem è canistris, et gestant mantilia* è *rasis velleribus. Intus* sunt *quinquaginta ministræ, quibus cura est componere longâ serie penum, et suffire igne* domesticos *Deos.* Sunt *aliæ centum, totidem famuli æqualis ætatis, qui imponant mensis cibos, et proferant pocula. Pariter etiam Pœni magno numero congregantur per lætam domum, jussi recubare in lectis pictis. Mirantur munera Æneæ, mirantur Ascanium, et vultum ardentem Cupidinis et ficta* ejus *verba, et pallam, et velamen intextum croceo acantho. Præsertim misera Dido, destinata amori futuro, non potest satiare animum, et inflammatur spectando, et æqualiter capitur* pulchritudine *munerum et pueri. Ille, postquam hæsit collo et* in *complexu Æneæ, et satiavit magnum amorem ficti patris, it ad reginam. Hæc oculos, hæc totum animum defigit* in puerum, *et aliquando premit* eum in *sinu: ignorans Dido, quantus Deus* sibi *miseræ insideat. Sed ille recordatus* mandatorum *matris* suæ *Veneris, incipit delere paulatim* memoriam *Sichæi,*

NOTÆ.

nis et Syphacis temporibus. Unde Virgilius hic ad barbarum alludit morem.

*Mediam.*] Vel in lecto, qui erat medius, ut vult Corradus, nec enim decebat in eodem lecto gravem fœminam discumbere cum Æneâ: et verò circa mensam tres vulgò lecti sternebantur; unde conclave dicebatur *triclinium*, à τρεῖς, *tres*, et κλίνη, *lectus*. Vel etiam in eodem lecto, quod dici potest apud Barbaros gravitati non obfuisse. Et verò videtur Ascanius, sive Cupido, inferiorem seu sinistrum in eodem lecto locum occupâsse, unde facilè Didonis gremio incumberet, v. 718. in eo quippe amici et amicæ discumbebant loco: ut commodè jacerent illius in sinu, qui medium locum obtinebat: et dextra manus ejus ad cibos carpendos libera esset. Æneas autem certè dextram, sive superiorem obtinuit locum, nam l. 2. 2. *toro sic orsus ab alto.* Quis autem locus dignior haberetur, an *dexter* et superior, an *medius*, dubia est sententia, suis utraque rationibus ac testimoniis nixa. De *ostro*, conchylio unde exprimitur purpura, Geor. 2. 506. De *Cerere*, pro pane, Ecl. 5. 79.

702. *Mantilia.*] Villosa lintea, tergendis *manibus* comparata, unde habent nomen; differunt à *mappis*, juxta Vossium in Etym. quòd mantilibus etiam sternerentur mensæ, *mappis* manus tantùm tergerentur; afferrenturque mappæ aliquando eum in usum à singulis convivis: unde Martial. Epig. l. 12. 99. 11. *Attulerat mappam nemo, dum furta timentur: Mantile à mensâ surripit Hermogenes.*

704. *Penum, &c.*] *Penus, hujus peni*, vel *hujus penûs*, masculini vel fœminini generis: vel *penus, penoris*, neutrius: sunt res ad victum necessariæ, quæ in intimâ domûs parte servantur. Hinc est *penitùs*, et *penetro*, et *Penates*, Dii, qui in intimâ domûs parte colebantur. Cùm autem ait Nascimbænus, *flammis adolere Penates*, esse *coquinam facere*, planè errat: patet enim ex Athenæi compluribus locis, convivia rem sacram apud veteres fuisse; nihilque in iis adhiberi frequentiùs, quàm thura, flores, Deorum simulacra, libationes. Igitur *flammis adolere Penates* est suffitu Penates colere, ut in convivio Nympharum, Geor. 4. 379. *Panchæis adolescunt ignibus aræ.* De *Penatibus*, Æn. 2. 717.

720. *Acidaliæ.*] Veneris, quæ sic dicitur ab *Acidalio* fonte, in Orchomeno Bœotiæ civitate, qui Gratiis dicatus est: Gratiæ autem Veneris et Liberi filiæ à quibusdam dicuntur. De *Sichæo*, v. 343.

Incipit, et vivo tentat prævertere amore
Jampridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ:
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi: et noctem flammis funalia vincunt.
Hìc Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram; quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem Trojâque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno:
Et vos, ô cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem:
Primaque libato, summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro:
Pòst alii proceres. Citharâ crinitus Iopas
Personat auratâ, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores:

*et conatur præoccupare vehementi amore mentem jamdudum otiosam, et corda desueta* amandi. *Postquam cessatum est à primis epulis, et sublati* sunt *cibi, ponunt magna pocula, et coronant vinum. Fit sonus per domum, et vox volvitur per spatiosa atria: lucernæ accensæ pendent è laquearibus auratis, et faces luce pellunt tenebras. Tunc Regina petiit pateram auro et gemmis gravem, et replevit* eam *vino, quam Belus, et omnes Beli posteri* solebant replere. *Tunc silentium factum* est totâ *domo: Jupiter,* inquit Dido *(nam aiunt te auctorem esse legum hospitalium) fac ut hic dies sit felix Carthaginiensibus, et advenis Trojanis: et* ut *posteri nostri hujus recordentur. Adsit Bacchus auctor lætitiæ, et propitia Juno: et vos, ô Carthaginienses, adeste faventes huic convivio. Sic ait, et stillavit in mensam* vinum, *honorem liquorum: et* eo *stillato, prima degustavit* reliquum *summis tantummodo labris; deinde dedit Bitiæ hortans* eum: *ille alacer ebibit pateram spumantem, et conspersit se* vino *aureæ pateræ plenæ; posteà alii proceres: Iopas comatus ludit citharâ,* ea *quæ maximus Atlas docuit. Canit ille errores Lunæ, et defectus Solis:*

## NOTÆ.

721. *Prævertere.*] Præoccupare, ne Juno Didoni odium inspiret in Trojanos.

723. *Mensæque remotæ.*] Mensæ non tantùm sunt τράπεζαι, seu mensæ ipsæ quæ ferculis onerantur; sed etiam σιτία, seu cibi et fercula quæ imponuntur mensis: quod disertè scribit Pollux et innuunt auctores Latini, apud quos frequens est divisio convivii in *primas* ac *secundas mensas;* at mensæ non mutabantur; itaque prima et secunda fercula intellige, quorum prima graviorum erant ciborum; secunda pomorum, compotationum, libationum: utraque distinguebantur saltationibus, cantu, ludis, dum convivæ ab edendo quiescerent: et hæc est *prima quies*, cui respondet, *secundæ quietis* loco, finis epularum post secundas mensas. De *crateribus*, poculis vinariis, Ecl. 5. 68. De *coronatione* vini, Geor. 2. 528.

726. *Lychni laquearibus.*] Λύχνος, *lucerna;* Græcam vocem Latinæ præposuit, quia minùs humilem. *Laquear.*] Sive *lacunar*, est interstitium trabium ac tignorum, in conclavium tectis, diciturque à *lacu*, quia cavum est: *lacus* autem significat propriè cavum quodlibet aquarum receptaculum, sed transfertur ad alia multa ob figuræ similitudinem. *Funalia.*] Funes cerâ obliti.

727. *Belus et omnes à Belo, &c.*] Belus iste non Didonis pater est, de quo priùs, v. 625. de hoc enim dici non posset *omnes à Belo*, id est, *omnes Beli posteri;* siquidem inter hunc et Didonem nullus occurrit medius. Igitur de Belo antiquiore intellige, qui numeratur inter Didonis majores: vide argumentum lib. 4.

731. *Jupiter hospitibus.*] Magna fuit in veneratione *Jupiter hospitalis*, Græcis ξένιος.

736. *Libavit.*] Stillavit: à λείβω, *stillo.* Ritus hic fuit sacrificiorum: sacerdos vinum è vasculo degustabat, dabatque deinde degustandum cæteris; tum illud, vel in victimæ cornua; vel, si sacra solo thure absque victimâ fierent, in ignem aræ impositum; vel si absque igne, ut in conviviis, in mensam invergebat. Unde *libo* primò significat *stillo;* deinde, quia in libatione vinum degustabatur, significat etiam *degusto* ac *leviter tango*, ut sup. v. 260. *Oscula libavit natæ.* Geor. 4. 54. *Flumina libant summa leves.* Denique generatim sumitur pro *sacrificio*, quia nullum sacrificium erat sine libatione.

741. *Atlas.*] Benè Pœnus ea narrat quæ docuit Atlas: Afer, rex Mauritaniæ, quia cùm esset astrologiæ peritissimus, cœlum humeris sustinuisse dicitur; et in montem cognominem mutatus, objectu Gorgonei capitis, à Perseo Jovis filio, quem excipere hospitio noluerat.

Unde hominum genus, et pecudes: unde imber, et ignes:
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantùm Oceano properent se tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrii, Troësque sequuntur.
Necnon et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immò age, et à primâ dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos: nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.

*unde* oriatur *genus hominum, et pecudes: unde pluvia et fulmina:* canit *Arcturum, et Hyadas imbriferas, et duos Triones; cur Sol hyemalis ita properet se lavare* aquis *Oceani, vel quæ mora retardet lentas noctes* æstatis. *Carthaginienses dant plausum et Trojani* eos *imitantur. Misera etiam Dido traducebat noctem variis* cum Æneâ *colloquiis, et sensim hauriebat amorem: quærens multa de Priamo, multa de Hectore. modò, quibus armis instructus filius Auroræ venisset* Trojam: *modò, quales* essent *equi Diomedis; modò quantus* esset *Achilles. Age potiùs, ô hospes, inquit, et narra nobis dolos Græcorum à primâ origine, ruinamque* civium *tuorum, et tuos errores: nam æstas jam septima te circumfert errantem omnibus terris et maribus.*

## NOTÆ.

744. *Arcturum, &c.*] Stellam procellosam, in signo Bootæ, prope caudam Ursæ majoris; unde nomen habet ab *ἄρκτος, ursa*, et *οὐρὰ, cauda*, Geor. 1. 61. *Hyadas*, stellas septem in fronte Tauri, quibus nomen est ab *ὕω, pluo*, G. 1. 138.

*Geminos Triones.*] Ursas duas, signa Borealia, quæ à rusticis *Plaustrum majus*, ac *Plaustrum minus*, olim dicta sunt: quia in Majore septem stellæ ita dispositæ sunt ut boves aratro subligatos referant: boves autem *triones* antiquis dicti sunt: quòd arando, vel terram terant, juxta Varronem, quasi *teriones;* vel strias in terrâ excavent, juxta Scaligerum, quasi *striones.* In Minore verò, stellæ item aliquot, licèt multò minores, eundem ferè situm imitantur.

745. *Se tingere Soles.*] Ex vulgi mente, cui sidera in Oceanum decumbere et lavari dicebantur. Sensus est: cur dies hyberni tam sint breves; et quæ mora sic obstet noctibus æstivis, ut serò ac lentè veniant: versus ii huc translati sunt è Geor. 2. 481. 482. *Soles*, dies, vel Sol ipse.

750. *Priamo, &c.*] Trojano rege, de quo passim lib. 2. De *Hectore* ejus filio, et *Achille*, suprà, v. 99. De *Auroræ filio Memnone*, v. 489. De *Diomede*, Tydei filio, v. 97. De *equis* quos Rheso Diomedes abduxit, v. 472.

756. *Septima æstas.*] Hinc probat Segresius, æstate Æneam ad Africæ litus appulsum esse. Nec refert quòd lib. 5. v. 626. sub ipsum sequentis veris initium, dicat etiam Beroë: *Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas.* Illic enim addit *vertitur*, id est, transacta est, et in aliam æstatem vertitur ac deflectit, nempe in octavam.

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER II.

### ARGUMENTUM.

*NARRAT Didoni Æneas Trojani excidii seriem; ea est ejusmodi. Græci decennali bello penè fracti, dolo capere urbem constituunt; fugam simulant; circa Tenedum insulam latent; equum relinquunt in castris, fœtum intus militibus. Quo, per fraudem Sinonis, cui fidem mors Laocoontis faciebat, in urbem inducto: noctu reserato ejus utero Græci erumpunt; admissoque exercitu, Trojam ferro et igne populantur. Admonetur in somnis Æneas ab Hectore, ut fuga sibi consulat: Æneas martem fugæ præferens, coactâ manu, Græcos aliquot cædit; sumptisque eorum armis, suorum telis ferè obruitur. At, vastatâ regiâ, Priamo Pyrrhi manu interfecto, Æneas domum revertitur, Anchisæ patri sacra Penatesque committit, suis eum imponit humeris: et cum Ascanio filio, Creüsâque uxore, fugam arripit. Mox amissâ inter eundum Creüsâ, iter ad eam quærendam relegit: occurrit mortuæ uxoris umbra, monetque se à Cybele in Phrygiâ detineri. Redit ille in montem Idam, et cum sociis mari fugam parat.*

CONTICUERE omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, jubes renovare dolorem:
Trojanas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai, quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando,
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei,

INTERPRETATIO.

*Omnes siluerunt, et attenti comprimebant vocem. Tum pater Æneas sic incepit è superiori* parte *lecti: Jubes me, ô regina, renovare dolorem infandum,* narrando, *quomodo Græci everterint potentiam Trojanam, et regnum deplorandum; et quæcunque vidi ipse* digna *miseratione, et quibus magnâ ex parte interfui. Quis Myrmidonum, aut Dolopum, aut* quis *miles duri Ulyssis, hæc commemorando,*

### NOTÆ.

2. *Ab alto.*] Quia Æneas sedebat in altiore, id est, dexterâ parte lecti; Ascanius inferiore, seu sinistrâ; Dido in mediâ, Æn. 1. 698.

*Danai.*] Græci, Æn. 1. 30.

7. *Myrmidonum, &c.*] Milites Achillis fuerunt, ex Æginâ insulâ sinûs Saronici, inter Peloponnesum et Atticam: sic dicti à *μύρμηξ, formica:* quòd, ut ait Strabo, propter soli sterilitatem, formicarum in morem terram fodientes, semen in saxa conjicerent: itemque laterum coctorum penuriâ in fossis habitarent. Fabulæ tamen ex eo derivant nomen, quòd Æacus Achillis avus, Æginæ rex, cùm regnum videret peste vastatum, precibus à Jove impetravit, ut formicæ, quas ingenti numero reptantes videbat, novos in incolas mutarentur. Aliqui sic fabulam explicant, ut putent Æginam insulam frequentiorem ab ipso redditam, deductis ex Thessaliâ coloniis; testatur enim Velleius initio historiæ, *Thessaliam* priùs vocatam esse, *Myrmidonum civitatem,* ac non nisi post Trojana tempora *Thessaliam.* Igitur Achillis *Myrmidones* vel erant *Æginetæ,* vel potiùs *Thessali.*

7. *Dolopum.*] Eos quidam Thessaliæ, Plinius Ætoliæ, Ptolemæus Epiro annumerat. Addit Strabo, præpositum iis fuisse à Peleo Achillis patre, Phœnicem, qui cum Chirone centauro Achillis educationi præfuerat, eumque ad Trojam secutus est. Igitur Dolopes, vel Phœnicis milites erant, vel Achillis, vel, ut alii volunt, Pyrrhi Achillis filii.

*Ulyssei.*] Ithacæ et Cephalenæ, insularum in Ionio mari, regis; cujus dolis Trojana expeditio præcipuè promota est: de illo passim, hoc et aliis libris. *Ulyssei,* pro *Ulyssis,* genitivus, de quo Æn. 1. 220.

Temperet à lacrymis? et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem:
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit:
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum, divinâ Palladis arte
Ædificant: sectâque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri: penitûsque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.
 Est in conspectu Tenedos, notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantùm sinus, et statio malefida carinis:
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas:
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portæ; juvat ire, et Dorica castra,
Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hìc Dolopum manus, hìc sævus tendebat Achilles:
Classibus hìc locus: hìc acies certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.

*abstineat à fletu? Et jam nox humida præceps abit è cœlo, et astra decedentia invitant ad somnum. Sed si tanta* tibi est *cupiditas cognoscendi casus nostros, et breviter audiendi ultimam Trojæ ruinam, quamvis* mea *mens abhorreat, et* præ *dolore recuset recordari;* tamen *incipiam. Duces Græcorum, afflicti bello, et fatis repulsi* ab expugnatione urbis, *tot annis jam elapsis; faciunt equum, in modum montis, divino consilio Minervæ, et struunt costas ex abiete scissâ. Fingunt* esse *votum pro reditu: spargitur is rumor. Ad* eam rem *sortiti electa corpora militum,* ea *clam occultant in obscuris lateribus* equi, *et magnas cavernas, atque uterum profundè implent armatis militibus. Est in propinquo Tenedos insula, famâ notissima, abundans opibus dum regnum Priami stabat: nunc solùm* est *sinus et statio parùm tuta navibus. Illuc elapsi occultant se deserto in litore: nos putavimus* eos *discessisse, et ventis* propitiis *repetiisse Mycenas. Itaque Troja omnis liberat se diuturno angore: portæ aperiuntur, dulce est exire et aspicere castra Græca, et vacua spatia et litus derelictum. Hìc turmæ Dolopum, hìc crudelis Achilles habebat tentoria: hìc* erat *statio navium: hìc exercitus solebant pugnare. Pars stupet munus perniciosum* oblatum *innuptæ Palladi, et admiratur magnitudinem equi: et primus Thymœtes suadet* ut *admittatur intra muros: et statuatur in arce; seu per fraudem, seu jam fata Trojæ ita volebant.*

## NOTÆ.

8. *Cœlo præcipitat.*] Nox abit, fugit è cœlo.

9. *Suadentque cadentia sidera somnos.*] Decedentia, die proximè imminente: quam interpretationem probabimus, Æn. 4. 81.

115. *Instar montis equum, &c.*] De voce, *instar*, Æn. 6. 865. Equi fabricator fuit *Epeus:* materiam advexit *Ajax Oïlei.* Equus autem ille, non reipsâ equus fuit: sed, vel machina, cujusmodi est aries, quâ muri subruti sint: vel pictura in eâ urbis portâ, quam Græcis prodidisse Antenor dicitur, vel signum Græcis datum, ut in pugnâ suos ab hostibus dignoscerent; vel equestrem notat pugnam, quâ Græci Trojanos vicerint; vel montem *Hippium*, post quem latentes Græci urbem oppresserint: ἵππος enim est *equus*, et ideò quibusdam videtur dixisse Virgilius: *Instar montis equum.*

16. *Abiete, &c.*] *Sapin*, FIR: pro quovis ligno.

17. *Votum pro reditu.*] Ad obtinendum felicem reditum: et Accius, in Deiphobo sic inscriptum ait equum fuisse. *Minervæ donum armipotenti Danaï abeuntes dicant.*

21. *Tenedos.*] Insula Hellesponti, contra Sigeum Troadis promontorium.

25. *Mycenas.*] Urbem regiam Agamemnonis, in Peloponneso, de quâ Æn. 1. 284.

26. *Teucria.*] Troja, à *Teucro* rege, *Dardani* socero, Æn. 1. 235.

27. *Dorica.*] *Doris*, Græciæ regio, inter Thessaliam, Ætoliam, et Phocidem: ad Parnassum et Œtan montes. Pro totâ Græciâ hìc sumitur.

29. *Tendebat.*] Tendebat tentoria: vox Tacito et Seutonio familiaris. Suet. in Galbâ, 12. *Germanorum cohortem remisit in patriam, quasi Cn. Dolabellæ, cujus juxta hortos tendebat, proniorem.* De *Achille*, Æn. 1. 99.

31. *Innuptæ Minervæ.*] *Pallas* item dicta est. Vulcani nuptias respuit, et virginitatem servavit. Nomen, vel à *minari*, quòd armata pingatur: vel à *memini*, quòd memoriæ Dea dicatur; vel potiùs ab antiquo *minervo*, id est, *moneo*, quòd homines benè moneat, utpote Dea sapientiæ atque artium.

34. *Sive dolo.*] Habuit enim Thymœtes aliquam prodendi Priami quasi justam causam. Narrat enim scholiastes Lycophronis *Cillam*, Hecubæ sororem, Thymœtæ uxorem, amatam à Priamo:

At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
  Primus ibi ante omnes, magnâ comitante catervâ,
Laocoon ardens summâ decurrit ab arce:
Et procul: O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes: aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit: stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedêre cavernæ.
Et, si fata Deûm, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
  Ecce manus juvenem intereà post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultrò,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis.
Obtulerat: fidens animi, atque in utrumque paratus;
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaûm insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.

*At Capys, et quorum animo prudentior* inerat *sensus, aut suadent* ut *abjiciant dolos Græcorum et munera suspecta, comburantque suppositis ignibus; aut* ut *fodiant et explorent cavas latebras alvi. Plebs ambigua distrahitur in opposita consilia. Tunc prior coram omnibus Laocoon, magnâ turbâ sequente, decurrit celer è summâ arce: et procul* clamat: *O miseri cives! quæ tanta* est *stultitia? an putatis hostes* esse *profectos? aut existimatis ulla Græcorum munera carere fraudibus? sic Ulysses cognitus* est vobis? *Aut Græci clausi hoc ligna latent; aut hæc machina structa est contra nostra mœnia ad explorandum domos, et ex alto ingruendum urbi: aut alius aliquis dolus latet: Trojani, ne fidite* huic *equo: quodcunque istud est, metuo Græcos, etiam dum munera dant. Cum hæc dixisset, immisit totis viribus magnam hastam in latus, et in uterum equi curvatum juncturis: hæsit illa tremens, et repercusso utero cava spatia sonuerunt et emiserunt gemitum. Et, si fata Deorum, si mens non fuisset sinistra,* Laocoon *persuasisset ut violâssemus armis Græcas latebras: et nunc stares, ô Troja: et maneres, ô arx alta Priami. Ecce interim pastores Trojani magno clamore ad regem trahebant juvenem ligatum manibus post terga: qui sponte se ignotum tradiderat venientibus, ut illud ipsum firmaret,* ac deinde *panderet Trojam Græcis: confidens animo, et paratus ad utrumque; seu ad faciendum fraudem, seu ad mortem certò subeundum. Undique Trojana juventus cupiditate videndi circumfusa accurrit, et insultat certatim captivo. Audi jam dolos Græcorum, et ab unâ* eorum *fraude cognosce omnes* Græcos.

NOTÆ.

ac deinde cum filio Menippo, quem furtim ex eo susceperat, ab eo fuisse occisam. De *Danais*, Græcis, Æn. 1. 30.

41. *Laocoon.*] Juxta aliquos, Anchisæ frater fuit: juxta alios, Priami filius, sacerdos Apollinis: cætera infrà, v. 201. 229. De *Achivis*, Græcis, Æn. 1. 188.

47. *Inspectura domos, venturaque, &c.*] Cùm enim altior esset muris et domibus, suspicabatur Laocoon esse aut speculam, aut machinam fœtam ignibus, qui deinde in subjectam urbem ingrueret.

51. *Feri.*] Equi: sic Æn. 7. 489. de cervo: *Pectebatque ferum.*

54. *Læva.*] *Fata* significat *contraria;* ut G. 4. 7. *Numina læva: mentem* verò *imprudentem,* ut Ecl. 1. 16. *Si mens non læva fuisset.* Ubi de ambiguâ vocis hujus potestate fusè agitur.

55. *Argolicas fœdare.*] *Argolicas,* Græcas ab Argis, urbe Peloponnesi, de quâ Æn. 1. 285. *Fœdare.*] Lacerare, vulnerare, ut Æn. 3. 241. *Obscœnas ferro fœdare volucres.*

59. *Dardanidæ.*] Trojani à rege Dardano, Teucri genero, Æn. 1. 235. De *Achivis,* Græcis, Æn. 1. 488.

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat!
Cui neque apud Danaos usquam locus; insuper ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus: hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret; quæ sit fiducia capto.
Ille hæc, depositâ tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque fatebor,
Vera, inquit: neque me Argolicâ de gente negabo.
Hoc primum: nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquid, si fortè tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, et inclyta famâ
Gloria: quem falsâ sub proditione Pelasgi
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent:
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat
Consiliis; et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidiâ postquam pellacis Ulyssei
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;

*Scilicet ut stetit in medio conspectu, stupefactus, sine armis; et circumspexit oculis Trojanas turmas: Heu, inquit, quæ jam terra, quæ maria possunt me excipere? aut quid misero mihi demum superest? Cui neque locus usquam est apud Græcos: prætereà ipsi Trojani inimici pœnas cum sanguine repetunt. Quo gemitu mutati* sunt *animi, et vis omnis cohibita* est; *hortamur* ut *loquatur, et narret, quâ stirpe natus* sit; *quid nunciet, quæ fides* adhibenda *sit* ipsi *captivo. Ille, compresso denique metu, sic loquitur: Ego quidem, ô rex, vera, inquit, tibi aperiam omnia, quæcunque fuerint; neque negabo* me *esse è genere Græco: hoc primum: nec adversa fortuna, etsi miserum fecerit Sinonem, faciet etiam fallacem et mendacem. Si fortè inter loquendum* de *aliquâ* re, *venit ad aures tuas nomen Palamedis Belidæ, et gloria nobilis* per *famam: quem Græci sub falso* prætextu *proditionis innocentem morti adduxerunt per crudelem calumniam, quia dissuadebat bellum; nunc deflent privatum luce. Pater* meus *pauper misit me illi* Palamedi *comitem et sanguine cognatum huc ad bellum à primâ adolescentiâ. Dum salvus stetit in regno, et regnum floruit* ejus *consiliis: ego quoque aliquid famæ et honoris obtinui: postquam invidiâ fallacis Ulyssei (non ignota dico) abiit* ex hoc *mundo superiore;*

## NOTÆ.

68. *Phrygia.*] Trojana, quia Troas in Phrygiâ minore fuit, Æn. 1. 381.

78. *Argolicâ.*] De *Argis*, urbe Peloponnesi, Æn. 1. 285.

81. *Fando aliquid.*] Gerundia modò passivè significant; ut hìc *fando*, id est, *dum aliquid dicitur:* modò activè, ut suprà, v. 6. *Quis talia fando*, id est, *dum dicit talia.* Ita Servius.

82. *Belidæ Palamedis.*] Fuit Palamedes Nauplii filius, regis Eubœæ insulæ, in Ægæo mari; per Amymonem, Danai filiam, ortum duxit à Belo, prisco rege illius Africæ partis, quæ deinde Ægyptus vocata est. Is Palamedes infestum habuit Ulyssem duabus maximè de causis. I. Nolebat Ulysses ad bellum Trojanum proficisci cum cæteris Græcis; ideòque insaniam simulans, junctis ad aratrum animalibus diversæ naturæ, serebat salem. Filium ejus Telemachum aratro Palamedes supposuit; quo viso, Ulysses aratrum suspendit, atque ita minimè stultus esse judicatus est. II. Ulysses ad bellum profectus, et in Thraciam deinde missus ad frumenta convehenda, cùm nihil retulisset, increpitus est à Palamede, qui illuc ipse missus magnam frumenti vim advexit. Subtilissimo ingenio fuit Palamedes, et in otio castrorum reperit multa, literas quatuor, ϑ, φ, ξ, χ, ludos complures, multa de ponderibus.

83. *Falsâ sub proditione Pelasgi, &c.*] Sub specie proditionis. Ulysses enim aurum in Palamedis tentorio clam defodit: tum epistolam fingit Priami ad Palamedem, quâ gratiæ ei agebantur pro proditione, et aurum muneris loco fuisse datum indicabatur: quod cùm Græci in ejus tentorio reperissent, insontem lapidibus obruerunt. Rem Dictys aliter narrat. *Pelasgi.*] Græci, propriè Thessali, Æn. 1. 624. *Indicio.*] Relatione Ulyssis, et auri indicatione. *Quia bella vetabat.*] Hoc mentitur Sinon, in gratiam Trojanorum, ut fidem sibi apud eos faciat.

86. *Consanguinitate propinquum.*] Et hoc mentitur Sinon: non enim Palamedi sanguine junctus fuit, sed Ulyssi: ex eâdem *Autolyci* et *Sisyphi* stirpe.

88. *Regno incolumis, &c.*] Vel intelligit regnum Eubœæ, quod obtinebat Nauplius Palamedis pater: vel potiùs commune imperium et concilium Græciæ totius, ad bellum Trojanum consociatæ.

*tristis ducebam vitam in dolore ac tenebris, et clam indignabar ob mortem innocentis amici. Nec silui insanus: et si me fortuna aliqua reduxisset, si aliquando rediissem victor ad patriam* meam *Argos, promisi* me fore *ultorem, et querelis concitavi acerbum odium* Ulyssis in me. *Hæc mihi* fuit *prima origo calamitatis: inde semper Ulysses* cœpit me *terrere novis criminationibus: inde emittere in plebem sermones dubios* de me, *et* apud se *reus quærere ea* unde mihi noceret. *Neque verò cessavit, donec Calchante administro —At verò cur ego hæc frustrà renarro* vobis *ingrata? aut cur moror? si eodem modo tractatis omnes Græcos, et* si *satis est hoc audire; jamdudum sumite supplicium de* me; *hoc optaverit Ulysses, et Atridæ magno* pretio *emerint. Tunc autem cupimus interrogare, et petere causas, inscii tantorum criminum et fraudis Græcæ. Pergit timens, et mendaci animo ait: Sæpe Græci optaverunt fugam petere Trojâ relictâ, et abire, fatigati diuturno bello. Et utinam* id *fecissent! Sæpe adversa tempestas maris eos detinuit, et Auster terruit abeuntes. Præsertim cùm jam staret hoc loco equus exstructus è lignis acernis, nubes tonuerunt toto aëre. Incerti mittimus Eurypylum* ad *consulendum oraculum Apollinis: et ille refert ex* ejus *penetralibus hæc tristia verba: O Græci, cùm primò venistis ad litus Trojanum, propitiâstis ventos sanguine, et immolatâ virgine: reditus impetrandus est sanguine, et sacrificandum est animâ Græcâ. Quæ vox postquam venit ad aures plebis,*

Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: et me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeâssem victor ad Argos,
Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulysses
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quærere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro—
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.
Tum verò ardemus scitari, et quærere causas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:
  Sæpe fugam Danai Trojâ cupiere relictâ
Moliri: et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! Sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, et terruit Auster euntes.
Præcipuè, cùm jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placâstis ventos et virgine cæsâ,
Cùm primùm Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animâque litandum
Argolicâ. Vulgi quæ vox ut venit ad aures,

## NOTÆ.

99. *Quærere conscius arma.*] *Conscius:* id est, *sciens se reum occisi Palamedis, atque adeò se verbis et querelis meis unum peti. Arma.*] Sunt cujuslibet rei faciendæ instrumenta et auxilia: hìc, *insidiæ, fraudes, nocendi occasio.*

100. *Calchante.*] Calchas, Græcorum augur: cujus absque consilio et divinatione nihil in Trojano bello gestum est. De *Achivis,* Græcis, Æn. 1. 488.

104. *Ithacus velit, &c.*] Rem facietis optatissimam Ulyssi *Ithacæ* regi, et *Agamemnoni* et *Menelao* Atrei filiis.

106. *Pelasgæ.*] Græcæ, nam suspecta olim fuit Græcorum fides. De *Pelasgis,* Æn. 1. 624. De *Danais,* Æn. 1. 30.

111. *Auster.*] Ventus meridionalis, adversus redeuntibus è Troade in Græciam. De *Austro,* Ecl. 2. 58. *Acernis* ex *acere* arbore, *érable,* MAPLE.

114. *Eurypylum.*] Augurem nobilem, quem quadraginta navibus ad bellum Trojanum venisse ait Homerus, Iliad. 2. 736.

116. *Virgine cæsâ.*] Iphigeniâ, Agamemnonis filiâ. Nam Græci Trojam profecti, cùm ad Aulidem Bœotiæ portum venissent, suspensis ventis et pestilentiâ grassante, consuluerunt oraculum à quo responsum est, Agamemnonis filiam Dianæ esse immolandam; sed hæc in ipso sacrificio à Dianâ subducta est, et cerva ejus in locum supposita; ipsa virgo in Tauricam regionem translata, ubi Dianæ sacerdotio functa est. Videtur tamen Virgilius cæsam affirmare: ut et Ovidius.

118. *Litandum.*] Et *sacrificandum,* differunt; nam *litare* dicuntur ii, quorum sacrificium Diis gratum et acceptum est: vel à λύω, id est, *solvo;* vel à λιτὴ, *precatio, supplex,* unde et *litaniæ* nostræ derivantur. De *Apolline,* vaticiniorum Deo, Ecl. 3. 104.

Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hìc Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina Divûm,
Flagitat: et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce suâ quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compositò rumpit vocem, et me destinat aræ.
Assensere omnes: et quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) leto me, et vincula rupi:
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulvâ
Delitui, dum vela darent, si fortè dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos et conscia numina veri;
Per, si qua est quæ restat adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro: miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, et miserescimus ultrò.
Ipse viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios,
Noster eris: mihique hæc edissere vera roganti:

*obstupuerunt animi; et frigidus timor penetravit in ossa intima: cui mortem destinent, quem petat Apollo. Tum Ulysses magno tumultu educit in medios vatem Calchanta: quærit quænam sit illa voluntas Deorum: et multi mihi jam prædicebant crudele crimen artificiosi* Ulyssis, *et clam prævidebant futura. Ille* Calchas *tacet* per *decem dies: et occultus abnuit declarare ullum voce suâ, aut objicere morti. Denique ægrè coactus magnis clamoribus Ulyssis, ex compacto emittit vocem et me devovet altaribus. Applauserunt omnes: et passi sunt verti in perniciem unius miseri ea, quæ unusquisque metuebat sibi. Jamque dies funesta advenerat: mihi* incipiebant *parari sacrificia, et mola salsa, et tæniæ circa caput* pendulæ. *Subduxi me morti, fateor, et abrupi catenas, et latui per noctem obscuram in herbis limosi lacûs, donec præberent vela ventis, si fortasse præbituri essent. Neque mihi nunc spes ulla est videndi veterem patriam, et jucundos liberos, et patrem desideratum: quos illi fortasse ad sacrificium repetent ob meam fugam, et expiabunt hoc delictum nece miserorum. Hoc* ergo *precor te, per superos et Deos qui veritatem sciunt; per si qua est inviolata fides, quæ supersit uspiam hominibus: miserere tot calamitatum, miserere animi indigna passi. His lacrymis concedimus vitam, et lubenter miseremur* ejus. *Ipse Priamus imperat solvi manicas et catenas strictas: et amicis verbis sic loquitur: Quicunque sis, jam inde obliviscere Græcos relictos, noster eris: sed hæc mihi petenti verè declara.*

## NOTÆ.

123. *Numina.*] Hic sumi pro voluntate Deorum, haud dubium est: vide Æn. 1. 133.

*Ithacus.*] Ulysses, Ithacæ insulæ rex.

133. *Salsæ fruges.*] *Mola,* placentæ species, ex *farre* sive frumento, salso, tosto, ac molito: unde *mola* appellabatur; et victimæ, quarum fronti ante sacrificium imponebatur, dicebantur *immolari,* Ecl. 8. 82.

*Vittæ.*] *Infula,* fascia latior, vulgò lanea et nivea, ex quâ minores aliæ dependebant: unde Lucretius, l. 1. 87. de Iphigeniâ immolandâ: *Cui simul infula virgineos circumdata comptus, ex utrâque pari malarum parte profusa est.* Hâc infulâ non tantùm victimæ, sed sacerdotes, et ipsa etiam Deorum simulacra coronabantur: unde, infrà v. 168. *Virgineas ausi Divæ contigere vittas.*

135. *Ulvâ.*] Herba quælibet palustris, sine certo nomine.

141. *Quod.*] Vel est *quocirca;* vel redundat, ut sæpe apud Græcos ὅτι, vel, ut mihi videtur, pronomen est, *quod te oro;* id est, *hoc te oro, hoc unum te oro, miserere, &c.* Sic Æn. 6. 363. *Quod te per cœli jucundum lumen et auras, Per genitorem oro, &c.*

142. *Per, si qua est, &c.*] Locutio poëtis familiaris; et sensus est: *Per intemeratam fidem, si qua est intemerata fides hominibus.* Sic Æn. 12. 56. *Per, si quis Amatæ tangit honos animum.*

146. *Manicas.*] Vox à *manu* deducta: significatque aliquando vestium partem, quæ manus et brachia protegit: aliquando vincula manuum; ut *compedes,* pedum.

Quò molem hanc immanis equi statuêre? quis auctor?
Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasgâ,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.
Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi; vittæque Deûm, quas hostia gessi;
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura;
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modò promissis maneas, servataque serves
Troja fidem: si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaûm et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem; manibusque cruentis
Virgineas ausi Divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retrò sublapsa referri
Spes Danaûm; fractæ vires, aversa Deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.

*Cur posuerunt hanc ingentem molem equi? quis hujus auctor est? aut quid petunt? quæ* est in eo *religio? aut quæ* est hæc *machina belli? Dixerat. Ille, imbutus fraudibus* et *calliditate Græcâ, extulit ad astra manus solutas vinculis. Vos attestor, inquit, ignes sempiterni, et inviolabilem vestram divinitatem: vos aræ et enses funesti, quos evitavi; et teniæ Deorum, quas victima gestavi: liceat mihi violare arcana sacramenta Græcorum: liceat odisse illos, et exponere cuncta in lucem, si occultant aliqua: neque* verò *jam obstrictus sum ullis legibus patriæ. Tu tantùm, ô Troja, sta promissis: et* per me *servata, serva* mihi *fidem: si vera profero, si magna præsto. Tota spes Græcorum et confidentia incepti belli posita fuit in ope Palladis. At verò à quo* tempore *impius Diomedes et Ulysses repertor criminum, aggressi auferre è sancto templo* Trojæ *fatale Palladium, occisis custodibus summæ arcis, rapuerunt sacram statuam; et ausi sunt tangere sanguinolentis manibus virgineam infulam Deæ: ab illo* tempore *spes Græcorum cœpit evanescere, et retrò acta abire; vires infirmatæ* sunt, *animus Deæ alienatus* est ab iis: *nec incertis portentis id significavit Pallas.*

## NOTÆ.

152. *Arte Pelasgâ.*] Græci vafritie et malâ fide infames fuerunt. De *Pelasgis*, propriè Thessalis, Æn. 1. 624.

154. *Vos, æterni ignes.*] Aliqui explicant de ignibus aræ, quos effugerat; alii meliùs cum Servio, de Sole, Lunâ, Sideribus aliis. Nam hæc putabant veteres, et igneæ esse naturæ, et in æternum lucere, et habere Divinitatem: et frequenter jurabant per sidera, Æn. 8. 429. *Cœlum hoc et conscia sidera testor.*

159. *Si qua tegunt.*] *Si* pro *siquidem*, non dubitantis, sed affirmantis est.

162. *Danaûm.*] Græcorum, Æn. 1. 30. De *Pallade*, ibid. 39. et suprà, 31. De *Tydide*, Diomede Tydei filio, Æn. 1. 97. De *Ulysse*, suprà, v. 7.

166. *Palladium.*] Statua fuit Palladis, armata parmâ, id est, scuto breviore, et hastâ; eo ritu consecrata ut crederent, urbem, in quâ esset, inexpugnabilem fore. Aliqui dicunt è cœlo esse delapsam; alii factum ex ossibus Pelopis. Hanc Ulysses et Diomedes, sublapsi per cuniculos aut cloacas in urbem Trojam, ex arce subripuerunt: Diomedes deinde post excidium Trojæ tempestate actus in Italiam, Deorum responsis monitus ut Palladium Trojanis restitueret, dicitur illud Æneæ per Calabriam transeunti restituisse, vel cuidam ex Æneæ amicis, cui nomen *Nautes.* Ab hoc illatum in Italiam, et Lavinii primùm, deinde Albæ, tum Romæ servatum in templo Vestæ, sub Vestalium et Nautiæ familiæ custodiâ; tam secretò, ut Herodianus testetur, sub Commodo Imperatore cùm templum Vestæ conflagrâsset, Palladium Romæ tunc primò visum esse. De *vittis*, suprà, v. 133. *Virgineæ* dicuntur, quia *Pallas innupta.*

171. *Tritonia.*] Pomponius Mela, l. 1. c. 7. paludem et amnem Africæ *Tritona* memorat, non longè à Syrte minore, *Unde*, inquit, *Minervæ cognomen inditum est, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem; quòd quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant.* Sic et Lucanus, l. 9. 347.

*Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.*
*Hanc et Pallas amat: patrio quæ vertice nata,*
*Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,*
*Ut probat ipse calor) tetigit: stagnique quietâ*
*Vultus vidit aquâ, posuitque in margine plantas;*
*Et se dilectâ Tritonida dixit ab undâ.*

Vel fortè allusum est à Latinis auctoribus ad Græcum Palladis epithetum, quo dicitur, Iliad. 2. 157. et alibi, ἀτρυτώνη, *indefessa, expers timoris:* à τρεῖν, *timere*, et α privativo.

Vix positum castris simulacrum; arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplò tentanda fugâ canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis;
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum advexere carinis.
Et nunc quòd patrias vento petiere Mycenas;
Arma Deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt: ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso,
Effigiem statuêre, nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit:
Nec recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiquâ sub religione tueri.
Nam si vestra manus violâsset dona Minervæ;
Tum magnum exitium (quod Dî priùs omen in ipsum
Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum;
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem;
Ultrò Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello

*Vix statua deposita* est *in castris* Græcorum; cùm *rutilæ flammæ eruperunt* ex ejus *oculis subrectis, et salsus sudor fluxit per* ejus *membra, et ipsa ter exiliit è terrâ, quassans clypeum et hastam trementem:* quæ res est *miranda dictu. Statim Calchas declarat tentandam esse fugam mari: nec posse Trojam everti Græcis armis, nisi requirant* ex urbe *Argis alia auspicia; et reducant Palladem* faventem, *qualem* priùs *mari et curvis navibus secum adduxerant. Et nunc, si vento redeunt Mycenas,* in urbem *patriam; parant* nova *bella et Deos socios, et mari* iterum *trajecto aderunt inexpectati: sic Calchas disponit omnia. Pro Palladio* rapto, *et Deâ offensâ, admoniti exstruxerunt hoc simulacrum, quod expiaret funestum crimen. Tamen Calchas præcepit* eos *exstruere lignis compactis hanc molem altissimam, et* eam *ad cœlum erigere: ne possit capi portis, et induci in muros: néve servare populum secundùm antiquam religionem. Nam,* dicebat, *si vestræ manus læsissent* hoc oblatum *Palladi munus; tunc magnam ruinam imminere regno Priami et Phrygibus, quod vaticinium Dii potiùs convertant in ipsum* Calchanta: *si verò manibus vestris inductum fuisset in urbem vestram; sponte Asiam magnis copiis venturam esse ad urbes Peloponnesi,*

NOTÆ.

176. *Calchas, &c.*] Græcorum vates.

*Pergama.*] Arx Trojæ, Æn. 1. 466. *Argi,* et *Mycenæ,* urbes Peloponnesi, regiæ Agamemnonis, Æn. 1. 284.

178. *Omina ni repetant, &c.*] Respexit morem Romanorum, inquit Servius: nam si egressi malè pugnâssent, revertebantur ad captanda rursus auguria: aut si longiùs abessent Româ; locus aliquis ex agro captivo Romanus fiebat, in illâ provinciâ in quâ bellabatur, ad quem, si renovanda essent auspicia, dux rediret.

182. *Omnia Calchas.*] Legunt aliqui *omina:* nec malè.

186. *Roboribus.*] Vel species est quercûs *robur,* vel lignum quodvis durissimum, Geor. 1. 162.

188. *Antiquâ sub religione tueri.*] Id est, in locum Palladii succedere, quòd antiquo cultu ex populi credulitate urbem servaturum erat.

191. *Phrygibus.*] Trojanis, in minore Phrygiâ sitis, Æn. 1. 381.

193. *Asiam.*] Duplex est: major et minor. *Major,* è tribus mundi partibus, quas veteres agnoverunt, longè maxima est: quam ab Europâ Tanais fluvius, pontus Euxinus, et Ægæum mare disterminant; ab Africâ sinus Arabicus: nunc in partes distincta præcipuè sex, imperium Muscoviticum, Tartaricum, Turcicum, Persicum, Indicum, et Sinense. *Minor,* peninsula est majoris Asiæ, maximè occidentalis: inter pontum Euxinum, et eam Mediterranei maris partem, quæ Issico sinu terminatur: nunc *Anatolie;* de hâc sermo hìc est, quia in eâ erat *Troas.*

193. *Pelopeia ad mœnia.*] Vel *Argos,* ubi præcipuè regnavit Pelops: vel totam peninsulam Isthmo Corinthiaco Græciæ annexam; quæ cùm *Apia* diceretur, *Peloponnesus* deinde, id est, *insula Pelopis,* vocata est à *Pelope;* qui è Phrygiâ, ubi Tantalus ejus pater regnaverat, coloniam eò deduxit. *Pelops* à Tantalo patre dicitur appositus fuisse Diis ad epulas, cúmque humerum avidior Ceres comedisset, eburneo humero donatus à Jove; Œnomaum deinde regem Elidis curuli certamine vicit, fraude aurigæ Myrtili, qui vectem axi subduxerat: atque ita Hippodamiam Œnomai filiam solus è procis obtinuit, aliis tredecim ab Œnomao jam antè victis et occisis: eam enim is posuerat legem, ut victus moreretur, victori filia nuberet, monitus oraculis à genero sibi mortem imminere. Pelops ex Hippodamiâ *Atreum* ac *Thyestem* suscepit: Atreus *Menelaum* et *Agamemnona. Pelopeia,* quatuor syllabis, Græcâ diphthongo, *Pelopeia.*

Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis, perjurique arte Sinonis,
Credita res: captique dolis, lacrymisque coacti;
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hìc aliud majus miseris multóque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exsuperant undas; pars cætera pontum
Ponè legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo; jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt: et primùm parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Pòst, ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circùm
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit cùm saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones

*et ea fata spectare nostros posteros. Talibus dolis, et vafritie perjuri Sinonis, res credita* est; *et decepti fraudibus, ejusque fletu subacti* sunt ii, *quos neque Diomedes, nec Achilles Larissæus, nec decem anni, nec mille naves subegerant. Tunc aliud majus et longè magis terribile* portentum *objicitur miseris* Trojanis, *et turbat incautas mentes. Laocoon sorte electus sacerdos Neptuno, sacrificabat magnum taurum ad solemnia altaria. Ecce autem (horresco narrans) duo serpentes immensis spiris* à *Tenedo* emissi *per mare sedatum, innatant undis, et simul accedunt ad litus: quorum pars anterior sublata è fluctibus, et cristæ sanguinolentæ excedunt undas; pars reliqua propiùs radit mare, et curvat volvendo immanes caudas. Fit strepitus, mari spumante: et jam attigerant litus, et suffusi sanguine et igne* circa *coruscantes oculos, lambebant linguis mobilibus ora sibilantia. Fugimus exanimati aspectu: illi certo impetu currunt ad Laocoonta: et primò serpens uterque amplectendo constringit parva corpora duorum filiorum* Laocoontis, *et morsu devorat misera membra: deinde invadunt* patrem *ipsum venientem in auxilium et arma attollentem, spirisque grandibus involvunt: et jam bis complexi medium, bis circumdantes* ejus *collo dorsa squamosa, excedunt capite et collis altis. Ille simul conatur manibus disrumpere nexus, infectus* circa *tænias tabo et nigro veneno, simul emittit ad astra clamores horrendos:* tales, *quales mugitus* emittit *taurus, cùm vulneratus fugit altaria, et excussit à collo securim dubio* ictu impactam. *At gemini angues serpendo fugiunt ad summa templa,*

## NOTÆ.

197. *Tydides, &c.*] Diomedes Tydei filius, Æn. 1. 97. *Larissæus Achilles.*] Phthius potiùs, quia Phthiæ natus est; cùm ejus pater Peleus, ex Æginâ insulâ propter fratris sui Phoci cædem profugus, ab Eurytione Phthiæ rege in tertiam regni partem adscitus esset. Sed *Phthia* et *Larissa* vicinæ sunt Thessaliæ urbes.

198. *Mille carinæ.*] Homerus in catalogo numerat mille centum et octoginta sex. *Carina* propriè est trabs ima, quæ fundamentum est totius navis; vulgò pro totâ navi usurpatur.

201. *Neptuno sorte, &c.*] De *Laocoonte* suprà v. 41. De *Neptuno,* Æn. 1. 125. Sorte ductus sacerdos Laocoon quia ubi non erant certi Deo sacerdotes, sorte duci mos erat: non erant autem apud Trojanos Neptuno: vel ex quo Laomedon Neptunum contempserat, vel ex quo Trojani ejus sacerdotem interfecerant, quia sacrificiis adventum Græcorum non vetuerat. Nunc itaque rati Græcos abiisse, sacra Neptuno facienda putaverunt ipso in litore; et sors in Laocoonta cecidit, jam anteà sacerdotem Apollinis. De *Tenedo,* insulâ Hellesponti, supra, v. 21.

209. *Salo.*] Mari, Æn. 1. 537.

212. *Agmine certo.*] Certo et ordinato motu: Sic Geor. 3. 423. *Extremæque agmina caudæ:* locum vide.

221. *Sanie vittas.*] Sanies est sanguis mutatus ac ferè corruptus, atro colore permixtus. De *vittis,* suprà, v. 133.

225. *Delubra.*] Templa sic dicta, à *deluo:* quia plerumque ante templa fontes erant, aut lacus; ubi templa ingressuri deluebantur.

Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque Deæ, clypeique sub orbe teguntur.
  Tum verò tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor: et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt: sacrum qui cuspide robur
Læserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi: pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, et stupea vincula collo
Intendunt: scandit fatalis machina muros,
Fœta armis: pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, ô Divûm domus Ilium, et inclyta bello
Mœnia Dardanidûm! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedêre.
Instamus tamen immemores, cæcique furore,
Et monstrum infelix sacratâ sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei jussu non unquam credita Teucris.

*et abeunt in ædem sævæ Minervæ: et occultantur sub pedibus simulacri, et sub orbe clypei. Tunc verò novus timor omnibus illabitur in corda attonita: aiuntque Laocoonta dignum fuisse pœnâ* quam *persolvit: qui vulnerârit telo sacrum lignum, et immiserit tergo hastam impiam. Clamant invehendum* esse *in urbem equum, et orandam Deæ divinitatem. Evertimus muros, et aperimus munimenta urbis. Omnes præparant* se *ad opus: et pedibus* equi *rotarum supponunt orbes, et injiciunt collo funes è stupâ: fatalis machina intrat muros, plena armatis, circùm pueri et virgines puellæ canunt sacra* carmina, *et gaudent tangere manu funes. Machina progreditur, et minans inducitur in mediam urbem. O patria, ô Troja sedes Deorum, et muri Trojanorum nobiles bello! restitit quater in ipso aditu portæ, et quater arma in* ejus *alvo ediderunt strepitum. Urgemus tamen improvidi et occæcati insaniâ, et locamus funestum portentum in sacrâ arce. Tunc etiam Cassandra solvit in vaticinia futuræ* ruinæ *vocem, Phœbi voluntate nunquam creditam à Trojanis.*

NOTÆ.

226. *Tritonidis arcem.*] Minervæ Tritoniæ, de quâ suprà, v. 171.

*Arcem.*] Vel Trojanæ urbis in quâ templum illud erat, ut v. 41. *Laocoon ardens summâ decurrit ab arce.* Vel arcem dixit, pro templo et æde Minervæ, quocunque loco sita fuerit.

227. *Clypeique sub orbe.*] Serpentes à Pallade excitatos in hujus perniciem non mirabitur, qui sciet ex Plutarchi libro de Iside, draconem sacrum fuisse Minervæ, et à Phidiâ Minervæ simulacro esse appositum: qui Politianum legerit, scribentem se vidisse Romæ Palladis clypeum, squamoso draconis corio contextum, et dracunculis fimbriatum.

229. *Insinuat.*] Supple *se*, ut Æn. 1. 104. *Tum prora avertit.*

*Scelus expendisse merentem.*] Quidam dicunt supplicium luisse tum quidem Laocoonta, non ob læsum equum, iramque Palladis; sed ob violatam alio scelere sanctitatem Apollinei templi, cujus erat sacerdos; et serpentes aufugisse in idem illud templum, quod erat in urbis arce.

230. *Robur.*] Lignum quodvis durius, Geor. 1. 162.

231. *Tergo.*] Dixit v. 51. *In latus, inque alvum.* Ergo à *tergo* equum aggressus ictum in eam impegit *lateris* partem, quæ *alvo* contermina est.

234. *Muros, et mœnia, &c.*] Ita distinguit Germanus, ut *muros* velit esse, lapideum ambitum, quo urbs cingitur; *mœnia*, munitiones, turres, et id genus cætera, quibus muri defenduntur.

235. *Accingunt.*] Supple *se*, ut v. 299. *Insinuat pavor.*

241. *Divûm domus Ilium.*] Quia murorum structores habuit Neptunum et Apollinem: quia Ganymedem Jovis, Tithonum Auroræ delicias, è stirpe regiâ protulit. De *Ilio*, Trojâ, Æn. 1. 1. De *Dardanidis*, Trojanis, ibid. 235.

246. *Cassandra.*] Priami et Hecubæ filia, quæ cùm ab amatore Apolline artem accepisset vaticinandi, nec ei tamen gratiam amoris mutui retulisset; indignatus Deus effecit, ut à Trojanis fides ipsius vaticiniis non haberetur. Nupsit sub extremis illius belli temporibus Chorœbo: captâ urbe, vitiata est ab Ajace Oïlei, in ipso Minervæ templo, et in prædam Agamemnoni cessit; quem cùm admoneret sæpe de cavendis Clytemnestræ insidiis, nec dicto haberet audientem; cum ipso deinde, Ægisthi et Clytemnestræ scelere, in convivio obtruncata est. De *delubris*, suprà v. 225. De *Myrmidonibus*, Achilli subditis, v. 7.

Nos delubra Deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festâ velamus fronde per urbem.
Vertitur intereà cœlum, et ruit Oceano nox,
Involvens umbrâ magnâ terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia Lunæ,
Litora nota petens: flammas cùm regia puppis
Extulerat; fatisque Deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
Tisandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulysses,
Demissum lapsi per funem: Athamasque Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeüs.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam:

*Nos miseri per urbem tegimus festivis ramis templa Deorum, quibus dies ille* futurus *erat extremus. Interim cœlum mutatur, et nox cadit in Oceanum, tegens magnis umbris et terram et cœlum, et fraudes Græcorum: Trojani sparsi per urbem siluerunt: somnus tenet lassa membra. Et jam exercitus Græcus armatis navibus proficiscebatur è Tenedo, per opportuna silentia Lunæ tacitæ, accedens ad litora cognita: cùm navis regia sustulisset facem; Sinon quoque, protectus voluntate Deorum nobis infestâ, aperuit clàm lignea claustra, et Græcos* in *alvo clausos: equus apertus effundit eos in aërem: et hilares emittunt se è cavo ligno duces Tisandrus et Sthenelus, et improbus Ulysses, descendentes per funem dejectum: et Athamas, et Thoas, et Neoptolemus Pelei nepos, et primus Machaon, et Menelaus, et ipse Epeus architectus dolosi* equi. *Aggrediuntur urbem impeditam vino ac somno:*

## NOTÆ.

250. *Ruit Oceano nox.*] Sole nimirum in Oceanum, ut fingitur, cadente; consequitur statim nox et post eum præcipitat *Oceano*, id est, *in Oceanum.* Sicut *it clamor cœlo*, id est, *ad cœlum.*

254. *Argiva phalanx.*] *Phalanx* propriè Macedonum est agmen pedestre, perpetuo umbonum textu consertum, atque ita juncto impetu in hostes incurrens: unde nomen habet juxta Suidam, à *πελάζειν ἄγχι, accedere propè.* Ex Vegetio habebat hominum octo millia.

*Argiva.*] Græca ab *Argis* urbe Peloponnesi, de quâ *Æn.* 1. 285. De *Tenedo*, Hellesponti insulâ, suprà, v. 21.

255. *Silentia Lunæ.*] Ne explices de Lunâ cum Sole conjunctâ, quæ tum dicitur *silens*, quia minimè lucet; sed intellige de mediâ et silente nocte, ut explicabimus, v. 340.

261. *Tisandrus.*] Servius ait eum fuisse filium Polynicis illius, qui de regno Thebano cum fratre Eteocle confligens occidit: sed hunc Polynicis filium vulgò *Thersandrum*, non Tisandrum vocant. At Servius, *Tissandrus* hic legit; Pomponius, *Thessandrus.*

*Sthenelus.*] Filius illius Capanei Argivi, qui eodem Thebano bello Polynicem secutus, occiderat, vel Jovis fulmine, vel Thebanorum lapidatione obrutus.

*Duces.*] Non ad Tisandrum, et Sthenelum duntaxat, vox illa pertinet: sed ad Ulyssem etiam, et Neoptolemum, et alios quos hìc appellat.

263. *Pelidesque Neoptolemus.*] *Pyrrhus*, Achillis et Deidamiæ filius: *Pyrrhus*, dictus à colore capillorum, nam *πυῤῥὸς, rufus* est: *Neoptolemus*, à *νέος, novus*, et *πόλεμος, bellum;* quia admodum adolescens, ad belli Trojani reliquias perductus est; erat enim in fatis absque aliquo Æacidarum capi Trojam non posse. Trojâ captâ Priamum interfecit, Polyxenam Priami filiam sub Achillis tumulo immolavit, Andromachen Hectoris uxorem ex prædâ captivam habuit. Molossum ex eâ suscepit; et cùm eam deinde matrimonio junxisset Heleno Priami filio, ducturus Hermionem Menelai et Helenæ filiam: ab Oreste Agamemnonis filio, cui Hermione desponsata fuerat, in Delphico Apollinis templo interfectus est. *Pelides* vocatur, quia *Pelei* nepos, qui Æaci fuit filius, regis in Æginâ insulâ, et Thetidis maritus.

263. *Primusque Machaon.*] Æsculapii filius, Podalirii frater; uterque medicus insignis fuit, præcipuè sanandis vulneribus. *Primus:* id est, primo loco delapsus per funem: nec obstat quod Tisandrus et reliqui suprà vocati sint *duces;* erant enim *duces* dignitate ac munere, non descendendi ordine.

264. *Menelaus.*] Atrei filius, Agamemnonis frater, Tyndarei Spartani regis gener, ac deinde successor; maritus Helenæ, quam cùm raptam à Paride frustrà legationibus à Priamo repetiisset, sociali totius Græciæ bello repetiit, recepitque tandem everso Trojano regno: et conscensâ navi, post octavum erroris annum, domum rediit.

*Epeus.*] Ideò equi lignei fabricator dicitur, quia muralem reperit machinam quæ vocatur etiam *aries*, ex Plin. l. 7. 56.

Cæduntur vigiles: portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono Divûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantùm mutatus ab illo
Hectore, qui redît exuvias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios: ultrò flens ipse videbar
Compellare virum, et mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ! spes ô fidissima Teucrûm!
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Expectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi aspicimus! quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur;
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens:
Heu fuge, nate Deâ, teque his (ait) eripe flammis.
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troja:
Sat patriæ Priamoque datum: si Pergama dextrâ
Defendi possent, etiam hâc defensa fuissent.
Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites: his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.
Sic ait, et manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

*occiduntur excubitores: et apertis portis admittunt omnes socios et conjungunt turmas ejusdem consilii participes. Tempus erat, quo primus somnus fessis hominibus subit, et Deorum munere gratissimus illabitur. Ecce per somnum Hector tristissimus visus est mihi adstare præ oculis, et emittere copiosas lacrymas: tractus equis, ut olim, et niger sanguineo pulvere, et transfossus loris per pedes tumidos. Hei mihi, qualis erat! quàm diversus ab illo Hectore, qui rediit ornatus spoliis Achillis, vel* cùm *injecisset ignes Trojanos in naves Græcorum! habens barbam sordidam, et capillos cohærentes sanguine, et plagas illas, quas multas accepit circa muros patriæ. Ego plorans videbar primus alloqui virum, et emittere* hæc *tristia verba: O lumen Trojæ! ô spes firmissima Trojanorum! quæ tam longa mora te detinuit? ô Hector optate, quibus è regionibus venis? quomodo te videmus lassi, post multas neces tuorum, post diversos et urbis et civium labores? quæ causa indigna maculavit pulchram faciem? aut quare video has plagas? Ille nihil* ad hæc dixit, *nec* responsis *detinet me petentem inutilia: sed ægrè trahens gemitus ex intimo pectore: Heu! fuge, fili Veneris, et te, inquit, subtrahe huic incendio. Hostis tenet urbem, cadit ab alto vertice Troja: satisfecimus patriæ et Priamo: si Troja manu* aliquâ *servari posset, hâc meâ etiam fuisset servata. Troja committit tibi* sua sacra, et suos *Deos: accipe hos casuum* tuorum *socios, quære illis urbem, quam tandem magnam condes pererrato mari. Sic locutus est; et manibus exportat ex adytis intimis infulas, et potentem Vestam, et ignem inextinctum.*

## NOTÆ.

272. *Raptatus bigis.*] De *Hectore* bigis raptato, Æn. 1. 483. De *bigis*, et quadrigis, duobus et quatuor equis, sub eodem jugo conjunctis, Geor. 1. 512.

275. *Exuvias Achillis, &c.*] Cùm nempe Achilles è Græcorum castris recessisset, offensus Agamemnoni ob ereptam sibi Briseida: territi navium incendio Græci, frustrà precibus Achillem tentaverunt, Patroclus imprimis, ipsi charissimus; qui cùm ad reditum impellere eum non posset, rogavit, sua sibi saltem arma militesque suos concederet, quibus Trojanis metum incuteret. Concessit Achilles: at Patroclus, Achillis armis indutus, ab Hectore occisus est. Igitur per *Achillis exuvias*, Achillis arma intellige; non Achilli quidem, sed Patroclo direpta. Ita Homerus Iliad. 15. sub finem, et 16.

291. *Pergama.*] N. pl. Arx Trojæ, Æn. 1. 466.

293. *Sacra, suosque, &c.*] Per *sacra*, res eas intelligit, quæ ad ceremonias Deorum pertinebant; ut vittæ, infulæ, de quibus suprà, v. 133. Pepla, de quibus Æn. 1. 480. Per *Penates*, Deorum domesticorum simulacra, de quibus infrà, v. 717. Per *Vestam*, vel unum ex illis Penatium simulacris, vel ignem ipsum æternum: ait enim Ovid. Fast. 6. 291. *Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam.* Per *ignem perpetuum*, ignem inextinctum: qui, si aliquando extingueretur; non alio igne, sed admotis Soli fomitibus ipso Solis calore excitandus erat. De hoc, deque *Vestâ*, Geor. 1. 498.

297. *Adytis effert.*] Vel reipsâ effert; vel in somnis videtur efferre. Effert autem in Æneæ domum, è templo quod erat in arce: et cum iis

Diverso intereà miscentur mœnia luctu :
Et magis atque magis (quanquam secreta parentis
Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit)
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit : aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit sylvas : stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum verò manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiæ : jam Deïphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano superante, domus : jam proximus ardet
Ucalegon : Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum.
Arma amens capio, nec sat rationis in armis :
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi : furor iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Pantheus elapsus Achivûm,
Pantheus Otriades, arcis Phœbique sacerdos ;
Sacra manu, victosque Deos, parvumque nepotem
Ipse trahit : cursuque amens ad limina tendit :
Quo res summa loco, Pantheu? quam prendimus arcem?

*Interim urbs turbatur variis miseriis: et quamvis domus patris Anchisæ separata, et cincta arboribus, submoveatur; magis et magis auditur sonus, et horror armorum imminet. Excitor è somno, et ascendens supergredior summum culmen tecti, et sto attentis auribus. Sicut quando ignis ventis sævientibus cecidit in segetem; aut* quando *præceps torrens montanis undis vastat agros, vastat segetes fertiles et labores boum, et rapit arbores in præceps:* tunc *pastor ignarus obstupescit audiens sonum ex alto cacumine rupis. Tunc verò clara* fuit *veritas* verborum Hectoris, *et apparent fraudes Græcorum. Jam domus magna Deïphobi fecit ruinam igne vincente: jam domus vicina Ucalegontis ardet: promontorium Sigæum latè relucet flammis. Attollitur clamor virorum, et fremitus tubarum. Attonitus arma sumo, nec satis* erat *rationis* cur sumerem *arma: sed cupit animus colligere turbam ad pugnandum, et convolare in arcem cum sociis: furor et ira impellunt animum, et venit* in mentem *gloriosum* esse *mori sub armis. Ecce autem Pantheus elapsus ex armis Græcorum, Pantheus Otrei filius, sacerdos Phœbi et arcis, rapit ipse manu res sacras, et Deos superatos, et parvum nepotem; et exanimatus currendo tendit ad januam* meam: *O Pantheu, dixi, quo* in *statu suprema res est? quam in arcem currimus?*

## NOTÆ.

imperium à Priamo in Æneam transfert. Cultum porrò ignis acceperant Phryges et Græci ab orientalibus populis, præcipuè Persis; quibus ob usus maximos dignus Divinitate visus est, et perpetuâ custodiâ. *Adyta.*] Sunt intimæ partes domorum templorumque, in quas intrare nefas est, ab α privativo, et δύω, *ingredior.* De *penetralibus,* in voce *penus,* Æn. 1. 704. De *Austris,* ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

310. *Deïphobi.*] Priami filius fuit, qui postquam Paris à Pyrrho occisus est, Helenam duxit uxorem, cujus dolo inter primos interfectus est, ut fusè describitur, Æn. 6. 490. De *Vulcano,* qui pro igne hìc sumitur, Geor. 1. 295.

312. *Ucalegon: Sigea igni freta, &c.*] Ucalegon, senex unus è consiliariis Priami; *Ucalegon* ponitur pro *domo Ucalegontis. Sigea.*] *Sigeum,* et *Rhœteum;* promontoria duo Troadis, non longè ab urbe Trojâ. *Freta,* dixit, pro mari Hellespontiaco, quod regionem illam alluit, et propriè fretum est.

319. *Pantheus Otriades, &c.*] Otrei filius, sacerdos Apollinis qui in arce colebatur: licèt enim arx Trojana præcipuè sacra esset Palladi, ut deinde Romanum Capitolium Jovi: utraque tamen sedes Diis aliis compluribus dicata erat. De *Phœbo,* Ecl. 3. 62. 104. De *Achivis,* Græcis, Æn. 1. 488.

321. *Limina.*] Legunt alii *litora,* nec malè. Servius et Donatus retinent *limina;* et hinc Æneæ virtutem exaggerant, cujus in domum, et Hector, et Pantheus sacra deferebant.

322. *Quam prendimus arcem?*] Sensus est: *Quam occupabimus arcem? in quam arcem concurremus?* Maximè enim de arce videtur Æneas fuisse solicitus, dixit enim v. 315. *et concurrere in arcem cum sociis ardent animi.* Sed arx illa primò à Græcis capta fuerat, et equus in eam inductus, v. 245. *Et monstrum infelix sacratâ sistimus arce.* Tamen aliæ fuere arces et munita loca, imprimis Priami regia, in quam ultimus Græcorum impetus fuit, infrà, v. 437. Dubitat igitur Æneas, quænam arx adhuc propugnari possit.

Vix ea fatus eram, gemitu cùm talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troës, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Jupiter Argos
Transtulit: incensâ Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus astans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans: portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.
Obsedêre alii telis angusta viarum
Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt.
Talibus Otriadæ dictis, et numine Divûm
In flammas et in arma feror: quò tristis Erinnys,
Quò fremitus vocat, et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Riphæus et maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypanisque, Dymasque;
Et lateri agglomerant nostro: juvenisque Chorœbus
Mygdonides: illis ad Trojam fortè diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat:
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio super his: Juvenes, fortissima frustrà

*Vix ea locutus eram; cùm talia respondet gemens: Venit suprema dies et tempus inevitabile Trojanis: periimus Trojani, periit Troja, et magna gloria Trojanorum: crudelis Jupiter omnia transmisit ad Argivos: Græci regnant in urbe inflammatâ. Equus altus stans in medio murorum emittit milites, et victor Sinon spargit incendia illudens:* totque *alii intrant portis utrimque opertis, quot millia nunquam venêre è magnâ* urbe *Mycenis: alii obstantes occupaverunt armis angustas vias: obstat gladiorum acies micanti mucrone, nuda, parata ad cædem; vix primi excubitores portarum sustinent pugnam, et resistunt insano certamine. Talibus verbis Panthei, et voluntate Deorum, rapior in arma et in incendia: quò crudelis Erinnys, quò tumultus et clamor elatus in cœlum* me *vocat. Adjungunt se socios Ripheus, et grandis ætate Iphitus, occurrentes* mihi *ad* lucem *lunæ, et Hypanis, et Dymas; et densantur ad latus nostrum; et Chorœbus juvenis Mygdonis* filius: *fortè per illos dies venerat Trojam, ardens magno amore Cassandræ; et gener ferebat auxilium Priamo et Trojanis: miser qui non crediderat monitis sponsæ vaticinantis. Postquam vidi illos collectos promptos esse ad pugnam, de iis* rebus *sic cœpi* loqui: *O juvenes, corda frustrà*

## NOTÆ.

325. *Dardaniæ, Ilium.*] Trojæ nomina, Æn. 1. 1. *Troës, Teucrorum:* Trojanorum nomina, Æn. 1. 30. 235. *Argos. Mycenis;* urbes sunt Peloponnesi, regnum Agamemnonis, Æn. 1. 284. *Danai,* Græci, Æn. 1. 30. *Sinon,* suprà, 86.

332. *Angusta viarum.*] Angustas vias: familiaris poëtis et historicis locutio: infrà v. 725. *Opaca locorum.* Æn. 1. 422. *Strata viarum.*

335. *Cæco Marte.*] Certamine vel obscuro, quia per noctem committebatur: vel insano, quia à paucis et improvidis contra multos et paratos. De *Marte,* belli Deo, Ecl. 9. 12. *Otriadæ.*] Panthei, qui filius Otrei. *Numine.*] Æn. 1. 133.

337. *Erynnis.*] Nomen commune tribus Furiis: quæ, ut *Eumenides,* sic *Erinnyes* vocantur. Propert. lib. 2. 20. 29. *Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes.* Privata singularum nomina sunt, *Alecto, Tisiphone, Megæra:* de quibus, G. 1. 278.

340. *Oblati per lunam.*] Probat enim Scaliger, de Emendatione Temp. lib. 5. captam esse Trojam circa plenilunium et finem veris: idque etiam patet ex Petronii fragmento de expugnatione Trojæ: *Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar:* at tum Luna maximè lucida est. Igitur *silentia Lunæ,* ut anteà dixit Virgilius, v. 255. de *mediâ nocte* explicanda sunt, quod tempus vocatur *conticinium,* quia, tunc tacent omnia: Luna autem nocturni silentii præses dicitur: unde Horat. Epod. 5. 51. *Nox et Diana quæ silentium regis.*

342. *Mygdonides.*] Nomen à *Mygdone,* patre, fratre Hecubæ Priami uxoris: non à *Mygdoniâ* regione, monet enim Servius gentilia nomina non desinere in *des,* sed patronymica. De *Cassandrâ* suprà, v. 246. De *Phrygibus,* Æn. 1. 381.

348. *Fortissima frustrà.*] Hîc agnoscunt vulgò interpretes planè prolixam et incommodam verborum trajectionem, et verba digerunt hoc modo: *Juvenes, fortissima pectora: videtis quæ sit fortuna rebus: omnes Dii, quibus hoc imperium steterat, abierunt adytis arisque re-*

Pectora, si vobis audentem extrema cupido est
Certa sequi; quæ sit rebus fortuna, videtis:
Excessere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat: succurritis urbi
Incensæ: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde lupi ceu
Raptores, atrâ in nebulâ, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis: per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Urbis iter: nox atra cavâ circumvolat umbrâ.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa Deorum
Limina. Nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoresque cadunt Danai: crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se Danaûm, magnâ comitante catervâ,
Androgeos offert nobís, socia agmina credens,
Inscius; atque ultrò verbis compellat amicis:
Festinate, viri, nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primùm à navibus itis?
Dixit: et extemplò (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
Obstupuit, retróque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repentè refugit
Attollentem iras, et cœrula colla tumentem.
Haud secùs Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis:
Ignarosque loci passim et formidine captos

*generosa: si firmum est vobis desiderium sequendi* me *tentantem extrema; cernitis quis sit status rerum. Omnes Dii per quos hoc regnum steterat, abierunt desertis altaribus et penetralibus: vos* verò vultis *subvenire urbi* jam *combustæ; moriamur* potiùs, *et ruamus in medium armorum. Sola salutis* via quæ restat *victis*, est *nullam sperare salutem. Sic furor additus est virtuti juvenum. Deinde veluti lupi rapaces, per nebulosum tempus, quos rabida ventris aviditas expulit furiosos* ex antris, *et* quos *proles relicta expectat siccis gutturibus:* ita nos *per arma, per hostes, imus ad mortem certissimam; et insistimus mediam viam urbis: nigra nox errat circa* nos *cavis tenebris. Quis explicet sermone stragem et mortes illius noctis? aut possit lugendo æquare* illos *labores? Perit urbs vetus,* quæ *regnaverat per multos annos: multa inutilia corpora passim funduntur, et per vias, et per domus, et* per *sacra vestibula Deorum. Nec soli Trojani luunt pœnas sanguine: aliquando etiam virtus redit victis in corda, et Græci victores occiduntur: ubique crudelis* est *luctus, ubique timor, et multa species mortis. Androgeos primus è Græcis occurrit nobis, magnâ turbâ cingente, putans* nos esse *agmen sociorum, inconsultus: et prior nos alloquitur sermone amico: Properate, ô viri, quæ enim tam tarda desidia* vos *detinet? alii vastant et evertunt Trojam combustam: vos nunc primò venitis ab altis navibus?* Sic *locutus est: et statim agnovit* se *devenisse in medium hostium, nam non reddebantur* ipsi *responsa satis tuta. Obstupuit, et retrò continuit pedem cum voce. Sicut qui in vepribus rigidis innitens terræ calcavit anguem ex improviso: et subitò tremens fugit* eum *adsurgentem in iras et inflantem collum cæruleum. Non aliter Androgeos recedebat territus aspectu. Irrumpimus, et circùm miscemur confertis armis: et passim dejicimus* Græcos, *inscios locorum, et metu percitos:*

## NOTÆ.

*lictis: frustrà succurritis urbi incensæ. Si vobis cupido certa est sequi audentem extrema, ruamus in media arma, et moriamur.* Ego rectum, absque trajectione, sensum verborum videre mihi videor, ut patet in interpretatione; ubi vocat Æneas juvenum *pectora frustrà fortissima*, quia eorum fortitudo ad patriæ salutem deinceps inutilis erat.

367. *Quondam.*] Aliquando. Sic G. 3. 99. *Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassùm furit.* De *Teucris*, Trojanis, Æn. 1. 235. De *Danais*, Græcis, Æn. 1. 30.

377. *Sensit delapsus in hostes.*] Id est, *se delapsum esse:* Græcismus, Latinis veteribus familiaris. Sic Catull. in Phaselo, v. 2. *Ait fuisse navium celerrimus, &c.*

379. *Aspris.*] Pro *asperis:* ut Æn. 1. 201. *Accêstis* pro *accessistis.*

Sternimus: aspirat primo fortuna labori.
Atque hìc exultans successu animisque Chorœbus:
O socii, quà prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quáque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus: dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur: laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danaïs, haud numine nostro:
Multaque per cæcam congressi prælia noctem
Conserimus, multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et notâ conduntur in alvo.
Heu, nihil invitis fas quenquam fidere Divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus à templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustrà,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiatâ mente Chorœbus,
Et sese medium injecit moriturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hìc primùm ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,
Armorum facie, et Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis irâ,
Undique collecti invadunt: acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et lætus Eois
Eurus equis: stridunt sylvæ: sævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

*fortuna favet primis conatibus. Et tunc Chorœbus lætus successu et animosior ait: O socii, eamus, quà fortuna ostendit viam salutis, et quà se præbet propitiam. Mutemus clypeos, et accommodemus nobis arma Græcorum. Quis exigat in hoste,* utrùm *virtus, aut dolus* sit? *Ipsi* Græci occisi *suppeditabunt* nobis *arma. Sic locutus, posteà induit cassidem cristatam Androgei, et pulchrum ornamentum clypei, et alligat lateri gladium Græcum. Hoc facit Ripheus, hoc ipse Dymas et omnis juventus læta: unusquisque armat se spoliis novis. Imus permixti Græcis, Diis non propitiis: et congressi per obscuram noctem commixtimus multas pugnas, mittimus plurimos Græcorum ad inferos. Alii fugiunt ad naves, et quærunt currendo tutum litus: aliqui fœdo metu iterum conscendunt magnum equum et occultantur in utero* ejus sibi *cognito. Heu, nihil oportet quemquam sperare invitis Diis! Ecce filia Priami Cassandra, capillis expassis, rapiebatur è templo et penetralibus Palladis, frustrà tollens ad cœlum ardentes oculos:* oculos inquam, *nam catenæ ligabant teneras manus. Chorœbus irato animo non passus est hoc spectaculum, et moriturus immisit se mediam in turbam. Omnes sequimur, et ingruimus spissis telis. Tum statim è summo fastigio templi obruimur jaculis nostrorum* Trojanorum, *et fit strages deploranda, ob armorum formam et errorem cristarum Græcarum. Tunc Græci,* commoti *dolore et irâ* ob *ereptam* sibi *Cassandram, undique congregati* nos *oppugnant: ardentissimus* erat *Ajax, et gemini filii Atrei, et omnis exercitus Dolopum. Quemadmodum venti oppositi scisso turbine aliquando certant, et Zephyrus, et Notus, et Eurus exultans equis orientalibus: sibilant sylvæ, ac Nereus spumosus tridente furit, et commovet mare* ab *imo fundo.*

## NOTÆ.

391. *Comantem galeam.*] Cristatam, caudis animalium ornatam, Æn. 3. 468. *Argivum,* Græcum, ab Argis urbe Peloponnesi, Æn. 1. 284.

396. *Haud numine nostro.*] Non propitiis Diis. Sic Æn. 12. v. 540. *Nec Dii texere Cupentum Æneâ veniente sui.* De *Orco,* qui pro inferis sumitur, G. 1. 277.

404. *Cassandra, &c.*] Suprà v. 246. In templo Minervæ vitiata ab Ajace Oïlei filio, Æn. 1. 40. De *Ajace Oïlei,* de quo hìc mentio, Æn. 1. 41. De *Atridis,* Atrei filiis, Agamemnone, Æn 3. 54. et Menelao, suprà v. 264. De *Dolopibus,* suprà, v. 7.

417. *Zephyrus, &c.*] Ventus occidentalis. Ecl. 5. 5. *Notus.*] Qui et *Auster,* meridionalis: à *νότιος, humidus:* Ecl. 3. 58. *Eurus.*] Orientalis, unde equis invectus dicitur *Eois,* ab *ἠώς, Aurora.* Et verò Horatius equos etiam Euro tribuit, Od. 4. 4. 44. *Per Siculas equitavit undas. Quondam.*] Aliquando, suprà, v. 367.

419. *Nereus.*] Juxta aliquos pro *Neptuno* sumitur, ob tridentem: juxta Orpheum pro Deo-

Illi etiam, si quos obscurâ nocte per umbram
Fudimus insidiis, totâque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicèt obruimur numero, primusque Chorœbus
Peneleï dextrâ divæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit et Ripheus justissimus unus
Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui;
Diis aliter visum. Pereunt Hypanisque, Dymasque,
Confixi à sociis: nec te tua plurima, Pantheu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
  Iliaci cineres, et flamma extrema meorum:
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm; et, si fata fuissent
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde,
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyssei.
Protinùs ad sedes Priami clamore vocati:
Hìc verò ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli totâ morerentur in urbe;
Sic Martem indomitum Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque actâ testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus: clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contrà turres ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extremâ jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt: alii strictis mucronibus imas
Obsedêre fores, has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,

*Si aliquos per tenebras obscuræ noctis fugavimus dolis, et dispersimus totâ urbe: illi etiam occurrunt, primique agnoscunt scuta et arma simulata, et notant voces sono discrepantes* à suis. *Statim opprimimur numero, et primus Chorœbus occiditur manu Penelei ad aram Deæ Palladis. Occiditur etiam Ripheus, qui inter Trojanos unus omnium justissimus fuit, et observantissimus æquitatis; aliter visum est Diis. Moriuntur Hypanis et Dymas, confossi à civibus; nec multa religio tua, nec vittæ Phœbi protexerunt te morientem, ô Pantheu. Trojani cineres, et supreme ignis meorum; testor* vos, me *in exitio vestro nec effugisse arma, nec ulla pericula* illata *à Græcis: et si fatum voluisset ut morerer, me dignum fuisse* propter *facta. Abstrahimur inde Iphitus et Pelias mecum: è quibus Iphitus jam erat annis tardior. Pelias etiam tardatus ob plagam ab Ulysse* acceptam. *Statim vocamur clamoribus ad regiam Priami. Illic autem* videmus *magnum certamen; quasi nulla essent alibi prœlia, et nulli morerentur reliquâ* in *urbe: sic videmus Martem effrænem, et Græcos ad fastigia ascendentes, et portas obsessas admotâ testudine. Scalæ affiguntur muris, et innituntur gradibus ad ipsas portas: et Græci tecti opponunt sinistris* manibus *clypeos ad jacula, dextris apprehendunt tecta. Contrà Trojani diruunt turres et culmina tegentia domos: siquidem vident extremas* res, *conantur defendere se his armis in ruinâ jam suprema: et dejiciunt auratas trabes, magna ornamenta antiquorum patrum: alii strictis gladiis occupaverunt portas,* et *has defendunt spissâ multitudine. Renovatus* est mihi *ardor succurrendi domui regis,*

## NOTÆ.

rum antiquissimo: juxta Hesiodum pro Ponti filio: juxta omnes, pro Nereidum Nympharumque patre, et uno è maris præsidibus.

423. *Ora sono discordia.*] Alii enim Phrygiâ, alii Græcâ linguâ utebantur: quidam explicant de vario militum symbolo, *mot du guet*, THE WATCH-WORD.

425. *Penelei.*] Unius è quinque Bœotorum ducibus, qui ad expeditionem Trojanam venerat. Iliad. 2. 494. *Armipotentis.*] Palladis, quæ quassans arma è cerebro Jovis nata est, unde nomen à πάλλω, *quasso.*

428. *Diis aliter visum.*] Licet justissimus esset, visus est tamen Diis reus ac morte dignus esse. De *infulâ* seu vittis Apollinis, v. 133. De *Apolline*, Ecl. 3. 104.

434. *Meruisse manu.*] Me dignum fuisse morte, propter ea quæ *manu* feceram: nempe ob cædes Græcorum plurimas.

440. *Martem.*] Pro bello, cujus Deus est, Ecl. 9. 12.

441. *Testudine.*] Machinâ, quæ inventa dicitur bello Trojano. Sic describitur à Livio l. 44. 9. *Scutis super capite densatis stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis; fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant.* Ait Xiphilinus in Augusto, tam firmam fuisse, ut homines supra illam ire possent: sed et equi agi et vehicula. Nomen à corio *testudinis, tortuë*, TORTOISE. Græcis συνασπισμὸς, à clypeis simul nexis. De *postibus*, Æn. 1. 448.

Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix quà se, dum regna manebant,
Sæpiùs Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri
Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm solitæ naves, et Achaïca castra;
Aggressi ferro circùm, quà summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque. Ea lapsa repentè ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaûm super agmina latè
Incidit: ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum intereà cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exultat, telis et luce coruscus ahenâ.
Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina pastus,
Frigida sub terrâ tumidum quem bruma tegebat;
Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventâ,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad Solem, et linguis micat ore trisulcis.
Unà ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon: unà omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos, correptâ dura bipenni
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos: jamque excisâ trabe firma cavavit

*et adjuvandi viros auxilio, et addendi vires victis. Erat limen, et janua occulta, et pervia conjunctio domorum Priami inter se, et porta relicta à tergo: quà misera Andromache, dum stabant regna, sæpe solebat absque comitatu se conferre ad soceros, et ducebat avo puerum Astyanacta.* Hàc *ascendo ad fastigia summi tecti, unde miseri Trojani vibrabant manibus spicula inania. Evertimus ab altissimâ parte, et disjecimus turrim sitam in loco declivi, et summis tectis elatam ad sidera, unde solebat tota Troja spectari, et naves Græcorum, et Achaïca castra:* postquam eam *circùm accidimus ferro, quâ* parte *supremum tabulatum reddebat juncturas* parietis *infirmiores. Illa* turris *extemplò concidens ruinam fecit cum tumultu, et latè incubuit super turmas Græcorum: sed alii succedunt: nec lapides, nec ullum genus armorum interim cessat. Ante ipsum introitum et ad primam portam, Pyrrhus gaudet fulgens armis et luce* armorum *æreorum. Qualis* est *coluber, quem hyems frigida occultabat effœtum sub terrâ; quando refectus venenatis herbis, et jam reparatus depositâ pelle, ac juventute conspicuus, elato pectore protrahit in lucem lubricum dorsum, erectus ad Solem, et vibrat linguam tricuspidem. Simul magnus Periphas, et armiger Automedon ductor equorum Achillis: simul tota juventus Scyri* insulæ, *ascendunt ad tectum, et conjiciunt ignes ad fastigia.* Pyrrhus *ipse inter primos correptâ securi durum limen perfringit, et à cardinibus eruit portas æreas: et jam abscissâ trabe perforavit*

## NOTÆ.

454. *Tectorum inter se, &c.*] Videntur continua duo fuisse palatia Priami, et Hectoris, cujus Andromache uxor fuit. *Relicti.*] Ab hostibus, qui posticam illam januam non animadverterant.

456. *Andromache.*] Filia Eetionis regis Thebes, in Ciliciâ, minoris Asiæ provinciâ. Occiso marito Hectore, Priami et Hecubæ filio, captâque Trojâ, Pyrrho cessit in prædam: à quo ducta in Epirum, ex eo Molossum suscepit; ac deinde Heleno, Priami item filio, cum regni Epirotici parte in uxorem concessa est. *Soceri* igitur Andromaches fuere Priamus et Hecuba.

457. *Astyanacta.*] Filium unicum Andromaches ex Hectore; hic post Trojam captam cùm quæreretur à Græcis ad mortem, occultatus à matre in ipso Hectoris tumulo, indeque dolo Ulyssis erutus, è turri præceps actus est.

462. *Achaïca castra.*] De Achaiâ, Græciæ regione, Æn. 1. 488. De *Danais*, ib. 34.

463. *Quà summa, &c.*] Quà trabium, quæ summum tabulatum sustinebant, capita, parieti immissa, infirmiorem illum reddebant, et exscindi facilem. De *Pyrrho*, suprà, v. 260.

471. *Qualis ubi, &c.*] De illâ serpentis renovatione, herbarum pastu, linguâ tricuspide, jam diximus G. 3. 437.

477. *Scyria pubes.*] E Scyro insulâ, unâ è Cycladibus, in quâ regnavit Lycomedes; apud quem depositus à Thetide Achilles puellari habitu ne ad bellum raperetur, interim ex Deidamiâ Lycomedis filiâ Pyrrhum suscepit. De *bipenni*, securi utrinque acutâ, G. 4. 331. De *limine postibus, cardine*, Æn. 1. 448.

Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt:
Apparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatosque vident stantes in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur: penitúsque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant:
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patriâ Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent: labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes:
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et latè loca milite complent.
Non sic, aggeribus ruptis cùm spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere: tenent Danai, quà deficit ignis.
Forsitan et Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis ubi captæ casum, convulsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem;
Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum

*durissima ligna, fecitque magnum hiatum lato spatio. Apparet interior domus, et longa atria patent, apparent recessus Priami et antiquorum regum: et cernunt milites resistentes in ipso aditu. At domus interior turbatur luctu et misero tumultu: cavæ ædes intimè resonant planctibus fœminarum: clamor ferit astra lucida. Tunc timidæ matres vagantur totâ domo, et hærent amplexæ portas,* iisque *dant oscula. Urget Pyrrhus paterno impetu: nec obices, nec ipsi custodes possunt* eum *sustinere: janua quatitur multo ariete, et portæ concidunt ejectæ è cardinibus. Fit via per vim, et Græci immissi pandunt* sibi *aditum, et occidunt primos, et undique replent spatia militibus. Non sic spumans fluvius volvitur in agros furens auctu* aquarum, *et per omnes campos evertit armenta cum stabulis: quando fractis obicibus exundavit, et superavit* aquarum *copiâ moles oppositas. Ipse vidi furiosum cædibus Pyrrhum, et duos Atrei filios in limine. Vidi Hecubam, et centum fœminas, et Priamum inter aras inficientem sanguine ignes, quos dicaverat* Diis. *Quinquaginta cubicula,* in quibus erat ei *magna spes posteritatis: portæ ornatæ auro peregrino et spoliis, ceciderunt: ubi deest ignis, occupant* locum *Græci. Fortè etiam petes, quæ fuerit sors Priami. Postquam vidit ruinam captæ urbis, et perruptas portas domûs, et hostem in medio* ejus *recessu: senex frustrà induit humeris senio trementibus arma diù desueta,*

## NOTÆ.

491. *Vi patriâ.*] Haustâ è patris Achillis exemplo, qui ex Horat. de A. P. 292. *Iracundus, inexorabilis, acer.*

492. *Ariete.*] Machina fuit longior, cujus caput in arietis caput ex ære conformatum, in urbium portas magnâ vi librabatur. De *Pyrrho Neoptolemo:* suprà, v. 263.

501. *Hecubam.*] Uxorem Priami, filiam Cissei Thraciæ regis: quæ in servitutem à Græcis abducta, fingitur mutata in canem, quia Græcos inanibus convitiis lacessebat. *Centumque nurus.*] *Nurus,* propriè uxor filii est, *bru,* A DAUGHTER-IN-LAW. Cùm tamen constet Priamum filios centum, atque adeò centum nurus, non habuisse; constat hìc juniores intelligi fœminas, quæ in comitatu Hecubæ erant, aut ad eam confugerant: ut apud Ovid. Met. 2. 364. de populis arboribus loquentem: *Inde fluunt lacrymæ, stillataque Sole rigescunt De ramis electra novis, quæ lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.* De *aris* Priami, infrà, v. 513.

503. *Quinquaginta illi thalami.*] Separata cubicula. Priamus enim ex Homero, Iliad. 6. 244. totidem habuit thalamos, ubi filii totidem apud uxores habitabant: et è regione thalamos prætereà duodecim, ubi totidem habitabant filiæ apud generos; ergo liberos habuit ex utroque sexu duos ac sexaginta, è variis uxoribus, præsertimque ex Hecubâ novemdecim, ut ait ipse Priamus, Iliad. ultimâ, 496.

504. *Barbarico.*] Cerdanus probat exemplis compluribus, *Barbaricum* et *Phrygium* idem esse, et Phryges divitiis fuisse insignes: et certum quidem est barbaros à Græcis vocatos esse Asiaticos omnes, quales erant Trojani, Phryges, et Persæ. Nec tamen puto patriam Æneæ barbaram ab Æneâ ipso hìc appellari: igitur meliùs explica de auro Asiaticis aliis gentibus per bellum direpto, præcipuè quia cum *spoliis* hìc jungitur.

Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit, juxtáque veterrima laurus,
Incumbens aræ, atque umbrâ complexa Penates.
Hìc Hecuba, et natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atrâ ceu tempestate columbæ
Condensæ, et Divûm amplexæ simulacra tenebant.
Ipsum autem sumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quò ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacrâ longævum in sede locavit.
  Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hastâ.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hìc Priamus, quanquam in mediâ jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci, iræque pepercit:
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis
Dî (si qua est cœlo pietas, quæ talia curet)
Persolvant grates dignas, et præmia reddant
Debita: qui nati coràm me cernere letum
Fecisti, et patrios fœdâsti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque

*et accingitur gladio inutili, et ruit moriturus in confertos hostes. In mediâ domo et sub apertis auris cœli fuit ara magna, et propè laurus antiquissima, imminens aræ, tegens umbrâ* Deos *domesticos. Hìc Hecuba, et* ejus *filiæ, frustrà circa aras confertæ, sicut fugientes columbæ per nigram tempestatem, et amplectentes Deorum statuas,* eis *adhærebant. Cùm verò vidit Priamum ipsum sumptis armis juvenilibus: Quæ tam funesta mens, ait, ô miser marite, impulit* te *ad induenda hæc arma? aut quò curris? Tempus* præsens *non indiget tali subsidio, nec talibus propugnatoribus; ne si meus* quidem *Hector nunc ipse adesset. Huc denique* te *recipe: hæc ara protegit cunctos, aut morieris nobiscum. Sic ore locuta, accepit senem juxta se, et posuit* eum *in sacro sedili. Ecce autem Polites, unus filiorum Priami evitatâ morte* illatâ à *Pyrrho, inter arma, inter hostes fugit per longas porticus, et pererrat ampla atria, vulneratus: Pyrrhus furens persequitur illum inimico telo, et propè manu attingit, urgetque hastâ. Postquam autem* Polites *pervenit ante oculos et ora parentum, cecidit et emisit animam cum multo sanguine. Tum Priamus, etsi jam in mediâ morte positus, tamen non* sibi *temperavit, nec iram et vocem continuit: Tibi verò, exclamat, Dii referant meritam gratiam, et reddant debitam mercedem pro hoc crimine et talibus factis; si est in cœlo aliqua pietas, quæ provideat talia;* tibi inquam, *qui fecisti me coràm videre mortem filii, et funestâsti faciem patris* hâc *cæde. At ille Achilles,* ex *quo fingis te procreatum esse, talis non fuit erga hostem Priamum: sed rationem habuit juris* gentium *et fidei*

## NOTÆ.

512. *Sub ætheris axe.*] *Sub Dio,* vel *sub Jove;* id est, sub ipso aëre et aperto cœlo, quem locum in mediis domibus *impluvium* vocant. *Axe.*] Cœlo. Vel quia pars cœli nobis imminens signum habet maximè conspicuum, *Ursam,* sive *Septentriones;* quod et *Plaustrum* dicitur, et *axis* ideò dici potest, iuxta Servium. Vel quia, sicut *poli,* ita et *axis,* pro toto cœlo sumitur: sunt enim *poli,* puncta duo axem terminantia; *axis* autem, linea ipsa sive obelus, circa quem cœlum volvi concipitur.

513. *Ingens ara fuit* ] Ara illa, in loco subdiali et aperto, mediis in ædibus posita fuit, et *Jovi Herceo* dicata, ex Athenæo, l. 5. Ad hanc occisus fuit Priamus: ex Euripide, Pausaniâ, Ovidio, Senecâ. Dicebatur Herceus ἑρκεῖος, ab ἕρκος, *septum,* quia intra domorum septa statuebatur ejus ara. Præter oculos naturales duos, tertium habebat in fronte, ex Pausaniâ in Corinth. Non assentior Turnebo, l. 14. 15. in hâc arâ sacratum fuisse ignem perpetuum; sed ignem recèns à Priamo excitatum ad placandos Deos, de quo v. 502.

*Laurus.*] Hanc aliqui dicunt arte factam fuisse: cujus truncus cubitorum duodecim ex auro purissimo; rami et folia ex auro et argento; flores et fructus è gemmis. Sed sativam et naturalem puto.

514. *Penates.*] Vel domum intelligit, vel statuas domesticorum Deorum cum Herceo Jove in eâdem arâ positas. De *Penatibus,* infrà, v. 717.

529. *Vulnere.*] Ictu, vel telo, quo vulnus infligitur.

Supplicis erubuit; corpusque exsangue sepulchro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinùs ære repulsum,
Et summo clypei nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: referes ergo hæc, et nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati:
Implicuitque comam lævâ; dextrâque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ: jacet ingens litore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primùm sævus circumstetit horror:
Obstupui: subiit chari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, et parvi casus Iüli.
Respicio, et, quæ sit me circum copia, lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misêre, aut ignibus ægra dedêre.
Jamque adeò super unus eram, cùm limina Vestæ

debitæ *supplicantibus: et restituit tumulo exanime corpus Hectoris, et me remisit in urbem meam. Sic dixit senex, et projecit telum debile absque impetu, quod statim resiliit* ex *ære rauco, et frustrà pependit è summo umbone clypei. Cui Pyrrhus* respondit: *Feres ergo ista, et ibis nuncius ad Achillem patrem* meum; *memento narrare illi mea indigna facta et Pyrrhum degenerem. Nunc morere. Hæc dicens, trahit* eum *ad ipsas aras trepidum, et vacillantem in medio sanguine filii, et involvit sinistrâ capillos, ac dextrâ sustulit ensem micantem, condiditque in* ejus *latus usque ad manubrium. Hic fuit terminus casuum Priami: hic exitus necessitate abstulit eum, videntem Pergama eversa et Trojam combustam:* eum inquam *regem Asiæ, clarum propter tot gentes, et tot regiones: jacet in litore magnus truncus, et caput abscissum* ex *humeris, et cadaver sine nomine. Tunc verò primùm dirus horror invasit me. Attonitus fui. venit* in mentem *imago dilecti patris* mei; *quando vidi regem* ipsi *coævum efflantem crudeli plagâ animam: venit* in mentem *Creüsa derelicta, et spoliata domus, et periculum parvi Ascanii. Circumspicio, et quæro quænam esset circa me multitudo. Omnes* me *reliquerant fatigati, et corpora saliendo præcipitaverant in terram, aut afflicta conjecerant in flammas. Et jam ferè restabam solus, cùm video filiam Tyndarei occupantem templum Vestæ,*

## NOTÆ.

542. *Supplicis, &c.*] De hâc Priami supplicatione apud Achillem, pro repetendo Hectoris cadavere, Æn. 1. 99.

546. *Umbone.*] *Umbo* ἄμβων, est quicquid in plano imminet, rotundâ figurâ: talis erat media pars clypei. *Pelides:* Achilles, filius Pelei, de quo Æn. 1. 30.

554. *Hæc finis.*] Vulgò masculini generis est: hìc etiam fœminini, ut Æn. 5. 384. *Quæ finis standi?*

557. *Regnatorem Asiæ.*] Priamus enim imperâsse dicitur Phrygiæ minori ac majori, quæ maximam Asiæ minoris partem complectuntur.

*Litore truncus.*] Dicitur enim à quibusdam Priamus à Pyrrho tractus ab arâ domesticâ ad Achillis tumulum, qui erat in litore Sigei promontorii; ibique occisus: Virgilius occisum quidem vult ad aram, sed cadaver deinde protractum fuisse ad litus innuit.

562. *Creüsa.*] De eâ infrà, v. 772.

567. *Jamque adeò, &c.*] Versus duos et viginti sequentes sustulisse dicuntur Varius et Tucca; eò quòd ea, quam continent, Helenæ fuga, contraria videatur iis, quæ leguntur Æn. 6. v. 511. ubi dicitur Helena, non apud Priamum, sed apud filium Priami Deïphobum, suum post necem Paridis maritum, habitâsse; et in ejus domum Græcos ad ipsum jugulandum induxisse: *Intra tecta vocat Menelaum et mœnia pandit; Scilicet id magnum sperans fore munus amanti, Et famam extingui veterum sic posse malorum.* At respondeo cum Nascimbæno dici posse, spem Helenæ de placando Menelao vanam fuisse, quod innuit vox illa *scilicet;* proditoque Deïphobo, Helenam, cùm se nihilominùs velut hostem peti animadvertisset, evasisse fugâ in Vestæ templum, sacrarium domûs regiæ, per illud ipsum posticum ostium, quo Æneas eundem in locum penetraverat. Et verò Euripides in Troad. v. 35. 876. 1056. docet Helenam cum Trojanis mulieribus captivam à Menelao abductam esse, eo consilio, ut Græcis, quorum liberi Trojano bello perierant, occidenda traderetur. *Tyndaris* vocatur, ob *Tyndareum* patrem Spartæ regem, Æn. 1. 650. *Erinnys* Furiis commune nomen, suprà, v. 337. De *Vestâ*, v. 296.

Servantem, et tacitam secretâ in sede latentem
Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, et deserti conjugis iras
Permetuens, Trojæ et patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aspiciet? partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque domumque patres, natosque videbit,
Iliadum turbâ et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudârit sanguine litus?
Non ita: namque etsi nullum memorabile nomen
Fœmineâ in pœnâ est, nec habet victoria laudem;
Extinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis
Laudabor pœnas; animumque explêsse juvabit
Ultricis flammæ, et cineres satiâsse meorum.
  Talia jactabam, et furiatâ mente ferebar;
Cùm mihi se, non antè oculis tam clara, videndam
Obtulit, et purâ per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa Deam; qualisque videri
Cœlicolis et quanta solet; dextrâque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras;
Quid furis; aut quònam nostri tibi cura recessit?
Non priùs aspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creüsa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiæ
Circùm errant acies: et nî mea cura resistat,
Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris: verùm inclementia Divûm
Has evertit opes, sternitque à culmine Trojam.
Aspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circùm
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis

*et clam occultam in arcano loco: claræ flammæ præbent lucem vaganti* mihi *et circumquáque intendenti oculos in omnia. Illa communis furia Trojæ et Græciæ, timens Trojanos sibi infensos ob ruinam Trojæ, et supplicia à Græcis* inferenda, *et furorem derelicti mariti, occultaverat sese, et hærebat aris non visa. Accensus est furor* in *animo: subortus est ardor vindicandi patriam eversam, et repetendi pœnas sceleris. Nempe,* aiebam, *hæc videbit illæsa Spartam et Mycenas patrias? et abibit regina* post *partam victoriam? et cernet maritum, et domum, et parentes, et filios, stipata multitudine Trojanorum et famulis Phrygiis? Priamus* intereà *gladio perierit? Troja arserit igne? Trojanum litus tam sæpe maduerit sanguine? Non sic* erit: *nam licèt nulla sit memorabilis gloria in punitione fœminæ, et* talis *victoria non sit digna laude: tamen laudabor* quod *occiderim sceleratam, et pœnis affecerim ream; et dulce erit explevisse desiderium ardentissimæ ultionis, et satisfecisse manibus* meorum *civium. Talia dicebam, et currebam furioso animo: cùm alma mater* mea *præbuit se mihi videndam, nusquam anteà tam manifesta oculis; et in tenebris resplenduit nitido lumine, fassa* se *Deam* esse, *et qualis ac quanta solet apparere Divis: et repressit me dextrâ apprehensum: prætereáque adjecit hæc* verba *ore roseo: Fili, quis tantus dolor commovet* hanc *iram intractabilem? Cur furis? aut quem in* locum *tibi abiit cura nostrarum* rerum? *Nonne priùs quæres, ubi deserueris patrem* tuum *Anchisen, annis gravem? An supersit uxor Creüsa, aut Ascanius filius: quos omnes cingunt undique turmæ Græcorum: et, nisi mea solicitudo obstitisset, jam ignis absumpsisset, aut gladius hostilis interfecisset. Non vultus Helenæ Spartanæ tibi odiosus, aut* toties *incusatus Paris: sed Deorum ira delet hanc potentiam, et dejicit Trojam ex* alto *fastigio. Vide: nam auferam omnem nubem, quæ offusa tibi aspicienti debilitat oculos mortales, et humida circùm nigrescit: tu ne ulla matris*

## NOTÆ.

577. *Spartam.*] *Sparta* sive *Lacedæmon* patria Helenæ, urbs Peloponnesi, ut et *Mycenæ;* quare autem dicatur etiam ejus patria *Mycenæ*, diximus Æn. 1. 650. De *Phrygiâ*, Æn. 1. 381.

585. *Nefas.*] Pro personâ scelestâ et nefastâ: sic frequenter apud Plautum usurpatur *scelus*.

600. *Hauserit.*] De hâc voce, pro *vulnerârit, occiderit*, Æn. 10. 314.

601. *Tyndaridis Lacænæ, &c.*] Helenæ Tyndarei filiæ, Lacedæmoniæ, Æn. 1. 650. *Lacæna*, fœmininum, non à masculino *Lacænus*, sed à *Lacon*, incola Latoniæ: ut à λέω, *leo*, λέαινα, *leæna*. De *Paride*, Æn. 1. 27.

Jussa time, neu præceptis parere recusa.
Hìc ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum;
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit. Hìc Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone sævâ.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm.
  Tum verò omne mihi visum considere in ignes
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja.
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cùm ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim evicta, supremùm
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.

*imperia metue, et ne abnuas obtemperare* ejus *mandatis. Illic ubi cernis moles prostratas, et lapides avulsos lapidibus et fumum undatim* surgentem *mixto pulvere:* illìc *Neptunus succutit fundamenta impulsa magno tridente, et convellit à radicibus totam urbem. Illìc ferocissima Juno prima occupat Scæas portas, et armata ferro* ac *furiosa vocat à navibus exercitum sociorum. Jam, aspice, Tritonia Pallas stetit in summis arcibus, resplendens nube et torvo* capite *Medusæ. Ipse Jupiter suggerit Græcis animos et robur opportunum: ipse commovet Deos adversùs arma Trojana. Fili, accelera fugam, et pone finem laboribus. Nusquam* te *deseram, et ducam te securum ad paternam domum.* Sic *locuta fuerat, et statim abdidit se densis tenebris noctis. Apparent horrendæ species, et numina magna Deorum adversa Trojæ. Tunc verò omne Ilium visum est mihi recumbere in flammas, et Troja Neptunia à fundamentis subrui. Et quemadmodum quando in altis montibus rustici conantur certatim evellere veterem ornum, circumcisam ferro multisque securibus; illa diu minatur, et ramis tremens vacillat emoto cacumine: donec paulatim victa ictibus, postremùm insonuit, et evulsa fecit ruinam in montibus.*

## NOTÆ.

610. *Neptunus muros, &c.*] Neptunum Virgilius Trojanæ urbi infestum facit, ob perjurium Laomedontis, qui Deum illum pactâ mercede fraudavit, postquam is cum Apolline muros urbis condidisset: G. 1. 502. Neptunus tamen apud Euripid. in prologo Troad. ait se Trojanis benevolum semper fuisse, ex quo muros eorum condiderat: sed in fabulis incerta omnia. Aitque Servius Laomedontem Apollini et Neptuno pecuniam ad sacra vovisse, ac deinde ad murorum fabricam convertisse; unde fabula emanavit, Deos, et fecisse muros, et regi offensos fuisse. De *Neptuno*, Æn. 1. 125.

612. *Scæas portas.*] Trojæ portas sex fuisse ait Dares, *Antenorida, Dardaniam, Iliam, Catumbriam, Trojanam,* et *Scæam.* Hæc nomen habuit, vel à *σκαια, sinistra,* quod in sinistrâ urbis parte esset, vel à *σκήνωμα, tentorium, tabernaculum;* quòd hìc sepulchrum esset Laomedontis; vel, juxta Strabonem l. 13. vox est Thracia, cujus significatum non affert.

615. *Tritonia.*] Suprà, v. 171. *Pallas,* Æn. 1. 39.

616. *Nimbo.*] Servius explicat, *nube divinâ;* at puto circulum esse lucidum, huic similem diademati, quo Divorum capita Christiani præcingunt. Aitque Isidorus l. 19. 31. *Nimbum* quoque dici *fasciolam transversam ex auro, assutam in linteo, quod est in fronte fœminarum.* Quâ voce usus est Arnobius l. 2. *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis.* Et Plautus, in Pœnulo, Act. 1. sc. 2. v. 135. meretricem vocat *nimbatam.*

616. *Gorgone.*] *Medusa, Euryale, Sthenyo,* Phorci filiæ, apud insulas Dorcadas in Æthiopico oceano regnâsse dicuntur; *Gorgones* dictæ à *γοργότης, ferocitas.* Ex his cùm *Medusa* vim à Neptuno passa esset in Minervæ templo, Minerva capillos ejus mutavit in serpentes, quorum aspectu homines in saxa vertebantur. Hoc deinde caput Perseus, Jovis et Danaës filius, abscidit auxilio Minervæ: quæ suum ipsi clypeum eam in rem commodavit ex ære politissimo, quo velut in speculo reflexam capitis speciem tutò aspiceret: abscissum caput Minerva deinceps eidem suo clypeo ac terrorem imposuit.

625. *Neptunia.*] A Neptuno condita, suprà, v. 610.

626. *Ornum.*] *Ornus,* fraxinus est sylvestris et montana, *frêne sauvage,* WILD ASH.

Descendo, ac ducente Deo flammam inter et hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.
Ast ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,
Antiquasque domos: genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisâ vitam producere Trojâ,
Exiliumque pati. Vos ô quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires;
Vos agitate fugam.
Me si Cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servâssent sedes: satis una supérque
Vidimus excidia, et captæ superavimus urbi.
Sic, ô! sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam: miserebitur hostis,
Exuviasque petet: facilis jactura sepulchri est.
Jampridem invisus Divis et inutilis annos
Demoror, ex quo me Divûm pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contrà effusi lacrymis, conjuxque Creüsa,
Ascaniusque, omnisque domus: ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus hæret in iisdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Méne efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperâsti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tantâ Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat: patet isti janua leto.
Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quòd me, per tela, per ignes

*Descendo, ac ducente Venere elabor inter ignes et hostes:* eorum *arma permittunt* mihi *viam, et ignes retrò abeunt. Sed postquam jam progressus sum ad januam paternæ domûs, et veteres ædes; pater, quem cupiebam exportare primum in altos montes, et ad* quem *primum ibam renuit protrahere vitam, et tolerare exilium,* post *eversam Trojam: et dicit, O vos, quibus sanguis ætate vigens, et sanæ vires stant propriâ firmitate: vos tentate fugam. Si Superi voluissent me proferre vitam, servâssent mihi hanc domum: satis et plusquam* satis est, me *vidisse* jam *unum excidium, et* satis *superfui captæ urbi. Abite, ô!* postquam ultimum *vale dixeritis meo cadaveri sic deposito. Ipse reperiam mortem* propriâ *manu, aut hostis misertus* mei me occidet, *et detrahet mihi spolia: leve est privari sepulchro. Jamdudum odiosus Diis et inutilis traho vitam, ex quo pater Deorum, et rex hominum afflavit me aurâ fulminis, et tetigit igne. Talia dicens perstabat et manebat pertinax. Nos contra effusi in fletus, et uxor Creüsa, et Ascanius, et tota domus; ne pater vellet evertere omnia secum, et vim addere fato* nos *prementi. Abnuit* hoc, *et hæret* in *proposito et loco eodem. Iterum curro ad pugnam, et infelicissimus mortem appeto. Quod enim* aliud *consilium; vel quæ sors jam offerebatur? An sperâsti, ô pater, me posse* hinc *exportare pedem, te deserto? an tantum crimen exiit* ex *ore patris? Si placet Diis nihil superesse ex urbe tantâ, et* si *hoc fixum est* in eorum *mente, et delectat* eos *adjicere te ac tuos Trojæ* mox *perituræ: aperta est via ad hanc mortem. Et mox veniet Pyrrhus ex* effusione *multi sanguinis Priami: qui* novit *jugulare filium ante oculos patris, et patrem ante altaria. Hæccine erat* causâ, *ô alma mater, cur me inter arma, inter flammas servavisti?*

## NOTÆ.

632. *Deo.*] Deâ Venere. Nam *Deus* communi genere aliquando sumitur. Sic Lucanus l. 2. 80. *Terribilesque Deos scelerum,* Furias appellat. Sic Euripides in Troad. v. 948. τὴν θεὸν κόλαζε, *Deum objurga,* Venerem intelligit. Sic Demosthenes in exordio orationis de Coronâ: Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, *Deos precor cunctos et cunctas.*

642. *Una excidia.*] Cùm olim ab Hercule Troja expugnata est, Æn. 5. 476.

644. *Positum affati.*] Verba duo funebria. *Positum,* jacens, mortuum. Ovid. Heroid. 10. 124. *Nec positos artus unget amica manus. Affari:* morem notat Romanorum, qui statim atque cadaver combustum aut sepultum fuerat, antequam discederent, *vale* ter inclamabant.

649. *Fulminis afflavit, &c.*] Fulmen ferè nunquam, nisi vento flante, impellitur: unde pingitur cum alis, ut Æn. 8. 480. Cyclopes admiscent fulmini radios *tres ignis et alitis Austri.* Anchises autem à quibusdam dicitur oculis privatus, hìc à Virgilio tactus fulmine; eò quòd suos cum Venere amores evulgavisset: nec planè occisus; sed *afflatus tactusque,* ac propriè *attonitus,* unde stuporem et debilitatem membrorum contraxit.

Eripis? ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascaniumque, patremque meum, juxtáque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais, sinite instaurata revisam
Prælia: nunquam omnes hodie moriemur inulti.
  Hìc ferro accingor rursus: clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iülum.
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primùm tutare domum. Cui parvus Iülus,
Cui pater, et conjux quondam tua dicta, relinquor?
  Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
Cùm subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tractuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, et cœlo palmas cum voce tetendit:
Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantùm: et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma.
  Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit lævum, et de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæâ claram se condere sylvâ,
Signantemque vias: tum longo limite sulcus
Dat lucem, et latè circùm loca sulphure fumant.
Hìc verò victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque Deos, et sanctum sidus adorat:
Jam jam nulla mora est: sequor, et, quà ducitis, adsum
Dii patrii, servate domum, servate nepotem.

*ut videam hostem in mediis recessibus* domûs: *et ut videam Ascanium, et patrem meum, et Creüsam occisos alterum in alterius sanguine? O famuli, arma, date arma: dies postremus invitat victos.* Permittite ut *redeam ad Græcos, permittite* ut *repetam pugnas renovatas: nullatenus moriemur hodie omnes absque ultione. Tunc iterum induor armis: et accommodans inserebam clypeum sinistræ, et conferebam me extra domum. Ecce autem uxor amplectens pedes* meos *in* ipso *aditu* domûs *hærebat, et proferebat* mihi *patri parvum Iülum. Si exis moriturus, et nos trahe tecum in omnes* casus: *si verò* propter *experientiam* militarem *collocas aliquam spem in pugnâ, defende primò hanc domum. Cui parvus Iülus, cui pater tuus* relinquuntur; *cui relinquor ego olim vocata uxor tua? Talia inclamans implebat gemitu totam domum. Cùm repentinum et dictu admirabile prodigium apparuit. Nam inter complexus et oscula tristium parentum, ecce levis apex visus est è summo capite Iüli emittere lucem, et flamma innocua molli attactu delibare capillos* ejus, *et nutriri circa tempora. Nos timidi* cœpimus *currere* præ *metu, et agitare capillos accensos, et extinguere aquâ sacrum ignem. Sed pater Anchises gaudens erexit oculos ad astra, et protulit manus ad cœlum cum his verbis: Jupiter omnipotens, si placaris ullis precibus, intuere nos, hoc solum* petimus: *et si religione meremur* aliquid, *præterea fer opem, ô pater, et confirma hæc auspicia. Vix senex ea dixerat, et repentino sonitu tonuit* ad *sinistram* partem; *et stella protrahens facem, cadens è cœlo per tenebras, cucurrit multo cum lumine. Videmus hanc* stellam *cadentem supra summa fastigia domûs, se manifestam abdere in sylvâ Idæâ, et designantem iter: tum trames longo tractu emittit fulgorem, et circùm undique loca fumant sulphure. Tunc verò pater expugnatus convertit se ad cœlum, et alloquitur Deos, et adorat sanctam stellam,* aitque: *Nunc, nunc nulla est mora: sequor, et vado, quà ducitis. O Dii patrii, custodite domum, custodite nepotem.*

## NOTÆ.

683. *Apex.*] Summa pars pilei. Nam ex Servio, qui Suetonium citat, tria erant pileorum genera, quibus sacerdotes utebantur: *apex, tutulus, galerus. Galerus*, pileum erat ex pelle hostiæ cæsæ: *tutulus*, pileum lanatum, in metæ formam: *apex*, pileum sutile, circa medium virgâ eminente, cui lana circumligata erat; nomen ab antiquâ voce *apio* vel *apo*, ab *ἅπτω, ligo.*

693. *Intonuit lævum.*] De sinistro fulmine prospero, et hujus vocis, *lævum*, ambiguâ significatione, fusè Ecl. 1. 12. De *stellis* quæ cadere videntur, et accensis in mediâ aëris regione siccis exhalationibus, G. 1. 365.

696. *Idæâ sylvâ.*] Infrà, v. 861.

698. *Sulphure.*] Fulmina enim sulphuris odorem habere dicuntur.

Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
  Dixerat ille: et jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiúsque æstus incendia volvunt.
Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ;
Ipse subibo humeris: nec me labor iste gravabit.
Quò res cunque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit: mihi parvus Iülus
Sit comes, et longè servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertæ Cereris: juxtáque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello è tanto digressum et cæde recenti,
Attrectare nefas: donec me flumine vivo
Abluero.
  Hæc fatus, latos humeros subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis,

*Omen hoc vestrum, et Troja* est *in vestrâ potestate. Equidem cedo, nec abnuo ire tibi socius, ô fili. Ille locutus erat: et jam flamma clariùs* crepitans *auditur per urbem, et incendium propiùs spargit calorem. Age igitur, ô dilecte pater, imponaris nostro collo, ipse portabo te humeris: nec istud pondus me premet. Quócunque res abeant, unum et idem utrique periculum, una salus erit. Parvus Iülus mihi sit comes, et uxor eminùs sequatur vestigia. Vos, ô famuli, defigite mentibus vestris* ea *quæ dicam. Occurrit exeuntibus ex urbe colliculus, et antiquum templum Cereris desertum: et propè vetusta cupressus, ob majorum reverentiam servata per multos annos. Veniemus in hunc eundem locum, per varias* vias. *Tu, pater, accipe manu res sacras, et patrios Deos. Non licet me, redeuntem è tantâ pugnâ et recenti strage, tangere* eos: *donec me lavero purâ aquâ. Hæc locutus tegor veste, et pelle rufi leonis,* circa *latos humeros collumque submissum:*

## NOTÆ.

703. *Augurium.*] Propriè est consultatio avium ad futura prænoscenda, tamen ad alia omnia futuri omina transfertur. Nomen ab *avium* vel *gestu*, vel *garritu*, vel *gustu:* quia hujus artis ministri spectabant, quomodo aves se gererent in volatu: quomodo garrirent; quomodo offam oblatam gustarent. De *Numine*, Æn. 1. 133.

714. *Cereris.*] *Ceres* fuit Saturni et Opis filia, frugum repertrix, G. 1. 39.

717. *Penates.*] Deos domesticos: qui cùm in interiore domo colerentur, ita dicti sunt à nomine *penus:* quæ sunt res necessariæ, in intimâ domûs parte servatæ; ut ab *optimus, magnus; optimas, magnas; optimates, magnates:* ita à *penus, penas, penates;* Quinam illi essent, ambigitur. Alii, *Jovem, Junonem,* ac *Minervam,* fuisse aiunt: Alii *Neptunum* et *Apollinem:* alii *Cœlum* ac *Terram:* Arnobius Deos *consentes* seu *complices,* quorum numerum ac nomina ignota fuisse docet. Dionysius Halicarn. l. 1. refert ex Timæo caducea fuisse ærea, et ferrea, Trojanamque terram fictilem. Hos tamen ait se Romæ in templo vidisse, formâ duorum juvenum hastatorum, habitu sedentium. Hi tamen *Castor* et *Pollux* esse non possunt, cùm fratres essent Helenæ; Penates verò multò antiquiores. Hos Dardanus è *Samothraciâ,* insulâ contra Thraciam, advexisse cum Palladio dicitur, et Trojæ collocâsse; unde Æneas eos in Italiam detulerit. Porrò unde Penates acceperit Æneas, dubium videri potest. An verè Hectoris umbra è locis, ubi servabantur, ipsi detulerit, ut dictum est, v. 297. An similes domi habuerit eorum statuas, quas Anchisæ patri commiserit. An cum Palladio à Diomede acceperit, ut vidimus, v. 166. An Æneas, per incendii tumultum ingressus arcem, eos inde extulerit; ut ait Halicarnasseus, negare tamen videtur Virgilius. *Lares* verò, Dii etiam fuerunt domestici; ut Ovidio placet, Mercurii et Laræ, sive Larundæ, filii; juxta Plautum, caninâ specie efformabantur: juxta Plutarchum, caninâ pelle tantùm induebantur, propter fidam custodiam domus. Existimo cum Apuleio *Lares* esse ipsas animas parentum; qui, quòd olim in ipsâ domo sepulturæ mandarentur, curare semper familiam putabantur suam: unde erat *Lar familiaris:* et *Lars* vox est Etrusca, quæ *populi principem* significat. In eoque distinguo *Penates* à *Laribus:* quòd *Penates* divinâ essent origine, *Lares* humanâ. De *Larium* cultu, Æn. 3. 177.

719. *Flumine vivo.*] Mos fuit veterum; ut nunquam aut attrectarent sacra, aut ad sacrificium offerendum accederent, nisi lotis manibus, aliquando capite, quandoque etiam toto corpore: præsertim si cæde aliquâ, aut funere, aut impuro usu fœdi essent. Lotio fiebat, non stagnanti, aut pluviali, torrentique aquâ; sed vivâ ac perenni, qualis est fontium ac fluminum: sive in ipso flumine, per immersionem; sive aquâ inde haustâ, per solam effusionem.

Succedoque oneri: dextræ se parvus Iülus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Ponè subit conjux. Ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii;
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subitò cùm creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens: Nate, exclamat, fuge, nate: propinquant:
Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.
Hìc mihi nescio quod trepido malè numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et notâ excedo regione viarum:
Heu! misero conjux fatone erepta Creüsa
Substitit, erravitne viâ, seu lassa resedit,
Incertum: nec pòst oculis est reddita nostris.
Nec priùs amissam respexi, animumque reflexi,
Quàm tumulum antiquæ Cereris, sedemque sacratam
Venimus: hìc demum collectis omnibus una
Defuit, et comites, natumque virumque fefellit,
Quem non incusavi amens hominumque Deorumque?
Aut quid in eversâ vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curvâ valle recondo.
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.
Principio muros, obscuraque limina portæ,
Quà gressum extuleram, repeto: et vestigia retrò
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si fortè pedem, si fortè tulisset,
Me refero: irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur, exsuperant flammæ, furit æstus ad auras.
Procedo ad Priami sedes, arcemque reviso.

*et subeo onus: parvus Ascanius adhæsit* meæ *dexteræ, et sequitur* me *patrem passibus non æqualibus. Uxor juxtà sequitur. Vadimus per obscura loca: et me, quem nulla spicula immissa, neque conferti Græci ex hostili exercitu anteà turbabant; nunc omnes flatus terrent, omne murmur solicitat ancipitem, et æqualiter metuentem comiti et oneri. Et jam accedebam ad portas, et videbar excessisse ex omnibus viis: cùm repentè frequens strepitus pedum visus* est *allabi ad aures: et pater per noctem intuens vociferatur: Fili, fuge fili: appropinquant: video fulgentes clypeos, et* arma *ærea splendentia. Tunc nescio quis Deus inimicus abstulit mihi timenti turbatam mentem. Nam, dum currendo quæro* loca *à viis* remota, *et recedo à spatiis cognitis itinerum: heu! Creüsa uxor substitit! dubium est, an fato ablata* mihi *misero, an aberraverit ab itinere, an fessa sederit: nec deinde restituta est oculis meis. Neque vidi* eam esse *amissam, aut adverti mentem, priùs quàm pervenissemus ad collem vetustæ Cereris, et templum sacrum: hìc denique congregatis cæteris sola defuit, et frustrata est comites et filium et maritum. Quem non accusavi Deorum et hominum, insanus; aut quid vidi durius in ruinâ urbis? Commendo sociis Ascanium, et Anchisen, et Trojanos Deos, eosque occulto in humili valle. Ego redeo in urbem, et tegor armis nitentibus. Deliberatum est renovare omnes casus, et redire per omnem Trojam, et iterum objicere caput periculis. Primùm reviso muros, et limina obscura portæ* urbis, *quà exportaveram pedem: et retrò relego vestigia notata in tenebris, et quæro oculis. Ubique horror, et simul ipsum silentium terret mentem. Inde redeo domum,* ut viderem *an fortasse retulisset gradum* illuc. *Græci invaserant, et occupabant totam domum. Continuò ignis vorax fertur* vi *ventorum ad supremum cacumen: flammæ suprà assurgunt, ardor sævit in aërem. Progredior ad regiam Priami, et repeto arcem.*

## NOTÆ.

725. *Opaca locorum.*] Opaca loca: suprà v. 332.

754. *Lumine lustro.*] Vel luce ex flammis ardentis patriæ, ut vult Donatus: et verò dixerat v. 312. *Sigea igni freta lata relucent.* Vel oculis: *lumen* enim hoc sensu, etiam singulari numero dicitur. Æn. 12. 220. *Aram Suppliciter venerans demisso lumine Turnus.*

760. *Priami sedes, arcemque.*] Duo sunt loca diversa, ut diximus v. 322.

Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo,
Custodes lecti Phœnix et dirus Ulysses
Prædam asservabant: huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque Deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur; pueri et pavidæ longo ordine matres
Stant circùm.
Ausus quinetiam voces jactare per umbram
Implevi clamore vias: mœstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.
  Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creüsæ
Visa mihi ante oculos, et notâ major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quid tantùm insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine Divûm
Eveniunt: nec te comitem asportare Creüsam
Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, et vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque, et regia conjux
Parta tibi; lacrymas dilectæ pelle Creüsæ.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo:

*Et jam in porticibus desertis, et templo Junonis, custodes electi Phœnix et crudelis Ulysses servabant spolia:* in *hunc* locum *undique cumulantur divitiæ Trojanæ, sublatæ è recessibus combustis, et mensæ Deorum, et pocula solida* ex *auro, et vestimenta capta; pueri et timidæ matres longâ serie stant circùm. Imò etiam ausus emittere voces inter tenebras, replevi vicos clamoribus, et tristis frustrà repetens Creüsam rursus et rursus appellavi. Misera species et umbra ipsius Creüsæ, et figura grandior* quàm ea quæ erat *cognita, apparuit præ oculis mihi vestiganti, et sine fine dolenti per domos urbis. Obstupui, et capilli obriguerunt* mihi, *et vox hæsit in gutture. Tunc sic* cœpit *me alloqui, et auferre solicitudinem his verbis: Quid tantùm prodest vacare immodico dolori, ô chare marite? ista non contingunt absque voluntate Deorum: nec fatum, aut ille rex summi cœli, permittunt te auferre* hinc *sociam Creüsam. Tu percursurus es longa exilia et immensum spatium maris. Pervenies ad terram Italicam, ubi Tybris Lydius volvitur pacato cursu inter pingues agros populorum. Illic parata est tibi fortuna prospera, et regnum, et uxor, regis* filia: *depone dolorem ob charam Creüsam* conceptum. *Ego non videbo superbas regiones Myrmidonum aut Dolopum, nec ibo ministratum matribus Græcis:*

## NOTÆ.

761. *Vacuis.*] Non à Græcis, qui multi ibi erant; sed à civibus ac defensoribus.

*Junonis asylo.*] *Asylum, ἄσυλον,* ab *α* privativo et *σύρειν, trahere: σύλη, spolium:* quia qui ad illud confugisset, inde trahi aut spoliari non poterat. Idque jus sylvis quibusdam, sed præcipuè templis tributum est. De *Phœnice,* Achillis rectore, suprà, v. 7. De *Ulysse,* Ibid. De *gaza,* Æn. 1. 119. De *crateribus,* poculis, Ecl. 6. 68.

772. *Creüsæ.*] Æneæ uxor fuit, mater Ascanii, filia Priami et Hecubæ. Scriptores Æneæ infesti hanc ab Æneâ occisam volunt, ex pactione cum Græcis: ne quid ex Priami sanguine superesset. Virgilius fingit à Cybele fuisse retentam: ne quid esset impedimenti, quominùs Æneas, aut à Didone adoptaretur, aut à Liviniâ assumeretur in virum.

777. *Numine.*] De *numine,* voluntate Deorum, Æn. 1. 133. De *Olympo,* Thessaliæ monte, qui pro cœlo sumi solet, Ecl. 5. 56.

780. *Maris æquor arandum.*] *Æquor,* est quælibet æqua planities, sive terræ, sive maris, sive etiam speculi: unde Æn. 7. 781. *Æquore campi exercebat equos.* Hìc *maris æquor.* Lucret. l. 4. 105. *Reddunt speculorum ex æquore visum Arandum;* ducta metaphora ab agris; sicut Æn. 5. 158. *Sulcant vada salsa carinæ.* Est enim *sulcus,* longus ille tractus, quem vomer inter arandum excavat.

781. *Hesperiam.*] Duplex est, *Hispania,* et *Italia;* hìc *Italia,* Æn. 1. 530. *Tybris,* Italiæ fluvius, de quo Æn. 8. 330. *Lydius* dicitur; quia Tuscos, sive Etruscos, à Latio dividit. Tusci autem etiam *Tyrrheni* dicti sunt à Tyrrheno, filio Atyos, qui Atys, Herculis et Omphales filius, Lydiæ rex, in Asiâ minore, cùm regio fame laboraret, sorte inter filios jactâ, *Lydum* regni successorem habuit. *Tyrrhenum* è regno emisit ad condendam coloniam: quam post varios tandem errores, in Italiâ ad superiorem Tybris ripam collocavit: quare Etrusci et Tyrrheni è *Lydiâ* oriundi sunt. De *agmine,* pro impetu, G. 3. 423. De *Myrmidonibus,* ac *Dolopibus,* suprà, v. 7.

Dardanis, et Divæ Veneris nurus.
Sed me magna Deûm genitrix his detinet oris.
Jamque vale, et nati serva communis amorem.
  Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem et multa volentem
Dicere deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumptâ nocte reviso.
Atque hìc ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio, admirans numerum: matresque, virosque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum: nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

cùm sim è *Dardani* sanguine, *et nurus Deæ Veneris. Sed magna mater Deorum retinet me in his regionibus. Nunc igitur vale*, et *retine amorem filii nostri. Postquam protulit hæc verba, reliquit* me *plorantem et volentem loqui plurima, et evanuit in aërem levem. Tunc ter conatus* sum *injicere brachia collo* ejus; *ter species frustrà apprehensa abiit è manibus, similis levi vento*, et *similis vago somno. Denique transactâ nocte sic redeo ad socios. Et illìc reperio admirans magnam multitudinem novorum sociorum advenisse, et matres, et viros, juventutem congregatam ad fugam, et plebem miserandam. Undecunque concurrerunt, parati et voluntate et facultatibus, in quascunque terras velim* eos *ducere mari. Et jam Lucifer oriebatur è cacuminibus summæ Idæ, et inchoabat diem: et Græci occupabant clausos aditus portarum: nec offerebatur ulla spes auxilii. Cessi, et patrem ferens conscendi montem.*

## NOTÆ.

787. *Dardanis, &c.*] Quia Priami filia, è Dardano oriunda. Vide stemma, G. 3. 35.

788. *Magnâ Deum genitrix.*] *Cybele*, de quâ ejusque sacris, Æn. 3. v. 111. Quomodo autem Creüsam detinet? Sensus est: Creüsam in Idæos famularum ejus choros adscitam esse: et immortalitate donatam, quali Nymphæ fruebantur.

801. *Lucifer Idæ.*] Significat *Idam* montem ad orientem fuisse Trojæ, unde *Lucifer*, stella Veneris, ante Solis ortum primò appareret. *Ida* quippe per Troadem universam sparsa est in varios montes: quorum pars septentrionalis ad Propontidis litus: pars occidentalis, ad Hellespontum; pars meridionalis, ad sinum Adramyttenum maris Ægæi, pertinet. Imminebat Trojæ ad orientem, ibidemque Paris de tribus Deabus judicium tulit. Fœminini generis est *Ida* contra regulam communem. De *Lucifero*, Ecl. 6. 86. Ait Varro stellam illam Veneris ab Æneâ semper visam esse, donec ad agrum Laurentem veniret: quo tempore videri tandem ab eo desiit.

## P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER III.

### ARGUMENTUM.

*PERGIT Æneas enarrare Didoni casus suos, quorum altera pars hoc libro continetur, nempe navigatio. Æneas, incensâ Trojâ, classe viginti navium ad urbem Antandrum clam fabricatâ, defertur in Thraciam; ubi cùm urbem conderet, territus prodigio cæsi à Polymnestore rege Polydori, navigat in insulam Delum, consulturus oraculum Apollinis: à quo monitus ut* antiquam matrem *exquireret, Anchisæ interpretatione Cretam esse insulam ratus, Trojanæ gentis originem, eò contendit, urbemque novam ædificat. At inde peste depulsus, monitus in somnis à Diis Penatibus, Italiam vera esse Trojanorum cunabula, Italiam petit. In itinere actus tempestate in insulas Strophades, infestas habet Harpyias: quarum ex unâ audit se non priùs in Italiâ fixurum sedes, quàm fame coactus fuerit mensas absumere. Hinc delatus ad Actium promontorium, ibi ludos celebrat. Tum in Epirum appulsus, Andromachen reperit, jam Heleni uxorem, et mortuo Pyrrho in Chaoniâ Epiri parte regnantem. Audit ab Heleno, rege eodem ac vate, sedem sibi à Diis in Italiâ paratam: eo loco, ubi suem albam inveniret triginta fœtus enixam. Admonetur ab eodem, ne in proximâ Italiæ parte considat, Græcorum metu, qui ventis eò disjecti fuerant: tum ne Siculum trajiciat fretum, metu Scyllæ et Charybdis: sed deflexo ad occasum cursu Siciliam circumeat. Igitur relictâ Epiro, Tarentum, quæ in vicinâ Italiæ orâ est, et Siciliæ partem Ætnæ monti proximam prætervectus: hinc supplicem recipit Achemenidem, socium Ulyssis, ab eoque de feritate Cyclopum edoctus, observatis omnibus Heleni præceptis, tandem Drepanum, occidentalem Siciliæ portum, obtinet: ubi moritur Anchises. Atque hinc mediâ æstate solvens Æneas in Italiam, tempestate in Africam ejicitur. Et hic finis est narrationis.*

POSTQUAM res Asiæ Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja;

INTERPRETATIO.

*Postquam placuit Diis destruere potentiam Asiæ, et populum Priami; et* postquam *nobile Ilium cecidit, et tota Troja à Neptuno munita fumat à fundamentis;*

### NOTÆ.

1. *Res Asiæ.*] Minoris, cujus magna pars est utraque Phrygia, major et minor, Priamo subdita, Æn. 1. 381.

2. *Immeritam.*] Nam perfidia Laomedontis in Neptunum et Apollinem, et crimen Paridis in Junonem ac Minervam non debuere tanto populo creare perniciem, Æn. 1. 27. 2. 610.

3. *Ilium—Neptunia Troja.*] Per *Ilium*, arx; per *Trojam*, urbs significatur. *Ilium* dicitur à Virgilio tantùm neutro genere; ab Horatio, *Ilios* fœminino: ab Ovidio *Ilion* etiam fœminino, communi urbium genere.

Diversa exilia, et desertas quærere terras,
Auguriis agimur Divûm: classemque sub ipsâ
Antandro, et Phrygiæ molimur montibus Idæ:
Incerti quò fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.
Litora tum patriæ lacrymans, portusque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit: feror exul in altum,
Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis Diis.
  Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo:
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri, Divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superoque nitentem
Cœlicolûm regi mactabam in litore taurum,
Fortè fuit juxtà tumulus, quo cornea summo

*impellimur ominibus Deorum petere exilia remota, et regiones vacuas: et fabricamus naves prope ipsam Antandrum et* prope *montes Idæ Phrygiæ; dubii, quem in locum fata nos mittant, ubi permittatur manere: et colligimus socios. Vix prima æstas inceperat: et jam pater Anchises imperabat* nos *dirigere vela,* quò *fata* vellent. *Tunc lugens desero litora patriæ, et portus, et arva, ubi Troja* sita *fuit. Abeo exul per mare, cum sociis, et nato,* cum *Penatibus, et magnis Diis. Terra Martia spatiosis agris longè habitatur,* quam *Thraces colunt, subjecta olim bellicoso Lycurgo: vetus hospitium Trojanorum, et* cujus *Dii* erant *conjuncti* nostris, *dum felices fuimus. Illuc navigo, et in sinuoso litore statuo primos muros, appulsus fatis adversis: et nomen* civibus *facio Æneadas, de meo nomine. Offerebam sacrificia matri Veneri, et Diis auctoribus operis inchoati: et immolabam in litore taurum pinguem summo regi cœlestium. Fortè tumulus prope erat, quo* in *summo erant frutices cornei,*

## NOTÆ.

5. *Auguriis.*] Hectoris admonitu, Æn. 2. 295. flammâ, quæ verticem Ascanii lambebat, v. 681. cursu stellæ cadentis, et lævo fulmine, v. 694. sermone ultimo Creüsæ, v. 781.

6. *Antandro.*] *Antandros,* urbs est Phrygiæ minoris, nunc *S. Dimitri;* ad sinum Adramyttenum, et litus Ægæi maris: sub radices Idæ, ubi copia erat arborum ad navalem structuram, et latebrosi sinus procul à conspectu Græcorum. De *Idâ* monte, Æn. 2. 801

7. *Incerti quò fata ferant.*] Tamen Creüsa monuerat, Æn. 2. 781. in Hesperiâ ad ripas Tybris sedes esse futuras. Ergo, vel non credidit inani Creüsæ simulacro: vel illud Creüsæ vaticinium ex iis est locis, quos Virgilius emendare debuisset.

8. *Æstas.*] Nam Troja sub finem veris capta est, ut diximus Æn. 2. 340. Et in ædificandâ viginti navium classe aliquantum sanè temporis abiit.

12. *Penatibus et magnis Diis.*] *Magni* sunt Jupiter, Juno, Mars, &c. communes Dii: *Penates,* domestici, nec nominati, Æn. 2. 717.

13. *Procul.*] Thracia tamen à Troade non distinguitur nisi angustissimis faucibus Hellesponti, *les Dardanelles.* Igitur *procul,* non est *longiùs dissita;* sed quæ *longè latéque colitur,* latissima enim est Thracia. *Mavortia* dicta, quia Mars in eâ natus est, Ecl. 6. 30. et 9. 12.

14. *Thraces arant.*] Relativum *quam* suppressit more suo: sic Æn. 1. 12. *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni. Thracia,* ampla Europæ regio olim duas in partes divisa, in Thraciam cis Rhodopen, et trans Rhodopen montem. *Romania* dicta deinde est, cùm in eam Constantinus Romanum imperium transtulit. Ejus caput *Constantinopolis:* termini, à septentrione et occidente Bulgaria; à meridie, mare Ægeum; ab oriente, Hellespontus, Propontis, et Pontus Euxinus.

*Lycurgo.*] Thraciæ rex fuit, Dryantis filius, qui Baccho infestus ipsum fugere compulit in insulam Naxum, et vites Thraciâ totâ succidi jussit: quas cùm ipse succideret, dicitur Dei ultione in furorem actus sibi crura amputâsse.

*Regnata.*] Passivè dixit: ut Æn. 6. 770. *Regnandam acceperit Albam:* et Hor. Od. l. 2. 6. 11. *Regnata Laconi rura Phalanto.*

15. *Sociique Penates.*] Nam Polymnestor, Thraciæ rex, conjugem habuerat Ilionem, filiam Priamo. De *Penatibus,* Æn. 2. 717.

18. *Æneadas.*] Urbem vocat Mela, l. 2. 2. *Ænos:* inter ostia Hebri et Chersonesum: confirmatque Plinius, cùm ait ad eam urbem esse Polydori tumulum, l. 4. 11. Nunc etiam dicitur *Eno. Dionææ matri,* Veneri, filiæ Jovis et Diones, Æn. 1. 256.

21. *Teucrum.*] Dicunt interpretes, ex Atteio, non licuisse immolare Jovi *taurum, vervecem, arietem:* adduntque ideò non acceptum fuisse sacrificium Jovi, secutumque statim esse Polydori prodigium. Malim tamen dicere tunc temporis non ita distinctas fuisse religionum rationes: taurumque etiam Jovi placuisse, ut probat hìc multis exemplis Cerdanus.

22. *Tumulus.*] Et editiorem locum, et sepulchrum significat. *Cornea,* ex arbore *corno, corneiller,* CORNEIL TREE: de quâ G. 2. 34. De

Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras;
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et causas penitùs tentare latentes:
Alter et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Ritè secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nixu
Aggredior, genibusque adversæ obluctor arenæ:
Eloquar, an sileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus: non me tibi Troja
Externum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum;
Nam Polydorus ego: hìc confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis.
Tum verò ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandârat alendum
Threïcio regi: cùm jam diffideret armis

*et myrtus aspera multis hastilibus. Accessi* ad tumulum *et conatus abrumpere è terrâ ramos virides, ut tegerem altaria ramis* illis *foliosis; video prodigium tremendum et mirabile dictu. Nam quæ arbor primò eruitur è terrâ fractis radicibus, ex hâc defluunt guttæ nigri sanguinis, et tingunt terram sanie. Frigidus tremor agitat meum corpus, et sanguis metu gelidus congregatur* ad cor. *Iterum pergo exstirpare virgam flexilem alterius* arboris, *et explorare causas occultas: et niger sanguis fluit ex alterius cortice.* Ego *volvens mente plurima, orabam Nymphas sylvestres, et patrem Martem, qui præest campis Thraciæ,* ut *benè prospera redderent visa, et averterent* malum *augurium. Sed postquam majore conatu accessi ad tertios ramos, et genibus obnixus sum* contra *terram oppositam: dicam, an tacebo? flebilis gemitus auditur* ab *intimo tumulo, et vox emissa pervenit ad aures: Cur discerpis miserum, ô Ænea? abstine à sepulto, cave polluere religiosas manus* tuas: *Troja non me produxit alienum tibi: sanguis hìc non fluit è trunco. Heu fuge regionem crudelem, fuge litus avarum: Ego enim* sum *Polydorus: multitudo* telorum *ferreorum obruit hìc* me *confixum, et crevit* in *acuta hastilia. Tunc autem obstupui, oppressus dubiâ formidine* secundùm *animum, et capilli obriguerunt, et vox stetit in gutture. Olim miser Priamus clam miserat regi Thraciæ hunc Polydorum educandum cum ingenti copiâ auri: cùm jam malè speraret de armis*

NOTÆ.

*Virgultis*, ibid. 21. De *myrto*, Ecl. 2. 54. De *sylvâ*, pro quâlibet multitudine, Geor. 1. 152.

34. *Nymphas agrestes.*] Hamadryadas, Ecl. 2. 46. Cùm enim hæ unà cum arboribus vivant et occidant; dubitabat num esset earum sanguis.

35. *Gradivum——Geticis.*] *Gradivus* Mars nominatur, à κραδαίνω, *vibro*. *Getæ:* populi Daciæ, Thraciæ tamen annumerati ob viciniam, Geor. 2. 115. De *Marte*, Ecl. 9. 12.

36. *Secundarent visus.*] *Visus*, pro *visa*. Notatque Cerdanus, *secundarent*, propriè dictum: nam post adversum omen, cùm repeteretur novum: si hoc prosperum erat, primum destruebat, vocabaturque *secundum;* si rursus adversum erat, vocabatur *alterum.*

42. *Scelerare manus.*] Violatione sepulchri: quæ religio sancta semper fuit.

45. *Hìc confixum, &c.*] Euripides tamen in Hecubâ v. 700. ait à Polymnestore cæsum, et in mare projectum, ad illud litus ejectum esse, quo Græci è Trojâ domum repetentes appulsi erant: ibique ab Hecubâ matre fuisse agnitum: et in ultionem sceleris Polymnestora occæcatum à Trojanis mulieribus, eâdem Hecubâ duce, quæ remotum in locum eum abduxerat spe detegendi thesauri. Aliter etiam narrat Hyginus. Nempe Polydorum admodum infantem in Thraciam missum: ab Ilione sorore, Polymnestoris uxore, suppositum esse pro Deïphilo, Polymnestoris filio, sed ex aliâ uxore; ut tutiùs Græcos lateret: atque ita Deïphilum ab inscio patre occisum deinde fuisse, non Polydorum.

Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, et fortuna recessit ;
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames ! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra Deûm refero ; et quæ sit sententia, posco.
Omnibus idem animus, scelératâ excedere terrâ,
Linquere pollutum hospitium, et dare classibus Austros :
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus : stant manibus aræ,
Cœruleis mœstæ vittis atrâque cupresso :

*Trojæ, et videret urbem premi obsidione. Ille* Polymnestor, *postquam potentia Trojanorum imminuta est,* et *fortuna abiit* ab eis; *conversus ad partes Agamemnonis et exercitum victorem, violat jura omnia, jugulat Polydorum, et per vim rapit aurum* ejus. *Quid non cogis corda hominum* facere, *ô execranda cupiditas divitiarum? Postquam timor abiit è membris* meis, *renarro prodigia Deorum electis principibus populi, et primùm patri* meo, *et peto quis sit eorum sensus* eâ de re. *Idem* est *omnibus consilium, abire ex impiâ regione, deserere funestatum hospitium, et præbere vela ventis. Itaque apparamus exequias Polydoro, et multum terræ accumulamus in sepulchrum: eriguntur altaria animæ* ejus, *tristia cæruleis tæniis et nigrâ cupresso:*

## NOTÆ.

54. *Agamemnonias.*] Agamemnon, Atrei Mycenarum regis filius, Menelai Spartani regis frater, rex ipse Mycenarum, ad expeditionem Trojanam dux electus totius Græciæ, unde *rex regum* à poëtis appellatur: captâ Trojâ Cassandram filiam Priami captivam sibi habuit, amavitque; ac reversus in patriam, occisus est cum eâdem Cassandrâ in convivio, insidiis Clytemnestræ uxoris, ab Ægistho adultero, Thysestis filio, qui Thyestes Atrei frater fuerat. At Orestes Agamemnonis filius, in ejus ultionem, et Ægisthum et matrem Clytemnestram interfecit.

57. *Sacra.*] *Execranda;* vox frequens apud veteres: ab iis ducta qui *devovebantur, sacrabantur, et addicebantur* morti pro publicis delictis: ita ut impunè occidi possent. Sic devovebatur apud Massilienses pauper aliquis, pestilentiâ sæviente: sic aliquando Codrus apud Athenienses, Curtius et Decius apud Romanos se devoverunt: sic etiam omnis victima immolatur quasi onusta populi totius delictis. Rhodiginus tamen ait *sacrum* dici quicquid *magnum* est, et sic Homero Il. 16. 407. ἱερὸν ἰχθὺν, esse *piscem magnum.* Addo sic etiam apud Hebræos magna omnia dici *Dei* esse, sic Ps. 36. 7. *Montes Dei,* sunt *magni montes:* et Ps. 80. 11. *Cedri Dei,* sunt *magnæ cedri.* Hìc igitur fortassè *sacra fames,* est *magna fames.*

61. *Dare classibus Austros.*] Commutatio: id est, *committere classem ventis.* Posuit *Austros,* ventem meridionalem, de quo Ecl. 2. 58. pro vento generatim. Euntibus enim è Thraciâ in insulam Delum, Auster contrarius, Boreas commodus est.

62. *Instauramus Polydoro funus, &c.*] Perstringit hìc ceremonias funebres, quæ fusiùs, l. 6. 215. describentur. I. Instaurat funus, quia malè tumulatus primò fuerat, projectus nimirum ac telis obrutus: unde videri potuit inhumatus. II. *Funus* alii *sepulchrum* explicant, alii *pompam* funebrem. III. *Manes,* sunt animæ mortuorum: hìc anima Polydori: de iis Geor. 4. 469. IV. *Aræ,* numero plurali, quia heroum animis geminæ sacrabantur: infrà v. 305. Hectori Andromache, *geminas causam lacrymis sacraverat aras.* Ecl. 5. 66. pastores Daphnidi, *en quatuor aras, ecce duas tibi, Daphni.* V. *Cæruleis vittis* et tæniis ornabantur aræ: et *cæruleus* color, tum in sacris usui fuit; unde Valer. Argon. 1. 776. *Multâ pallens ferrugine taurus stabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ;* tum in luctu assumi solebat à mulieribus, depositâ veste purpureâ, ut est apud Danielis Servium, qui citat Catonem; sed addit cœruleum à veteribus nigrum dici: unde fortassè hìc cœruleæ vittæ, nigræ sunt. VI. Cupressus addebatur aris et bustis ad latera: vel quia gravis est odoris, ad fœtorem cadaverum leniendum: vel quia semel excisa non renascitur, ad mortem exprimendam: vel quia cariem non sentit, ad gloriæ immortalitatem significandam. VII. *Iliacæ* mulieres crines solverunt: alluditque poëta ad morem Romanum, qui fortè fuit etiam apud Phryges: nam Græci crines in luctu non solvebant, sed secabant: ut ait Plutarch. in Roman. quæst. VIII. *Cymbia:* vasa oblonga et angusta, in modum cymbæ et naviculæ. IX. Sanguinem, et lac; etiam aliquando vinum, et mel, et aquam effundebant: quia his pasci et delectari animas credebant, præcipuè sanguine: hinc etiam gladiatorum certamina circa bustum: hinc Odyss. 11. 36. Ulysses, Tiresiæ manibus sacra faciens, non eum educit, nisi effuso in scrobem multo victimarum sanguine. X. *Animam condebant sepulchro;* quia, qui fuerant inhumati, hos errare centum annos existimabant. XI. *Voce ciebant,* et appellabant ter proprio nomine, ut faciliùs errantem animam ad sepulchrum urnamque revocarent: tum ter *vale* dicto, discedebant.

Et circùm Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras: animamque sepulchro
Condimus, et magnâ supremùm voce ciemus.
Inde ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat Auster in altum;
Deducunt socii naves, et litora complent.
Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.
  Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri et Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenens oras et litora circum
Errantem, Mycone celsâ Gyaroque revinxit;
Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit: egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,
Vittis et sacrâ redimitus tempora lauro
Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa Dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam Thymbræe domum, da mœnia fessis,

*et Trojanæ circùm* eunt *passis capillis, juxta consuetudinem. Infundimus pocula spumantia tepido lacte, et pateras sanguinis hostiarum; et claudimus animam* in *sepulchro, et magnâ voce ultimò conclamamus. Deinde statim ut prima securitas maris* apparuit, *et venti præbuerunt quietum mare, et Auster blandè strepens invitavit ad navigationem: socii detrahunt naves, et tegunt litora. Recedimus è portu, terræque et urbes relinquuntur. Medio in mari jucundissima insula incolitur, dicata matri Nereidum et Neptuno Ægæo: quam pius Apollo religavit Mycone altâ et Gyaro, vagam* anteà *circa litora et* circa *extrema* terrarum: *et voluit coli stabilem, et aspernari ventos. Illuc navigo: illa tranquillissima excipit securo portu* nos *lassos: egressi* è navibus *veneramur urbem Apollinis. Rex Anius, idem rex populi et sacerdos Apollinis, coronatus* circa *caput tæniis et lauro dicatâ* Apollini, *venit obviam, et agnoscit Anchisen antiquum amicum. Jungimus manus in* signum *hospitii. Reverebar templum Apollinis conditum vetere saxo: O Thymbræe, concede* nobis *propriam sedem, da muros fatigatis,*

## NOTÆ.

74. *Nereïdum, &c.*] *Delum* insulam significat, in quâ nati Apollo et Diana, Ecl. 3. 67. Una est è Cycladibus insulis, in mari Ægæo, quod hìc dicitur *Neptunus Ægæus:* vel ab *Ægis* Eubœæ oppido; vel ab *Ægâ* Æolidis promontorio, juxta Strabonem; vel à crebris insulis, quæ procul aspicientibus videntur habere speciem *αἰγῶν, caprarum,* juxta Festum; vel ab Oleniâ caprâ, cœlesti sidere, quæ exoriens graves ibi tempestates excitat. Ibi magna insularum multitudo: quarum meridionales dicuntur *Sporades,* à *σπείρω, spargo,* quia dispersæ sunt sine ordine; septentrionales verò *Cyclades,* à *κύκλος, circulus,* quia quasi in circulum dispositæ sunt circa *Delum:* quam, anteà vagam, post Latonæ verò partum uni affixum loco, circumcingunt, et quasi *revinciunt. Mycone* et *Gyaros,* duæ ex iis, pro cæteris, hìc appellantur, quamvis aliquæ sint Delo propiores. *Mycone* quidem ad ortum, una è Cycladibus, nunc *Mycoli: celsa* dicitur propter montem ejus *Dimestum. Gyaros,* ad occidentem inter Sporades, sterilissima, et à Romanis olim destinata facinorosorum exilio: nunc *Caloira* à quibusdam vocatur; quanquam incerti admodum est, et sitûs, et nominis.

*Arcitenens.*] Apollo, qui statim ut natus est, Pythona serpentem *arcu* et sagittis occidit; in Latonam matrem suam, tum gravidam, immissum a Junone: unde *pius* dicitur. De *Neptuno,* Æn. 1. 125. De *Doride,* quæ *Nereïdes* ex Nereo fratre suscepit, Ecl. 10. 5.

77. *Immotamque, &c.*] Olim dicitur errâsse mari, atque adeò aliquando ventorum agitatu mari submersa esse. Deinceps verò *Δῆλος, manifesta,* vocata est: vel quia Latonæ locum ad pariendum quærenti, tutum à serpentis Pythonis insidiis, subitò è mari emersit: vel quòd post diluvium Ogygium, quod Deucalioneum longè præcessit, prima ex aquis apparuit: vel quòd Phœbi oracula, alibi obscura, hìc manifesta sunt. Fabulam aliqui referunt ad terræ motus, quibus agitabatur anteà, et deinceps agitari desiit; alii ad securitatem portûs. Urbs ejus primaria dicta est etiam *Delos.*

80. *Rex Anius, &c.*] Veterum more, rex, idem et sacerdos: Apollinis filius ex Rhæâ, vel Rhæo. Filiæ ejus ex Dorippe fuere tres, *Œno, Spermo,* et *Elais,* dictæ *Cœnotrapæ,* à *καινὸς, novus,* et *τρέπω, verto;* quòd Bacchi beneficio, quicquid tangerent, novas in formas verterent: Œno quidem in *οἶνον, vinum; Spermo* in *σπέρμα semen triticeum; Elais* in *ἔλαιον, oleum.* Fabula inde est, quòd pater magnam eorum vim colligeret, ex donis Apollini Delio oblatis. Constat enim ex antiquis monumentis, quæ citat Cerdanus, aram Apollinis Delii nullo victimarum sanguine cultam fuisse, sed precibus, floribus, &c. unde ait solùm Æneas *venerabar;* et preces suas, non etiam victimas, commemorat.

85. *Thymbræe.*] Strabo, l. 13. ait campum esse Thymbram, in agro Trojano, quem Thym-

Et genus, et mansuram urbem; serva altera Trojæ
Pergama, reliquias Danaûm atque immitis Achillei.
Quem sequimur? quóve ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repentè,
Liminaque, laurusque Dei: totusque moveri
Mons circùm, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hìc domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia, et cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt:
Quò Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum:
Audite, ô proceres, ait, et spes discite vestras.

*et familias, et urbem stabilem: protege secunda Pergama Trojæ, reliquias Græcorum et crudelis Achillis. Quem sequimur? aut quò imperas* nos *ire, et ubi statuere sedes? O pater! præbe* nobis *omen, et descende in mentes nostras. Vix dixeram ista: statim omnia visa sunt trepidare, et portæ, et laurus Dei: et totus mons circùm concuti, et tentorium sonare apertis recessibus. Humiles cadimus in terram, et vox pervenit ad aures: Trojani fortes; quæ terra vos produxit à primâ origine majorum, eadem fertili sinu excipiet vos redeuntes: quærite veterem genitricem. Illic familia Æneæ regnabit in regiones omnes, et filii filiorum, et qui orientur ab illis. Apollo hæc* dixit: *et gaudium magnum ortum* est *mixto tumultu, et omnes inquirunt quæ sit ea urbs, quò Phœbus revocet vagos, et imperet* eos *redire. Tunc pater* meus *recogitans historias antiquorum hominum, dixit: O primates, audite, et intelligite spes vestras.*

## NOTÆ.

brius fluvius interfluit, in Scamandrum influens, ubi templum est Apollinis Thymbræi; quibus locis ex Servio nomen est à copiâ thymbræ, herbæ condimentariæ, *sariette*, SAVOURY. Hìc Æneas Apollinem, non Delium vocat, sed Thymbræum: ut ostendat unum eundemque Deum esse, eumque sibi placabilem reddat, commemoratione Trojani cultûs et patrii templi.

91. *Liminaque laurusque, &c.*] Vel laurus, quâ caput simulacri coronabatur. Vel potiùs laurea sylva, consita in templi limine seu vestibulo: more veterum, qui lucos templis addebant. Notetur hìc syllaba *que*, contra naturam producta.

92. *Mons, &c.*] *Cynthus*, mons Deli insulæ: unde Apollo *Cynthius*, et Diana *Cynthia*.

*Cortina.*] Propriè fuit vas tingendis lanis, dictum à *corte, basse-cour*, COURT-YARD: vel quia hujus vasis forma rotunda fuit, ut *cortis*, quam rotundam fuisse habemus ex Catone; vel quia vasis hujus magnus erat usus in *corte*. Hinc à formæ similitudine cortinæ appellatio translata est ab Ennio ad significandum *hemisphærium cœli: Quæque freto cava cæruleo cortina receptat.* Hinc ad exprimendum tentorium circa tripoda Delphicum, ubi sedens Pythia puella vaticinabatur. Hinc ad vela illa quibus in theatro histriones latent; et in sacris libris quælibet pellicea tentoria, *courtines*, HANGINGS. Alii aliunde deducunt: vel à *corio* Pythonis serpentis, ex quo tentorium Delphici tripodis factum dicunt: vel à *corde* puellæ, quod illìc à Phœbo tenebatur: sed primum probabilius Vossio videtur, Scaligero, &c. Hìc autem ambiguum est, an *velum* simpliciter, an etiam *tripodis* tentorium significet: cùm dubium sit an ex tripode, an per puellam, an per Anium regem, an solâ Dei voce redditum sit ex adytis hoc Æneæ oraculum.

95. *Ubere.*] De *ubere* terræ, pro ubertate, Æn. 1. 531. et Geor. 2. 185.

97. *Domus Æneæ, &c.*] Versus hi duo vaticinium continent, de magnitudine Romani imperii. Traducti sunt ex Homero Iliad. 20. 306. ubi Neptunus Æneam ab Achille occidendum periculo eripit. Sed apud Homerum illic, et in hymno Veneris, v. 197. omnia exemplaria habent, non πάντεσσιν, *cunctis*, sed Τρώεσσιν, *Trojanis:* unde plerique putant Æneam non venisse in Italiam, sed post Priameæ familiæ excidium Trojæ regnâsse: cujus rei sanè multa vestigia et argumenta profert Bochartus in dissertatione quam Segresius præfixit Gallico suo Virgilio: prævaluit tamen Italorum opinio, quam secutus est Virgilius.

102. *Volvens monumenta, &c.*] Erravit in eâ explicatione oraculi et pater et filius: pater quidem, quòd in re dubiâ, qualis erat origo Trojanæ gentis, quæ per Dardanum ex Italiâ, per Teucrum è Cretâ oriebatur, minimè dubitaret: filius autem, quod patrem non monuerit, se à Creüsâ abeunte audivisse, sibi sedes à Diis in Italiâ ad Tybrim fluvium esse paratas; quod in alteram interpretationis partem deflectere patris animum potuisset: vide Æn. 2. 781.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,
Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, si ritè audita recordor,
Teucrus Rhœteas primùm est advectus in oras,
Optavitque locum regno: nondum Ilium et arces
Pergameæ steterant, habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones.
Ergo agite, et, Divûm ducunt quà jussa, sequamur.
Placemus ventos, et Gnossia regna petamus.
Nec longo distant cursu: modò Jupiter adsit,
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
  Sic fatus, meritos aris mactavit honores:
Taurum Neptuno; taurum tibi, pulcher Apollo:
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

*Creta, insula Jovis magni, sita est* in *medio mari, ubi* est *mons Ida, et origo nationis nostræ;* incolæ *illius occupant centum urbes magnas, regna fertilissima: unde, si benè memini auditarum* rerum, *maximus pater Teucer primò advenit ad promontorium Rhœteum, et elegit sedem regni; nondum Ilium et arx Pergamus condita erat, degebant in profundis vallibus. Hinc* venit *mater Cybele protectrix* loci, *et cymbala Corybantia, et sylva Idæa: hinc fidele arcanum ceremoniarum, et juncti leones traxerunt currum Deæ. Itaque agite, et eamus quà mandata Deorum nos ducunt. Propitiemus ventos, et proficiscamur in regnum Creticum. Neque abest longo spatio: dum Jupiter faveat, tertia dies appellet naves ad litus Creticum. Sic locutus immolavit in altaribus dignas victimas: Neptuno taurum, tibi taurum, ô Phœbe formose: Tempestati avem nigram, Zephyris propitiis candidam.*

## NOTÆ.

104. *Creta, &c.*] *Candie,* ingens insula Mediterranei maris: inter Ægæum et Lybicum mare: olim urbibus clara centum, unde ab Homero in Iliade ἑκατόμπολις dicitur, in Odyss. habet tantùm urbes ἐννήκοντα, *nonaginta:* præcipuæ fuerunt *Gnossus, Gortyna, Cydon, Dictymna.* De Jovis in eâ insulâ cunabulis; deque *Cybele* et *Corybantibus,* Geor. 4. 151. et mox v. 111.

108. *Teucrus Rhœteas.*] Teucer, Scamandri Cretensis filius, cùm insula frugum inopiâ laboraret, dicitur, ad sedes novas quærendas, cum tertiâ populi parte solvisse: acceptoque oraculo, ibi se positurum sedes, ubi esset à terrigenis noctu oppugnatus, in Phrygiâ circa Amaxitum et Rhœteum, Troadis in Hellesponto promontorium, maximâ murium multitudine vexatus, ibi sedem fixit, templum constituit Apollini Smintheo, cujus simulacrum pede premebat murem, qui Phrygiâ aut Creticâ linguâ σμίνθος appellatur. Præstereà veterum colonorum more, patria nomina intulit in Troadem, et montem vocavit Idam ab Idâ Cretensi monte, Æn. 2. 801. à patre suo, Scamandrum fluvium, qui anteà Xanthus vocabatur: unde Homerus ait Xanthum à Diis vocari, Scamandrum ab hominibus; id est nomen hoc esse illo recentius. Denique cultum Cybeles matris Deorum in Phrygiam intulit è Cretâ, ubi illa Jovem pepererat et aluerat.

109. *Optavitque locum regno.*] *Elegit:* sic Æn. 1. 425. *Pars optare locum tecto.* Et verò primus ibi regnavit: paulòque pòst venit ex Italiâ Dardanus, qui ab ipso in generum ac successorem adscitus est, Æn. 1. 235.

111. *Mater cultrix Cybele.*] Quæ et *Rhea,* et *Ops,* Saturni uxor, mater Deorum ac terra ipsa. Nomen, vel à *Cybelo* monte Phrygiæ: vel à κυϐήϐειν, *in caput saltare, caput rotare,* quòd in sacris ejus ministri crebrò caput rotarent. Et verò Græcis ipsa dicitur et Κυϐήλη, et Κυϐήϐη. Vocabantur ministri illi *Corybantes, Curetes,* et *Dactyli Idæi,* Jovis altores, qui frequenti cymbalorum æreorum pulsu in sacris utebantur. Vehebatur curru, quia ex Lucret. l. 2. 600. terra est, terra autem in medio pendet. Trahebatur à leonibus, quia mater est omnium, et parentum officiis proles etiam ferocissima molliri debet. Cætera ejus mysteria ibi fusè ab eodem Lucretio explicantur. Premebantur autem ejus sacra gravi silentio, ut et Cereris ceremoniæ: fortassè ut inscrutabilem terræ profundidatem exprimerent. Reliqua vide Geor. 4. 151. Æn. 6. 784. Legunt hìc multi, *cultrix Cybeli,* in quo Phrygiæ monte culta esse dicitur: atque adeò hunc incoluisse dici potest, et protexisse, quomodo Juno Carthaginem, l. 1. 20. *Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabitâ coluisse Samo.* Alioqui *cultrix Cybele* dicitur, pro cultrice montium, in quibus coli amavit, quo nomine eam appellat Catull. de Nuptiis Pelei, 300. *Unigenamque sinu cultricem montibus Idæ.*

115. *Gnossia regna.*] Cretam, cujus urbs præcipua *Gnossus,* suprà, v. 104.

116. *Jupiter.*] Sumitur hìc, vel pro Deorum rege, qui natus in Cretâ eidem præfuerat: vel pro aëre ventis impulso, ut à Catullo sumitur in Phaselo: *Sive utrumque Jupiter simul secundus incidisset in pedem.*

118. *Honores.*] Pro sacrificiis sæpe sumuntur; infrà, v. 547. *Junoni Argivæ jussos adolemus honores.* De *Neptuno,* Æn. 1. 125. De *Apolline,* Ecl. 3. 104.

120. *Nigram Hyemi, &c.*] Per *Hyemem,* in

Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ,
Hoste vacare domos, sedesque astare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus;
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco: et lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque ferè sicco subductæ litore puppes:

*Rumor spargitur, ducem Idomeneum ejectum abiisse è paternis regnis, et litora Cretæ* esse *vacua, domos carere hostibus, et regionem relictam patere. Linquimus portus Deli, et mari currimus: et radimus Naxum* in *montibus* sonantem tumultu *Baccharum, et viridem Donysam,* et *Olearon, et Paron candidam, et Cycladas sparsas per mare, et freta distincta multis insulis. Tollitur clamor nautarum diverso conatu. Socii impellunt* sese, *ut adeamus Cretam et majores. Ventus suboriens à puppi propellit navigantes: ac demum appellimur ad vetera litora Curetum. Ergo cupidus exstruo muros desideratæ urbis, et* eam *appello Pergameam: et hortor populum gaudentem* hâc *appellatione,* ut *curet domos, et erigat arcem* alto *fastigio. Et jam fermè naves subductæ* è mari stabant *in litore sicco:*

## NOTÆ.

telligit, *Tempestates,* quæ ex Cicer. de Nat. Deorum, 3. 51. *Populi Romani ritu consecratæ sunt—nostri duces, mare ingredientes, immolare hostiam fluctibus consueverunt.* Ad hunc morem allusit Virgilius, hìc, et Æn. 5. 772. *Tempestatibus agnam cædere deinde jubet.* Et notat hìc Taubmannus ex Plauto, *pecudem,* maximè de ovino genere dici. *Venti* quoque Deorum loco habiti sunt, tam apud Græcos ex Herodoto, qui l. 7. Athenienses inducit Boreæ sacrificantes: quàm apud Romanos ex Senecâ Natur. Quæst. l. 5. 17. qui ait, Augustum in Galliâ commorantem, Circio, Galliæ Narbonensis peculiari vento, templum vovisse ac fecisse. De *Zephyro,* Ecl. 5. 5. At notat Macrobius hæc sacrificia, non in templo Deliaco facta esse, ubi sanguinem fundi nefas erat. Et verò non sacrificâsse hyemi et ventis ad aram Apollinis. Ubi igitur? fortassè in litore.

122. *Idomenea.*] Ἰδομενῆα, ut longa sit penultima, ut Æn. 1. 611. *Ilionea petit dextrâ.* Idomeneus filius Deucalionis, nepos fuit Minois Cretensis regis, duxitque Cretenses ad Trojanum bellum: unde rediens cùm in tempestate vovisset se sacrificaturum Diis quod sibi appulso primum occurreret, occurrissetque filius; eum pater immolavit: ortâ deinde peste pulsus est rex à civibus, quasi impius in prolem, atque ita Diis invisus. Inde abiisse dicitur in Calabriam Italiæ, et ad Salentinum promontorium urbem condidisse. Ait tamen interpres Lycophronis, eum à Nauplio pulsum, Eubœæ rege: qui ut necem Palamedis filii, Ulyssis dolo à Græcis ad Trojam occisi, vindicaret, Cretam occupaverat. Diodorus non pulsum Idomenea, sed in patriâ diem obiisse censet.

124. *Ortygiæ.*] Antiquum nomen Deli insulæ; vel ab ὄρτυξ, *coturnix, caille,* QUAIL; quod genus illic, aut primùm, aut magnâ multitudine visum volunt grammatici: vel juxta alios, ab Ortygiâ Ætoliæ: cujus et hanc, et alias complures Ortygias, colonias fuisse volunt.

125. *Bacchatamque jugis Naxon.*] *Naxus,* una Cycladum, insula nobilissima, ad meridiem Deli, vino fertilis, unde Baccho dicata: quia Ariadnem, à Theseo raptam ibique relictam, fertur excepisse. *Bacchata* dicitur, id est frequentata à Bacchis, furiosis Bacchi comitibus fœminis, Ecl. 5. 29. 69. Hodie *Naxi.*

*Viridemque Donysam.*] Jacet inter Icariam et Gyarum, marmore viride celebris: hodie *Donussa.*

126. *Olearon, &c*] *Olearus* vel *Oliaros:* juxta Nigrum, nunc dicta *Quiniminio.*

*Paron.*] *Paros,* hodie *Pario,* niveo marmore nobilis. De *Cycladibus,* suprà, v. 74.

127. *Consita terris.*] Ubi variæ terræ, seu insulæ, quasi *satæ* et *seminatæ* sunt: et post mentionem *Cycladum,* hìc significat *Sporadas;* quæ nomen habent à σπείρω, *semino,* quia sine ordine sparsæ sunt.

131. *Curetum oris.*] Cretam significat: ubi *Curetes* populi, vel familia fuit ministrorum Cybeles: sic dicti juxta Strabonem, l. 10. à κουρά, *tonsura,* quia anteriorem capitis partem detonsam gestabant. Saltationis armatæ inventionem iis Plinius tribuit. Cæteri, etiam tympana, quorum strepitu Jovem recèns natum Saturni patris voracitati subduxere. Iidem dicti *Corybantes* et *Idæi Dactyli.*

134. *Amare focos.*] Servius ait commendari studium sacrificiorum, quæ semper igne perficiebantur: ego curam privatarum domorum et rei familiaris, id enim focus sæpe significat: ut cùm dicimus, *pugnare pro aris et focis,* id est, pro re sacrâ ac profanâ, publicâ ac domesticâ.

Connubiis arvisque novis operata juventus:
Jura domosque dabam: subitò cùm tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quem fessis finem rebus ferat, unde laborum
Tentare auxilium jubeat, quò vertere cursus.
  Nox erat, et terris animalia somnus habebat:
Effigies sacræ Divûm, Phrygiique Penates,
Quos mecum à Trojâ mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos astare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine: quà se
Plena per insertas fundebat Luna fenestras.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hìc canit: et tua nos en ultrò ad limina mittit.
Nos te, Dardaniâ incensâ, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor;
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus: tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes: non hæc tibi litora suasit
Delius, aut Cretæ jussit considere Apollo.
  Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt;
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.
Œnotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ sedes: hinc Dardanus ortus,

*juventus vacabat conjugiis et agris novis: distribuebam leges ac domos: cùm repentè pestis funesta,* et *putrida, et annus mortifer venit in corpora, et* in *arbores, et* in *segetes, vitiatis spatiis aëris.* Socii *amittebant dulces animas, aut trahebant languentia corpora: præterea Sirius* cœpit *urere campos infœcundos: herbæ siccabantur, et messes aridæ non dabant cibum. Pater* meus *hortatur* me ut *remenso mari eam iterum ad oraculum Deli, et* ad *Phœbum; et* ut *orem veniam: et* petam, *quem terminum ponat rebus afflictis, unde imperet* nos *quærere subsidium in* tot *difficultatibus et quò convertere cursum. Nox erat, et somnus tenebat animalia per terras. Statuæ sacræ Deorum, et Penates Phrygii quos exportaveram mecum à Trojâ, et è medio incendio urbis, visi* sunt *in somnis stare ante oculos decumbentis, multâ luce conspicui: quâ* parte *Luna plena mittebat suum lumen per fenestras hiantes. Tunc sic* visi sunt *me alloqui, et auferre solicitudinem his verbis: Quod Apollo dicturus* esset *tibi appulso* ad *Delum:* hoc ipsum tibi *prædicit hoc loco, et ecce nos ipse sponte mittit in tuam domum. Nos* post *Trojam combustam, secuti* sumus *te et tua arma: nos te duce percurrimus navibus procellosum mare; nos ipsi extollemus ad sidera futuros posteros* tuos, *et dabimus imperium* orbis *urbi* tuæ. *Tu destina magnos muros* nobis *magnis, et ne abjice laborem longi itineris. Mutanda* est *regio: Delius Apollo non suasit tibi* adire *hæc litora, nec jussit* te *manere in Cretâ. Est regio,* quam *Græci cognomine appellant Hesperiam: terra vetus, potens bello et fertilitate agrorum. Populi Œnotrii* hanc *tenuerunt: nunc rumor est posteros vocavisse rationem, Italiam, è nomine ducis. Hæ sedes addictæ* sunt *nobis: hinc natus est Dardanus,*

NOTÆ.

136. *Operata, &c.*] Vel *operam dabat* connubiis et agris colendis, ut explicat Donatus. Vel *sacrificabat* pro felici successu conjugiorum et agrorum; nam, et ante hæc omnia præibat apud veteres sacrificium, et *operari,* simpliciter, *sacrificare* interdum significat, ut G. 1. 339. *Lætis operatus in herbis.*

141. *Sirius.*] Stella in ore majoris Canis, quæ *Canicula* dicitur: de eâ G. 2. 353. De *Ortygiâ,* sive Delo, insulâ, suprà, v. 124. De *Phœbo,* Ecl. 3. 62. De *Phrygiis Penatibus,* Æn. 2. 717.

152. *Insertas.*] Servius explicat, *inseratas,* id est, *non seratas, non clausas serâ,* per syncopen, ut Æn. 2. 379. *Aspris sentibus,* pro *asperis:* paulò duriùs. Turnebus, *ædibus insertas et interpositas,* ad lucem admittendam. Germanus, *trajectas et penetratas lumine.* Alii, *hiantes, quibus lumen insertum erat;* quo ferè modo dixit Æn. 2. 135. *Per noctem obscurus, in ulvâ delitui;* id est, *per noctem obscuram.*

163. *Est locus, &c.*] Hi versus et sequentes omnino translati sunt ex Æn. 1. v. 533. ubi fusè explicantur.

167. *Dardanus, Iasiusque pater, &c.*] *Pater* ad posteros refertur, non ad Dardanum, qui ejus frater fuit: ambo Electram habuere matrem, filiam Atlantis Mauritaniæ regis, uxorem Coryti

Iasiusque pater, genus à quo principe nostrum.
Surge, age, et hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Corytum, terrasque require
Ausonias: Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus visis ac voce Deorum,
(Nec sopor illud erat; sed coràm agnoscere vultus,
Velatasque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis: perfecto lætus honore,
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes:
Séque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, et moniti meliora sequamur.

*et pater Jasius, à quo* Dardano *principe genus nostrum* ductum est. *Age, surge, et lætus renarra seniori patri hæc verba non* revocanda *in dubium. Quære Corytum, et terras Ausonias: Jupiter negat tibi Cretenses agros.* Ego *stupefactus talibus jussis et sermone Deorum, (neque enim hoc erat somnus: sed videbar coràm distinguere vultus, et capillos velatos, et facies præsentes:* et *tum sudor frigidus fluebat toto corpore) effero corpus è lecto, et extollo ad cœlum manus inversas cum prece, et injicio flammis pura dona: confecto sacrificio lætus facio Anchisen certum* de iis rebus, *et explico ordine prodigium.* Anchises *animadvertit familiam ancipitem, et binos* ejus *auctores: et se delusum* esse *novo errore antiquarum regionum. Deinde ait: Fili agitate fatis Trojanis, sola Cassandra mihi prædicebat tales casus. Nunc reminiscor* illam *prædixisse hæc destinata* esse *nostræ genti: et sæpe appellâsse Hesperiam, sæpe regna Italica. Sed quis putavisset Trojanos venturos ad litus Italiæ? aut quem tum Cassandra vaticinans movisset? Obediamus Apollini, et admoniti sequamur meliora* consilia.

## NOTÆ.

Tusciæ regis in Italiâ; sed Jasius hunc Corytum habuit patrem; Dardanus Jovem. Mortuo Coryto, ortoque de succedendi jure dissidio, Jasium Dardanus occidit: ideóque. pulsus à Tuscis, et à Siculo Hispaniæ rege, Electræ fratre, qui ad componenda dissidia venerat; primò in Samothraciam insulam fugit, ac deinde in Phrygiam, ubi Teucri filiam accepit in conjugem, et cum eo gentis hujus parens fuit, quæ deinde Trojana dicta est. Igitur *à quo* non ad Jasium, sed ad Dardanum referri debet Æn. 1. 235.

170. *Corytum.*] *Corytus*, mons et urbs Tusciæ, nunc *Cortona;* vel à Coryto, Dardani, ut putabantur, patre, sic dicta; vel à *κόρυς*, *galea*, quam Dardanus illic in pugnâ amisit. De *Tusciâ* sive *Etruriâ*, Italiæ regione, Æn. 8. 479.

171. *Ausonias; Dictæa, &c.*] Italiam volunt dictam esse Ausoniam ab *Ausone*, Ulyssis et Calypsûs filio; at malè: non enim hìc Penates Æneæ nomen hoc Italiæ tribuerent, cùm vix dum natus esset Auson, tantum abest ut illìc regnaret. Nisi usurpatum id putemus per anticipationem temporis. Alii volunt *Ausones* dictos esse Græcis, veteres eos Latii populos; qui Latinis *Aurunci* dicebantur, commutatione vulgari literæ *r* in *s*. Et benè; nam *Aurunci* antiquiores fuerant. Ulyssis et Æneæ temporibus, siquidem ait Latinus Latii rex, Æn. 7. 206. *Atque equidem memini —— Auruncos ita ferre senes. Dictæa arva*, Cretensia sunt à monte *Dicte*, ubi educatus est Jupiter, nunc, *Lasthi*, in parte orientali Cretæ: ab aliquibus Idæ pars esse dicitur et distinguitur ab aliis.

174. *Velatasque comas.*] Ornatas vittis, quæ etiam sacrarum statuarum capitibus alligabantur. Æn. 2. 133.

176. *Supinas.*] Ita sublatas, ut palmæ cœlo obvertantur.

177. *Munera libo, &c.*] Penatibus et Laribus sacra fiebant; alia quotidiana et privata; alia publica in compitis, unde apud Romanos dicebantur *Compitalia*. Privata vulgò *ad focum*, aliquando etiam ad aram, quæ in sacrario domûs erecta erat; eaque fiebant, thure, vino, coronis, et laneis et floreis, cibo aliquo lautiore è mensâ in ignem injecto. Patet id præsertim ex Plauto in Aululariæ prologo. Publica sacrificia fiebant porcâ cæsâ. Igitur hìc *munera intemerata* erunt, purum vinum, ac thus; quare *libari* dicuntur, id est *stillari* et *injici*, Æn. 1. 736.

180. *Geminosque parentes, &c.*] *Teucrum*, quia ex Cretâ; *Dardanum*, qui ex Italiâ venerat. At verò errorem agnoscere antè debuerat, præsertim ex ultimis Creüsæ verbis ad Æneam, Æn. 2. 781.

183. *Cassandra.*] De illâ Priami filiâ, et vate, cujus vaticiniis nulla fides à Trojanis habebatur, Æn. 2. 246. De *Hesperiâ*, Italiâ, Æn. 1. 530. De *Teucris*, Trojanis, Ibid. 235.

Sic ait: et cuncti dictis paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cavâ trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam ampliùs ullæ
Apparent terræ, cœlum undique, et undique pontus:
Tum mihi cœruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens: et inhorruit unda tenebris.
Continuò venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora: dispersi jactamur gurgite vasto:
Involvêre diem nimbi, et nox humida cœlum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et cæcis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ mediâ Palinurus in undâ.
Tres adeò incertos cæcâ caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primùm se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, et cœrula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primùm
Accipiunt. Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ: Phineïa postquam

*Sic dixit, et omnes obtemperamus læti verbis* ejus. *Relinquimus hanc etiam terram, et paucis* ibi *relictis præbemus vela* ventis, *et decurrimus magnum mare cavis navibus. Postquam naves provectæ* sunt in *altum mare, nec jam ullæ terræ ampliùs videbantur;* sed *undequaque aër, et undequaque aqua: tunc cærulea pluvia decidit mihi supra caput, inducens noctem et tempestatem: et mare terribile* factum est *ob tenebras. Statim venti impellunt mare, et magni fluctus intumescunt: agitamur sparsi immenso mari. Nubes obtexerunt diem, et nox imbrifera eripuit lucem: crebrò micant fulgura è scissis nubibus. Dejicimur à* recto *cursu, et vagamur per undas ignotas. Ipse Palinurus ait* se *non distinguere diem à nocte* in *cœlo, nec cognoscere iter in mediis fluctibus. Itaque vagamur mari* per *tres dies ambiguos* propter *tenebras obscuras, et* per *tres noctes sine astro. Quarto demum die terra primùm visa est se erigere,* et *procul ostendere montes, atque emittere fumum. Vela detumescunt, incumbimus remis: non* est *mora, nautæ connitentes convolvunt spumosos* fluctus, *et secant* spatia *cœrulea. Litora Strophadum primò excipiunt me ereptum ex undis. Strophades insulæ Græco nomine appellatæ jacent in magno* mari *Ionio: quas sæva Celæno et aliæ Harpyiæ habitant: ex quo* tempore *domus Phinei*

## NOTÆ.

189. *Ovantes.*] Propriè *ovatio* erat minor triumphus, pedestris; ad summum ex equo, non è curru. Nomen est; vel ab acclamatione militum, geminatâ sæpiùs literâ O, juxta Festum; vel ab *ove,* quæ in minori triumpho immolabatur: non taurus, juxta Plutarchum. Hinc ad lætitiam omnem significandam vox illa traducta; etiam ad corvos, qui dicuntur, Geor. 1. 428. *Ovantes gutture corvi.*

202. *Palinurus.*] Gubernator navis Æneæ, qui Morphei dolis oppressus in mare decidit, Æn. 5. 883. et in Italiam, ad litus Velinum enatans, ab incolis occiditur, nomenque dabat promontorio Lucaniæ Palinuro, Æn. 6. 337.

210. *Strophades Graio, &c.*] Insulæ duæ parvæ hodie *Strivali,* ad latus Peloponnesi, in mari Ionio. *Ionium* verò mare dicitur: non quod Ioniam alluit, Asiæ minoris regionem inter Æolidem et Cariam; sed quicquid aquarum interjacet Siciliam inter et Græciam, ad usque promontorium Epiri Acroceraunium, ubi mare Hadriaticum incipit, quod vocatur à quibusdam *Sinus Ionius.* Insulæ porrò illæ priùs dicebantur *Plotæ;* deinde *Strophades,* à *στροφὴ, conversio:* quia Calaïs et Zetes, alati Boreæ filii ex Orythiâ, cùm Harpyias è Phinei regno ad has usque insulas expulissent; à Jove admoniti ne Harpyias ultrà persequerentur, inde represso cursu reversi sunt. Notetur longa diphthongus *æ* ante vocalem correpta, nec elisa, Græco more; *Insulæ Ionio.*

211. *Celæno Harpyiæque, &c.*] Ponti et Terræ dicuntur filiæ, unde in insulis habitant: nomen ab *ἁρπάω, ἁρπάζω, rapio.* Vulgò tres numerantur ab Hesiodo, *Iris, Aëllo, Ocypete.* Alii mutant nomina. Virgilius unam appellat *Celæno,* nec definit aliarum nomina aut numerum. Aliqui quartam addunt *Thyellam.* Vocavit eas Apollonius, *Διὸς κύνας, Jovis Canes;* Valerius Flaccus, *Jovis Famulas;* Virgilius hìc, *furias,* v. 252. *diras,* v. 262. unde probat Servius, et post eum Cerdanus, easdem esse quæ apud inferos dicuntur *furiæ,* apud superos *diræ,* in medio *harpyiæ;* quemadmodum eadem est Diana in terris, Luna in cœlo, Proserpina in inferis.

212. *Phineïa.*] Phineus Arcadiæ, vel Thraciæ rex, cùm filios ex primâ conjuge susceptos fraude novercæ excæcâsset, ipse à Jove excæcatus, et immissis Harpyiis vexatus est. Argonautas deinde, in Colchidem ad expeditionem vel-

Clausa domus, mensasque metu liquêre priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis et ira Deûm Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, et pallida semper
Ora fame.
  Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenûmque pecus, nullo custode, per herbas.
Irruimus ferro, et Divos ipsumque vocamus
In partem prædamque Jovem: tunc litore curvo
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, et magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursùm in secessu longo, sub rupe cavatâ,
Arboribus clausi circùm atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursùm ex diverso cœli cæcisque latebris,
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. Sociis tunc arma capessant
Edico, et dirâ bellum cum gente gerendum.
Haud secùs ac jussi faciunt; tectosque per herbam
Disponunt enses, et scuta latentia condunt.
Ergo, ubi delapsæ sonitum per curva dedêre
Litora; dat signum speculâ Misenus ab altâ
Ære cavo: invadunt socii, et nova prælia tentant,
Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celerique fugâ sub sidera lapsæ,
Semesam prædam et vestigia fœda relinquunt.
Una in præcelsâ consedit rupe Celæno,

*clausa* est ipsis *et* præ *timore deseruerunt mensas priores. Non* est *monstrum perniciosius illis, nec ulla pestis aut furor Deorum crudelior extulit se ex undis inferorum. Vultus* earum *volucrum* sunt *fœminei, sordidissima effusio alvi, et manus aduncæ, et facies semper pallidæ* præ *fame. Postquam huc appulsi ingressi sumus portum, ecce cernimus passim in campis pingues boum greges, et greges caprarum in pratis, sine custode. Irruimus* in eos *gladiis, et vocamus in prædam et in partem Deos et Jovem ipsum. Deinde in sinuoso litore struimus lectulos, et comedimus pingues carnes. Sed improvisæ Harpyiæ advolant tremendo volatu è montibus, et succutiunt alas magno stridore, et rapiunt cibos, et turpant omnia immundo tactu. Præter eà vox* earum *horribilis* est *inter fœtidum odorem. Iterum in recessu remoto sub rupe cavatâ, circumtecti arboribus et densâ umbrâ, sternimus mensas, et collocamus ignem in aris. Iterum ex aliâ* parte *cœli et latebris incognitis, turba Harpyiarum stridens advolat circa prædam aduncis pedibus, et fœdat cibos ore: Præcipio tunc sociis* ut *sumant arma, et bellum faciendum* esse *cum sævâ turbâ. Non aliter ac jussi* erant *faciunt, et præparant gladios occultos sub herbâ, et abscondunt clypeos latentes. Igitur, cùm* Harpyiæ, *advolantes ediderunt strepitum per sinuosa litora, Misenus ab alto colle dat signum* pugnæ *cavâ buccinâ: aggrediuntur socii, et tentant novam pugnam,* nempe *vulnerare gladio turpes volucres maris. At neque excipiunt plumis ictum ullum, aut plagas tergo: et celeri fugâ elapsæ ad astra, deserunt prædam semi-manducatam et notas fœdas. Una* ex iis *Celæno constitit in altissimâ rupe,*

## NOTÆ.

leris aurei profectos, cùm iter docuisset, Calaïs et Zetes, ut gratiam referrent, Harpyias ad Plotas usque insulas persecuti sunt, ut mox diximus.

215. *Stygiis.*] *Styx*, inferorum fluvius, de quo Æn. 6. 323.

223. *In partem prædamque Jovem.*] Id est, *in prædæ partem.* Et mos erat veterum ut partem spoliorum in bello, aut prædæ in venatione Diis voverent; eamque vel addicerent sacrificiis, vel è tholo et fornice et arboribus ad memoriam suspenderent. Sic Æn. 9. 407. Nisus ad Dianam: *Si qua ipse meis venatibus auxi, suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.*

224. *Toros.*] *Lectos;* juxta grammaticos veteres, à *tortâ* herbâ, ex quâ struebantur: juxta recentiores, à *τονὸς*, *funis*, quia extentis funibus fiebant.

231. *Arisque, &c.*] Vel quia nusquam epulabantur veteres absque aliquâ specie sacrificii, et saltem libationis, de quâ Æn. 1. 736. Vel quia fortè aras Jovi erexerant, ut prædæ partem ei sacrificarent.

239. *Speculâ Misenus, &c.*] *Specula*, locus editior, unde latè prospectus patet; ab antiquo *specio*, id est *video:* hinc est *speculor. Misenus*, Æoli filius, Hectoris olim tubicen, nunc Æneæ, de quo multa, Æn. 6. 164.

241. *Pelagi volucres.*] Quia Harpyiæ Ponti aut Neptuni, et Terræ dicuntur filiæ, suprà, v. 212.

Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
  Bellum etiam pro cæde boum stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio insontes Harpyias pellere regno?
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non antè datam cingetis mœnibus urbem,
Quàm vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, et in sylvam pennis ablata refugit.
At sociis subitâ gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidere animi: nec jam ampliùs armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
Sive Deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.
At pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Dii, prohibete minas, Dii, talem avertite casum,
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Diripere, excussosque jubet laxare rudentes.
  Tendunt vela Noti: ferimur spumantibus undis,
Quà cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,

*funesta vates, et emisit hæc verba è pectore: An etiam bellum, bellum* inquam *vultis* nobis *inferre, post stragem boum et occisos juvencos* nostros, *ô Trojani? et ejicere Harpyias insontes è paternâ ditione? Ergo animis excipite et imprimite hæc mea verba: quæ Jupiter omnipotens dixit Apollini, Phœbus Apollo mihi, ego maxima furiarum expono vobis. Petitis navigatione Italiam: et ventis invocatis pervenietis in Italiam, et permittetur* vobis *ingredi portus* ejus. *Sed non claudetis muris urbem concessam, priusquàm crudelis fames et injuria cædis nobis* illatæ cogat *vos devorare dentibus mensas corrosas.* Sic *locuta est, et fugit in sylvam alis ablata. At sociis sanguis frigidus constipatur repentino timore, animi defecerunt; nec jam ulteriùs volunt armis* pugnare, *sed votis et precibus petere pacem ab* Harpyiis, *seu sint Deæ, seu funestæ et fœdæ volucres. At pater Anchises extensis è litore manibus invocat magnos Deos, et destinat* ipsis *digna sacrificia: O Dii,* inquit, *impedite* effectum harum *minarum, Dii, avertite tale infortunium, et placati protegite pios. Deinde imperat* socios *evellere funem è litore, et solvere ablatos rudentes. Austri inflant vela: fugimus per spumosas aquas, quà ventus et gubernator dirigebant navigationem. Jam Zacynthos sylvosa apparet in medio mari,*

NOTÆ.

248. *Laomedontiadæ.*] Trojani, à Laomedonte rege, Priami patre, Geor. 3. 35.

249. *Patrio regno.*] Neptuni patris, cui parent mare et insulæ. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. De *Apolline*, ibid. 104. Nomen utrumque conjunxit, Homerico more. Innuit autem fatorum omnem cognitionem et oracula à solo Jove prodire, ut diximus, Æn. 1. 239.

257. *Ambesas subigat, &c.*] Horrendum vaticinium! quanta enim fames, quæ mensas ligneas absumere subigat? Tamen ludicrum esse probabit eventus, Æn. 7. 116. Cùm, non fames dira, sed edendi aviditas, Trojanis suadebit, ut panis frusta, quæ cibis aliis substraverint, etiam comedant. *Ambesas*, id est, *circumesas: ambi* enim vel *ambæ*, Latinis est *circum*, à Græco, ἀμφὶ.

262. *Deæ, diræ, obscœnæque, &c.*] Per *Deas* intelligit *Furias*, quæ sic passim à Græcis Latinisque poëtis appellantur. Per *obscœnas volucres*, non tantùm *fædas*, sed potiùs *funestas*, et mali ominis. *Obscœnum* enim vox est auguralis: cujus etyma septem affert Vossius. Tria hæc probatissima; alterum ab *ob* et *scævum*, quod est à σκαιὸν, *sinistrum*, et *bonum;* itaque *obscœnum*, quod *obstat scævo* et bono omini; alterum ab *ob* et *cano*, id est, *contra cano:* quod quando pulli in auguriis captandis faciebant, funestissimum erat: tertium ab *ob* et *cœnum, lutum*, quod *sordidum* notat. Ex primâ origine scribi debet per *æ*, ex secundâ per *e* simpliciter, ex tertiâ per *œ*.

264. *Numina magna.*] Erant enim *majores*, et *minores* Dii. Majores duodecim; mares sex, Jupiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Vulcanus, Apollo; sex fœminæ, Juno, Vesta, Ceres, Pallas, Diana, Venus. Minores erant, heroës, semidei, &c. inter quos *Furias* illas, quasi famulares Deos, reponebat Æneas. De *rudentibus*, funibus nauticis, Æn. 1. 87.

268. *Noti.*] Austri, venti meridionales; et propriè quidem, hoc enim vento opus est, à Strophadibus ad Zacynthum naviganti. De *Noto*, Ecl. 2. 58.

270. *Zacynthos.*] Persequitur iter, in eodem Ionio mari, à meridie in septentrionem; quo ordine, post *Strophades* occurrit—

I. *Zacynthus, Zante*, ad latus occidentale Peloponnesi, contra promontorium Chelonaten, hodie sub Venetâ ditione.

II. *Same, Dulichium*, et *Ithaca.*] Hæ tres sub eâdem ferè lineâ occurrunt, ante fauces sinûs Corinthiaci.

*Dulichium* ab eo sinu minùs distat, estque una

Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis:
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna,
Et terram altricem sævi execramur Ulyssis.
Mox et Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvæ succedimus urbi.
Anchora de prorâ jacitur, stant litore puppes.
Ergo insperatâ tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras:

*et Dulichium, et Same, et Neritos alta rupibus. Evitamus scopulos Ithacæ, regna Laërtæ, et detestamur regionem nutricem crudelis Ulyssis. Deinde etiam ostenditur procellosus vertex Leucatæ montis, et Apollo terribilis navigantibus. Hunc* montem *lassi petimus, et imus* ad *parvam urbem. Anchora demittitur è prorâ, puppes sistunt in litore. Igitur potiti demum terrâ insperatâ, et sacrificamus Jovi, et cumulamus aras victimis,*

NOTÆ.

ex *Echinadibus* insulis, quæ jam communi nomine vocantur *Cozzulari*, incerto numero, ut monet Strabo l. 10. quia cùm parvæ sint, et ad ostia Acheloi fluvii Acarnaniæ, modò arenarum appulsu junguntur, modò aquæ impetu separantur.

*Same*, vel *Samos*, quæ et *Cephalenia*, nunc *Cephalonie*, ex Strabone l. 10. major, et à Corinthiaco sinu magis ad occidentem recedens, paret reipublicæ Venetæ.

*Ithaca*, nunc *Val di compare*, inter Cephaleniam et Dulichium media: Ulyssis patria; quandoque paruit Turcis. In Ithacâ est *Neritos*, non insula, ut lexica geographica vulgò ferunt, ex Strabone. Strabo enim contrà probat multis Homeri versibus, montem esse Ithacæ *Neritum*, Νήριτον. Quod autem hìc legitur fœminini generis, *Neritos ardua saxis*, explicat Suidas; apud quem *Neritum* mons est, *Neritos* sylva ibidem densissima: quod confirmat Hesychius, cùm ait; Neritum, Ithacæ montem esse semper virentem ac frondentem: et Homerus, qui vocat Νήριτον εἰνοσίφυλλον, *Neritum frondosum*. Et benè congruit, quòd statim mentio sequitur Ithacæ: quasi dicat Æneas: *Apparet Ithacæ sylva Neritos, saxis altissimis imposita; sed statim illos Ithacæ scopulos effugimus.*

III. Sequitur ad septentrionem trium illarum, insula *Leucas, Leucadis*, vel *Leucate, Leucates;* nunc *Saint Maur*, nuper sub ditione Turcarum, ad litus Acarnaniæ, quæ pars est Epiri: cui aliquando conjuncta fuit angusto isthmo; ac deinde ponte, postquam isthmum illum Corinthii perfodissent. In hâc insulâ, Cephaleniam versùs, mons est sive rupes, *Leucata, catæ*. Hæc rupes, quia alba est, inde sibi et insulæ nomen fecit: λευκὸς enim est, *albus*. Ex hâc rupe qui amantes exiliissent in mare, sanari ab amore putabantur; quod fecisse perhibetur Sappho poëtria, Phaonis amore insaniens. Eidem rupi fanum Apollinis impositum fuisse testatur Strabo, cui quotannis in sacrificium solebat reus aliquis è rupe in mare dejici, quam ob rem sive ob scopulorum asperitatem, dicitur hìc, *formidatus nautis Apollo*. In eâ insulâ urbs est eodem nomine *Leucas*, quam Plinius ait olim dictam fuisse *Neritum:* sed emendandus est ex Strabone, legendumque *Neritos*, non *Neritum*. De hâc urbe Æneas loquitur, cùm dicit: *Parvæ succedimus urbi.* Tum deinde relictis illic navibus, ad Actiacum usque litus processit, à quo nondum Leucas divisa fuerat, ut colligi potest ex Homeri versibus apud Strabonem, lib. 10.

IV. Igitur, sequitur ad septentrionem *Actium* promontorium, nunc *Capo Figalo*, in ipsis faucibus Ambracii sinûs, ubi Actium erat oppidulum, et fanum alterum Apollinis: totus enim ille tractus Epiri sacer erat Apollini, dicebaturque *Actius*, id est, litoralis, ab ἀκτὴ, *litus*.

272. *Laërtia regna.*] Laërtes Acrisii filius, Jovis nepos, vulgò Ulyssis pater creditus est: quidam tamen dixere Ulyssem Anticleâ quidem Laërtæ uxore prognatum esse, sed patre Sisypho vel Autolyco. Regni autem Laërtæ præcipua quidem sedes *Ithaca* fuit: paruit tamen ipsi etiam *Cephalenia*, et *Zacynthus*, et *Epiri* magna pars, præcipuè *ubi Leucas;* ut ex Strabone colligitur, et Homero, Iliad. 2. 631. *Dulichium* verò et *Echinades*, etsi fortassè aliquando Laertæ paruerant, siquidem Ulysses sæpe *Dulichius* appellatur: tamen earum incolas ad expeditionem Trojanam duxit Meges quadraginta navibus, Il. 2. 625.

279. *Lustramurque Jovi, &c.*] Solvimus vota et sacrificia Jovi. *Lustro* enim, ut jam notavimus, Æn. 1. 283. et 608. dicitur à *luo*, id est, *solvo*, unde cùm vota Deo fecimus, voti *rei* sumus, ut diximus, Ecl. 5. 80. Igitur *lustramur*, cùm *solvimur* voto: et multò etiam magis, cùm ad placandos Deos pro delicto aliquo sacra expiatoria facimus. Ita ceremoniæ omnes, quæ ad sacra pertinent, *lustrales* dicuntur. Sic l. 6. 231. in funere Miseni, sacerdos *ter socios purâ circumtulit undâ——lustravitque viros.* Sic l. 8. 183. post oblatas Herculi victimas Trojana juventus vescitur *perpetui tergo bovis et lustralibus extis.* Quare autem nunc *lustrantur Jovi?* Ut exsolvant vota, quæ nuncupaverat Anchises magnis numinibus, in Strophadum litore, suprà v. 264. Quare Jovi præcipuè sacrificia, Apollini ludos instituit.

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii: juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
  Intereà magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
*Æneas hæc de Danais victoribus arma.*
Linquere tum portus jubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
Protinùs aërias Phæacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti ascendimus urbem.

*et nobilitamus Actium promontorium Trojanis ludis. Socii nudati committunt patrias luctas oleo fluente: delectat* eos *evitâsse tot urbes Græcas, et iter habuisse inter medios hostes. Intereà Sol circumagit annum integrum, et gelida hyems infestat mare Aquilonibus. Appendo liminibus anterioribus scutum æris cavi*, quod *gestaverat magnus Abas, et noto factum* hoc *versu:* "*Æneas* posuit *hæc spolia de Græcis* Trojæ *victoribus* relata." *Posteà impero* socios *relinquere portum et sedere in scamnis. Socii certatim verberant mare* remis *et radunt fluctus. Continuò prœterimus altas arces Phæacum, et radimus litora Epiri, et intramus portum Chaonium, et accedimus ad excelsam urbem Burthrotum.*

## NOTÆ.

280. *Actiaque Iliacis, &c.*] Alludit certè poëta ad ludos eos, quos Octavianus maximâ celebritate instituit, post victoriam de M. Antonio et Cleopatrâ relatam, ad Actium Epiri promontorium, anno U. C. 723. iv. nonas Septembris. Cujus ad memoriam, naves plurimas Apollini Actiaco consecravit; Actiacum templum majus exstruxit; urbem Nicopolim condidit in ipsis faucibus sinûs Ambracii, contra Actium in eo loco ubi castra posuerat; locum ubi tentorium ipse habuerat magnis lapidibus constravit, ibique trophæum è rostris captarum navium, et sacrarium Apollini sub dio excitavit; ludos imprimis instituit quinquennales, qui præcipuè equestri decursu ac certamine nobilium puerorum patriciorumque virorum, tum gymnicâ pugnâ constabant. Sed ludos illos non exhibuit, nisi anno U. C. 726. quo anno ipse Octavianus vi. et M. Agrippa ii. consules fuerunt, perfeceruntque simul censum ac lustrum populi anno proximè præcedente inceptum: quæ omnia leguntur apud Dionem, l. 51. et 53.

Atque hæc paulò fusiùs: quia ex his conjicio Virgilium ad hanc, quam explicamus, operis sui partem pervenisse hoc ipso anno 726. paulò post exhibitos ludos. Quia, 1. *Iliaci ludi*, est ipsa equestris puerorum decursio, quam vocatam esse Trojam, et à Trojanis ad Romanos transiisse, testatur Æn. 5. 602. Facilè autem Æneæ suppetebant equi, in Epiro, feracissimâ equorum regione, Geor. 1. 59. 2. *Palæstræ* et *nudati socii*, sunt ludi gymnici, γυμνὸς, enim *nudus* est: qui autem eo pugnæ genere exercebantur, nudi erant: atque ut manus adversariorum in lubricam cutem impactæ, faciliùs ictum amitterent, ideò sibi cutem oleo, luto, et cerâ ungebant: hinc aliqui nomen *palæstræ* deducunt à πηλὸς, *lutum*; quanquam alii mediùs à πάλλω, *vibro, agito;* ob variam agitationem et vibrationem corporis ad evitandos ictus. 3. *Lustramur Jovi;* alludit ad solennem populi lustrationem, quæ singulis quinquenniis post conditum populi Romani censum fiebat *suovetaurilibus*, id est sacrificio *suis, ovis*, et *tauri*, aliisque ceremoniis quæ censum terminabant et condebant. Quod hoc anno U. C. 726. ab Octaviano perfectum est.

283. *Argolicas.*] Græcas: *Argi*, urbs Peloponnesi, Æn. 1. 584.

286. *Abantis——postibus.*] Audax ac superbum Æneæ factum: qui in mediis Græcorum urbibus atque insulis, trophæa de Græcis ipsis victoribus erigit. *Abas* quis fuerit ambigitur: unus fortassè ex iis quos nocte supremâ è comitibus Androgei occiderat, Æn. 2. 371. *Postibus* autem figit Apollinei templi, vel Leucatæ, vel Actii.

282. *Transtris.*] Scamnis, in quibus remiges sedent, quæ dicuntur etiam *juga*.

291. *Phæacum abscondimus arces.*] Ab Actio promontorio, sive Leucade, ad occidentem deflexo cursu, occurrit deinde insula *Phæacum*, sive *Corcyra*, hodie *Corfou:* ad latus Epiri, olim hortis Alcinoï regis nobilitata, nunc sub ditione Venetâ. *Abscondimus* arçes, id est *absconduntur nobis*, dum celeri navis decursu prætermittuntur: quâ voce usus est deinde Seneca Ep. 70. *In hoc cursu rapidissimi temporis primam pueritiam abscondimus.* Et benè dixit *abscondimus arces*, id est, urbes aliquas ad orientem insulæ sitas; non verò *abscondimus insulam:* quia *Buthrotum*, quam petebat, est in ipso conspectu, et ex adverso insulæ, quæ ad occidentem vertit.

292. *Epiri.*] Regni olim in Europâ nobilis, cujus ad meridiem et occidentem, est mare Ionium, ad orientem Achaia et Thessalia, ad septentrionem Macedonia: nunc Albania inferior à quibusdam dicitur. Ejus olim præcipuæ partes fuerunt: *Acarnania, Cassiopæa, Amphilochia,*

Hìc incredibilis rerum fama occupat aures:
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessîsse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore
Compellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens.
Solemnes tum fortè dapes et tristia dona
Ante urbem, in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem;
Et geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circùm
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris,
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit:
Labitur; et longo vix tandem tempore fatur:
Veráne te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate Deâ? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? Dixit, lacrymasque effudit, et omnem
Implevit clamore locum: vix pauca furenti
Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita, nam verà vides.
Heu quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum, et demissâ voce locuta est:

*Hìc incredibilis rumor rerum implet aures* nostras: *Helenum filium Priami imperare per urbes Græcas, potitum uxore et regno Pyrrhi* nepotis *Æaci; et Andromachen rursus venisse* in potestatem *mariti Trojani. Obstupui; et pectus exarsit mirabili desiderio alloquendi hominem et sciendi tantos casus. Progredior* ultra *portum, relinquens naves et litus. Tunc fortè Andromache ante urbem, in* sacrâ *sylvâ, ad aquas ficti Simoëntis, offerebat cineri solennes epulas et funebria munera, et appellabat manes propè sepulchrum Hectoris, quod dedicaverat è viridi cespite vacuum; et binas aras, causam lachrymarum. Ut aspexit me accedentem, et stupefacta vidit circa* me *Trojana arma; attonita* hoc *magno prodigio, exanimata est in ipso aspectu: calor abiit* ex *ossibus: cadit; et longo* pòst *tempore vix demum* ita *loquitur: An vera species, et verus nuntius te mihi sistis, ô fili Veneris? an vivis? aut si lux alma abiit* à te, *ubi est Hector?* Sic *locuta est, et emisit lachrymas, et implevit clamore omnem locum. Vix respondeo pauca mœrenti, et turbatus os aperio interruptis verbis: Certè vivo, et traho vitam per omnes miserias. Ne dubita, nam vera aspicis. Heu! quis casus successit tibi, privatæ tanto marito, aut quæ fortuna satis* tibi *congrua redit* ad te? *O Andromache, tenesne conjugium Hectoris, an Pyrrhi? Demisit vultum, et humili voce dixit:*

## NOTÆ.

*Thresprotia*, et *Chaonia*, quæ maximè occidentalis est, dicta etiam *Molossia*. Hanc tamen ab illâ Strabo distinguit: Chaonia quidem, à *Chaone*, Trojano, Heleni fratre; *Molossia* deinde, à Molosso Andromaches et Pyrrhi filio, qui regnavit ibi post Helenum, quem veluti tutorem, occiso Pyrrho, habuerat. In Chaoniâ urbs est *Buthrotum* vel *Buthrotus*, hodie *Butrinto;* in ingressu portûs *Pelodis*, hoc est *cœnosi*, inquit Strabo lib. 7. de quo portu hìc est mentio. In eâdem regione est *Dodona* sylva, ubi Jovis oraculum: quam tamen ibidem Strabo, primò Thresprotiæ, deinde Molossiæ, attributam fuisse testatur.

295. *Priamiden Helenum.*] De eo Priami filio; deque *Pyrrho*, Achillis filio, Æaci pronepote, Æn. 2. 263. De *Andromache*, anteà Hectoris uxore, Æn. 2. 456.

301. *Solennes dapes, &c.*] Annua sacrificia, quæ vulgò cum epulis conjuncta erant; ex ipsis victimarum extis. De *Simoënte*, Trojano fluvio, cujus nomen alicui rivulo, Andromache in Epiro tribuerat, Æn. 1. 100. De *Hectore*, ibid. 99.

303. *Libabat Cineri.*] Vel vero cineri, cujus partem aliquam in urnâ deferre secum Andromache potuerat, ex iis qui collecti sunt ex ejus funere, Iliad. ult. 790. Vel ejus manibus atque umbræ.

*Dona tristia.*] Lac, sanguinem, &c. ut suprà, v. 66. Unde propriè, *libabat*, erit *effundebat:* quanquam generatim etiam sumi potest pro *sacrificabat*. De hâc voce, Æn. 1. 736.

304. *Inanem.*] Tumulum *honorarium* vocat Suetonius in Claudio, c. 1. Xenophon in Exped. Cyri, 1. 6. κενοτάφιον, id est, *vacuum tumulum*.

305. *Geminos, causam lacrymis, &c.*] Alteram Hectori; alteram Astyanacti filio, quem Græci è Trojæ turribus præcipitem miserant. Vel potiùs utramque Hectori: quia geminas heroibus dicari mos erat, suprà, v. 63.

*Causam lacrymis.*] Id est, quæ viri memoriam, ac dolorem suum alerent.

319. *Connubia servas?*] Manesne in viduitate, ac fide datâ Hectori, an verò transiisti ad Pyrrhi nuptias?

O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos patriâ incensâ diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum
Servitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulam famuloque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
 Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedêre?

*O fortunata præ aliis, virgo Priami* filia, *coacta mori ad sepulchrum hostis, prope muros altos Trojæ; quæ non passa est ullam sortitionem, nec captiva lectum victoris domini. Nos post patriam combustam vectæ per longinqua maria, parientes in captivitate, toleravimus superbiam familiæ Achillis et juvenem ferocem: qui posteà quærens Hermionem* neptem *Ledæ, et conjugium Spartanum, me servam tradidit possidendam Heleno,* ipsi *quoque servo. At Orestes ardens magno desiderio raptæ uxoris, et impulsus furiis criminis* sui, *intercipit illum improvidum, et jugulat ad altaria patria. Per mortem Pyrrhi pars regni data cessit Heleno: qui à Trojano Chaone vocavit cognomine campos Chaonios et totam Chaoniam: et condidit in monte Pergama, et hanc arcem Iliacam. Sed quinam venti et quænam fata direxerunt tibi cursum?*

## NOTÆ.

321. *Priameïa virgo.*] Polyxena, Priami et Hecubæ filia, amata ab Achille: qui cùm ad ejus nuptias in templum Apollinis Thymbræi convenisset, à Paride, post Apollinis simulacrum latente, sagittæ ictu occisus est. Capto deinde Ilio, ejus umbra Polyxenam immolari sibi petiit. Illa ad Achillis tumulum ab ipso Pyrrho Achillis filio jugulata est.

327. *Servitio enixæ.*] Andromache captiva à Pyrrho in uxorem admissa, suscepit ex eo Molossum: qui parti Epiri nomen fecit, v. 292.

328. *Ledæam Hermionem, &c.*] Menelai filiam, Spartani seu Lacedæmonii regis, ex Helenâ filiâ Jovis et Ledæ. Hermione, Menelao ad Trojanum bellum profecto, à Tyndareo Ledæ marito desponsata est Oresti cognato suo, Agamemnonis filio. Eadem interim à patre Menelao ad Trojam desponsata est Pyrrho Achillis filio: eidemque post confectum bellum tradita. Quod cùm ægrè ferret Orestes, Delphos venit, et nactus ibi Pyrrhum de futurâ sibi ex eo conjugio prole oraculum consulentem, eum ad ipsas aras Apollinis interfecit.

331. *Scelerum furiis agitatus Orestes.*] Agamemnonis et Clytemnestræ filius: patre ad Trojam profecto, et Ægistho Clytemnestræ adultero Mycenas tenente, subductus ejus insidiis à sorore Electrâ, et ad Strophium Phocidis principem missus est: ubi singularem cum ejus filio Pylade amicitiam contraxit. Post Trojam expugnatam, et patrem Agamemnonem Ægisthi insidiis jugulatum, matrem cum adultero interfecit. Ideò furiis agitatus, ac post labores plurimos expiatus ac solutus crimine ab Areopagitis; aut, ut ait Cicero, ipsius Minervæ judicio, in regnum rediit: Hermionem uxorem accepit, occiso priùs apud Delphos Pyrrho: cum eâ regnum quoque Spartanum addidit suo. Corpus ejus post mortem refossum, septem cubitorum fuisse refert Plinius, lib. 7. 16.

332. *Patrias ad aras.*] Certum est Pyrrhum ab Oreste occisum esse *Delphis,* in Phocide, apud ipsas Delphici Apollinis aras: Achillem verò Pyrrhi patrem interfectum à Paride, ad Trojam, in Apollinis Thymbræi templo; atque ita fatale fuisse patri et filio, ut apud Apollinem caderent. At variè se torquent interpretes, ut explicent, cur *patrias aras* poëta dixerit: multa comminiscuntur; hæc duo mihi videntur optima. I. Si ad sensum Nascimbæni per *patrias,* intelligamus easdem, ad quas *pater* Achilles occisus fuerat, nempe *Apollineas,* quanquam loco dissitas. II. Tamen tutius puto *patrias* explicare ad sensum Turnebi, *Græcas:* ara enim Delphica, ferè in medio totius Græciæ sita, publicum erat Græciæ totius oraculum. Addo, quod rem firmet: Epirum, ubi tum regnabat Pyrrhus, inter Græciæ provincias non esse habitam, ut patet ex Strabone, l. 7. Pyrrhum verò et Orestem patriâ Græcos fuisse: Orestem quidem Argivum è Peloponneso: Pyrrhum, patre natum Achille, Thessalo è Phthiâ, matre Deidamiâ, è Scyro Ægæi maris insulâ.

335. *Trojano à Chaone.*] *Chaon,* unus è Priami filiis: quem Helenus frater cùm in venatu ignarus occidisset, ad solatium doloris, regnum ejus nomine appellavit; regnavitque quasi tutor Molossi, ut jam diximus, v. 292.

336. *Pergamaque, Iliacamque, &c.*] Divisio est unius rei in duas: *Pergamus* enim fuit arx *Iliaca,* sive Trojana.

Aut quis te ignarum nostris Deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aurâ?
Quem tibi jam Troja—
Ecqua jam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles,
Et pater Æneas, et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrymans, longosque ciebat
Incassùm fletus; cùm sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, lætusque ad limina ducit;
Et multùm lacrymas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco: Scææque amplector limina portæ.
Necnon et Teucri sociâ simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Jamque dies, alterque dies processit; et auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena, interpres Divûm, qui numina Phœbi,

*aut quis Deus adduxit te inscium ad nostra litora? Quid? puer Ascanius superestne, et fruitur vitâ?* is *quem tibi jam Troja—Quinam est jam puero dolor de amissâ matre? quomodo et pater Æneas, et avunculus Hector incitant* ipsum *ad veterem fortitudinem et animos viriles? Talia dicebat plorans, et frustrà movebat longos fletus: cùm heros Helenus* filius *Priami, effert se ex urbe, comitantibus plurimis; et agnoscit suos* Trojanos, *et lætus ducit in domum* suam: *et inter singulas voces emittit multùm lachrymarum. Progredior, et agnosco parvam Trojam, et Pergama assimilata magnis, et siccum rivum cognomine Xanthi, et amplector postes portæ Scææ. Trojani quoque potiuntur simul urbe sociâ. Rex sub vastis porticibus excipiebat eos. Bibebant vini pocula in medio aulæ, cibis auro impositis, et tenebant pateras. Jamque dies, et secundus dies abiit, et venti invitant vela, et lintea inflantur tumido vento. Alloquor his verbis* Helenum *vatem, et rogo* eum *talia: Trojane, interpres Deorum, qui cognoscis divinitatem Apollinis,*

## NOTÆ.

340. *Quem tibi jam Troja, &c.*] Versus, aut à Virgilio relictus imperfectus, aut à Tuccâ et Vario mutilatus. Suppleverunt sic aliqui: *Quem tibi jam Trojâ peperit fumante Creüsa,* malè. Trojâ enim fumante, et Æneâ fugiente, patrem sequebatur jam tum pedes Ascanius, Æn. 2. 724. Alii sic: *Quem tibi jam Trojâ obsessâ est enixa Creüsa.* Paulo verisimiliùs. Cùm enim decem annos bellum Trojanum, annos septem Æneæ navigatio duraverit, annos sexdecim aut septemdecim numerare tum potuit Ascanius, cùm Italicis pugnis deinde interfuit: sed omninò abhorret versus à nitore Virgiliano.

341. *Ecqua jam puero est, &c.*] Putant aliqui oblitum hìc sui esse Virgilium. Quomodo enim scire potuit Andromache Creüsam, Ascanii matrem, in fugâ amissam fuisse; cùm eâ de re nihilum Æneas ei dixisset? quidni verò scire id potuit ante suum è Trojano littore discessum? præsertim cùm Æneas in urbem rediisset, quæsiisset eam omnibus viis, ab omnibus amicis: quorum aliquis ad captivas deferre casum potuit.

348. *Multùm lacrymas.*] Alii legunt: *Multùm lacrymans.* Favet primæ lectioni, quòd alioqui verbum *fundit* nullo casu fulciretur. Favet secundæ, quòd durum sit: *multùm lacrymas,* pro *multùm lacrymarum:* Hæreo tamen primæ, quia communior est. De *Xantho,* seu Scamandro, Troadis fluvio, Æn. 1. 473. De *Scæâ,* Trojæ portâ, Æn. 2. 62.

354. *Aulaï in medio, &c.*] *Aulaï,* dissolutio more veterum diphthongi *æ,* quæ Græcis est *αι,* in vocales duas *α* et *ι*. *Libabant:* vel gustabant, bibebantque, vel offerebant Diis perlibationem et effusionem, Æn. 1. 736. De *Baccho,* Ecl. 5. 29. 69. De *Austro,* vento meridionali, Ecl. 2. 58.

359. *Qui numina Phœbi, &c.*] Quinque divinationis species enumerat. Primam, quæ sit *afflatu Dei:* secundam, quæ *insessu in tripode:* tertiam, quæ *combustione lauri:* quartam, quæ *intuitu siderum:* quintam, quæ *observatione avium.* I. Significatur per *numina Phœbi,* qui aliquando in vates illapsus, os ipsis ad futura prædicenda aperiebat, ut mox continget Heleno. II. Per *tripodas,* in quibus sedentes puellæ vaticinabantur; præsertim Delphis, unde mos ille in pleraque alia Apollinis templa transierat. Erat autem *tripus,* vel puteus tres latus pedes, in quem demissa puella emergente halitu amens reddebatur: vel vas et crater, tribus nitens pedibus: vel mensa, tribus edita gradibus: vel probabiliùs, sella tribus fulcris imposita, in medio patens, ubi sedebat vates; eaque aliquando ærea, aliquando aurea, etiam Delphis corio Pythonis serpentis cooperta.—III. Per *Clarii lauros,* vaticinium innuit, quod petebatur ex combustione laurei rami: qui si

Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ;
Fare, age: namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio; et cuncti suaserunt numine Divi
Italiam petere, et terras tentare repôstas:
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras,
Obscœnamque famem. Quæ prima pericula vito?
Quidve sequens, tantos possum superare labores?
Hìc Helenus, cæsis primùm de more juvencis,
Exorat pacem Divûm, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit;
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate Deâ; nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata Deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo.
Pauca tibi è multis, quò tutior hospita lustres
Æquora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Antè et Trinacriâ lentandus remus in undâ,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æææque insula Circæ;

*et tripodas, et lauros Clarii, et astra, et cantus avium, et auspicia volantis alæ. Dic, age: nam ceremoniæ propitiæ mihi declaraverunt totum iter* meum; *et omnes Dii* suâ *auctoritate suaserunt mihi petere Italiam, et quærere terras* mihi *præparatas. Sola Harpyia Celæno canit prodigium novum et horrendum dictu, et prædicit funestas iras, et fœdam famem. Quod periculum primò effugiam; et quid exsequendo, possum emergere è tantis casibus? Tunc Helenus, primò mactatis juvencis juxta consuetudinem, precatur veniam à Diis: et solvit tænias sacri capitis, et ipse ad tua templa, ô Phœbe, manu ducit me trepidantem ob magnam* reverentiam *Dei. Ac posteà sacerdos loquitur hæc divino ex ore: Fili Veneris; nam certò scio te majoribus auspiciis currere per mare: ita rex Deorum disponit fata, et miscet fortunas: ea series* rerum *decurrit. Explicabo tibi verbis pauca è plurimis, ut securior percurras maria* quæ te *excipient, et possis quiescere* in *portu Italico; nam Parcæ impediunt ne Helenus sciat reliqua, et Juno impedit* ne *loquatur. Primò, longum iter impeditum procul longis regionibus separat à* te *Italiam, quam tu jam putas propinquam, et* cujus *paras intrare vicinos portus, ô ignare. Et curvandi sunt remi in mari Siculo, et percurrenda navibus planities maris Italici, et infernæ paludes* adeundæ *et insula Circes Colchicæ:*

## NOTÆ.

in igne crepitaret, bono erat omini; si taceret, malo.

*Ut succensa sacris crepitet benè laurea flammis,*
*Omine quo felix et sacer annus eat.*
Tibul. l. 2. 5. 81.

*Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,*
*Et jacet extincto laurus adusta foco.*
Propert. l. 2. 20. 36.

*Clarii.*] Epithetum Apollinis, cui *Claros*, urbs Ioniæ, prope Colophonem, in Asiâ minore, celebri templo et oraculo dicata erat; et hoc epithetum pro quolibet alio hìc additum est: quemadmodum Apollo *Delius*, appellatus est *Thymbræus*, v. 85. IV. Per ipsa *sidera* satis notatur *astromantia*. V. Per *volucrum linguas* notatur propriè ars *augurum*, qui *avium garritum* et cantum consulebant. Per *præpetis omina pennæ*, propriè ars *auspicum*, qui *aves spectabant* volantes. Et aves quidem, quarum spectabatur cantus, dicebantur *oscines*, ab *os*, et *cano*; ut corvus, cornix, picus: quarum autem spectabatur volatus, dicebantur *præpetes* à *προπέτεσθαι*, *prævolare*; ut vultures, aquilæ. De *Celæno* et *Harpyiis*, suprà, v. 211.

370. *Vittasque resolvit.*] Infulam, quâ implicati erant capilli. Vittata enim infula, sacerdotis insigne est, Æn. 2. 133. Soluta autem, indicium est vaticinantis ac furentis, Æn. 6. 48. de Sibyllâ: *Non comptæ mansere comæ.*

375. *Majoribus auspiciis.*] Vel bonis: vel ad majora spectantibus: vel majorum Deorum, Jovis, Apollinis, &c. non avium aut siderum tantùm.

379. *Parcæ, &c.*] Tres, quæ fusis dispensabant fata hominum, Ecl. 4. 47. *Juno* Saturni et Opis filia, inimica Trojanis: causam habes Æn. 1. 25.

384. *Trinacriâ lentandus, &c.*] *Flectendus* et *curvandus*, ob vim adversam fluctuum inter se pugnantium. Sic Catullus, de Nupt. Pelei, v. 182. *Quidne fugis lentos incurvans gurgite remos?* De *Trinacriâ*, Siciliâ, fusè infrà, v. 687. De *Ausoniâ*, Italiâ, suprà, v. 171.

386. *Infernique.*] De descensu ad inferos, Æn.

*triusquàm possis condere urbem in securâ regione. Dicam tibi signa, tu ea retine commissa animo. Quando porca reperta à te solicito, jacebit circa undam remoti fluvii, enixa prolem triginta capitum, alba, recumbens humi, et porcelli albi circa mammas: ille locus erit urbis, ille certus finis laborum. Nec tu expavesce futurum esum mensarum. Fata reperient viam, et Apollo invocatus adjuvabit. Evita autem has terras, et hanc extremitatem Italici litoris, quæ propinqua alluitur fluctu nostri maris: cunctæ* illæ *urbes incoluntur à pravis Græcis. Illìc et Narycii Locri statuerunt muros, et Cretensis Idomeneus occupat militibus campos Salentinos·*

Quàm tutâ possis urbem componere terrâ.
Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.
Cùm tibi solicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hìc et Narycii posuerunt mœnia Locri,
Et Salentinos obsedit milite campos

## NOTÆ.

l. 6. De appulsu ad insulam *Circes*, Æn. 7. 10. Erat autem Solis et Perses Nymphæ filia, soror Æetæ Colchici regis, qui pater fuit Medeæ; aut juxta alios, Æetæ filia, Medeæ soror. *Ææa* dicta, id est, *Colchica;* ab *Æâ*, insulâ et urbe Colchici regni, circa ostia Phasis fluvii. Sarmatarum regi nupsit, quo venenis occiso, in Italiam fugit, ad promontorium et montem, qui deinde *Circæus* dictus est, hodie *Circello*, in Latio: qui quidem mons continenti junctus est; sed quia Pomptinis paludibus cingitur ad septentrionem, ideò insulæ formam aliquando habuit. Eadem Circe, cùm Glaucum, marinum Deum amaret, ex zelotypiâ Scyllam puellam in monstrum marinum commutavit: item et Picum Latinorum regem in avem, quòd Canentem conjugem sibi præferret.

389. *Secreti ad fluminis, &c.*] De omine suis, cum triginta porcellis repertæ ad ripam Tybris, ubi *Alba* urbs, aut juxta alios *Lavinium*, condita deinde est, Æn. 8. 42.

394. *Mensarum morsus.*] De his v. 257.

396. *Italique hanc litoris oram, &c.*] Italiæ *frontem* intelligit, sive partem meridionalem: quæ, confecto Trojano bello, Græcis plurimis illuc post varios errores appulsis, ab iis *magna Græcia* vocata est: nunc Neapolitani regni maximam partem constituit; Italiamque dividit duo in cornua, quæ Tarentino sinu vasto et patenti separantur. Tota illa frons ad orientem penitùs obversa est Epiro, marique Ionio. Atque in cornu quidem orientali, quod ab Epiro minùs remotum est, promontorium est Japygium, vel Salentinum, *Cap de sainte Marie:* totumque cornu Salentini occupabant, quorum urbes præcipuæ, Tarentum *Taranto*, Brundusium *Brindes*, Hydrus *Otrante*. In altero cornu, quod ad meridiem pertinet, tria sunt præcipua promontoria: Lacinum, *capo delle colonne*, Salentino respondens: Brutium, sive Leucopetra, *capo dell' armi*, Siciliæ proximum; et Zephyrium, *capo de stillo*, inter utrumque medium. Infra Lacinium, in ipso sinu Tarentino, est Petilia, *Strongoli.* Inter Lacinium et Zephyrium est sinus Scylacius vel Scylleticus, *golfo di Squillaci*, ubi urbs Scylacium. Inter Zephyrium, et Brutium ingens est ora, ubi non longè à Zephyrio occurrit Caulonia, vel Caulon, *Castel vetere:* tum infrà, meridiem versùs, Narycia, vel Locri Epizephyrii, nunc *Gieraci.* Atque hæc fusior descriptio ad ea quæ sequuntur hoc libro, planè necessaria visa est.

399. *Narycii Locri.*] Constat eos à Græcis Locris oriundos esse; duce, vel Evanthe juxta Strabonem: vel Ajace juxta alios. Tres autem in Græciâ fuerunt hujus nominis populi: *Epicnemidii* et *Opuntii*, contermini; ad septentrionem Phocidis, et meridiem Eubœæ sinûsque Maliaci: tum *Ozolæ;* ad occidentem Phocidis, et septentrionem, faucesque ipsas sinûs Corinthiaci sive Crissæi. Strabo vult Epizephyrios, ab Ozolis Crissæi sinûs oriundos, negat ab Opuntiis. Tamen nomen ipsum *Naryciæ* urbs innuit eos, si non ab Opuntiis, saltem ab Epicnemidiis esse profectos; siquidem *Narycium* urbs à Plinio collocatur apud Locros Maliaci sinûs, et Boagrium fluvium. At ibidem erant Epicnemidii: ibidem regnabat Ajax Oïlei filius, ex Homero Iliad. 2. 523. Et *Naryx*, sive *Naryce*, sive *Narycium*, urbs est, ex quâ juxta Suidam fuit Ajax. Quæ ut conciliem: existimo Locris omnibus, Ozolis, Epicnemidiis, Opuntiis, Ajacem ad Trojam imperâsse, cùm omnes Parnasso monte conjungantur; in reditu deinde Ajace mortuo, ut diximus Æn. 1. 40. aliis aliò per tempestatem disjectis, aliquas è Locris omnibus reliquias Evanthe duce in Italiam pervenisse, et Naryciam condidisse: tumque dictos esse *Epizephyrios:* quòd non procul à promontorio Italiæ *Zephyrio* sedem elegissent.

400. *Salentinos, &c.*] De eorum situ, v.

Lyctius Idomeneus: hìc illa ducis Meliboei
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves;
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hâc casti maneant in religione nepotes.
  Ast, ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori;
Læva tibi tellus et longo læva petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge litus et undas.
Hæc loca, vi quondam et vastâ convulsa ruinâ
(Tantùm ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt: cùm protinùs utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis

*illic* est *illa Petilia ducis Melibœi Philoctetæ, defensa muro. Imò quando naves transvectæ ultra mare constiterint, et jam reddes vota altaribus in litore structis: tegaris* secundùm *capillos coopertus velo purpureo: ne aliquis vultus hostilis occurrat inter pia sacrificia, in cultu Deorum, et abrumpat auspicia. Socii* servent *hanc consuetudinem sacrificiorum,* tu *ipse hanc serva: posteri pii persistant in hâc ceremoniâ. Sed quando ventus te profectum appulerit ad litus Siculum, et minuentur angustiæ arcti Pelori; sinistra terra et sinistra maria à te petantur longâ circuitione; evita dextrum litus et* dextras *aquas. Narrant hæc loca olim magnâ violentiâ et ruinâ discessisse. Adeò remota vetustas temporis potest mutare* res. *Cùm utraque terra esset una continuò: mare* cum *impetu venit* in *medium, et aquis separavit Italicum latus à Siculo: et labitur angusto freto inter arva et urbes, distinctas* suo quasque *litore. Scylla occupat dexterum latus; immanis Charybdis lævum:*

## NOTÆ.

396. De *Idomeneo* Cretæ rege, v. 122. *Lyctius* dicitur à *Lycto* oppido Cretæ, de quâ insulâ, v. 104.

401. *Melibœi Parva, &c.*] Philoctetes, Pæantis filius Melibœæ rex, urbis in Thessaliâ, ad radices montis Ossæ: cùm in Œtâ, Thessalico monte Trachiniæ regionis, pyram in quâ se Hercules comburendum collocaverat, ejus jussu succendisset: ab eodem arcum et sagittas, Lernææ hydræ felle imbutas, accepit in munus. Trojam deinde profectus, et colubri morsu in crure sauciatus, à Græcis in insulâ Lemno fœtoris impatientiâ, relictus est. Posteà tamen, monente oraculo Trojam non nisi sagittis Herculeis capi posse, ab Ulysse et Neoptolemo in castra accersitus, Paridem occidit: et urbe captâ, auditâque Melibœorum defectione, ut narrat Strabo, venit in Italiam: ibique Petiliam, aut condidit, aut juxta alios mœnibus firmavit: situm ejus vide, v. 396.

405. *Purpureo, &c.*] Hunc morem servavere Romani, ut in sacris caput obnuberent: ne turbatus alienarum rerum aspectu sacerdos, aut interrumperet sacra, aut ex iis aliquid omitteret: utrumque enim fatale atque ominosum erat. Idque aiunt Romani scriptores Æneæ exemplo à posteris usurpatum: infrà v. 545. Saturno tamen, Honori, et Herculi, aperto capite facta sacra, non velato, probat multiplici auctoritate Cerdanus.

411. *Rarescent claustra Pelori.*] *Pelorus,* seu *Pelorum, Capo di Faro,* promontorium Siciliæ maximè orientale; sic Italiæ vicinum est, ut eidem contiguum aliquando fuerit, quemadmodum hìc narrat poëta; et adhuc procul aspicientibus conjunctum appareat, nec ullo freto pervium: tamen propiùs accedentibus paulatim rarescunt et aperiuntur claustra illa, minuunturque visu angustiæ, et laxior aditus apparet paulò. De *Siciliâ,* infrà, v. 687.

416. *Protinùs.*] Sine interruptione atque intervallo, continuâ et perpetuâ serie. Sic Æn. 9. 337. *Felix si protinùs illum æquâsset nocti ludum, in lucemque tulisset;* id est, si continuò lusisset. Hinc Æn. 10. 340. *Protinùs hasta fugit,* et alibi vulgò sumitur pro *statim;* quia quod statim fit, sine intermissione fit. De *Hesperiâ,* Italiâ, Æn. 1. 530.

420. *Dextrum Scylla, &c.*] *Scylla* ad latus Italiæ, Cænym promontorium: scopulus est tumultuoso fluctuum allapsu semper fremens, nunc *Sciglio:* à *σκύλλω, vexo. Charybdis,* ad latus Siciliæ, prope Messanam urbem: mare est vorticosum, aquas sorbens, et eum impetu deinde ructans, nunc *Calofaro:* à *χάσκω, hio,* et *ῥοιβδῶ, sorbeo. Charybdim* aiunt meretricem fuisse voracissimam: quæ, cùm Herculi boves eripuisset, à Jove fulmine icta, et in fretum præceps acta, in voraginem ibi conversa est. *Scyllam* Phorci filiam, à Circe commutatam dicunt in monstrum, cujus suprema pars fœmineam speciem retinuerit, infima in canes abierit: quorum latratu fluctuum strepitum exprimere voluerunt; ipsumque monstrum in scopulo latere, eóque naves attrahere ac lacerare fabulati sunt. Atque hæc, ex mente poëtarum dicta, emendabimus infrà, v. 555. et 685.

Obsidet: atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat undâ.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, et naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pristis,
Delphinûm caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circumflectere cursus;
Quàm semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et cœruleis canibus resonantia saxa.
  Prætereà, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo:
Unum illud tibi, nate Deâ, præque omnibus unum
Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Junonis magnæ primùm prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacriâ fines Italos mittêre relictâ.
Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinosque lacus, et Averna sonantia sylvis;
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub imâ
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verùm eadem verso tenuis cùm cardine ventus
Impulit, et teneras turbavit janua frondes;
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.

*et profundo gurgite voraginis ter vorat fluctus in præceps, deinde alternatim attollit* eos *in aërem, et ferit aquis astra. At antrum includit Scyllam* in *obscuris latebris, pandentem guttura et trahentem naves in scopulos. Superior forma* est *humana, et puella formoso pectore, usque ad* imum *ventrem: inferior* est *pristis immenso corpore, conjuncta uteris canum circa caudam Delphinorum. Melius est, te morantem circumnavigare fines Siculi Pachyni, et circumsinuare longos cursus; quàm semel videre sub latâ cavernâ turpem Scyllam, et scopulos sonantes canibus cæruleis. Prætereà, si aliqua est scientia Heleno, si aliqua fides* habenda *vati, si Apollo implet animum veris* rebus: *unicè hoc tibi prædicam, et unicè ante omnia, et repetens rursus ac rursus inculcabo. Primò cole precibus divinitatem magnæ Junonis, fer lubens vota Junoni, et vince potentem reginam supplicibus muneribus: sic demum victor relictâ Siciliâ admitteris in regiones Italas. Quando illuc appulsus veneris ad Cumæam urbem, et lacus sacros, et Avernum* inter *sylvas sonantem: videbis Sibyllam furentem, quæ sub antro profundo aperit fata, committitque frondibus literas et vaticinia. Virgo disponit in ordinem, et* manens *clausa in antro relinquit* ante ostium *vaticinia, quæ scripsit* in *frondibus. Illa* vaticinia *stant suis locis immota, nec recedunt à situ. Sed quando revoluto cardine levis ventus afflavit ea, et portâ* apertâ *turbavit frondes; nunquam posteà curat colligere vaticinia cavo* in *antro, aut restituere in ordinem, aut jungere.*

## NOTÆ.

421. *Barathri.*] Græca vox βάραθρον, *barathrum:* ex Suidâ et Diomede, locus erat apud Athenienses profundissimus, in quem noxii et morti destinati præcipitabantur, à βαθὺς, *profundus*, juxta Festum.

427. *Pristis, &c.*] Scylla tres habuit partes: superiorem virgineam, pube tenus; infimam, in modum pistricis, sive ingentis piscis desinentem in caudas bifidas, quales habent delphini; mediam, scilicet commissuram pubis et caudæ, unde uteri et capita canum sive luporum erumpebant. Ex his patet sensus versuum. Notanda hìc quatuor. I. Græco more dictum est: *commissa caudas*, supple κατὰ, *circa caudas, per caudas.* II. *Delphinus*, vel *delphin*, juxta aliquos porcus est marinus, *marsouin*, A PORPOISE. II. *Pristis;* vel *pistrix, pistricis:* sumitur vulgò pro *balænâ*, quamvis à Plinio distinguatur: maximæ molis, et tamen velocissimè fluctus secans, unde nomen habet: πρίστη enim est *sector*. IV. Cæteri poëtæ *canes* tantùm Scyllæ attribuunt, Virgilius ad terrorem *lupos* dixit.

429. *Trinacrii Pachyni.*] *Pachynum*, meridionale promontorium Siciliæ: unum è tribus, quæ ipsam Trinacriam efficiunt, *capo Passaro*, v. 687.

437. *Junonis, &c.*] De eâ ejusque in Trojanos odio, Æn. 1. 23. 24. 29.

441. *Cumæam, &c.*] *Cumæ*, urbs fuit Italiæ, in litore Campaniæ, nunc eversa. De hâc Æn. 6. 2. *Divini lacus* sunt, *Avernus* et *Lucrinus*, in Puteolano sinu, prope Baias et Cumas. *Divini* dicti, propter vicinum Sibyllæ antrum. De eis fusè, Geor. 2. 161. et Æn. 6. 237. *Avernus*, plur. *Averna*, montibus undequaque horrebat et sylvis, quas excidit Agrippa, locusque deinde multis ædificiis amœnus redditus est. De *Sibyllâ*, Æn. 6. 10.

Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.
Hìc tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti :
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos :
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet ; cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt quæ nostrâ liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad æthera Trojam.
  Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis, auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi : sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces ;
Remigium supplet : socios simul instruit armis.
Intereà classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.

*Exeunt sine consilio, et oderunt domum Sibyllæ. Illìc ne ulla damna moræ sint tibi curæ : etsi socii* te *incusent, et navigatio per vim invitet vela in altum mare, et possis replere vento favente sinus* velorum : *immò* potiùs *conveni Sibyllam, et ora precibus ut ipsa reddat oracula, et libens aperiat os et vocem. Illa explicabit tibi gentes Italiæ, et futura bella, et quâ ratione tolerabis aut evitabis unumquemque laborem : et à te culta impetrabit tibi cursus felices. Hæc sunt* de quibus *licet admoneri te meâ voce. I, perge, et factis extolle ad astra magnam Trojam. Postquam vates ore benevolo locutus est ista : deinde jubet portari ad naves munera gravia auro et scisso ebore : et congerit in naves multum argenti, et ollas Dodonæas, loricam compactam hamis, et triplici licio auri : et apicem pulchræ cassidis, et cristas capillatas,* quæ fuerunt *arma Pyrrhi ; sunt quoque pro patre* meo *sua munera. Adjicit equos, adjicit etiam duces ; substituit remiges : simul instruit armis socios* meos. *Interim Anchises imperabat* eos *instruere naves velis, ne ulla mora opponeretur vento faventi.*

## NOTÆ.

460. *Venerata.*] Passivè dictum : sic Horatius Sat. l. 2. 2. 124. *Et venerata Ceres ut culmo surgeret alto.*

464. *Elephanto.*] Ebore, quod ex dentibus elephanti secatur et perpolitur.

466. *Dodonæosque lebetas.*] Pelves *Dodonæas,* id est, *æreas :* æs enim Dodonæ, ut Corinthi, celebre fuit. At duo fuere lebetum genera : alii qui admovebantur igni ad culinæ ministeria, ad abluendas manus : alii qui appendebantur ad ornatum, sive in domibus, sive in templis. Et verò aiunt, locum, ubi Dodònæi Jovis oracula reddebantur, cinctum fuisse lebetibus, ita invicem conjunctis, ut commoto uno cæteri moverentur, sonitumque diu redderent : unde proverbium fuit *Dodonæum æs,* in loquaces. Fuit autem *Dodona* locus sylvaque, Jovis oraculo et quercu fatidicâ celebris, in Epiro, Ecl. 9. 13. et suprà 292.

467. *Loricam consertam hamis, &c.*] *Lorica* tunica quædam est, ac munimentum pectoris in bello : quæ quia primùm è *loris* et coriis fiebat, *lorica* dicta est. Contexta deinceps ex laminis ferreis : tum annulis sibi invicem *hamorum* instar impactis et concatenatis : denique squamis etiam ferreis, aut laminâ aut corio confertim insertis. Hæc autem aliquando simplex, aliquando etiam duplex, ac triplex erat. Unde Statius, l. 7. 312. *Ter inserto servant ingentia ferro Pectora.* Et Virg. Æn. 9. 707. *Nec duplici squamâ lorica fidelis et auro.* Duplex vocabatur *bilix ;* triplex, *trilix :* id est, *bino* et *trino licio,* sive textu : parte pro toto acceptâ. Atque ut multiplex textus, pro multiplex *licium* hìc exprimitur ; sic à Silio, l. 4. per *subtemen,* quæ pars in ipso textu alia est. *Nexilis innumero chalybum subtemine thorax.* De *licio* et *subtemine,* infrà, v. 483. Quid verò si dicamus *auro trilicem loricam,* unico ac simplici ferreorum annulorum textu fuisse : sed cujus extrema ora triplici licio aureo, sive triplici annulorum aureorum versu ornata et quasi fimbriata esset ? Audi Valerium l. 3. 199.

*Per clypei opus partemque trilicem,*
*Quà stomachi secreta ferit.*

Ergo in thorace, non contextus totus, sed *pars tantùm* aliqua *trilix* fuit : ea quæ ima, quæ ad *secreta stomachi* sive ad ventrem proximè accederet.

468. *Conum, &c.*] Propriè *conus,* est quicquid in pineæ nucis figuram assurgit, et ex rotundo in acutum desinit. Transfertur ad eam galeæ partem, quæ ex ejus convexo eminet ; sustinetque *cristas,* sive è jubis equinis, sive è versicoloribus pennis ; quæ in modum capillorum sive *comarum* diffundebantur.

470. *Duces.*] Nempe itineris, qui scopulos et syrtes ostenderent.

Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura Deûm, bis Pergameis erepte ruinis:
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, ô felix nati pietate: quid ultrà
Provehor, et fando surgentes demoror Austros?
Nec minùs Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori:
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachæ testentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei supèr Astyanactis imago!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur
Vobis parta quies; nullum maris æquor arandum;
Arva neque Ausoniæ semper cedentia retrò
Quærenda: effigiem Xanthi, Trojamque videtis,

*Quem vates Apollinis alloquitur magno honore: O Anchisa, qui honoratus* es *connubio glorioso Veneris,* qui es *cura Deorum, et bis servatus è Trojano excidio: ecce tibi* præsens est *terra Italiæ, hunc apprehende navibus. Et tamen opus est, ut naviges mari ultra istam* partem. *Pars ista Italiæ, quam aperit Apollo, procul* est. *I, inquit, ô fortunate* propter *pietatem filii! quid ulteriùs pergo, et retardo surgentes Austros loquendo? Nec minùs Andromache, tristis* ob *ultimum discessum, fert Ascanio amictus versicolores aureo textu, et chlamydem Phrygiam: nec malè respondet dignati* ejus, *et cumulat operibus textilibus; et hæc dicit: Accipe etiam hæc, ô puer, quæ tibi sint monumenta mearum manuum, et diu probent amorem Andromachæ, uxoris Hectoris: accipe ultima munera tuorum, ô unica effigies,* quæ *mihi restat mei Astyanactis! Sic ille gerebat oculos, sic manus, sic vultum. Et jam tecum adolesceret pari ætate. Ego discedens eos alloquebar lachrymis erumpentibus: Vivite fortunati,* vos *quibus sua fortuna jam perfecta est: nos trahimur in fata alia post alia. Vobis quies acquisita est, nulla planities maris* est *secanda, neque quærendi agri Italiæ semper fugientes retro: cernitis imaginem Xanthi, et Trojam,*

## NOTÆ.

475. *Anchisa, &c.*] Vocativus Græcus, qui longam habet ultimam. Venus amavit Anchisen, ex quo Æneam peperit, Æn. 2. 6. 49.

476. *Bis Pergameis, &c.*] *Primò,* cùm Hercules Laomedonti offensus ob negatam sibi pro Hesione filiâ, è ceti faucibus liberatâ, pactam mercedem, expugnavit Trojam, Hesionem Telamoni Salaminio conjugem dedit, Podarcen Laomedontis filium captivum abduxit, qui deinde redemptus, dictus est Priamus, à Πρίαμαι, *emo. Secundò,* cùm à Græcis Troja incensa est. De *Austris,* ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

483. *Picturatas auri subtemine vestes.*] Aliqui legunt *subtegmine:* malè. Nam machina tota in quâ tela texitur, et præsertim ea pars cui alligatur, dicitur *jugum;* prima fila, quæ jugo junguntur, telamque ordiuntur, ac definiunt, vocantur *licia:* fila quæ in longum ducta alligantur licio, et subinde attolluntur deprimunturque, sunt *stamina:* fila, quæ inter stamina transversim inseruntur, alternâ staminum depressione et sublatione, sunt *subtemina,* quasi *substamina:* instrumentum quo deprimitur attolliturque tamen, dicitur *arundo;* quo inseritur subtemen, dicitur *radius;* quo addensatur subtemen cum stamine, dicitur *pecten.* Patent ista ex his Ovidii versibus, Met. 6. 53.

*Haud mora, consistunt diversis partibus ambæ,*
*Et gracili geminas intendunt stamine telas.*
*Tela* jugo *juncta est:* stamen *secernit* arundo:
*Inseritur medium* radiis subtemen *acutis:*
*Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum*
*Percusso feriunt inserti* pectine *dentes.*

484. *Phrygiam chlamydem.*] Vestem breviorem, et vulgò militarem, quæ superponebatur thoraci, ad ornatum; *cassaque,* A LOOSE GOWN OR COAT.

*Phrygiam.*] Id est, acu pictam: nam Plin. l. 8. 48. *Pictæ vestes jam apud Homerum fuere, unde triumphales notæ: acu facere, id Phryges invenerunt, ideóque Phrygiones appellati sunt.* De *Astyanacte,* Æn. 2. 457.

497. *Xanthi, &c.*] De *Xantho,* Troadis fluvio, cujus nomen Andromache rivo alicui dederat, ut et Trojæ nomen alicui vico, Æn. 1. 473. De *Epiro,* suprà, v. 292.

Quam vestræ fecere manus: melioribus, opto,
Auspiciis, et quæ fuerit minùs obvia Graiis.
Si quando Tybrim vicinaque Tybridis arva
Intrâro, gentique meæ data mœnia cernam:
Cognatasque urbes olim, populosque propinquos
Epiro, Hesperiâ, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Trojam animis: maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit intereà, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris, ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat.
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno,
Dat clarum è puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis:
Cùm procul obscuros colles, humilemque videmus

*quam manus vestræ fecerunt melioribus ominibus, ut cupio, et quæ minùs exposita sit Græcis. Si unquam ingrediar Tybrim et agros Tybridi propinquos, et aspiciam muros destinatos meo populo: quondam urbes consanguineas, et nationes vicinas, ex Epiro,* et ex *Italiâ, quibus idem conditor* est *Dardanus, et eadem fortuna, faciemus utramque Trojam unam voluntate; ea cura spectet nostros posteros. Progredimur mari prope vicina Ceraunia, unde via et trajectus brevissimus est mari in Italiam. Interim Sol cadit, et montes densi obscurantur. Decumbimus in sinu desideratæ terræ, prope aquam, partiti* officia *navalia: et passim in litore sicco reficimus corpora, somnus fluit in lassa membra. Nondum nox provecta horis attigerat medium cursum; impiger Palinurus surgit* è *lecto, et observat omnes ventos et auditu captat aërem: notat omnia astra decurrentia cœlo silente, Arcturum, et imbriferas Hyadas, et geminos Triones: et aspicit Oriona armatum aureâ luce. Postquam cernit omnia congruere* in *cœlo sereno, è puppe dat clarum signum: nos movemus classem, et ingredimur iter, et extendimus alas velorum. Et jam stellis expulsis Aurora rubescebat: cùm videmus procul colles obscuros et planam*

## NOTÆ.

503. *Idem Dardanus auctor.*] Non Epiro et Hesperiæ, sed populis in utramque regionem appulsis: nempe Trojanis, qui, cum Heleno in Epiro jam sederant, cum Æneâ in Hesperiâ sive Italiâ sessuri erant. Utrique jactati Trojæ casibus, et à Dardano oriundi, suprà, v. 167.

504. *Unam faciemus utramque Trojam, &c.*] Nempe hanc Trojam in Epiro factam ab Heleno: et alteram Trojam, quam in agro Laurente Italiæ conditurus erat Æneas, Æn. 7. 158. Sive potiùs, utrosque Trojanos intelligit; tam Epiri, quàm Italiæ.

506. *Ceraunia.*] Montes sunt altissimi, et ideò crebro fulmine percussi: unde etiam *Acroceraunia* nuncupantur, ab ἄκρον, *summum,* et κεραυνὸς, *fulmen.* Termini sunt Epiri ad septentrionem; ut et maris Ionii, quod inde Adriaticum dici incipit. Hinc cursus in Italiam brevissimus: quare facilè à mediâ nocte ad auroram transmisso mari Æneas potuit in conspectum Italiæ venire.

510. *Sortiti remos.*] Remigandi officium apud veteres, non in reos, sed in ipsos milites sorte dividebatur; ut et excubandi cura. De *Palinuro,* navis Æneæ gubernatore, Æn. 5. 338. et 6. 337.

516. *Arcturum, &c.*] Stella in signo Bootæ, quæ aliquando pro toto signo sumitur; Geor. 1. 68. *Hyadas,* stellas septem in fronte Tauri, ibid. 138. *Geminos Triones,* utramque Ursam, majorem ac minorem; Æn. 1. 744.

517. *Oriona.*] Orion venator fuit, comes Dianæ, qui scorpii morsu in talo vulneratus occubuit; et Deorum miseratione in sidus mutatus est. Scorpius autem, vel à Terrâ in eum immissus est, quòd Orion nullam sibi feram insuperabilem esse gloriaretur; vel, juxta alios, à Dianâ, cui vim inferre in venatione voluerat. Orion in cœlo lucidissimum sidus stellis constat sex et quinquaginta, pingiturque accinctus gladio et clavam intendens: unde *armatus auro* dicitur, id est, *aureâ luce conspicuus.* De ejus ortu, Æn. 1. 535.

518. *Constare.*] Omnia serenitatis signa sibi respondere, inter se congruere: eaque certa, et firma, et constantia; non varia.

520. *Velorum alas.*] Mutua translatio est, inter volandi et navigandi verba, Æn. 1. 224.

522. *Humilem Italiam.*] Tum quia in eâ parte altis montibus caret: tum quia è longinquo spectantibus altissima quæque humilia videntur: tum quia universim mare terris altius apparet.

Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera coronâ
Induit, implevitque mero, Divosque vocavit,
Stans celsâ in puppi:
Dii, maris et terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum;
Objectæ salsâ spumant aspergine cautes.
Ipse latet: gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque à litore templum.
  Quatuor hìc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum latè, candore nivali.
Et pater Anchises, Bellum, ô terra hospita, portas.
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et fræna jugo concordia ferre:
Spes est pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ovantes:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, ritè
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.

*Italiam. Achates primus conclamat Italiam: socii clamore hilari salutant Italiam. Tunc pater Anchises cinxit magnum poculum coronâ, et replevit vino, et invocavit Deos erectus in altâ puppe: O Dii,* ait, *præsides maris et terræ et tempestatum: date* nobis *viam facilem* per *ventum, et favete prosperi. Augentur flatus desiderati, et portus jam propior aperitur, et in monte apparet templum Palladis. Socii colligunt vela, et vertunt proras ad litora. Portus ab orientali mari curvatur in arcum; rupes oppositæ spumant salsâ aspergine. Ipse* portus *occultus est: scopuli turribus* similes *demittunt* utrinque *latera* quasi *duplici muro: et templum recedit à litore. Illic vidi in pratis quatuor equos candore niveo latè carpentes herbam,* quod fuit *primum omen. Et pater Anchises ait, O terra hospitalis, portendis bellum. Equi armantur ad bellum: hæc armenta minantur bellum. Sed tamen iidem equi assueti* sunt *subire currum, et portare fræna concordia* sub *jugo: spes est pacis. Tunc oramus sanctam divinitatem Palladis armigeræ, quæ prima excepit lætos: et ante altaria tegimur Phrygio amictu* circa *capita. Et ex monitis Heleni, quæ dederat maxima, offerimus ritè Junoni Argivæ sacrificia præscripta.*

## NOTÆ.

525. *Cratera coronâ Induit, &c.*] *Coronare* poculum, duo significat. Aliquando *implere* vino, ut diximus Geor. 2. 528. Aliquando cingere coronâ floreâ, ut hìc: siquidem hìc utrumque distinguitur, *coronâ induit, implevitque mero.* Et *libationem* exprimit, facile ac quotidianum Diis ferè omnibus sacrificium, vini effusionem in mare. De *libatione*, Æn. 1. 736.

531. *Templum in arce Minervæ.*] Templum in promontorio Japygio, sive Salentino: de quo Strabo l. 6. de Salentinis loquens: Ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν πλούσιόν ποτε, &c. *Hìc verò fuit et Minervæ templum dives olim, et scopulus quem vocant promontorium Japygium, multùm procurrens in mare contra ortum hybernum.*

533. *Portus ab Eoo fluctu.*] Id est ad orientem obvertitur: ἠώς, *Aurora* est, quæ ab oriente nascitur. *Arcem* verò accipio; vel pro munitione aliquâ, quæ locum defenderet; vel pro ipso scopulo promontorii quod ἄκρον dicitur, ut explicuimus ad illud, Geor. 4. 461. *Flerunt Rhodopeïæ arces.*

535. *Brachia muro Turriti scopuli.*] Nec turres erant, nec brachia, sed rupes porrectæ in modum brachiorum, et erectæ instar turrium. Propert. l. 3. 20. 24. *Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.*

541. *Curru, &c.*] Pro *currui*, dativo contracto, Ecl. 5. 29. De *Pallade armisonâ*, Æn. 1. 39. De *ovatione*, pro lætitiâ, suprà, v. 189.

545. *Phrygio velamur amictu.*] Observat præceptum Heleni: de quo suprà, 405. *Amictum*, illum volunt esse capitis integumentum, cui nomen erat *tutulus*, de quo Æn. 2. 683. *Phrygium* autem vocat, vel simpliciter quasi Trojanum, vel arte factum Phrygiâ, id est, acu elaboratum, ut suprà, v. 484. Hìc autem aliqui volunt accidisse Æneæ, quod attigimus, Æn. 2. 166. ut Diomedes, qui cum Ulysse fatale Palladium ex arce Trojanâ eripuerat; pulsus deinde fatis adversis in Italiam, et jussus à Diis illud Trojanis restituere, Æneam fortè illuc appulsum, et operto capite sacrificantem nactus, hoc eidem reddere non ausus sit, ne turbaret sacra, sed cuidam ex Æneæ sociis tradiderit, cui nomen *Nautes.* Et verò regnâsse dicitur Diomedes in Apuliâ, quæ Salentinis et Calabris contermina est ad occidentem, quanquam satis longo intervallo dissita.

547. *Junoni Argivæ.*] Quæ celebratur in *Argiâ* Peloponnesi regione: ita ut cùm *Mycenæ*

Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum:
Grajugenûmque domos, suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti 551
Cernitur. Attollit se Diva Lacinia contrà,
Caulonisque arces, et navifragum Scylacæum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:

*Absque morâ, votis continuo ordine persolutis, convertimus cornua antennarum veliferarum: et deserimus sedes Græcorum, camposque suspectos. Hinc videtur sinus Tarenti, si verus est rumor, Herculei: ex adverso* templum *Deæ Laciniæ erigit se, et arces Caulonis, et Scylacæum navifragum. Deinde procul è mari videtur Ætna Sicula;*

## NOTÆ.

et *Argi*, vicinæ illic urbes, quæ Danao simul paruerant, in duo deinde regna divisæ sunt; templum celebre Heræum dictum Ἡραῖον, id est Junonium, licèt ad Mycenas situm, utrique tamen regi commune esset: Strab. l. 8. Hinc profecti in Italiam Græci, sacra Junoni Argivæ ibidem instituerunt: Diomedes lucum apud Venetos; ex Strabone, l. 5. Jason fanum in Lucaniâ, ex eodem, l. 6.

548. *Continuo.*] *Continuo ordine*, id est, non interrupto sacrificio: ideóque caput velare jussus fuerat, suprà, v. 405.

549. *Cornua velatarum, &c.*] *Antennæ* sunt ligna transversa in malo, quibus alligantur vela: antennarum extrema vocantur à Virgilio *cornua:* unde ipsas antennas appellat Lucanus l. 8. 177. *summos ceruchos:* id est, *habentes cornua*, ab ἔχω, *habeo*, et κέρας, *cornu.*

549. *Obvertimus.*] Ab extremo illo Italiæ promontorio Japygio, ad partem maximè meridionalem, cujus descriptionem habes v. 396.

551. *Herculei Tarenti.*] De *Tarenti* situ, v. 396. Urbs est cum portu celebri, in recessu maximè septentrionali sinûs Tarentini; bella olim gessit maxima cum Romanis, advocato in auxilium Pyrrho Epiri rege; Romanis deinde subdita, tum in Annibalis potestatem redacta, iterum ad Romanos reversa est. Hujus conditor *Taras:* qui heros juxta Strabonem; juxta Servium, Neptuni filius fuit; instaurator aut potiùs invasor, *Phalantus* Lacedæmonius; qui cum Partheniis, nothâ Lacedæmoniorum prole, expulsus è patriâ, ibidem sedes statuit, et divinis honoribus post mortem affectus est; ut est apud Strabonem, l. 6. et Justinum, l. 3. 4. *Herculeum Tarentum* cur appelletur non liquet: videturque Virgilius de nominis veritate ipse dubitare, cùm addit, *si vera est fama.* Quadruplicem conjecturam affero. I. Est ex Servio, qui ait Phalantum ex Herculis fuisse posteris, ab eoque octavum: sed hoc quasi commentum rejicitur. II. Est ex Erythræo, qui docet ex Aristotelis libro de mirabilibus auditis, locum quem Tarentini occupaverunt vocatum esse posteà *Heracleam*, cùm priùs dictus esset *Pleon*, et *Sigeum.* Addit verò quod planè incertum est, Tarentinos ab Hercule fuisse domitos. III. Est ex Pomponio Sabino, qui ait in Herculis tutelâ Tarentum fuisse. Et verò legimus in Strabone, l. 6. fuisse in illâ urbe colossum Herculis æreum, opus Lysippi; à Fabio maximo, qui recepit urbem, inde sublatum, et in Capitolio dedicatum. IV. Addo: non urbem solùm, sed totum tractum, Herculis itineribus et memoriâ fuisse insignem: quod colligo ex eodem Strabone; urbs enim ibidem fuit *Heraclea*, id est, *Herculea;* ubi communis agebatur conventus Græcorum omnium, qui has regiones tenebant; tum *Leuca* urbs, ubi fons fœtentis aquæ, excitatus è sanguine gigantum Leuterniorum, quos ab usque Phlegræis Italicæ Campaniæ campis persecutus Hercules ibidem terrâ obruerat.

552. *Diva Lacinia contrà.*] Junonis Laciniæ templum, prope Crotonem urbem, sanctum omnibus circa populis, ex Livio, lib. 24. cujus tegulas marmoreas Fulvius Flaccus in censurâ suâ transtulit in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat; ex Valerio, l. 1. 2. ubi ara sub dio posita, in quâ cinis, perflantibus procellis, semper immobilis, ex Plin. l. 2. 107.

*Contrà.*] Meridiem versùs, in promontorio Lacinio, cùm Tarentum sit ad septentrionem, v. 396.

553. *Caulonisque arces, et navifragum, &c.*] Priùs tamen occurrit *Scylacæum*, quàm *Caulon.* Est *Caulon*, vel *Caulonia*, urbs priùs *Aulonia* dicta, à valle quam habebat in conspectu, erat enim in Apennini jugo sita: Græcè autem αὐλὼν, *vallis.* Ab Achivis condita ex Strab. l. 6. nunc *Castel vetere;* mons adhuc *Caulo.*

*Navifragum Scylacæum.*] *Scylacæus* sinus, in mediâ sinûs orâ *Scylacæum* habet urbem, coloniam Atheniensium, qui Mnestheum regem ad Trojam secuti ducem fuerant. Strab. l. 6. Sed hìc varia est lectio. Dubitat Scaliger, Poët. l. 2. 31. an sit, *Navifragum Scylacæum*, redundante syllabâ, aut extremis duabus in unam coalescentibus: an verò, *Naufragum Scylacæum*, ubi amphibrachys in dactyli locum succederet. Turnebus censet l. 19. 21. commodiùs legi posse *Scyllæum;* quod vel est promontorium *Cænys*, *coda della volpe*, in angustiis freti Siculi, vel *Scylla* scopulus, etiam ultra Cænym leucâ integrâ remotus. Sed sanè cùm Æneas ne ad Charybdim quidem nisi eminùs accesserit, vix potuit Scyllæum videre, igitur commodius est legere cum antiquis plerisque codicibus *Navifragum Scylacæum*, per unicum *l;* præsertim cùm dicat Strabo *Scylletium* antiquis, recentioribus dictum esse Σκυλάκιον, *Scylacium.*

Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longè, fractasque ad litora voces;
Exultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirùm hæc illa Charybdis:
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, ô socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas:
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, et iidem
Subductâ ad manes imos descendimus undâ.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedêre;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Intereà fessos ventus cum Sole reliquit:
Ignarique viæ, Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens
Ipse; sed horrificis juxtà tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,

*et eminùs audimus magnum fremitum maris, et scopulos repercussos, et sonitus ruptos ad litora: et fluctus exiliunt, et arenæ turbantur ebullitione. Et pater Anchises* ait: *Scilicet hæc est illa Charybdis: Helenus prædicebat hos scopulos, has rupes horrendas. Extrahite* hinc vos, *ô socii, et pari* impetu *incumbite remis. Nec faciunt minus quàm jussi* erant facere: *et primus Palinurus deflexit proram stridentem ad aquas sinistras: turba omnis abiit in sinistram* partem *remis et ventis. Erigimur in cœlum sinuato mari, et iidem subtractâ aquâ delabimur ad imos inferos. Ter scopuli sonitum emiserunt intra cava saxa, ter vidimus spumam impactam et sidera stillantia. Interim ventus cum Sole destituit nos fatigatos: et inscii viæ appellimur ad litus Cyclopum. Portus* est *imperturbatus ab ingressu ventorum, et ipse capax; sed Ætna propè tonat horribili tumultu: et aliquando emittit ad cœlum nigram nubem,*

## NOTÆ.

555. *Et gemitum ingentem pelagi, &c.*] Videtur hìc Virgilius veriùs quàm cæteri poëtæ naturam Charybdis expressisse. Quippe Cluverius, qui ad pernoscendam loci naturam se Messanam contulerat, ait, probatque in Siciliâ antiquâ, l. 1. c. 5. etsi vortex ille circa Messanam ostendatur, appelleturque *Calafaro* et *la Rema;* tamen mare toto freto vorticosum esse, ac tumultuosum; laudatque Thucydidem, qui fretum totum Charybdim appellavit, l. 4. *Est autem fretum, mare inter Rhegium et Messanam, quâ minimùm Siciliâ distat à continente: et hoc illud est, quod Charybdis appellatum fuit, quâ Ulysses fertur transnavigâsse:* καὶ ἔστιν ἡ Χάρυβδις κληθεῖσα τοῦτο, &c. Hinc à quibusdam ad Pelorum promontorium, ab aliis ad Messanam, collocatur; ab Homero sub scopulo caprificis arboribus inumbrato, ab aliis ut hians absque scopulis vorago describitur. Re autem ipsâ impetus est maris, à septentrione vehementiùs quàm à meridie influentis; cujus fluctus, adversis ventis obluctantibus, Austro præsertim à meridie sæviente, repelluntur in freti angustias: ibique compressi, ingenti murmure et litorum scopulorumque mugitu in vortices contorquentur. Scitè ergo Virgilius, nullâ certi loci mentione factâ, generatim *gemitum, litora, saxa, vada, æstum* commemorat: additque *nimirum hæc illa Charybdis.* Malè ergo plerique cum Cerdano *saxa* et *scopulos* interpretantur de *Scyllâ:* quæ ut ostendemus, v. 685. nimiùm distat à vulgari Charybdis loco, quàm ut ejus latratus inde audiri possit. De fabulâ *Charybdis* et *Scyllæ,* suprà, v. 420.

565. *Ad manes.*] In profundum maris, et quasi ad inferos, sedem umbrarum et animarum, quæ *manes* dicuntur; de quibus, G. 4. 469.

567. *Rorantia astra.*] Stillantem aërem, depluente aquâ, quæ maris impetu ejecta sursùm fuerat.

569. *Cyclopum oris.*] Ex Cluverio de Siciliâ, l. 1. 2. *Cyclopes* primi Siciliæ, sive Trinacriæ habitatores fuerunt, præcipuè circa montem Ætnam, et agrum Leontinum. Fatetur eos staturâ fuisse giganteâ, quod probat multis ibidem repertis cadaveribus, insolitæ magnitudinis: eos item agrestes, et hospitibus infestos memorat. Hinc finxerunt poëtæ vesci eos humanis carnibus; unicum habere mediâ in fronte rotundum oculum, unde nomen ipsis, à κύκλος, *circulus,* et ὤψ, *oculus.* Tum, ob Ætnæ montis, et Liparearum in septentrionali Siciliæ litore septem insularum viciniam; addiderunt eosdem Vulcani ministros esse, suis illis in officinis, ad fabricanda Jovis fulmina; Neptuni autem filios, quia solent fabulæ sceleratos omnes ei pro filiis attribuere. Portus Cyclopum à Virgilio fingitur, circa litus ubi nunc est *Catana* urbs, ad radices Ætnæ: patet enim è subsequenti narratione, eum in Siciliæ continenti, loco sylvoso describi: non in iis scopulis, qui circa idem litus à Cyclopibus vulgò nomen habent.

571. *Ætna.*] *Mont gibel,* non longè à litore Siciliæ orientali: miræ fertilitatis.

572. *Prorumpit nubem.*] Activum hìc est; unde passivum apud Lucret. l. 6. 435. *Prorumpitur in mare venti vis:* neutrum verò, Æn. 10. 579. *Medius densos prorumpit in hostes.*

Turbine fumantem piceo et candente favillâ:
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hâc, ingentemque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis:
Et, fessum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti sylvis immania monstra
Perferimus: nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthrâ
Sidereâ polus; obscuro sed nubila cœlo,
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
  Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cùm subitò è sylvis, macie confecta supremâ,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus: dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegmen spinis; at cætera Graius,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troïa vidit
Arma procul; paulùm aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen;

*fumantem turbine piceo et ferventibus favillis: et attollit globos flammarum, et tangit astra: aliquando erigit evomens rupes et disrupta viscera montis, et cum sonitu congerit in aëre saxa comminuta, et ebullit ex imo fundo. Rumor est, corpus Enceladi semiustum fulmine premi hâc mole, et magnam Ætnam super impositam exhalare ignem fractis caminis: et, quoties* Enceladus *vertit latus fatigatum, Siciliam totam tremere tumultu, et involvere cœlum fumo.* Per *illam noctem occulti* in *sylvis patimur infanda prodigia, nec cognoscimus quæ causa emittat* illum *sonitum. Nam nec erant lumina siderum, nec cœlum fulgens splendore ætheris; sed nebulæ tenebroso aëre, et nox importuna includebat Lunam in nube. Et jam dies sequens nascebatur primo diluculo, et Aurora dispulerat è cœlo humidas tenebras: cùm repentè prodit è sylvis nova figura hominis ignoti, exesa macie summâ, et miserabilis habitu, et supplex tendit manus ad litora. Respicimus: fœdæ* erant *sordes, et barba diffusa, vestis contexta spinis;* quantum ad *alia Græcus, et olim missus ad Trojam in patrio exercitu. Atque ille quando vidit eminùs vestes Trojanas et Trojana arma, paululùm substitit territus visu, et pedem cohibuit: deinde currens contulit se ad litora cum precibus et fletu:* aitque, *Obsecro per astra, per Deos, et* per *hanc lucem cœli* quâ *respiro;*

## NOTÆ.

573. *Candente.*] Non solùm *candidâ*, sed *fervente*, quæ ex fervore candorem contraxerit. Sic Æn. 12. 91. *Ensem quem ——— Stygiâ candentem tinxerat undâ.*

576. *Liquefactaque saxa.*] Exesa in pumices, comminuta in cineres, qui torrentium instar deinde erumpunt: et Catanensem agrum, vicinumque mare interdum operiunt. Vide Cluverium loco citato.

578. *Enceladi semiustum, &c.*] Causam affert hujus incendii fabulosam: nempe bello gigantæo, maximum gigantum Enceladum, Titanis ac Terræ filium, fulminatum à Jove fuisse, et Ætnâ monte obtectum. Pindarus, et Ovidius hoc supplicium Typhoëo attribuunt: eundemque volunt non hoc uno monte, sed Siciliâ totâ, oppressum esse: Ovid. Met. 5. 346. Variam alii causam proferunt: quòd totus ille tractus, ad usque Campaniam, sulphure abundet ac speluncis, in quas admissi venti incendia excitant. Unde existimo non aliam ob causam Lipareas insulas, et *Æolias*, et *Vulcanias* appellatas esse: earumque regnum et *Æolo* et *Vulcano* ex æquo attributum, quàm quòd et igne et vento perinde agitentur.

585. *Æthrâ Sidereâ.*] Cœlestis ignis sphæra, ut aiunt, quæ vocatur *æther;* ut pro cœlo, et aëre et astrorum splendore sumitur.

587. *Nox intempesta.*] Ad agendum inepta, atque intempestiva.

588. *Eoo.*] Lucifero, Veneris stellâ, qui pro *diluculo* sumitur: nomen ab ἠὼς, *Aurora.* De eo, Ecl. 6. 86. De *Aurorâ*, G. 1. 249.

594. *Consertum tegmen spinis.*] Vestis è frondibus arborum, quæ spinis inter se assutæ et compositæ erat. *Cætera.*] Quantum ad cætera, nempe statum, incessum, colorem, vocis sonum.

600. *Cœli spirabile lumen.*] Vel aërem, quem respiramus, et qui luce penetratur; vel lucem ipsam Solis vitalem, quâ cuncta fruuntur ac veluti spirant.

Tollite me, Teucri ; quascunque abducite terras.
Hoc sat erit. Scio me Danais è classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo manibus hominum, periisse juvabit.
Dixerat : et genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur : quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præsenti pignore firmat.
Ille hæc, depositâ tandem formidine, fatur :
Sum patriâ ex Ithacâ, comes infelicis Ulyssei,
Nomen Achemenides : Trojam, genitore Adamasto
Paupere (mansissetque utinam fortunâ !) profectus.
Hìc me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens : ipse arduus, altaque pulsat
Sidera : (Dî, talem terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Visceribus miserorum, et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro,
Prensa manu magnâ, medio resupinus in antro,
Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent
Limina : vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Mandaret, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem ; nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum

auferte me, ô Trojani, asportate in quaslibet terras. Hoc satis erit. Scio me unum esse è classe Græcâ, et fateor me invasisse armis Iliacas domos. Pro quâ re, si tanta est iniquitas mei criminis, projicite me in undas et demergite vasto mari. Si pereo manibus hominum, dulce erit perire. Dixerat : et amplectens genua nostra, et abjectus in genua, hærebat : incitamus eum, ut dicat qui sit, quo ortus sanguine ; utque postea fateatur, quæ sors eum vexet. Ipse pater Anchises, non expectans diutiùs, porrigit dextram juveni, et confirmat ejus animum hoc prospero testimonio fidei. Ille excusso metu hæc demum loquitur : Sum ex patriâ Ithacâ, comes miseri Ulyssis, nomen mihi est Achemenides, qui iveram Trojam patre Adamasto paupere existente, et utinam illa sors mihi mansisset ! Hìc socii, dum fugiunt festini crudelem domum, obliti mei me reliquerunt in vastâ cavernâ Cyclopis. Domus est interiùs tenebrosa, magna, tabo et sanguinolentis cibis plena : ipse Cyclops altissimus, et tangit alta astra : (Dii servate terras à tali pernicie) nec facilis videri, nec sermone affabilis cuiquam : pascitur visceribus miserorum et nigro sanguine. Vidi ego ipse, cùm supinus mediâ in cavernâ allideret ad rupem duo corpora de numero nostro comprehensa magnis manibus, et porta redundaret sanguine infecta : vidi, cùm devoraret membra stillantia tabo, et membra calentia tremerent sub ejus dentibus. Non tamen absque ultione : nec Ulysses toleravit talia, aut Ithacensis oblitus est sui in tanto periculo. Nam statim atque Cyclops satiatus cibis et sepultus vino, demisit collum incurvatum, et jacuit per cavernam vastus,

## NOTÆ.

611. *Præsenti pignore.*] Traditâ manu : quod fidei signum fuit. Sic Curtius l. 5. Darium morientem ita inducit cum Polystrato loquentem : *Alexandro hoc fidei regiæ unicum dextræ pignus pro me dabis. Hæc dicentem acceptâ Polystrati manu vita destituit.*

613. *Ex Ithacâ, &c.*] Insula est ad sinum Corinthiacum, pars regni Ulyssis : suprà, v. 270. 272. *Ulyssei* pro *Ulyssis*, Æn. 1. 220.

614. *Achemenides.*] Fictum nomen ab ἄχος, *mœror*, et μένω, *maneo :* quia derelictus à sociis in mœrore diu fuerat : unde miror Nonnium hujus nominis nullum etymon reperisse ; ideóque rescribendum dixisse *Agamenides*, quasi ab ἄγαν, *valdè*, et μένω, *maneo :* eóque miror magis quòd Ovidius, qui Metam. lib. 14. totum hoc ita ex Virgilio quasi exscripsit, hunc ipsum sæpiùs *Achemeniden* vocat.

615. *Paupere.*] Ut se ad Trojam non voluntate profectum ostendat, habeatque necessitatis excusationem. Sic Sinon ad Priamum Æn. 2. 87. *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.*

617. *Cyclopis in antro.*] Polyphemi. Is Ulyssem, appulsum in Siciliam, et cum sociis duodecim ad se venientem, antro inclusum tenuit : devoratisque sex ex illis, ab Ulysse vini potu sopitus, impactâ in oculum clavâ excæcatus est. Ulysses deinde sub arietum villis socios seque ipsum implicuit, et cum grege ex antro emersit. Quæ fusè describit Homerus Odyss. 9. 105. Hoc imitatur Virgilius ; fingitque casu relictum illìc esse unum è sociis Ulyssis, qui antè tres menses ad idem litus appulsus fuerat.

Immensus, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commixta mero; nos, magna precati
Numina, sortitique vices, unà undique circùm
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torvâ solum sub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar:
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, ô miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat;
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgò
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam Lunæ se cornua lumine complent,
Cùm vitam in sylvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primùm ad litora classem
Conspexi venientem: huic me, quæcunque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potiùs quocunque absumite leto.
Vix ea fatus erat, summo cùm monte videmus
Ipsum inter pecudes vastâ se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, et vestigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves, ea sola voluptas,
Solamenque mali: de collo fistula pendet.
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit;
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem:
Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitique incidere funem:
Verrimus et proni certantibus æquora remis.

*inter dormiendum ejectans tabum et frusta mista* cum *vino sanguineo:* nos postquam *invocâssemus magnos Deos, et duxissemus sorte officia, simul undique circumsistimus, et perfodimus telo acuto oculum magnum, qui unicus occultabatur sub feroci fronte, in modum scuti Argolici, aut solaris lampadis: et læti vindicamus denique animas sociorum. Sed fugite, ô infortunati! fugite, et abscindite, funem à litore. Nam qualis et quantus Polyphemus includit cavo in specu greges ovinos, et premit ubera;* tales ac tanti *centum alii horrenda Cyclopes manent circa hæc sinuosa litora, et vagantur per altos montes. Jam tertia Lunæ cornua implent se luce, ex quo duco vitam in sylvis, inter cubilia vacua et sedes ferarum; et è rupe specto Cyclopas immanes, et trepido* ad *sonum pedum et vocem. Rami præbent* mihi *misera alimenta, baccas, et lapidosa corna, et herbæ nutriunt* me *vulsis radicibus. Circumspiciens omnia, vidi hanc primò classem tendentem ad litora: destinavi me illi, quæcunque esset: sufficit evitâsse nationem immanem. Vos potiùs* quàm illa, *extinguite hanc* meam *vitam morte. Vix ista locutus erat, cùm cernimus in summo monte ipsum pastorem Polyphemum moventem se vastâ mole inter greges, et tendentem ad litora* sibi *cognita. Monstrum horribile, deforme, immane, cui lux ablata* est. *Pinus truncata sustinet manum, et firmat incessum. Oves lanigeræ sequuntur* eum, *hæc unica oblectatio* est ipsi, *et solatium miseriæ: tibia pendet è collo. Postquam attigit summos fluctus, et pervenit ad mare; inde abstergit sanguinem fluentem ex oculo excæcato, stridens dentibus* inter *gemendum: et jam incedit per medium mare, nondum* tamen *aqua madefecit alta* ejus *latera. Nos timentes* cœpimus *properare fugam procul inde, admisso supplice,* qui *sic merebatur, et silentes secamus funem, et incurvi percurrimus mare remis* inter se *contendentibus.*

## NOTÆ.

636. *Latebat.*] Clausus erat tunc oculus, nempe somno.

637. *Argolici clypei et Phœbeæ lampadis.*] Tria notat, figuram, magnitudinem, et splendorem oculi. Notat *figuram* quidem rotundam; quæ figura erat *clypei*, et Cyclopes vocabantur à rotundo oculo, v. 569. Notat *magnitudinem* ingentem; qualis erat *clypei Argolici*, qui totum tegebat militem, ita ut cæsorum corpora in clypeis exportarentur. Notat denique *splendoris* vim acerrimam, qualis est *Phœbeæ lampadis*, id est, Solis.

649. *Lapidosa corna.*] Fructus *corni* arboris, *cornouiller*, A CORNEL-TREE: qui rubicundi sunt, intus ossiculo muniti durissimo. *Baccæ*, sunt exigui quilibet arborum fœtus.

Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verùm ubi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo;
Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Intremuere undæ, penitúsque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.
At genus è sylvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora complent.
Cernimus astantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cùm vertice celso
Aëriæ quercus aut coniferæ cyparissi
Constiterunt, sylva alta Jovis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quócunque rudentes
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
Contrà, jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retrò.
Ecce autem Boreas angustâ à sede Pelori

*Agnovit* hoc Polyphemus, *et retulit pedem ad murmura vocum. Sed quoniam nulla datur* ipsi *facultas jungendi manum, nec potest procedendo æqualis esse fluctibus Ioniis; emittit clamorem, quo mare et omnes fluctus tremuerunt; et terra Italiæ intimè tremefacta, atque Ætna sinuosis cavernis remugiit. At gens Cyclopum evocata è sylvis et altis montibus currit ad portum, et tegit litus. Videmus fratres Ætnæos frustrà stantes oculo fero, attollentes ad cœlum alta capita, turbam horrendam: quales cùm aëriæ quercus, vel cyparissi coniferæ alto cacumine eriguntur, altum nemus Jovis, aut sylva Dianæ. Timor gravis compellit* socios *festinos tollere funes quamcunque* in partem, *et emittere vela propitiis ventis. Contrà* autem, *præcepta Heleni admonent, ne inter habeant iter utramque viam,* nempe *Scyllam et Charybdim, quæ parùm distat à morte: deliberatum est retrò agere vela. Ecce autem Boreas oritur flans ab angusto freto Pelori:*

## NOTÆ.

670. *Dextram affectare.*] Cum affectu et aviditate apprehendere.

671. *Nec potis Ionios, &c.* Nec potis est, nec potest: antiquæ voces, *pos* et *potis:* unde *compos, impos:* et verbum *possum,* quasi *pos sum:* et *potire* à *potis* apud Plautum. *Ionios fluctus.*] Quia mare *Ionium* à Siciliâ ad usque Græciam appellatur, suprà, v. 210. De *Ætnâ,* v. 571. De *Cyclopibus,* v. 569.

680. *Coniferæ cyparissi.*] Fructus pini et cupressi, quia rotundi in acumen abeunt, ideò dicuntur *coni; conus* enim hæc ipsa figura est, v. 468. Quercus dicata Jovi erat: ideò, *sylva Jovis.* Cupressus arbor luctuosa, Proserpinæ; quæ Diana eadem erat: ideò, *lucusque Dianæ,* Æn. 4. 511.

685. *Inter utramque viam.*] *Utraque via* hìc, pro Scyllâ scopulo, et Charybdi voragine sumitur: quam qui teneat, vitæ discrimen adeat: et *Ni,* pro *ne* dictum esse, consentiunt omnes interpretes. Monuerat enim Helenus, suprà, v. 429. ne illâc transirent, sed retrò potiùs abirent, et, cursu ad sinistram reflexo, Siciliam circumnavigarent.

*Leti discrimine parvo.*] Non hoc dicit; utrumque monstrum *Scyllam et Charybdim parùm inter se distare;* sciebat enim, id quod jam scimus, distantiam ac discrimen inter utrumque esse, ut minimùm, duodecies mille passuum. Sed hoc dicit; in his freti angustiis, totâque adeò viâ, quicunque cursum tenent *parùm à morte distare,* propter frequentes vortices, suprà, v. 555.

687. *Boreas.*] Ventus septentrionalis, de quo Ecl. 7. 51. Et hìc quidem propriè, quia Siculum fretum rectis faucibus à septentrione ad meridiem patet: unde à *Peloro* promontorio ad *Pachynum* navigantibus omnino Boreâ opus est.

*Angustâ à sede Pelori.*] Bene *angustâ,* hìc enim sunt maximæ Siculi freti angustiæ: passuum scilicet mille quingentorum, qui leucam circiter mediam efficiunt. Atque hìc opus est brevem Siciliæ descriptionem attexere.

*Sicilia* omnium mediterranei maris insularum maxima, multis nominibus appellata fuit; multos habuit incolas. I. *Cyclopes,* ut diximus, v. 569. II. *Sicanos,* Hispaniæ populos circa fluvium Sicanum; qui juxta alios est Sicoris, *Segre;* juxta alios Cinga, *Cinca:* ab his dicta est *Sicania.* III. *Italos,* qui Siculo duce, Sicanos in occidentalem insulæ partem ejecerunt: à quibus dicta est *Sicilia:* quanquam aliis aliter placet. IV. *Græcos* complures ac barbaros, qui colonias in eam deduxerunt. Denique Carthaginiensibus paruit, Romanis, &c.

Nomen antiquissimum est. *Trinacria* à triangulari figurâ quam efficiunt τρία ἄκρα, *tria* extrema, seu *promontoria.* Primum est *Pelorus, capo di Faro,* ad septentrionem, sic dictum à Pharo, sive speculâ et turri, quæ illic ad dirigendas naves exstructa est. Secundum est *Pachynus, capo di Passaro,* ad meridiem. Tertium *Lilybæum, capo di Marsella,* vel, *di Boco,* ad occidentem.

In orientali latere occurrunt, *Pantagias* flu-

Missus adest: vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Tapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulyssei.
Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc, Elidis amnem,

*prœternavigo ostia è vivo saxo Pantagiæ, et sinus Megareos, et Tapsum humilem. Hæc ostendebat* nobis *Achemenides, comes miseri Ulyssis, retrò radens litora* jam antè à se *pererrata. Insula jacet objecta sinui Siculo, contra Plemmyrium undosum: majores dedêre* ipsi *nomen Ortygiam. Fama narrat Alpheum, Elidis fluvium*

NOTÆ.

vius, *Megareus* sinus, *Tapsus* peninsula, *Ortygia* insula, *Plemmyrium* promontorium, *Helorus* fluvius, *Pachynum* promontorium.

In meridionali latere, à Pachyno: sunt *Camarina* palus, *Geloi* campi: *Gela, Agragas, Selinus,* urbes: tum *Lilybæum* promontorium.

In septentrionali latere, à Lilybæo, *Drepani portus.*

689. *Pantagiæ.*] *Pantagias,* fluvius brevissimus, nunc *Porcari:* cujus ostia utrinque prærupto saxo etiam nunc includuntur, viginti fermè cubitos alto: hìc tamen hybernis auctus torrentibus, è Leontinis collibus, magnam secum saxorum copiam devehit ingenti murmure: unde Claudianus eum vocat l. 2. de Raptu, v. 58. *saxa rotantem Pantagiam:* nomenque deducit Cluverius ex *πάντα, omnia,* et *ἄγω, traho;* quamvis alii à *πάταγος, fragor.*

*Megarosque sinus.*] Apud Ovid. *Megareos:* Sinus est hic à Tauro promontorio ad Tapsum peninsulam. In mediâ sinûs orâ, fuit urbs *Megare,* vel *Megaris;* à Megarensibus Achaiæ sic appellata: priùs *Hybla* dicta, ab *Hyblæis* collibus vicinis, thymi et mellis feracibus: jamdiu penitùs excisa.

*Tapsumque jacentem.*] Peninsula est *Tapsus,* sinum Megarensem à meridie definiens, planè æqua fluctibus, et iis quasi sepulta: unde fortè nomen habet à *θάπτω, sepelio;* præcipuè isthmum habet humilem et angustum: quare insula dicitur à Servio, et adhuc vocatur, *isola delli Manghisi.*

690. *Relegens errata retrorsùm.*] Nempe Virgilius eorum opinionem sequitur, qui putant Ulyssem, è Lotophagorum terrâ, quæ *Meninx* insula est, ad Syrtim Africæ minorem, per meridionale ac deinde orientale Siciliæ latus, ad montem Ætnam et ad Cyclopes venisse, Odyss. 1. 9. Juxta quam opinionem, Achemenides visa jam à se litora retrò legit: ab orientali quippe latere, ad meridionale navigans. At Cluverius ab illâ opinione abhorret; probatque in Siciliâ, l. 2. 17. Ulyssem à Lotophagis ad Lilybæum promontorium Drepanumque navigâsse: et, cùm Cyclopes totam insulam occuparent, Polyphemum illìc, in Eryce monte, non in Ætnâ, latuisse.

692. *Sicanio, &c.*] De hoc Siciliæ nomine suprà, v. 687. Syllabas habet ad arbitrium longas aut breves: legitur enim Ecl. 10. 4. *fluctus subterlabêre Sicanos.* Hoc autem *Sicanio sinu* significat sinum, consequentibus post Æneam temporibus, *Syracusanum* dictum: cujus faucibus ad septentrionem insidebat urbs ipsa *Syracusæ;* ad meridiem, *Plemmyrium* castellum in promontorio cognomine. Inter urbem et promontorium, insula erat *Ortygia,* ponte quidem urbis juncta, urbis ipsa pars; magis autem à promontorio remota, et quasi sinui prætenta, ne laxiùs pateret. Urbs nunc *Saragusa* dicitur: cujus Virgilius quare hìc non memineret, dicemus, v. 707. *Plemmyrium,* quod *vadosum* significat, à *πλημμυρὶς,* maris *inundatio,* nomen promontorio conveniens: nunc dicitur, *massa d'Olivero.* Denique *Ortygia* insula, juxta Diodorum, l. 5. nomen inde habuit, quòd sit sacra Dianæ, quæ, cùm nata sit in *Ortygiâ* Delo, de quâ v. 124. soli natalis appellationem in illam transtulit.

694. *Alpheum fama est.*] *Alpheus,* fluvius est Elidis, regionis in Peloponneso. *Arethusa,* fons in occidentali Ortygiæ insulæ latere, in sinum Syracusanum erumpens; munitione et mole lapidum à mari disjunctus, ne fluctu totus operiatur: tantâ dulcissimarum aquarum copiâ, ut fluvium emittere statim in ortu dicatur. Hunc porrò fluvium arbitrabantur veteres ipsum esse Elidis Alpheum: qui, vel per subterraneos meatus, vel inter maris fluctus incorruptus, eò penetraret: idque vel inde certum volebant, quòd ludis Olympicis, qui in Elide quintâ quâque æstate celebrabantur; victimarum sortes in Alpheum projectæ, per os Arethusæ Siculæ emergerent. Hoc figmentum explodit Strabo, l. 6. Hinc fabulosos Alphei et Arethusæ Nymphæ amores, vide Ecl. 10. 1. Nunc fons Arethusa in eâ insulâ, ferè ignoratur: nempe multos in alveolos ad usus opificum divisus fuit; aut fluctibus ea litora, unde erumpebat, excedentibus, ex ipso mari nunc erumpit; ubi nunc multæ sunt ejusmodi dulcis aquæ non longè à litore scaturigines. Ita Fazelus Decad. 1. lib. 4. 1. quocum recentiores consentiunt.

*fecisse* sibi *secretum iter huc usque sub mari; qui* fluvius *nunc* exiens *per os tuum, ô Arethusa, miscetur aquis Siculis. Adoramus magnos Deos regionis,* ut *jussi* eramus; *et inde prætereo pingues terras Helori stagnantis. Inde radimus altas rupes et saxa procurrentia Pachyni: et procul videtur Camarina,* quam *fata nunquam permiserunt moveri, et campi Geloi, et ingens Gela, appellata de nomine fluvii. Inde altissimus Agragas, olim ferax generosorum equorum, ostendit eminùs maximos muros. Te quoque prætereo, faventibus ventis, ô palmosa Selinus: et trajicio vada Lilybeïa, aspera scopulis occultis. Inde portus Drepani et injucunda regio me*

Occultas egisse vias subter mare; qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Jussi, numina magna loci veneramur: et inde
Exsupero præpingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radimus, et fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camarina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela, fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Agragas ostentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus:
Et vada dura lego saxis Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus et illætabilis ora

## NOTÆ.

697. *Jussi, numina magna, &c.*] Admoniti, vel tum ab Achemenide, vel priùs ab Heleno. *Numina*, fortassè Dianæ, cùm dicatam hanc insulam fuisse ex Diodoro retulimus, v. 692.

698. *Stagnantis Helori.*] *Helorus*, paulò suprà Pachynum promontorium, ad septentrionem: fluvius amœnissimus: in decursu nunc dictus *Atellari;* circa ostium, *Abyso;* quâ parte stagni instar leniter fluens, hybernis præterea auctus imbribus, more Nili vicinos in agros sæpe restagnat: unde *stagnans* hìc dicitur: tanta porrò amœnitate atque ubertate, ut Ovidius Fast. 4. 475. locum illum *Heloria Tempe* vocaverit. Fuit non procul urbs *Helorum*, et arx *Helorus:* utraque diruta.

699. *Saxa Pachyni.*] *Pachynus*, vel *Pachynum;* primâ syllabâ vulgò brevi, longâ tamen apud Ovid. Metam. 13. 726. promontorium est meridionale Siciliæ, quorum ferè milliarium spatio in mare projectum in peninsulæ modum: quæ altis cautibus prærupta, sexcentorum est passuum ambitu: cujus isthmus, passum admodùm viginti, tumescente mari, insulæ speciem præbet.

701. *Camarina.*] *Palus*, veriùs *lacus*, cùm è viginti fontibus erumpat; prope urbem cognominem, exstructam à Syracusanis, nunc omnino dirutam. Lacum medium, nunc *Lago di Camarana*, fluvius *Hipparis* præterfluit, nunc *fiume di Camarana.* Dicitur *fatis nunquam concessa moveri;* quia ex Suidâ, et veteribus grammaticis, cùm aliquando deficiente aquâ pestilentiam ex putore creâsset, petiissentque Camarinenses ab Apolline, num eam penitùs exsiccarent: prohibuit Deus; quod tamen præter Dei jussum cùm fecissent; morbus quidem extinctus est, at hostes per spatium paludis ingressi Camarinam urbem expugnârunt. Quâ de re extat oraculum Apollinis hoc carmine conceptum in Anthol. l. 4. Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. *Ne moveas Camarinam; immota enim melior.*

702. *Geloi, immanisque Gela.*] *Gela* urbs olim ingens, unde *immanis* dicitur; et propriis regibus insignis fuit, quibus frequens cum Syracusanis bellum: à Rhodiis et Cretensibus condita: ab Agrigentinorum tyranno Phintiâ tandem diruta: urbs *Gela* dicebatur; fluvius, unde ipsi nomen, *Gelas*, nunc *fiume di Terra nova;* populi *Geloi*, et *Gelenses.* In voce *Gela* brevis ultima syllaba producitur, ob sequentem in *fluvii* geminam consonantem.

703. *Agragas.*] Græcis ὁ Ἀκράγας, Latinis *Agrigentum*, nunc *Gergenti:* ad fluvium cognominem, nunc *fiume di S. Biagio;* urbs olim in vertice rupis exstructa à Gelensibus.

704. *Generator equorum.*] Habemus ex Servio, qui Pindarum citat, Agrigentinos equos in Græciæ ludis nobiles fuisse: ex Diodoro l. 13. Exænetum, Olympicis victorem, curru urbem ingressum esse, bigis Agrigentinis comitantibus trecentis albi coloris: tum sepulcra victoribus equis magnificè interdum ibidem exstructa.

705. *Palmosa Selinus.*] Megarensibus Siculis condita, de quibus v. 689. Nunc planè diruta: diciturque locus, *terra de li Pulci:* ad fluvium cognominem, hodie *Madiuni.* Nomen dedit σέλινον, *apium, persil*, PARSLEY; cujus adhuc ibidem, ut palmarum agrestium, ingens copia est.

706. *Saxis Lilybeïa cæcis.*] *Lilybæum*, tertium Siciliæ promontorium, ad occidentem: planum quidem, sed ad tria passuum millia excurrens in mare, aquis ad cubitorum trium altitudinem superfusis. Unde hìc *saxis cæcis dura vada* dicuntur. Ibi olim urbs *Lilybæum*, cujus in ruinis urbs est hodie *Marsalla:* à quâ promontorium appellatur *capo di Marsalla;* vel à Latino nomine corrupto *capo di Boëo.* Græca vox Λιλυβαῖον, Ionicè Λιλυβήιον, unde Virgilius deduxit *Lilybeïa* pro *Lilybæa.*

707. *Drepani me portus, &c.*] A Lilybæo in Boream deflectendo, portus hìc occurrit capa-

Accipit. Hìc pelagi tot tempestatibus actus,
Heu! genitorem, omnis curæ casûsque levamen,
Amitto Anchisen. Hìc me, pater optime, fessum
Deseris, heu! tantis nequicquam erepte periclis.
Nec vates Helenus, cùm multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus; non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum:
Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.
  Sic pater Æneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat Divûm, cursusque docebat:
Conticuit tandem, factoque hìc fine quievit.

*excipit. Hìc agitatus tot procellis maris, heu! amitto patrem Anchisen, solatium omnium curarum et casuum. Hìc me deseris, ô pater optime, heu! frustrà servate à tantis periculis. Nec vates Helenus, cùm prænunciaret aspera plurima, mihi prædixerat hunc dolorem; neque ipsa Celæno. Hoc* fuit ipsi *extremum malum, hic terminus longæ navigationis. Hinc me profectum Dii applicuerunt ad vestra litora. Sic pater Æneas, solus omnibus attentis, narrabat fata à Diis* sibi imposita, *et referebat errores* suos. *Denique siluit, et hìc posito fine* secessit *ad quietem.*

## NOTÆ.

cissimus ad radices *Erycis* montis, qui nunc est mons *S. Juliani*, et *Erycis* ibidem urbis: unde diu dictus et *portus Erycinorum* sive *Drepanum:* à litoris curvaturâ in modum *falcis:* quæ Græcis est δρέπανον. Hic Amilcar Carthaginiensis oppidum condidit, Eryce urbe destructâ, anno primi belli Punici primo, U. C. circiter 480. quod oppidum nunc *Drepanum* est; sive neutro plurali, *Drepana*, vulgò *Trepani.*

Atque hìc non abs re erit observare prudentiam Virgilii, qui, cùm sciret Punici belli et conditi Drepani recentem esse memoriam, quippe nondum annis ducentis et quinquaginta distantem ab ætate suâ; cavit omnino, ne quam Æneas suus mentionem de *urbe* faceret, de *portu* tantùm et *orâ* locutus. Idem cavit in *Syracusis* omittendis: cujus urbis cùm esset maximum Romæ nomen, et celebratissima per Marcellum expugnatio; multi ejus originem noverant; sciebantque ab Archiâ Corinthiisque conditam, annis ab excidio Trojæ plùs quadringentis. In cæteris verò, quarum obscuriora initia, non veritus subtiliorum hominum supercilium, indulsit aliquid rudiorum simplicitati, plebeiis usus et notis urbium nominibus. Sic *Megaridem* et *Tapsum* passus est ab Æneâ commemorari; quamvis eâdem propriè, ac Syracusæ, ætate essent. Sic ad *Camarinæ* urbis casum alludi: quamvis annis centum ac triginta recentior Syracusis, et Syracusanorum colonia esset. Sic *Gelam* urbem laudari, annis post Syracusas quadraginta quinque conditam à Cretensibus et Rhodiis: *Agrigentum* quoque, Gelensium opus; et *Selinuntem*, Megarensium Siculorum. Quæ temporum ratio partim ex Strabone, partim ex Thucydide certissima est.

710. *Amitto Anchisen.*] Verno tempore: ut patebit Æn. 5. 46. cùm anniversarios patri ludos celebravit. De *Anchisâ*, Æn. 1. 617. De *Heleno*, Æn. 2. 269. De *Celæno* et *Harpyiis*, suprà, 211.

715. *Hinc me digressum, &c.*] E Drepani portu in vicinam Italiam solvens, tempestate ad litus Africæ rejectus est, ut vidimus, Æn. 1. Idque contigit, æstate post Trojæ excidium septimâ, ut est Æn. 1. 755. Ita ut totos annos sex jam errando consumpserit. Quanquam vix constat hæc tam longi temporis ratio: nisi dicatur per unum alterumve annum in Thraciâ, itemque in Cretâ perstitisse ad condendas urbes: neque enim videtur aliis in locis moram fecisse, nisi brevem.

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER IV.

---

### ARGUMENTUM.

*DIDO amores in Æneam suos Annæ sorori aperit: ejusque consilio animum adjicit ad nuptias. Juno, ut Æneam ab Italiâ deducat, agit cum Venere de conciliandis inter utrumque nuptiis. Æneas ac Dido venatum abeunt, subortâque Junonis artibus tempestate, confugiunt in antrum: ibidemque falsum illud infaustumque conjugium perficitur. Iarbas, Getulorum rex, Jovis Ammonis filius, Didonis procus, advenam sibi præferri indignans, apud Jovem graviter queritur. Jupiter, et ejus precibus et fatis urgentibus adductus, Mercurium ad Æneam mittit, qui eum abire in Italiam jubeat. Parat clam Æneas omnia ad navigationem necessaria; quod suspicata Dido, precibus et lachrymis deterrere eum ab incepto, tum per se, tum per sororem conatur. Æneas iterum à Mercurio in somnis admonitus, nocte intempestâ anchoras solvit. Dido doloris impatiens, exstructam simulatione sacri magici pyram conscendens, ipso Æneæ gladio sibi vitam adimit.*

*Unus hic è libris omnibus plurimum artis habet ac suavitatis, motusque animi tenerrimos quosque ac violentissimos: præsertim in octo Didonis orationibus, quibus, I. Sorori amorem aperit,* v. 9. *II. Dissuadet Æneæ profectionem,* v. 305. *III. Eidem multa exprobrat, et multa comminatur,* v. 365. *IV. Sororem adhibet apud Æneam conciliatricem,* v. 416. *V. Desperatis omnibus, specie sacri magici, moriendi consilium sorori dissimulat,* v. 478. *VI. Secum ipsa noctu varia consilia agitat,* v. 534. *VII. Fugientum Trojanorum aspectu extremùm furit,* v. 590. *VIII. Stricto ense sibi imminens in verba novissima erumpit,* v. 651. *Accusant Virgilium aliqui, quòd ex Argon. Apollonii lib. 4. multa decerpserit: quos damnat Scaliger: neque convenit argumentum, nisi hoc uno, quòd hospitem hìc Dido, illìc Medea, suum ament. At nihil admodùm, præter comparationes pauculas, inde excerptum est: qualia etiam nonnulla ex Calypsus et Ulyssis amoribus, Odyss. lib. 5. tum ex Euripidis Medeâ et Hippolyto, et Catullo carmine de Pelei nuptiis, excerpta sunt.*

### NOTÆ.

*De ætate, familiâ, moribus* Didonis, locus hic est disserendi; quæ tria constat esse à Virgilio parùm expressa fideliter.

I. DE ÆTATE. Malè Virgilius Æneam Didoni æqualem fecit, cùm sit hæc illo tribus propemodum seculis recentior: quam temporis anticipationem *anachronismum* appellant. At nuper Marollius hâc Virgilium culpâ liberare conatus est, ex fide fabulosæ historiæ: atque in ejus familiæ gradibus hunc ordinem statuit; ut caput sit generis, I. *Inachus.* II. *Io,* ejus filia. III. Ex eâ et Jove *Epaphus.* IV. Ex Epapho *Belus senior.* V. Ex Belo seniore *Agenor.* VI. Ex Agenore *Phœnix, Cadmus, Europa,* &c. Per quos familia multas in partes divisa est. Et ex Phœnice quidem ortus putatur, I. *Belus junior* sive *Methres,* et *Plisthenes.* II. Ex Belo, *Pygmalion, Elisa* sive *Dido* et *Anna.* Ex Plisthene *Acerbas;* qui *Sicharbas,* et *Sichæus* dicitur, consobrinus et conjux Didonis: iique

triplici tantùm gradu ab Agenore dissiti. Cujus ex altero filio Cadmo prodiit, I. *Polydorus.* II. Ex Polydoro *Labdacus.* III. Ex Labdaco *Laius.* IV. Ex Laio *Œdipus.* V. Ex Œdipo *Polynices* et *Eteocles.* VI. Ex Polynice *Thersandrus,* qui in equo Trojano cum aliis Græcorum ducibus inclusus dicitur. Cætera familiæ membra gradusque non attingo. Ex iis autem ipsis, quæ profert Marollius in rem suam, manifestum est Didonem, si non prætergressa est, annis centum et pluribus Trojanum esse excidium antegressam. Quî enim fiat, ut Dido, quæ tribus tantùm gradibus distat à capite generis Agenore, cadat in ætatem illius Thersandri, qui totis septem gradibus ab eodem capite distat? Quod verò addit Marollius, aliquot esse omissos in serie Didonis gradus, injuriâ temporum aut scriptorum; inde fit id ipsum quod volumus: nempe et incertam esse temporum illorum scriptorumque fidem; et statui omnino non posse, quot omissi sint gradus: an quatuor, ut ad Trojana tempora Dido perduci possit: an plures, ut, si superis placet, etiam ad Romana.

Porrò si à fabulis ad historiam appellamus: constat Didonem, Trojâ multò posteriorem, Româ paulò superiorem esse: etsi intervalla illa temporum alii aliis majora definiant. Quippe à Carthagine conditâ ad Romam conditam numerantur à Velleio anni 65. à Trogo et Justino 72. Colliguntur ex Epitome quinquagesimâ primâ T. Livii, 92. ex Solino, 129. ex aliis apud Eusebium, 140. Statuuntur autem ab exactissimis ætatis nostræ chronographis, imprimisque Labbeo, quem, quia rem adversùs Marollium accuratè defendit, secuti sumus, anni omnino 135. Cùm autem, ex Porcii Catonis exactissimis calculis apud Dionysium Halicarnasseum, Roma distet ab excidio Trojano annis 432. quos reducit Labbeus ad 431. hinc facilè patebit, subductis numeris, quanta sit ab illo excidio distantia Didonis et Carthaginis: nempe juxta nos, annorum 296. juxta veteres, aut plurium, aut paulò pauciorum. Atque hæc omnia nituntur gravissimo Josephi testimonio, qui l. 1. contra Appionem, seriem describit Tyriorum regum, ex Menandro Ephesio et exactissimis Tyriorum annalibus. Ubi consignatus est excessus Didonis è Phœniciâ, ad condendam Carthaginem, anno Pygmalionis regis septimo, qui in annum ab excidio Trojano 276. planè cadit.

At cùm doceat Appianus famâ circumferri, fundatam fuisse à Xoro et Carchedone Phœnicibus Carthaginem, annis ante excidium Trojæ, 50. et in Virgilio, Æn. 1. v. 421. legamus de Carthagine: *Miratur molem Æneas magalia quondam;* tum, v. 370. *Ingentia cernes Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem, Mercatique solum facti de nomine Byrsam, &c.* Ex iis colligi posse existimo: Carthaginis quidem *magalia,* casasque et initia quædam, annis ante excidium Trojæ 50. à Phœnicibus Xoro et Carchedone posita esse. Tum annis ab excidio Trojæ 276. fugisse Didonem è Phœniciâ; eòque fugam intendisse, ubi multis antè annis aliquos è Phœnicibus sedem posuisse audierat; hanc sedem avectis è patriâ opibus munivisse; et ad magalia adjecisse arcem, quæ inde *Byrsa* dicta est; à *bosra* voce Hebraicâ, quæ *munitum locum* significat; quam deinde vocem Græci, ob similitudinem, fabulis et *corio* suo bubulo deformârunt. Est enim apud Græcos *βύρσα, corium.* Sic arce munitâ vetus Carthago, nova facta est; concurrente cum antiquo fundatoris nomine Phœniciâ voce *Carthada,* quæ juxta Solinum c. 30. *civitatem novam* significat. Atque ita Carthago perfecta est, anno post fugam Didonis 20. qui Pygmalionis 27. à Trojâ captâ 296. ante Romam 135. ante Christum, 888. mundi 3166.

II. DE FAMILIA. A Josepho, ex certissimis monumentis Tyriorum, pater ponitur Didonis, Annæ, et Pygmalionis *Metginus:* qui vocatur à Theophilo Antiocheno *Metten:* avus *Badezorus:* proavus *Ithobalus,* sacris in literis, *Ethbaal* nuncupatus; qui, occiso rege *Phele,* regnum in familiam transtulit suam ex antiquâ *Abibali, Hirami,* et *Baleasari* familiâ.

Ex his conjicio Virgilium historiæ Phœniciæ parùm scientem, ut Didonem retrò ad usque Trojæ tempora removeret, è Græcorum fabulis antiqua nomina petiisse: vel, si Phœnicum literas attigerat, nominum asperitate deterritum, ea mollioribus elementis leniisse. Sic *Beli* nomen et patri Didonis, et uni ex ejus majoribus dedit: haud dubiè detruncatum, ex *Abibalo, Baleasaro, Ithobalo.* Tum *Acerbam* seu *Sicharbam,* in *Sichæum* mollivit. Servius *Methrem* suum, quem ipsum esse Belum putat Didonis patrem, et *Metgino* seu *Mettene,* vero Didonis patre, deformavit. Porrò *Anna, Elisa,* et *Dido,* Phœnicum vocabula sunt. Anna enim est, *gratiosa:* Elisa, *fortitudo viri,* seu *virago:* Dido, *dilecta.* Dubium autem est, utrum huic reginæ nomen priùs inditum fuerit. Si consulantur interpretes, prius nomen Elisæ: si vocis significatio, Didonis prius fuit; et ex facti audaciâ, Elisæ posterius.

III. DE MORIBUS. Graviter quidem querentem de Virgilio Didonem inducit Ausonius, Epigr. 111. quòd eam impudici amoris impatientiâ ac dolore mortem oppetiisse cecinerit, contra fidem historiæ: quæ rogum eam conscendisse testatur, ne datam Sichæo primo conjugi fidem, novis cum Iarbâ Getuliæ rege nuptiis, violaret. Atque eâ quidem in re peccâsse graviùs Virgilium puto, si peccavit, quàm in illâ mutatione temporum.

Statuo itaque scientem ac volentem in hunc utrumque errorem lapsum esse Virgilium: eo consilio, ut Punicis bellis, quibus nihil erat in historiâ Romanâ illustrius, in Poëmate etiam suo locum daret; mutuique inter utramque gentem odii causam aliquam afferret. Quâ tamen in re non eum puto à poëticæ legibus recessisse. Quanquam enim per eas cautum est, ne poëta temporum ordinem temerè intervertat, in re notâ præsertim atque insigni; tum, ne quem nisi suis moribus coloribusque depingat: lex tamen est omnium prima, *pla-*

*cere.* Quod si assequi speravit posse Virgilius apud suos, illâ deformatione temporum atque morum (et verò assecutus est) omnino poëtæ maximi partes implevit. Est autem certè assecutus, siquidem Ovidius paulò pòst, hos Didonis amores transferre non dubitavit in Met. l. 14. 77. Idemque testatur, Trist. 2. 1. *535.*

*Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,*
*Quam non legitimo fœdere junctus amor.*

At regina gravi jamdudum saucia curâ,
Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbeâ lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cùm sic unanimem alloquitur malè sana sororem:
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens! quàm forti pectore et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæsum thalami tædæque fuisset;
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi

INTERPRETATIO.

*Regina autem, jamdiu vulnerata gravi solicitudine, fovet plagam in venis, et absumitur occulto igne. Multæ virtutes Æneæ, et multa gloria* ejus *redit in mentem: vultus* ejus *et sermo hærent impressi animo, et hæc cura non permittit tranquillam quietem corpori. Postera Aurora illustrabat terras luce Solis, et expulerat è cœlo humidas tenebras; cùm sic malè sana loquitur ad concordem sororem: Anna soror, quæ insomnia terrent me dubiam? quis hic novus hospes venit in regionem nostram? ô qualem se specie exhibens! quàm generosis animis et factis! Certè credo hunc esse prolem Deorum. Nec temerè credo: metus prodit animos ignobiles. Heu! quibus fatis fuit ille agitatus! quæ bella confecta narrabat! Si non maneret mihi constitutum et immutabile* id propositum, *ut nolim me ulli conjungere* per *nexum conjugalem, ex quo primus amor fefellit me deceptam morte* Sichæi: *si non tæderet me lecti et facis: fortassè possem cadere in hoc solum delictum. Nam fatebor, ô Anna, post mortem miseri mariti Sichæi,*

NOTÆ.

1. *At regina.*] Pendet hoc initium ex ultimo libri tertii versu: Æneas *conticuit tandem, factoque hìc fine quievit: At regina,* ex quo ipsum audivit, amore saucia non quievit, &c.

2. *Vulnus alit, &c.*] Hìc videtur Amor solito habitu depingi: cæcus, sagittis et face armatus: sagittis *vulnus* intulit, face *ignem* accendit, cæcus *cæco* igne carpsit.

3. *Multa viri virtus, &c.*] Quatuor amoris causæ. Virtus; *multa viri virtus.* Nobilitas; *gentis honos.* Pulchritudo; *infixi pectore vultus.* Eloquentia; *verbaque.* Quas easdem causas iterum enumerat, v. 10.

6. *Phœbeâ lampade.*] Tapinosis, sive rei magnæ expositio humilior, *Solis,* per *lampade;* similis huic, quâ *mare* appellat *gurgitem,* Æn. 1. 118. Imò ausus est dicere Lucret. l. 6. 1196. *Aut etiam nonâ reddebant lampade vitam;* pro *nonâ die.*

9. *Anna soror, quæ me, &c.*] Oratio planè ad ejus ingenium conformata, quæ primùm è severis moribus ad amorem deflectit. Quatuor habet partes. I. Admiratur Æneæ pulchritudinem, virtutem, nobilitatem, res præclarè gestas. II. Proponit sibi causas, quæ ab ejus amore animum avertat; nempe viduitatis propositum, primi conjugii calamitates, voluptatum fastidium. III. Fatetur tamen sensus suos, non animum, aliquatenus inflexos. IV. Denique alienam ab amore voluntatem æternam fore pollicetur. Quod tamen propositum invito animo fieri testantur effusæ in sinum lacrymæ.

*Insomnia.*] Ἐνύπνια, ea quæ in somnis apparent, somnia, simulacra.

17. *Deceptam morte.*] Primò nupserat Sichæo, qui à Pygmalione Didonis fratre occisus fuerat, Æn. 1. 343.

18. *Tædæque.*] Facis è *tædâ* arbore, è picearum genere: pro nuptiis sumitur; quia præferebatur novæ uxori, in mariti domum deducendæ. De illo more nuptiali, Ecl. 8. 29.

19. *Culpæ.*] Quia secundæ nuptiæ adjunctam infamiæ notam habuerunt, propter suspicionem intemperantiæ: unde, juxta Servium, apud Romanos repellebantur à sacerdotio bis nuptæ; juxta Tacitum, apud Germanos secundæ nuptiæ lege prohibebantur.

Conjugis, et sparsos fraternâ cæde penates;
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit: agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat;
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi noctemque profundam,
Antè pudor quàm te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulchro.
Sic effata, sinum lacrymis implevit obortis.
  Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Soláne perpetuâ mœrens carpêre juventâ?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia nôris?
Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti:
Non Libyæ, non antè Tyro: despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis

*et Deos infectos cæde à fratre* factâ; *solus Æneas movit sensus meos, et impulit animum vacillantem; animadverto signa veteris amoris. Sed cupio ut vel terra intima mihi antè aperiatur; vel Pater omnipotens fulmine demittat me ad umbras, pallidas umbras inferorum et noctem profundam: antequam te lædam, ô pudicitia, et frangam tua jura. Ille* Sichæus, *qui me primus sociavit sibi, abstulit meos amores: ille habeat* eos *secum, et servet* in *tumulo. Sic locuta implevit gremium lacrymis erumpentibus. Anna respondet: O* soror *chara sorori magis quàm vita, an sola consumeris dolens per totam juventutem? nec experieris jucundos liberos, nec dona Veneris? Putasne cinerem aut umbras sepultas id curare? Ita sit: nulli proci anteà commoverunt dolentem* te; *nec in Libyâ, nec priùs Tyri: contemptus* est à te *Iarbas, aliique duces, quos regio Africana abundans victoriis*

## NOTÆ.

21. *Penates.*] Vel pro domo sumuntur; vel potiùs pro Diis ipsis domesticis, nam Æn. 1. 349. occisus est Sichæus *ante aras.* De *Penatibus,* Æn. 2. 717.

*Fraternâ cæde.*] Non quâ frater occisus est; sed quâ Sichæus vir Didonis à Pygmalione, Tyri rege, occisus est.

23. *Veteris vestigia flammæ.*] Sensus duplex esse potest. Primus obvius: *Agnosco vestigia veteris amoris in Sichæum, qui me ab Æneæ amore deterret.* Secundus abstrusior, at convenientior est: *Agnosco vestigia conjugalis amoris, quo primùm olim in Sichæum, nunc iterum in Æneam feror.* De *Erebo,* pro inferis, Geor. 4. 471.

27. *Antè pudor, quàm, &c.*] Redundat illud *antè.* Sic enim est, *tellus priùs ima dehiscat, antè pudor quàm te violo.* Sic apud Sallustium in Catilinâ: *Priusquam legiones scriberentur, multa antè capere.*

*Violo, resolvo.*] Hæc est antiqua lectio, quam Apronianus et MSS. plurimi confirmant; cùm vulgò legatur *violem, resolvam.*

31. *O luce magis dilecta, &c.*] Annæ oratio, animum eò, quò propensum videt, scitè impellentis, duas habet partes. I. Persuadet nuptias, 1. à delectabili, ut aiunt: cui addit posthabendam esse memoriam Sichæi, cùm nullus insit sensus mortuis: posthabendum quoque propositum viduitatis, quæ ideò tantum chara fuit, quia nullus procorum charior. 2. Ab utili: ad defensionem et gloriam novæ urbis ac gentis, cui hanc à Diis opem præstitam putat. II. Modum assignat perficiendi consilii, sacrificia, moram hospitis, &c.

32. *Mœrens carpere juventâ.*] Translatio est à floribus, qui *carpuntur* manu, atque ita deflorescunt quasi dicat: *Soláne totâ juventâ tristis consumeris ac defloresces?*

36. *Libyæ.*] Aliquando pro totâ Africâ sumitur: hìc pro parte Africæ, quæ Ægyptum proximè attingit, Geor. 1. 241. De *Tyro,* Æn. 1. 12.

*Non Libyæ, non antè Tyro.*] Aliqui nullâ interpunctione, continuo ordine, sic legunt: *Non Libyæ, non antè Tyro despectus Iarbas;* ut sensus sit Iarbam et in Lybiâ despectum fuisse à Didone, et priùs Tyri. Sed cum nullâ auctoritate constet Didonem, ante adventum in Libyam, ab Iarbâ petitam fuisse: utor interpunctione solertiorum interpretum, unde sensum istum elicio: Didonem, ut in Libyâ, sic Tyri multos despexisse procos. Nec verò mirum est *Libyæ* dictum esse pro *in Libyâ;* et *Tyro,* sive *in Tyro,* pro *Tyri:* siquidem dixit Cicero, *Siciliæ cùm essem;* et *in Alexandriâ;* pro *in Siciliâ,* et *Alexandriæ.*

*Iarbas.*] Jovis et Garamantidis Nymphæ filius, aut Maurusiorum, aut Maxitanorum, aut Getulorum, fortassè totius Africani litoris, rex: cùm dicatur deinde, v. 198. filius Ammonis Jovis, qui est in extremâ orientali parte, juxta Ægyptum. Is cùm fraude bovini corii deceptus, Carthaginem à Didone structam videret, ejus nuptias sub belli denunciatione petiit: ad quas cùm cives repugnantem adigerent, trium mensium petito spatio, pyrâ, in ultimâ urbis parte exstructâ, veluti placatura viri prioris manes, multis hostiis cæsis pyram conscendit: atque ita ad populum respiciens; ituram se ad virum, sicut præceperant, dixit, vitamque gladio finivit. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Deâ culta est. Ita ferè Justinus lib. 18. 6. et alii.

37. *Africa terra, &c.*] Africana. Sic Tibullus l. 9. 33. *Terra Campania:* Catullus 40. 21. *Terra Celtiberia.* De *Africâ,* Ecl. 1. 65.

Dives alit: placitóne etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum consederis arvis?
Hinc Getulæ urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, et inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, latéque furentes
Barcæi. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dîs equidem auspicibus reor, et Junone secundâ,
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modò posce Deos veniam, sacrisque litatis,
Indulge hospitio, causasque innecte morandi:
Dum pelago desævit hyems, et aquosus Orion;
Quassatæque rates, et non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes

*nutrit: an etiam resistes grato amori? Nec venit* tibi *in mentem, quorum in agris consisteris? Hinc urbes Getulæ, gens bello insuperabilis, et Numidæ indomiti, et Syrtis inhospitalis* nos *cingunt: hinc regio siccitate solitaria, et Barcæi furiosi. Quid dicam* de *bellis imminentibus* ab urbe *Tyro, et* de *minis fratris? Certè existimo naves Iliacas Diis auctoribus, et Junone propitiâ, huc vento direxisse cursum. Quantam tu videbis hanc urbem, ô soror! qualia regna crescere, tali connubio! quantis factis eriget se Pænorum gloria, adjuvantibus armis Trojanorum! Tantummodo tu pete à Diis favorem, et sacrificiis perfectis, protrahe* tempus *hospitii, et suggere* iis *causas manendi: dum hyems et pluvius Orion furit mari; et naves fractæ* erunt, *et aër* erit *intolerabilis. His verbis incendit amore animum* jam *ardentem, et spem attulit menti incertæ, et abstulit verecundiam. Primò petunt templa, et ad altaria petunt favorem* Deorum: *immolant juxta ritum oves selectas*

NOTÆ.

38. *Pugnabis amori.*] Verba contentionis junguntur sæpe dativo casui, Ecl. 5. 8. *Tibi certet Amyntas.* Geor. 2. 99. *Cui non certaverit ulla, &c.*

40. *Getulæ urbes, &c.*] *Getuli* ad meridiem Carthaginis siti erant: *Numidæ* ad occidentem, qui et *Nomades*, ob feram ac pastoralem vitam, est enim νομὴ, *pastus. Syrtis* utraque, major et minor, Libyci maris sinus, arenarum aggestionibus infesti, ad orientem: de iis, Æn. 1. 111. *Barcæi*, sive Barcitæ; ultra Syrtes, ad orientem majoris: nunc regnum *Barca.*

44. *Germanique minas.*] Testatur Justinus, Pygmalionem Tyri regem, cognitâ sororis fugâ, impio bello persequi fugientem paravisse: sed matris precibus et Deorum minis victum quievisse.

45. *Junone secundâ.*] Quæ et præses est nuptiarum, et Pœnorum custos, Æn. 1. 15. et infra v. 59.

50. *Veniam.*] Vel reipsâ *veniam*, quia conjugii desiderium vocavit *culpam*, v. 19. Vel *favorem*, quia sæpe *venia* significat, Æn. 1. 519.

*Sacris litatis.*] Non factis tantùm, sed feliciter factis; hoc enim est *litare*, ut diximus, Æn. 2. 116. Et jam addo locum è Cicerone de Divin. 2. 38. *Quid? cùm pluribus Diis immolatur: qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur?* Dictum est autem *litare sacra*, ut à Propert. l. 4. 1. 24. *Litare exta;* Suetonio *litare victimas.*

52. *Desævit.*] Duo significat: et *valdè sævit*, et *sævire cessat.* Cerdanus affirmat semper cessationem significare: nullumque exemplum esse, quod non explicet hunc in modum. Hoc ergo explicet ex Æn. 10. 569. *Sic toto Æneas desævit in æquore victor, ut semel intepuit mucro:* ubi certè affirmat augetque, non minuit. At minuit et cessationem notat apud Lucanum 5. 303. *Nec, dum desæviat ira, expectat.* Hìc affirmat, siquidem affirmant cætera: *Quassatæque rates, et non tractabile cœlum.* Porrò certissimum puto, tempus præsens hìc positum esse pro futuro: *desævit*, pro *desæviet:* hoc sensu: *detine hic Æneam quamdiu sæviet hyems.* Patet enim ex v. 6. hoc institutum inter Annam Didonemque colloquium, postridie quàm Æneas advenerat: tunc autem æstas fuit, ut probavimus, Æn. 1. 535. de Orione. Firmabit interpretationem meam geminus versus, alter ex hoc eodem libro v. 121. *Dum trepidant alæ*, id est *trepidabunt:* alter è Geor. l. 4. v. 84. *Dum gravis aut hos, aut hos versa fugâ victor dare terga coëgit*, id est, *dum cogat, donec coëgerit.* De *Orione*, Æn. 3. 517. Æn. 1. 535.

56. *Delubra.*] Templa: de iis, Æn. 2. 225.

57. *Bidentes.*] Oves Gellius disputat ita dici, quasi *biennes*, duorum annorum. Festus, quòd inferiores ac superiores haberent dentes, unde et *ambidentes* etiam vocabantur, quasi utrinque dentatæ. Isidorus, quòd inter dentes octo *binos* haberent cæteris eminentiores. Tales autem oves exigebantur ad sacrificia.

Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo:
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora Deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.
Heu, vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? est mollis flamma medullas
Intereà, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totâque vagatur
Urbe furens. Qualis conjectâ cerva sagittâ,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fugâ sylvas saltusque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.
  Nunc media Æneam secum per mœnia ducit:
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam.
Incipit effari, mediâque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit:
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Pòst, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:

*Cereri legum inventrici, et Phœbo, et Baccho patri: præ omnibus Junoni, cui curæ sunt nexus conjugales. Ipsa formosissima Dido tenens* manu *dexterâ pateram, fundit* vinum *inter media cornua vaccæ candidæ: aut incedit circa pinguia altaria ante imagines Deorum, et renovat sacrificia* per *diem, et intenta pectoribus victimarum apertis consulit viscera* earum *palpitantia. Heu, ignaræ mentes vatum! quid vota, quid templa prosunt amanti? interim gratus ignis absumit medullas, et occulta plaga durat sub corde. Uritur misera Dido, et insana errat* per *totam urbem. Qualis cerva* post *conjectam sagittam, quam pastor persequens armis perfodit improvidam procul in sylvis Creticis, et reliquit ignarus volatile ferrum* in vulnere; *illa* cerva *percurrit fugiens sylvas et saltus Dictæos; mortifera sagitta hæret lateri.* Dido *nunc ducit Æneam secum per media munimenta: et ostentat Tyrias divitias, et urbem paratam. Incipit loqui, et hæret in mediâ voce. Nunc die occidente repetit easdem epulas: et insana postulat rursus audire Trojanos casus, et suspensa est rursus ab ore narrantis. Deinde, cùm exierunt, et vicissim Luna obscurior subducit lucem* suam, *et stellæ decedentes cogunt ad somnum:*

## NOTÆ.

58. *Legiferæ Cereri.*] Ceres Saturni et Opis filia, Proserpinæ mater ex Jove; quæ fruges et culturam agrorum invenit; ideóque jura et leges, quæ de agrorum divisione natæ sunt: unde sacra ejus apud Athenienses Θεσμοφόρια appellabantur, à Θεσμὸς, *lex*, et φέρω, *fero*. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. De *Lyæo*, Baccho, Geor. 2. 229.

59. *Junoni, &c.*] Hæc Saturni et Opis filia, Jovis et soror et conjux: quia nuptiis præerat: ideò Græcis dicebatur Ζυγία, Romanis *Juga* à *jugo*, sive à *jungendis* conjugibus: nam in nuptiis, si Servio et Isidoro fides est, in symbolum conjunctionis, jugum reipsâ imponebatur contrahentibus: si aliis credimus, vittâ tantùm sive tæniâ simul ambo ligabantur.

61. *Candentis vaccæ.*] Allusum putat Nascimbænus ad legem Numæ Romanorum regis, quam refert Plutarchus: ne mulieres ab obitu conjugis ad usque menses decem nuptias repeterent: quæ autem infra id tempus vellent repetere, vaccam prægnantem sacrificarent. Illa porrò vini effusio, *libatio est*, Æn. 1. 736.

62. *Spatiatur ad aras.*] Etiam more Romano, matronæ ante aras, faculas tenentes, et gestu gravi, saltationemque severam imitantes, movebantur et ferebantur: quod Horatium intellexisse puto, cùm in Arte scribit: *Ut festis matrona moveri jussa diebus.* Hæc Turnebus, l. 23. 3.

63. *Instaurat.*] Frequenter repetit ac renovat sacrificia. Verbum in eâ re solenne.

64. *Spirantia consulit exta.*] *Extispicium* est: quo *exta*, id est victimarum interiora quæ maximè *extant*, cor, pulmo, lien, jecur, celeriter extrahuntur; et adhuc spirantia ac palpitantia inspiciuntur, antequam frigescant, habeturque inde futuri cognitio.

70. *Cressia.*] Cretica, in Cretâ insulâ, *Candie*, de quâ Æn. 3. 104. cujus in parte orientali mons est *Dicte*.

81. *Suadentque cadentia sidera somnos.*] Non initium noctis ut vulgò putatur, sed exitum intellige, ut et Æn. 2. 9. Duo enim hìc distinguit tempora: unum, quo Dido repetit convivia, scilicet *labente die;* et hoc est initium noctis: alterum, quo mœret domo vacuâ, nempe cùm *vicissim luna premit lumen;* et hic exitus noctis. Nec te decipiat, quòd dicantur tunc *suadere cadentia sidera somnos*, quod videtur in initium noctis aptiùs convenire: imò planè in exitum convenit; tunc enim propriè *cadunt sidera*, noctis initio *surgunt:* tunc etiam somnus mollior et facilior, et iis qui noctu vigilavere, omnino necessarius est.

Sola domo mœret vacuâ, stratisque relictis
Incubat: illum absens absentem auditque videtque:
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
  Quam simul ac tali persensit peste teneri
Chara Jovis conjux, nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam verò laudem et spolia ampla refertis,
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile nomen:
Una dolo Divûm si fœmina victa duorum est!
Nec me adeò fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quò nunc certamine tanto?
Quin potiùs pacem æternam pactosque hymenæos
Exercemus? habes, totâ quod mente petîsti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis: liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.
  Olli (sensit enim simulatâ mente locutam,

*sola dolet* in *domo vacuâ, et incumbit lecto relicto* ab Æneâ: *aspicit auditque absens absentem illum: aut tenet* in *sinu Ascanium, capta similitudine patris* ejus; ut videat *an possit fallere amorem infandum. Turres inceptæ non attolluntur, juventus non exercetur armis, nec præparat portus et tuta munimenta ad bellum: opera manent interrupta, et eminentiæ magnæ murorum, et machinæ eductæ* ad *cœlum. Statim atque dilecta uxor Jovis cognovit hanc tali veneno imbutam* esse, *nec famam obsistere* ejus *insaniæ, Juno compellat Venerem talibus verbis: Nempe reportatis pulchram laudem, et magna spolia, et tu, et filius tuus; magnam et memorabilem gloriam, quòd una mulier superata sit fraude duorum Deorum. Nec verò me latet, te timuisse nostros muros et suspectas habuisse domos Carthaginis altæ. Sed quis erit finis? aut quò jam* tendimus *tantâ contentione? Quin potiùs facimus pacem æternam et firmas nuptias? obtines quod quæsivisti toto animo: uritur amans Dido, et hausit per ossa amorem. Gubernemus igitur hanc gentem communem, et æquali potestate: liceat obedire Phrygio marito, et tradere in manum tuam Tyrios* quasi *dotem. Contrà Venus sìc cœpit* loqui *illi: nam agnovit* illam *locutam esse ficto consilio,*

NOTÆ.

82. *Vacuâ.*] Silente, cæteris ad somnum digressis.

*Stratis relictis.*] Lectis, non *conjugalibus*, nondum enim conjugium coaluerat; sed *epularibus*, qualis ille de quo Æn. 2. 2. *Inde toro pater Æneas, &c.*

85. *Si fallere possit amantem.*] Eâdem formâ, Æn. 6. 78. *Magnum si pectore possit Excussisse Deum.*

88. *Minæ Murorum.*] Contendunt cum Turnebo plerique omnes *minas* esse partes altissimas murorum, pinnas fenestratas: vel quia inde propugnatores hostibus *minantur*, juxta Turnebum; vel quia partes illæ maximè *eminent*, juxta Hortensium. Sed quia id auctoritatibus firmant sequioris sæculi scriptorum, Rufini, Ammiani: vix fidem habeo: suspicorque *minas* dici, non de muris tantùm, sed etiam de celsis quibuslibet acervis ac molibus imperfectis, quæ ruinam videntur *minari*, aut certè ipso aspectu terrent. Juvant conjecturam hìc, *opera imperfecta.*

89. *Machina.*] Sunt qui pro ædificiis sumant: ego pro machinis illis, quæ ad subvehendos lapides, attollendamque molem ædificii eriguntur.

91. *Nec famam obstare furori.*] Nec famæ curam ac studium obstare amori ardentissimo, qui sæpe in furorem accenditur. *Saturnia*, Juno, Saturni et Opis filia. De *Venere*, Æn. 1, 256. De ejus puero Cupidine, Æn. 1. 657.

96. *Veritam te mœnia nostra.*] Et verò Venus, Æn. 1. 671. ideò sub Ascanii habitu Cupidinem Didoni obtulit, qui eam in amorem Æneæ illiceret: ne Juno, Carthagini propitia, Trojanis infesta, hoc hospitio adversùs eos abuteretur: *Vereor quò se Junonia vertant Hospitia.* De *Hymenæo* Deo, pro nuptiis, Geor. 3. 60.

102. *Paribus Auspiciis.*] Translata dictio è comitiis, ubi creabantur consules captato pariter volatu avium, quod propriè *auspicium* est.

103. *Liceat Phrygio servire marito, &c.*] *Liceat*, me ac Didonem; Deam nempe, Reginamque, servire *Phrygio*, id est exuli et servo; quod acerbè ac malignè dictum est: erant enim Phryges Trojani tum exules, et universim tota gens notâ servitutis aliquâ infamis: ex eâ enim servi ac mancipia vulgò petebantur, ut notat Athenæus, et passim apud scriptores videre est. De *Phrygiâ*, Æn. 1. 381.

104. *Dotalesque.*] *Dos*, est patrimonium uxoris, et quicquid viro cum uxore datur.

Quò regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contrà est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modò, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Jupiter unam
Esse velit Tyriis urbem, Trojâque profectis;
Misceri ve probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge, sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor: nunc quâ ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Æneas, unâque miserrima Dido,
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixtâ grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opacâ.
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem
Devenient: adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adversata, petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.

*ut abduceret imperium* ab *Italiâ ad Africanam terram: Quis stultus recuset talia? aut malit tecum disceptare bello? dummodo sors promoveat consilium quod suggeris. Sed fatis rapior dubia: utrùm Jupiter velit eandem urbem esse Tyriis, et* iis qui *venerunt Trojâ: aut approbet confundi nationes, aut nuptias sociari. Tu es* ejus *uxor: tibi facile* est *solicitare precibus mentem* ejus. *Perge, sequar. Tum sic respondit Juno regina: Mea erit illa cura: jam attende, paucis* verbis *explicabo, quo modo* id *quod imminet, possit perfici. Æneas et miserrima Dido parant ire venatum in sylvam, quando Sol crastinus primò extulerit* se *orientem, et luce detexerit mundum. Ego, dum equites current, et claudent sylvas retibus, desuper immittam obscuram nubem mixtâ grandine, et commovebo fulmine totum aërem. Dispergentur comites, et occultabuntur densis tenebris. Dido et dux Trojanus pervenient* ad *idem antrum: præsens ero, et, si tuus consensus mihi certus est, sociabo* illam *firmo conjugio et addicam* Æneæ *propriam. Hic erit Hymen. Non obsistens petenti Venus annuit, et risit* ob *fraudem repertam* à Junone.

## NOTÆ.

106. *Quò regnum Italiæ, &c.*] Æn. 1. 19. *Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces: Hinc populum latè regem —— venturum:* nempe Romanum, Italum: cujus parentem Æneam ideò mari Juno insequebatur, ejeceratque vi tempestatis ad litus Africæ; ut eum à fundando in Italiâ regno averteret, ac debitum ejus fatis orbis imperium in Africâ stabiliret.

110. *Fatis incerta feror: si.*] Pro *an:* ita ferè, v. 85. *Si fallere possit amantem;* id est, ut videat *an fallere possit amantem.*

116. *Confieri.*] Balbus Ciceroni, in Epist. ad Atticum l. 9. 10. *Ut per te res tota confieret.* Cæsar, de bello Gall. 1. 7. *Posteaquam id difficiliùs confieri animadvertit.*

119. *Titan.*] Solis nomen. Refert Gyraldus ex antiquis fabularum auctoribus, *Titeam,* quæ *Terra* dicta etiam est, è *Cœlo* genuisse *Titanas,* quorum unus fuit *Hyperion,* qui ex sorore *Basilea* suscepit *Solem* et *Lunam.* Unde Sol *Titan* dictus est gentili nomine. Omnia quippe incerta in fabulis.

121. *Trepidant alæ.*] *Trepidant:* non semper est, *timent,* sed aliquando *festinant,* ut hìc, et Æn. 9. 114. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves, neve armate manus:* id est, *ne festinate,* prohibet enim defendi. *Alæ.* Idem sunt in equestri, quod in acie pedestri *cornua:* sic dictæ, quia equestres turmæ pedestres copias quasi *alis* tegunt. Et venatorum species quatuor profert Joannes Scoppa è veteri fragmento, *investigatores, indicatores, insidiatores,* et *alatos,* qui equo feras in casses urgent.

*Indagine cingunt.*] *Indago,* juxta Servium, est ipsa ferarum inquisitio. Juxta Hortensium, sunt canes ferarum indagatores atque inquisitores. Juxta Badæum, quem sequuntur plerique omnes, est retium ac plagarum series in perticas sublata captandis feris. Facit pro Budæo quòd *indago,* ut plurimùm, jungitur cum verbis *cingendi, includendi.* Facit pro Hortensio, nomen ipsum, *indaginis,* quod in canes meliùs cadit; tum illud G. 1. 140. *Canibus circumdare saltus:* tum istud è Livio. l. 7. *Cùm præmissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret;* quod canibus longè convenientius est. Hinc suspensus hæreo de utroque quid statuam.

*Trepidant — cingunt.*] Certè hìc tempus præsens est pro futuro: quod jam notavimus, v. 52.

127. *Hymenæus.*] Deus nuptiarum præses, G. 3. 60. *Cytherea,* Venus, Æn. 1. 257. *Aurora,* G. 1. 249.

*Interim Aurora surgens deseruit Oceanum. Luce ortâ juventus electa exit è portis.* Adsunt *retia subtilia, plagæ, hastilia latâ cuspide, et equites Massyli, et virtus odoratrix canum, erumpunt. Primi Carthaginiensium expectant ad portas reginam tardantem in cubiculo: statque equus ornatus auro et purpurâ, et acer mandit frænum spumans. Denique procedit comitante magnâ turbâ, cincta versicolore institâ* circa *Tyriam chlamydem: huic pharetra* est *aurea, capilli colliguntur in* nodum *aureum, aurea fibula coërcet vestem purpuream. Nec non et Trojani comites et lætus Ascanius eunt quoque; Æneas ipse formosissimus aliis omnibus addit se socium, et adjungit* suas *turmas. Qualis* est *Apollo, quando frigidam Lyciam flumenque Xanthum relinquit, ac petit Delum* insulam *matris, et renovat choreas, et mixti Cretenses, Dryopesque, pictique Agathyrsi lætantur circa aras:*

Oceanum intereà surgens Aurora reliquit.
It portis jubare exorto delecta juventus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro;
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac fræna ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magnâ stipante catervâ,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Necnon et Phrygii comites, et lætus Iülus,
Incedunt: ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:

## NOTÆ.

130. *Jubare exorto.*] Primum diluculum notat: nam *Jubar*, juxta Varronem, lib. 6. de L. L. *dicitur stella Lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, ut leo in capite jubam;* A quibusdam etiam pro Sole sumitur: et generatim pro rerum quarumlibet splendore: Stat. Theb. 9. 699. *Et pictum gemmis galeæ jubar.*

131. *Retia, plagæ, &c.*] Venatoria instrumenta. *Retia rara*, casses minùs denso filo contexti. *Plagæ*, vel majora retia, juxta Turnebum: vel, juxta Servium, funes quibus retia tenduntur circa imam summamque partem. *Venabula*, tela sive hastæ breviores, ferro latiore.

132. *Odora canum vis.*] *Odoratrix*, nam *odora* propriè est, quæ odorem ex se emittit; *odoratrix* verò, quæ percipit.

*Canum vis.*] Vel *copia et multitudo:* ut apud Cicer. de Arusp. responsis, 22. *Vis innumerabilis servorum.* Vel *facultas odorandi;* ut apud eundem, de Divin. 2. 35. *vis cordis ad vivendum;* et 37. *vis quædam sentiens.* Vel *canes ipsi:* Græco more, ut Homerus dixit Iliad. 3. 105. Πριάμοιο βίην, *Priami vim*, pro ipso *Priamo.*

*Massyli.*] Gens Africana, admodùm incerti sitûs; à Virgilio ponitur ad occidentem Carthaginis, nempe ad oceani fines, ut videbitur, v. 483.

133. *Cunctantem.*] Scilicet placendi studio, ex iis fuit mulieribus, de quibus Terent. Heaut. A. 2. S. 2. 11. *Dum comuntur annus est.* De *ostro*, purpurâ, G. 2. 506.

137. *Sidoniam chlamyden picto limbo.*] *Sidoniam*, explico purpuream à Sidone, urbe Phœniciæ, vicinâ Tyro, unde purpura celebris, G. 2. 506. *Picto*, interpretor, diversi à purpurâ coloris, fortassè aurei. *Limbo*, institâ, in extremâ orâ chlamydis. *Chlamydem*, vestem militarem ac venatoriam, thoraci superpositam, *casaque*, A LOOSE GOWN OR COAT.

138. *In aurum.*] Vel in reticulum aurei contextûs implexi crines: vel crines ipsi flavi coloris in aurei nodi formam ligati. De *Phrygiâ*, Asiæ regione, unde Trojani erant, Æn. 1. 381. De *Iülo*, Ascanio, ibid. 271.

143. *Qualis ubi, &c.*] Comparaverat Virgilius, Æn. 1. 498. Didonem cum Dianâ: nunc Æneam cum fratre Dianæ Apolline. Et aliquantùm expressa res est ex duobus Appollonii locis, Argon. 1. 1. Solennis autem erat opinio, Deos certis anni temporibus commutare sedes: aitque Servius constare, sex hybernis mensibus Apollinem apud Pataram Lyciæ urbem oracula reddere; sex æstivis apud Delum Ægei maris insulam. *Lycia*, regio est Asiæ minoris, ad meridiem maritima urbs ibi *Patara* fuit, nunc *Patera*, Apollinis templo quondam insignis, et Xanthus fluvius et urbs, nunc *Santo.*

144. *Delum maternam.*] Quia in eâ Ægæi maris insulâ Dianam et Apollinem Latona è Jove peperit, Æn. 3. 74. et 77.

146. *Cretesque, Dryopesque, &c.*] Confluentes ad oraculum Delium undecunque populi. *Cretes* ex insulâ Cretâ, *Candie*, Æn. 3. 104. *Dryopes*, ex Strabone, l. 9. fuerunt in Peloponneso: eò transvecti, vel à Dryope Arcade, cùm anteà circa Sperchium Thessaliæ fluvium habitarent; vel ab Hercule ejecti è Doride,

Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra:
Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrêre jugis: aliâ de parte patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fugâ glomerant, montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: jamque hos cursu, jam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
  Intereà magno misceri murmure cœlum
Incipit: insequitur commixtâ grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere: ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux et Trojanus, eandem
Deveniunt: prima et Tellus et pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes et conscius æther
Connubiis, summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti, primusque malorum
Causa fuit: neque enim specie famâve movetur,

*ipse incedit in cacuminibus Cynthi, et componens effusos capillos cingit tenerâ coronâ, involvitque auro: sagittæ sonant ad humeros. Non deformior illo Æneas incedebat, tanta pulchritudo elucet* in *eximio vultu. Postquam perventum est ad altos montes et cubilia* ferarum *inaccessa; ecce capræ sylvestres emissæ è cacumine rupis decurrerunt per colles: ex aliâ parte cervi prætereunt cursu campos apertos, et fugiendo colligunt se in greges pulverulentos, ac deserunt montes. At juvenis Ascanius per medias valles exultat* in *equo generoso: et jam hos jam illos anteit cursu, cupitque concedi votis* suis *aprum spumantem inter pigros* illos *greges, aut rufum leonem descendere è monte. Interim cœlum incipit turbari magno tumultu: succedit nubes mixtâ grandine. Passim et comites Carthaginenses, et juventus Trojana, et Trojanus nepos Veneris, hinc inde per agros quæsiverunt dispersas casas; torrentes cadunt è montibus. Dido et dux Trojanus deveniunt in idem antrum: et prima Tellus ac Juno pronuba dant signum: fulgura emicuerunt, et cœlum particeps* consilii *de conjugio, et Nymphæ ululârunt ex alto cacumine. Ille dies primus auctor fuit exitii, et primus calamitatum: nec enim Dido* ampliùs *terretur specie aut rumore,*

NOTÆ.

quæ est juxta Parnassum montem. *Agathyrsi*, gens Scythica, qui ex Melâ, l. 2. 1. *Ora artusque pingebant, ut quisque majoribus præstabat, ita magis vel minùs.* Juxta alios gens Sarmatica. *Cynthus*, mons in insulâ Delo, Æn. 3. 92.

151. *Lustra.*] Ferarum cubilia: quâ de re, G. 2. 471. De *Cervis*, quos esse in Africâ multi negant, Æn. 1. 184. Affirmant tamen Oppiani et Philostrati aliorumque testimonia apud Cerdanum.

163. *Dardanius nepos Veneris.*] Ascanius filius Æneæ, qui Anchisæ et Veneris filius: *Dardanius*, Trojanus, Æn. 1. 235.

166. *Prima et Tellus, et pronuba Juno.*] Constat ad singula gravioris momenti negotia solitos veteres captare auspicia atque omina; sed præsertim ad nuptias: ut diximus Æn. 1. 346. Igitur omina quæ fuerint hìc notandum est. I. Quidam aiunt *Tellurem* quoque è Diis fuisse nuptiarum præsidibus: *prima* autem dicitur ordine significandi, quia tunc prima omnium signa dedit: quæ autem nisi terræ motum? II. *Juno*, ut constat, nuptiis præfuit, hinc dicta *Pronuba;* Γαμηλία à γάμος, *nuptiæ.* Hæc autem, cùm pro aëre terræ proximo sæpe sumatur; signum dedit, *nimbis* et *commixtâ grandine.* III. *Æther* superior, et ignea mundi pars quæ *Jupiter* aliquando dicitur, signa dedit fulguribus et fulmine; juxta eorum opinionem, qui fulmina putabant, non in mediâ aëris regione fabricari, sed à Jove mitti et igneo æthere. *Conscius* dicitur: quia nuptiarum illarum conscii et auctores superi ipsi fuerant, Juno, Venus, et ipse, quem suum in consilium adegerant, Jupiter, v. 110. et sequentibus.

167. *Fulsere ignes, &c.*] Mos erat in nuptiis, ut sponsæ ad sponsum eunti præferrentur faces; ut puellæ ad mediam noctem ante conjugum fores lætis carminibus perstreperent, quorum exemplum insigne superest apud Theocritum Idyllio 18. Ideò Virgilius hìc adhibet *fulgura* pro facibus; et *ululatum Nympharum,* pro carminibus.

168. *Nymphæ.*] Vel fuere *Oreades*, Nymphæ montium, quia erant in speluncæ *summo vertice.* De iis Ecl. 2. 46. Vel, ut censet Cerdanus, *Diræ* et *Furiæ*, quæ pro Nymphis ab amantibus acceptæ fuerint. De quo errore sic Dido apud Ovid. Heroid. 7. 73. *Audieram voces; Nymphas ululâsse putavi: Eumenides fatis signa dedêre meis.*

170. *Neque enim specie famâve movetur.*] Non specie, ac præsenti deformitate sceleris sui; nec famâ ac sermone absentium hominum.

Nec jam furtivum Dido meditatur amorem;
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.
Extemplò Libyæ magnas it Fama per urbes:
Fama, malum quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primò; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata Deorum,
Extremam (ut perhibent) Cœo Enceladoque sororem
Progenuit; pedibus celerem et pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens: cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter, (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quàm nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Æneam Trojano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hyemem inter se luxu, quàm longa, fovere,
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinùs ad regem cursus detorquet Iarbam;
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Ammone satus, raptâ Garamantide Nymphâ,
Templa Jovi centum latis immania regnis,

*nec jam exercet amorem secretum:* hunc *appellat conjugium,* et *velat crimen hâc appellatione. Statim Fama currit per magnas urbes Africæ: Fama, malum, quo nullum est celerius, præstat agilitate, et auget vires eundo: parva primùm,* ob *timorem: mox erigit se in aërem, inceditque per terram, et abscondit caput inter nubes. Terra mater irritata ob furorem Deorum produxit illam, ut narrant, ultimam sororem Cœo et Encelado, velocem pedibus et citis alis: monstrum horribile, ingens, cui quot sunt plumæ in corpore, tot oculi aperti vigilant subter* eas, *(res mirabilis dictu) tot linguæ, tot ora loquuntur, tot arrigit aures. Volat nocte per medium cœli, et per umbram terræ, stridens, nec permittit somnum oculis: die sedet speculatrix, aut in fastigio summi tecti, aut in altis turribus, et tremefacit magnas urbes: tam retinens mali et falsi, quàm nuntia veri. Illa tunc læta implebat populos vario rumore, et narrabat perinde facta et non facta: Æneam venisse, ortum è Trojano sanguine, cui marito sociare se dignetur formosa Dido: nunc illos* in *luxu traducere inter se hyemem, quàm longa* est, *oblitos regnorum, et correptos inhonesto amore. Turpis Dea spargit hæc passim per ora hominum. Confestim deflectit volatum ad regem Iarbam; inflammatque sermonibus animum* ejus, *et accumulat iras. Ille natus* Jove *Ammone, et Nymphâ Garamantide raptâ, struxerat Jovi centum templa spatiosa vastis in regnis*

## NOTÆ.

174. *Fama malum, &c.*] Vapulat à Macrobio aliisque Virgilius, ob eam Famæ descriptionem, quam tamen subsequentes poëtæ imitari frustrà conati sunt: et certè multùm habet acuminis. *Mobilitate viget,* quia est incerta ac mutabilis. *Vires acquirit eundo,* quâ vel unâ re monstrum videri potest, cùm eundo cætera deficiant. *Parva metu primò, mox, &c.* quia non nisi timidè primò, quæ sunt tacenda, divulgantur. *Caput inter nubila condit:* quia licèt sparsa sit ubique fama; sæpe tamen ejus caput, atque auctor, et veritas, ignorantur. *Terra parens extremam progenuit sororem* gigantibus: quia Fama turpia Deorum scelera evulgavit: qui videtur extremus Terræ conatus in Deos, post extincta gigantum bella. Huic *plumæ multæ:* quia unusquisque de suo aliquam quasi plumam famæ addit. *Vigiles oculi subter plumas:* quia videt omnia, videtur à nemine. *Nocte volat:* neque enim animadverti potest, quî fiat, ut tantillo tempore tam longè latéque pervagetur. *Luce sedet custos:* ut observet quæ tractantur inter homines; præsertim in ædibus regum, magnisque urbibus. Cæterùm tam est apta veris, quàm falsis evulgandis.

179. *Cœo, Enceladoque sororem.*] Gigantum præcipuis, Terræ ac Titanis filiis: qui bellum Jovi intulerunt ad ulciscendam patris injuriam, cui cœli regnum, ut fratri Saturni natu majori, debitum esse contendebant. Hi aggestis montibus, ut cœlum ascenderent, iisdem oppressi sunt. G. 1. 279.

198. *Hic Ammone satus.*] *Jupiter Ammon,* Ægyptiis et Afris celebre oraculum ac templum habuit in Libyâ, ad orientem Cyrenaicæ regionis, ad occidentem Ægypti, ad septentrionem Garamantum ac Nasamonum: in

Centum aras posuit: vigilemque sacraverat ignem,
Excubias Divûm æternas, pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina Divûm,
Multa Jovem manibus supplex orâsse supinis.
Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aspicis hæc? an te, genitor, cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Fœmina, quæ nostris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio posuit; cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Mœoniâ mentum mitrâ crinemque madentem

*et centum altaria: et dedicaverat ignem immortalem, perpetuas excubias Deorum; et* dedicaverat *terram pinguem sanguine victimarum, et portas ornatas sertis versicoloribus. Ille autem impos mentis et inflammatus rumore acerbo, dicitur ante altaria, inter media simulacra Deorum, supplex elatis manibus plurimùm orâsse Jovem: O Jupiter omnipotens, cui gens Maurica epulans in versicoloribus lectis nunc effundit Bacchicum liquorem, videsne hæc? an* verò *frustrà timemus te, ô pater, cùm vibras fulmina? an fulgura vana in nubibus terrent mentes, et edunt inutiles sonos? Mulier, quæ vaga in regione nostrâ condidit parvam urbem emptione, cui dedimus litus colendum, cui* imposuimus *conditiones loci: rejecit nuptias nostras, et admisit in regnum Æneam maritum. Et nunc ille Paris cum comitatu effœminato, subligatus mitrâ Lydiâ* circa *mentum et capillos delibutos,*

## NOTÆ.

irriguo et palmifero loco, quamvis tota regio aridissima ac desertissima sit. Hujus origo variè refertur: tribuitur tamen maximè Libero, sive Baccho, cui per Libyæ deserta iter facienti, aries cornu fontem ibi monstravit; quem ille Jovem esse patrem arbitratus, templum ibidem erexit Jovi, cornuto et arietino capite, vocavitque *Ammona* ab *arenâ*, quæ Græcis est *ἄμμος*, vel *ψάμμος*. Plutarchus tamen lib. de Iside, videtur negare nomen esse illud Græcæ originis, sed Ægyptiorum proprium. Unde aliqui putant *Ham*, sive *Cham*, Noë filium, primum Ægypti cultorem, sub eo coli nomine: alii *Solem*, qui, ut et *calor*, dicitur Hebræis *Hamma:* eique volunt, ut et Mosi, appicta esse cornua pro radiis. Et verò ex Curtio l. 4. juxta illud templum fons erat quoque, *Solis* dictus, qui rigescebat interdiu noctu fervebat; tepidus aut frigidus, pro vario Solis accessu aut recessu. Hoc adiit oraculum Alexander, cùm esset in Ægypto; ab eoque se Jovis filium dici per sacerdotem curavit. Hujus hic Iarbas filius dicitur fuisse, et *Garamantidis* Nymphæ; sive *Garamantis* proprium, sive gentile nomen sit: non enim longè aberant populi Garamantes. De *Iarbâ*, v. 36.

199. *Templa Jovi centum, &c.*] Aliqui inde colligunt Iarbam Ammonis templi conditorem dici: sed perperam: cùm centum illa templa, *latis regnis*, id est, variis latissimi regni locis condita dicantur.

200. *Vigilem ignem.*] Plutarchus, lib. de Defectu Oraculorum, testatur in Ammonis templo lucernam fuisse perpetuò ardentem, de quo more, Æn. 2. 297.

205. *Supinis.*] Notetur mos orandi veterum, non expansis, non porrectis; sed supinis manibus, ita ut palmæ cœlo obversæ essent.

206. *Cui gens Maurusia, &c.*] *Maurusii* sive *Mauri*, partem Africæ occidentalem obtinebant, ab usque Carthagine aut Numidiâ, ad fretum Gaditanum: varias in gentes distributi.

207. *Gens epulata toris, &c.*] Post sacrificia solebant è victimarum extis epulari, inque epulis vina in honorem Deorum *libare* et effundere. De *epulis* illis, Æn. 7. 175. De *libatione*, Æn. 1. 736. De *toris*, lectis vulgò gramineis, Æn. 3. 224. De *Lenæo*, sive Bacchico honore, pro vino, G. 2. 4.

215. *Paris, &c.*] Æneam vocat Paridem, id est, mollem; de eo Æn. 1. 27. Propter eáque Athenæus l. 1. notat Homerum nemini heroum usum unguentorum, præterquam Paridi, tribuisse: erat autem usus ille præcipuè in capillis: unde mox addit, *crinemque madentem. Semiviro comitatu.*] Alludit ad morem Phrygum, apud quos insignis erat cultus Deæ Cybeles, cujus sacerdotes exsecabantur, unde molles et effœminati evadebant, vocabanturque *Galli.*

216. *Mœoniâ mitrâ, &c.*] Lydi, ex Strabone, l. 13. Priami tempore vocabantur Μήονες, *Meones*, vel Μαίονες, *Mæones:* paulò pòst *Lydi*, à Lydio rege, Herculis nepote, Æn. 2. 781. *Lydia* porrò, Asiæ minoris mediterranea regio est, quæ à poëtis solet Phrygiæ annumerari, ex eodem Strabone l. 14. Ad orientem ac septentrionem habet Phrygiam majorem; ab occidente Æolidem: flumina *Pactolum*, et *Hermum*, aureis arenis insignia: montem *Tmolum*, vino et croco celebrem: unde regio tota divitiis deliciisque nobilis fuit. Illic in usu erat *mitra*, pileum muliebre, incurvum:

fruitur præda: nos scilicet inferimus dona tuis templis, et sustentamus famam inanem. Omnipotens audiit eum precantem talibus verbis, et hærentem ad aras: et flexit oculos ad urbem regiam, et ad amantes negligentes famæ honestæ. Tunc sic loquitur ad Mercurium, et imperat talia: Vade, age, fili, advoca Zephyros, et descende alis: et alloquere Trojanum ducem, qui nunc moratur in Tyriâ Carthagine, nec considerat urbes à fatis sibi concessas: et porta per levem aërem mandata mea. Mater ejus formosissima non eum nobis pollicita fuerat talem, nec eam ob rem bis eripuit eum è Græcorum armis: sed pollicita fuerat hunc futurum qui possideret Italiam plenam regnis, et belli cupidam: qui probaret originem suam esse è nobili sanguine Teucri, et subjiceret imperio suo totum orbem. Si nullas splendor tantorum factorum hunc movet, nec suscipit ipse laborem ad suam laudem: an pater invidet Ascanio Romanam urbem? Quid parat? aut quâ spe manet apud gentem inimicam? nec cogitat posteritatem Italicam, et campos Lavinios? Navem conscendat: hæc est summa, hic sit illi nuntius à nobis. Sic locutus erat. Mercurius parabat se ad obediendum jussis magni Patris; et primò subligat talaria aurea: quæ, seu supra mare, seu supra terram, ferunt pennis eum volantem pariter cum rapido vento.

Subnexus, rapto potitur; nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
  Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens: oculosque ad mœnia torsit
Regia, et oblitos famæ melioris amantes.
Tunc sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat
Vade, age, nate, voca Zephyros, et labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyriâ Carthagine qui nunc
Expectat, fatisque datas non respicit urbes,
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Graiûmque ideò bis vindicat armis:
Sed fore qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse suâ molitur laude laborem:
Ascanio-ne pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut quâ spe inimicâ in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget: hæc summa est, hic nostri nuntius esto.
  Dixerat. Ille Patris magni parere parabat
Imperio: et primùm pedibus talaria nectit
Aurea; quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

## NOTÆ.

baccis insigne, ac redimiculis vinculisque, quibus mento subligabatur.

217. *Subnexus.*] Ita emendo cum Gevartio, Elect. lib. 1. c. 7. Olim legebatur *Subnixus*, literis vel ante Servii tempora malè corruptis. Frustrà quippe Servius interpretabatur, *crinem unguentatum subnixum habens*, vel *fiduciâ elatus*. Frustrà Turnebus explicabat, *sub mitrâ, crinem ac mentum subjectum habens*. Utraque enim interpretatio sensu caret et acumine: nostra rectior et simplicior.

218. *Famam inanem.*] Quâ dicor filius tuus, rex Libyæ, conjux Didonis futurus.

219. *Arasque tenentem.*] Mos supplicantium ac sacrificantium: unde Varro apud Macrobium l. 3. 2. ait *aras* dictas olim esse *asas*, quasi *ansas*, quibus vasa teneri solent: quemadmodum *Valerii* et *Furii*, priùs dicebantur *Valesii* et *Fusii*.

222. *Mercurium.*] De eo, infrà, v. 238. Æn. l. 297. De *Zephyris*, ventis occidentalibus, Ecl. 5. 4. De *Dardaniis*, Trojanis, Æn. 1. 235. De *Tyriâ Carthagine*, suprà in argumento.

228. *Bis vindicat armis.*] Æneam Venus bis è Græcorum armis eripuerat. *Primò*, quando Diomedes in Trojanâ obsidione, Æneam saxo ita percussit, ut hic in genua prolapsus haud dubiè occidendus fuisset, nisi Venus eam peplo circumfusum eripuisset morti, Iliad. 5. 315. *Secundò*, quando Æneas, matris consilio et auxilio, è Trojano incendio ereptus, et ad fugam incitatus est, Æn. 2. 619. Neque enim iis assentior qui explicant, de ejus congressu cum Achille, ubi à Neptuno morti ereptus est, Iliad. 20. 290. Namque hanc ei opem non Venus, sed Neptunus contulit.

229. *Gravidam imperiis.*] Variis regnis regibusque distinctam ac plenam: quâ formâ dixit, G. 2. 5. *Pampineo gravidus autumno floret ager.* De *sanguine Teucri*, Trojanorum parentis, Æn. 1. 235. De *orbis* imperio Trojanis Romanisque promisso, Æn. 1. 278.

234. *Ascanio-ne, &c.*] De eo, Æn. 1. 267. Albam condidit, unde prodiit *Roma* per *Romulum*, Albanorum regum sobolem, Æn. 1. 269. 274. De *Ausoniâ*, Italiâ, Æn. 3. 171. De *Lavinio*, ab Æneâ conditâ urbe, Æn. 1. 2.

239. *Talaria.*] Calceamenta alata Mercurii: quæ Valerius Flaccus vocat *plantaria;* Statius *alas plantares*.

Tum virgam capit: hâc animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illâ fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hìc primùm paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit: avi similis, quæ circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter cœlumque volabat,
Litus arenosum Libyæ ventosque secabat,
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primùm alatis tetigit magalia plantis;
Æneam fundantem arces, ac tecta novantem
Conspicit: atque illi stellatus iaspide fulvâ
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna

*Deinde accipit virgam: per hanc ille educit ex inferis animas pallidas, alias dejicit ad tristes inferos, præbet aufertque somnos, et* ex *morte aperit oculos. Hâc instructus pellit ventos et trajicit turbidas nubes. Jamque volans videt cacumen et excelsa latera duri Atlantis, qui capite sustinet cœlum: Atlantis, cui caput piniferum semper circumdatum nigris nubibus, tunditur ventis et pluviis. Nix superjecta tegit humeros: prætereà fluvii devolvuntur è mento senis, et barba horrida concrescit glacie. Hìc primò stetit Mercurius contendens alis æqualibus; hinc delapsus toto corpore se impulit ad undas: similis volucri, quæ circa litora, circa rupes piscosas, volat demissè prope mare. Non aliter proles Cyllenia veniens ab* Atlante *avo materno, volabat inter cœlum et terram, scindebat aërem et litus arenosum Libyæ. Statim atque alatis pedibus attigit casas; vidit Æneam fundantem arces, et reparantem tecta; ille autem erat ensis interpunctus jaspide fulvâ, et toga rubescebat* ex *Tyriâ purpurâ*

NOTÆ.

242. *Virgam.*] Quam dono vicissim accepit ab Apolline Mercurius, cùm ei lyram dedisset. Hâc instructus cùm abiret in Arcadiam, incidit in serpentes duos ad pugnam comparatos, projectâque virgâ statim compescuit. Unde pacis symbolum evasit virga illa duobus implexa serpentibus: quam Græci legatis suis dabant, ad pacem et securitatem: vocabantque κηρύκειον, quia *legati* κήρυκες, ex quâ voce Latini virgam ipsam appellaverunt, cum aliquâ literarum deformatione, *Caduceum.* De *Orco*, qui pro inferis sumitur, G. 1. 277. De *Tartaro*, profundissimo inferorum loco, G. 1. 36.

244. *Lumina morte resignat.*] I. Explicat Servius *claudit;* malè: cùm opponuntur *resigno* et *signo*, id est, *sigillis munio, claudo.* II. Explicat Turnebus, *aperit in busto:* idque haurit è Plinio l. 11. 37. *Morientibus* oculos *operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est: ita more condito, ut neque ab homine supremùm eos spectari fas sit; et cœlo non ostendi, nefas.* Hoc igitur officium tribuit Mercurio: sed quia solebat id fieri à cognatis, antequam busto cadaver imponerent: ideò, III. Explico, *aperit oculos ex morte*, id est, *revocat è morte corpora:* quod quintum officium à primo distinguitur: primum enim est, quòd *animas ex Orco evocet,* sive ut Jovi sistat, sive ad alia ministeria: quintum est, quòd *corpora ipsa revocet è morte, oculosque corporis aperiat.*

247. *Atlantis.*] *Atlas* mons Africæ maximus, nivoso semper cacumine, Mauritaniam à Libyâ interiore dividens: et ad oceanum occidentalem desinens: hujus longa series dicitur ab Hispanis *Montes claros.* In hunc dicitur Atlas rex Mauritaniæ commutatus à Perseo, aspectu Medusei capitis, quòd is eum excipere hospitio noluisset: cùm autem esset idem Atlas astrologiæ peritissimus, cœlum dictus est humeris sustinere. Hìc à Virgilio describitur, quasi hominis figuram adhuc retinens.

252. *Cyllenius.*] Atlas hìc septem Pleiadum pater fuit, G. 1. 138. Harum una *Maia* Mercurium peperit, ex Jove, in vertice *Cyllenes,* Arcadiæ montis. Unde Atlas dicitur Mercurii *avus maternus,* id est, avus Mercurii ex parte matris.

254. *Avi similis.*] Comparatio illa habitusque Mercurii est ex Homero, Odyss. 5. 43. Avem vocat Homerus *Laron,* quæ vel est fulica, *foulque,* A COOT, vel ciconia, vel alia; de eâ enim variè disputatur.

259. *Magalia.*] Casas pastorum Libyæ, de quibus G. 3. 340.

261. *Stellatus iaspide fulvâ.*] Capulus gladii cum vaginâ, gemmis, quasi stellis interpunctus. De *iaspidis* pretiosi lapilli coloribus multa Plinius l. 37. 9. Nulla tamen fulva tota agnoscitur: sed aureo tantùm distincta quasi pulvere. *Fulvus* autem color mixtus est ex rufo et viridi, qualis est in leonibus.

262. *Tyrio murice læna.*] *Læna:* Nonnio

*pendens ex humeris: quæ ornamenta fecerat opulenta Dido, et distinxerat telas subtili auro. Statim aggreditur* eum his verbis: *Tu nunc statuis fundamenta altæ Carthaginis, et condis pulchram urbem uxori serviens, heu, immemor regni tui et rerum tuarum! Ipse rex Deorum, qui potestate* suâ *vertit cœlum et terras, misit me tibi è cœlo splendido: ipse imperat* me *portare hæc* sua *mandata per levem aërem: Quid paras, aut quâ spe perdis otia in Libycâ regione? Si nullus splendor tantarum rerum te movet, nec suscipis ipse laborem ad tuam laudem, attende ad Ascanium crescentem, et* ad *spes hæredis Iüli, cui imperium Italiæ et Romana terra debentur. Talibus verbis locutus Mercurius fugit aspectum humanum* in *medio sermone, et procul abiit ex oculis in levem aërem. At verò Æneas stupefactus visu, obmutuit, et capilli* præ *horrore arrecti* sunt, *et vox stetit* in *gutture. Cupit exire fugiendo et deserere gratam regionem, territus tanto monitu et jussu Deorum. Heu! quid faciat? quo alloquio audeat circumvenire reginam amantem? unde capiat primum initium? et nunc huc, nunc illuc distrahit animum, et trahit in diversas partes, et volvit per omnia. Hoc consilium visum est melius ponderanti: Vocat Mnestheum, et Sergestum, et fortem Cloanthum,* jubetque *ut instruant classem secretò, et congregent socios ad litus, et præparent arma, et celent, quæ sit causa mutandarum rerum: interim, dum bona Dido ignorat, et non suspicatur abrumpi tantos amores, se quæsiturum aditus, et quæ tempora loquendi* erunt *commodissima,* et *quæ via negotii conficiendi tutissima. Celeriter omnes obediunt læti mandato, et exequuntur jussa. Sed regina præsensit fraudem (quis possit decipere amantem?)*

Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuò invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Extruis, heu, regni rerumque oblite tuarum!
Ipse Deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum et terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras:
Quid struis? aut quâ spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tuâ moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes hæredis Iüli
Respice: cui regnum Italiæ, Romanaque tellus,
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus,
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
  At verò Æneas aspectu obmutuit amens:
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
Ardet abire fugâ, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque Deorum.
Heu! quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc;
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum,
Classem aptent taciti, sociosque ad litora cogant,
Arma parent; et, quæ sit rebus causa novandis,
Dissimulent: sese intereà, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocyùs omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.
  At regina dolos (quis fallere possit amantem?)

## NOTÆ.

vestimentum est militare, quod suprà omnia vestimenta assumitur: sed facilè errare potuit, et *lænam* cum chlamyde confundere: siquidem Varroni, Festo, atque aliis *læna*, vestimentum est duplex, instar duarum togarum; atque adeò oblongum, et bello parùm commodum. Sacerdotalis fuit vestis: Unde Popilius *Lænas* appellatus est, quòd eâ indutus exisset è sacrificio ad seditionem sedandam. Hyberna etiam videtur fuisse ob densitatem: quare tum conveniens erat Æneæ, qui in hyeme versabatur, infrà, v. 309. *Hyberno moliris sidere classem:* Nomen vel à *lanâ* juxta Varronem; vel juxta Plutarchum, à Græcâ voce χλαῖνα, quæ vestis erat ejusdem usûs, χλιαίνω enim est *calefacio.* De *Tyrio murice,* purpurâ, G. 2. 506. De *Olympo,* Thessaliæ monte, qui pro cœlo sumitur, Ecl. *5. 56.*

275. *Regnum Italiæ, Romanaque tellus.*] Tellus Romana olim dicenda; suprà, v. 234.

288. *Mnesthea, &c.*] Accusativus Græcus, pro Latino *Mnestheum.* De eo, deque *Sergesto,* et *Cloantho,* Æn. *5.* 116.

Præsensit, motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Æneam compellat vocibus ultrò:
Dissimulare etiam sperâsti, perfide, tantum
Posse nefas, tacitusque meâ decedere terrâ?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hyberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis! Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret;
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam, te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miserere domûs labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.

*et cognovit prima tumultum futurum, metuens omnia* vel *tutissima. Eadem impia Fama nuntiavit amanti, classem instrui, et parari discessum. Furit impos mentis et inflammata bacchatur per totam urbem; qualis Baccha incitata quassatis simulacris, quando orgia triennalia stimulant* eam *audito Baccho, et Cithæron invitat* eam *nocturno tumultu. Denique ultrò alloquitur Æneam his verbis: Etiamne, ô perfide, sperâsti posse celare tantum crimen, et tacitus abire è meâ regione? Nec te amor noster, nec te dextera olim data, nec Dido retinet peritura crudeli morte? Imò etiam struis classem hyemali tempore, et properas navigare per mare inter medios Aquilones, crudelis! Quid? si non quæreres regionem externam et sedes incognitas,* sed si *vetus Troja staret;* an *classe peteretur* à te *Troja per mare procellosum? An fugis me? ego* oro *te per has lachrymas et dexteram tuam (siquidem ipsa nihil reservavi mihi jam miseræ) per conjugium nostrum, per nuptias inchoatas: si benè merui quicquam de te, aut* si *quicquam meum fuit gratum tibi; miserere domûs* meæ *cadentis; et, si quis adhuc aditus* est *precibus, precor, depone hoc consilium.*

NOTÆ.

301. *Bacchatur, &c.*] Didonem comparat Bacchi comitibus fœminis: quæ ipsum ex Indiâ victorem temulentæ sequebantur, lynces ac tygres ejus currui subligatas commovebant, coronatæ pampino, thyrsis armatæ, sive hastis pampino atque hederâ implicatis. Hinc I. *Bacchæ* vocatæ sunt et *Thyades*, à θίω, *curro*, vel à θύω, *sacrifico, impetu feror.* II. Harum exemplo, sacra sibi à mulieribus fieri deinceps voluit, quæ dicta sunt ὄργια, *Orgia*, ab ὀργὴ, *ira*, quia cum furore peragebantur. III. Cithæron sacris illis celebris, mons Bœotiæ, pars Parnassi, ut quibusdam videtur: et verò pars aliqua Parnassi dicata fuit Baccho, Ecl. 7. 25. IV. Sacra illa imprimis tertio quoque fiebant anno; et Athenienses ante institutas Olympiadas, per Dionysia sive Bacchica festa solebant tempora distinguere; vocabantque festa illa τριετηρικὰ, *trieterica*, id est, *triennalia*, à τρία, et ἔτος, *annus.* V. Noctu fiebant; unde dicebantur νυκτήλια, *nyctelia*, à νὺξ, νυκτὸς, *nox.* VI. *Commotis sacris;* id est, vel quassatis thyrsis, sacris Baccho hastis, de quibus, Ecl. 5. 29. vel commoto, quod circumferebant, Bacchi simulacro: unde Horatius Od. l. 1. 18. 11. *Non ego te, candide Bassareu, invitum quatiam.*

305. *Dissimulare, &c.*] Tres habet partes hæc oratio. PROPOSITIONEM, quâ constituit non esse Æneæ clàm fugiendum, idque per interrogationem duobus primis versibus comprehendit. CONFIRMATIONEM per quinque rationes. 1. Est *Amor.* 2. *Data dextera* et fides. 3. Pietas in morituram *crudeli funere.* 4. Incommoda itineris, *hyberno sidere.* 5. Comparatio à majori ad minus: Non peteres Trojam hâc tempestate, ergo multò minùs *arva aliena* et *domos ignotas.* PERORATIONEM, sive affectuum commotionem, in quâ maxima vis est. Nam, 1. Obsecrationes adhibet per sacratissima et charissima quæque. 2. Commemorat beneficia, odium exterorum et suorum, extinctum pudorem, famam amissam. 3. Exponit solitudinem suam et pericula, quibus ad mortem certissimè adigetur. 4. Videtur aliquid Æneæ concedere, ut vicissim aliquid obtineat: præcaturque saltem ut expectet, dum aliqua sibi supersit ex eo soboles.

310. *Aquilonibus.*] De iis septentrionalibus ventis, Ecl. 7. 51. De *Hymenæo*, nuptiali Deo, G. 3. 60. De *Nomadibus*, qui et *Numidæ*, dicuntur, suprà, v. 40. De *Pygmalione*, v. 44. De *Iarbâ*, v. 36.

Te propter Libycæ gentes, Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor, et, quâ solâ sidera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat? aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret;
Non equidem omninò capta aut deserta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elisæ:
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.
Pro re pauca loquar. Nec ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte meâ componere curas;
Urbem Trojanam primùm dulcesque meorum
Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,

*Propter te populi Libyæ et reges Numidarum oderunt me, et Tyrii infensi* sunt mihi; *propter eundem te pudor periit, et prima fama,* per *quam unicam attingebam astra: cui relinquis me morituram, ô hospes? siquidem hoc unum nomen superest de conjuge. Quid expecto? an ut Pygmalion frater diruat muros meos? aut Iarbas Gætulus trahat* me *captivam? Saltem si ante fugam aliqua proles mihi suscepta fuisset de te, si parvulus aliquis Æneas mihi luderet* in *aulâ, qui te tantummodo vultu repræsentaret; equidem non planè viderer decepta aut derelicta. Sic locuta fuerat. Ille jussu Jovis tenebat immotos oculos, et obstinatus coërcebat curam in animo. Tandem reposuit hæc pauca: Ego, ô regina, nunquam negabo te meruisse* de me *multa, quæ loquendo potes enumerare: nec me pœnitebit recordari Elisæ: quamdiu ipse recordabor mei, dum anima movebit ista membra. Dicam pauca pro* statu *rei. Nec ego speravi tegere silentio* hanc *fugam, ne fingas* id tibi; sed etiam *nunquam prætexui faces maritales, aut veni* huc *ad has nuptias. Si fata permitterent me transigere vitam meâ voluntate, et constituere negotia meo arbitratu, primò venerarer Trojanam urbem et dulces reliquias meorum, et starent alta palatia Priami, et manu condidissem victis Pergama caduca. Sed jam Grynæus Apollo magnam Italiam,*

## NOTÆ.

333. *Ego, te quæ, &c.*] Tres habet partes Æneæ responsio. CONFESSIONEM acceptorum beneficiorum, pro quibus gratum animum pollicetur: idque locum habet exordii. NEGATIONEM furtivæ fugæ: immò et conjugii, quod legitimum non fuit, et sine solennibus ceremoniis, suprà, v. 166. EXCUSATIONEM. 1. Quia primum ipsius consilium fuit Trojam instaurare in Phrygiâ: quo in flexu rerum, conjux Didonis esse non poterat. 2. Quia Dii in Italiam ipsum etiam repugnantem miserunt: quod alterum fuit conjugii obstaculum. 3. Comparatione à pari; quia si Diis ipsa paruit, et eorum jussu Carthagine detinetur, quidni ipse sequatur Deos in Italiam? 4. Quia cogitur iis obsequi, et paternæ umbræ, et ipsius Mercurii admonitu. 5. Quia fatis jubetur Ascanio regnum parare, quo careret in Libyâ, ubi regnum ad suam ex Didone sobolem pertineret. Fatendum tamen orationem illam, si Deorum jussa excipias, sanè esse subfrigidam.

340. *Meis Auspiciis.*] Meâ voluntate atque sponte, meo arbitratu. Mos enim erat veterum, ut gravius nihil, nisi priùs captatis auspiciis, susciperent. Atque ita non suis auspiciis rem gerere, est non suâ voluntate.

344. *Recidiva.*] Alii explicant *restituta,* et post excidium redeuntia: quomodo *recidivæ febres* dicuntur. Sed puto *recidivas febres* ideò dici, quia in eas *recidimus;* atque ita semper *casum* significare. Igitur *recidiva* simpliciter interpretor *caduca* sive *cadentia.* Quòd si *recidiva* casum iteratum notant; puto allusum ad geminam Trojæ expugnationem, primam ab Hercule, alteram à Græcis, Æn. 3. 476.

345. *Grynæus, &c.*] *Grynium,* in Æolide, Asiæ minoris maritimâ regione, ad occidentem Lydiæ: ubi vetus oraculum, et templum Apollinis sumptuosum. Sic Strabo, l. 13. De eo, Ecl. 6. 72. *Lycia,* ejusdem Asiæ minoris regio ad meridiem, urbem habuit *Pataram,* ubi celebre etiam oraculum Apollinis, de quo suprà, v. 143. Hinc Apollo *Grynæus* et *Patareus* dictus est: et quanquam Æneas Phœbi monita de quærendâ Italiâ, neque Pataræ acceperisset; sed in insulâ Delo, apud Anium

Italiam Lyciæ jussere capessere sortes:
Hic amor, hæc patria est. Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque aspectus detinet urbis:
Quæ tandem Ausoniâ Teucros considere terrâ
Invidia est? et nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago:
Me puer Ascanius, capitisque injuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres Divûm, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit: ipse Deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere, teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
  Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?
Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,

*Lycia oracula Italiam imperaverunt* me *quærere: hic est amor, hæc patria. Si munimenta Carthaginis, et visus Libycæ urbis retinet te Phœnissam: quæ demum est* tibi *invidia,* quòd *Trojani sedeant in Italicâ terrâ? licet nos quoque quærere regna externa. Umbra aspera Anchisæ solicitat me in somnis, quoties nox tegit terras humidis tenebris, quoties lucida sidera oriuntur.* Solicitat *me puer Ascanius, et injuria* facta *dilecto capiti* ejus, *quem privo regno Italiæ et terris fatalibus. Nunc etiam nuncius Deorum, missus ab ipso Jove (attestor utrumque Deum) portavit* ejus *jussa per levem aërem: ipse vidi Deum in luce perspicuâ ingredientem muros, et excepi his auribus vocem* ejus. *Cessa commovere et me et te his questibus: non sponte peto Italiam. Talia loquentem* Dido *jamdiu infensa intuetur, rotans huc illuc oculos: et totum* Æneam *circumspicit oculis tacitis, et sic irata loquitur: Nec tibi mater* est *Dea, nec Dardanus auctor familiæ* est, *ô perfide; sed Caucasus horribilis duris rupibus peperit te, et Hyrcanæ tigres præbuerunt* tibi *ubera. Quid enim dissimulo? aut quæ graviora expecto? An gemuit ob fletum meum? an obvertit oculos? an emollitus fudit lachrymas, aut misertus est amantis? Quæ quibus præferam? nunc nunc neque maxima Juno,*

## NOTÆ.

regem, Æn. 3. 97. et in Epiro, apud Helenum regem, Æn. 3. 381. per hæc tamen communia nomina *Grynæi,* et *Lycii,* unus idemque Apollo, ejusque oraculum, non locus significatur. Sic in ipso Delio templo, Apollinem nuncupat *Thymbræum,* cùm Thymbra sit in Troade, Æn. 3. 85.

346. *Sortes.*] *Oracula,* quæ consulentibus modò prospera, modò adversa, prout *sors,* sive fatum ferebat.

348. *Phœnissam.*] Cùm è Phœniciâ oriunda sis, Æn. 1. 446. De *Libyâ,* suprà, v. 36. De *Ausoniâ,* Italiâ, Æn. 3. 171. De *Hesperiâ,* Italiâ, Æn. 1. 530. De *Italiâ Ascanio promissâ,* Æn. 1. 266.

356. *Interpres Divûm.*] Mercurius qui Græcè Ἑρμῆς dicitur, quasi ἑρμηνεύς, *interpres.*

360. *Incendere querelis.*] Sic Æn. 10. 895. *Clamore incendunt cœlum.* Et Æn. 11. 147. *Mœstam incendunt clamoribus urbem.*

362. *Aversa.*] Vel *oculis aversa,* id est, torvis ac retortis oculis intuens: vel *aversa animo.*

365. *Nec tibi Diva parens, &c.*] Erumpit Didonis furor, in hanc supremam orationem, quâ I. Negat ea quæ jactaverat v. 12. de divino Æneæ genere. II. Æneam incusat, quòd nec gemitu, nec aspectu, nec fletu dignatus et flentem et amantem fuerit. III. Deos incusat ipsos, quòd hæc impunè sinant abire. IV. In Æneam iterum, ut in ingratum, invehitur; commemoratione beneficiorum quinque. V. Ut in mendacem, qui oracula, Deorumque jussa fugæ prætexat; quod refutat negando curam rerum mortalium Diis inesse. VI. Per correctionem, negat se velle mendacia illius refellere: tum addit concessionem delusoriam, et comminationem futuri naufragii, perpetuarumque post mortem inimicitiarum. Ubi notandum, eam ex animi perturbatione Deos modò iniquos dicere, modò rerum humanarum negligentes incusare, modò pios appellare, à quibus justam perfidiæ ultionem speret. VII. Denique sequitur ex furore deliquium.

365. *Dardanus.*] Auctor Trojanorum Æn. 1. 235.

367. *Caucasus, Hyrcanæque, &c.*] *Caucasus,* mons Asiæ, præ cæteris altus et scopulosus, inter mare Euxinum et Caspium: *Hyrcania,* olim Parthiæ pars ad meridiem Caspii maris, nunc *Tabarestan,* sub ditione Persarum: regio pantheris ac tigribus infesta.

371. *Quæ quibus anteferam, &c.*] Inter quæ

*nec pater Saturnius videt hæc justis oculis. Nullibi certa* est *fides. Excepi Æ*neam *expulsum è litore, egenum; et stulta constitui eum in parte regni: servavi naves amissas et socios à morte. Heu! rapior inflammata à Furiis. Nunc Apollo vates, nunc oracula Lyciæ, nunc nuncius Deorum, missus ab ipso Jove, portat per aërem dura mandata. Quasi verò is esset labor Deorum, et ea cura vexaret* eos *tranquillos. Neque te retineo, neque refuto* quæ *dixisti. I, pete ventis Italiam, quære regna per mare. Equidem si justi Dii possunt aliquid, spero* te *luiturum pœnas in mediis scopulis, et sæpe nomine appellaturum Didonem. Persequar* te *nigris ignibus* licèt *absens: et postquam frigida mors separaverit corpus* ab *animâ, adero umbra cunctis locis: solves* mihi *pœnas, ô improbe: audiam, et hæc fama* pœnarum tuarum *veniet ad me apud inferos profundos. His prolatis interrupit medium sermonem, et afflicta fugit lucem, et se abducit et aufert ex aspectu, relinquens Æ*neam *metu tardantem* dicere *multa, et parantem dicere multa. Sustinent* eam *famulæ, et reportant in marmoreum cubiculum membra defecta, locantque* ea in *lecto. At pius Æneas, quamvis optet consolando placare mœrentem, et pellere curas sermonibus, multùm gemens, et concussus animo* propter *amorem: tamen observat jussa Deorum, et repetit classem. Tunc autem Trojani incumbunt* operi, *et detrahunt altas naves è toto litore: natant unctæ naves: et* nautæ *portant remos virescentes, et ligna è sylvis*

Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi:
Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu! Furiis incensa feror. Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres Divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Solicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus absens:
Et, cùm frigida mors animâ seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, pœnas:
Audiam, et hæc manes veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Ægra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,
Linquens multa metu cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Æneas, quanquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore:
Jussa tamen Divûm exequitur, classemque revisit.
Tum verò Teucri incumbunt et litore celsas
Deducunt toto naves: natat uncta carina;
Frondentesque ferunt remos, et robora sylvis

NOTÆ.

omnia immanitatis signa, quænam aliis majora dicam?

371. *Jam jam nec, &c.*] Sed quid mirum si est in me iniquus Æneas: cùm ne Juno quidem Carthaginis et conjugii perinde tutrix: ne Jupiter quidem ipse, Saturni filius et Junonis conjux, æquis oculis hæc in me ab illo commissa scelera aspiciant.

373. *Nusquam tuta fides.*] Nec apud homines, qui eam temerè violant; nec apud Deos, qui eam impunè violari sinunt.

380. *Neque dicta refello, &c.*] Sensus est: Oracula quidem et jussa illa, à te ficta sunt; possem fraudem tuam eaque refellere: sed nec refello, nec te hìc ultrà retineo: *I, sequere Italiam, &c.*

383. *Supplicia hausurum.*] Pro *hausturum*: Id est, fluctibus submergendum, suffocandum aquis, quibuscum mortem *hauriat*. *Dido.*] In accusativo Græco.

384. *Sequar atris ignibus absens.*] Instar furiæ tibi adhærebit absentis et derelictæ Didonis memoria.

385. *Anima, &c.*] Tribuuntur Ovidio quatuor hi versus:

*Bis duo sunt homini: manes, caro, spiritus, umbra:*
*Quatuor ista loci bis duo suscipiunt.*
*Terra tegit carnem, tumulum circumvolat umbra,*
*Orcus habet manes, spiritus astra petit.*

Ex quibus erui potest hujus loci sensus: *Cùm mihi mors* carnem à spiritu, *corpus ab animâ separaverit:* umbra *mea te semper insequetur; et fama supplicii tui sub terras perveniet ad* manes *meos.* Hæc fusiùs, Æn. 6. 748.

398. *Uncta carina.*] Pice aliâque pingui materiâ perlitæ naves, quarum trabs infima *carina* est.

399. *Frondentes remos.*] Non elaboratos aut

Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totâque ex urbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cùm populant, hyemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet.
  Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus? cùm litora fervere latè
Prospiceres arce ex summâ, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum, frustrà moritura, relinquat.
  Anna, vides toto properari litore: circùm
Undique convenere: vocat jam carbasus auras,
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miseræ hoc tamen unum

adhuc *informia, desiderio fugiendi. Videas* eos *exeuntes, et erumpentes ex urbe totâ. Et quemadmodum formicæ, quando deprædantur magnum cumulum frumenti, providæ in hyemem, et seponunt* in *latebris; nigra turba incedit* per *agros, et subvehunt prædam angusto tramite inter herbas: partim obnixæ humeris propellunt magna grana: partim colligunt turmas, et accelerant morantes: omnis semita fervet labore. Quis tunc sensus* erat *tibi, ô Dido, spectanti talia? aut quos emittebas gemitus? cùm ex altâ arce spectares litora undique æstuare, et aspiceres coram oculis totum mare turbari tantis clamoribus? Improbe amor, quid non cogis* facere *animos hominum? Cogitur rursus descendere ad lachrymas: rursus oppugnare* Æneam *precando, et supplicando subjicere animum amori: ne omittat quicquam intentatum,* antequam *frustrà moriatur. Anna,* inquit, *cernis circùm properari toto litore: undique collecti sunt: jam vela invitant ventos, et nautæ hilares addiderunt puppibus coronas. Ego, soror, si potuissem præsentire tantam calamitatem, possem etiam* eam *sustinere. Tamen, ô Anna, fac istud solum mihi miseræ;*

## NOTÆ.

siccos; sed adhuc recentes ex arbore, immò et frondibus vestitos: hyems enim tunc deflectebat in ver: quam tamen hyemem simpliciter vocat Dido, Æneæ deterrendi causâ, v. 309. *Hyberno molliris sidere classem.* Ver autem optimè congruit cum iis quæ dicentur, *Æn. 5.* 46. *Robora.*] Duriora grandioraque ligna, ad malos conficiendos. De *robore,* quod aliquando pro specie glandiferæ arboris sumitur, sæpiùs pro duriore quovis ligno, G. 1. 162.

402. *Ac veluti.*] Trojanorum laborem cum formicarum sedulitate comparat: *Parvula nam exemplo est magni formica laboris,* inquit Horat. Sat. l. 1. 1. Expressa est ista comparatio ex parænesi Phocylidis, quæ legitur apud Hortensium. *Far.*] Plur. *farra,* frumenti species est purissimi. *Callis.*] Est semita quæ *callo* pedum induruit. *Semita.*] Angusta via, quasi *semi-iter.*

407. *Castigantque moras.*] Accelerant, ac veluti increpant morantes.

409. *Litora fervere.*] *Æstuare,* nautis, Trojanis, aliis referta esse. Utraque translatio petitur ab æstu, et aquis ferventibus, quæ dum ebulliunt, confertim ac tumultuoso impetu miscentur inter se, multiplicantur, intumescunt.

416. *Anna, vides, &c.*] Dido jam Æneæ dirissima quæque comminata atque imprecata fuerat, v. 381. Nunc suadet Annæ ut eum supplex adeat pro se: more amantum, qui nunc minis, nunc precibus agunt; jam furiosi, mox dejecti, nusquam sibi similes. Oratio tres habet partes. I. Exponit præsens profectionis periculum. II. Rogat Annam ut Æneam adeat: tum quia colitur ab Æneâ, tum quia novit ipsa pertentare ejus animum. III. Docet eam argumenta, quibus eum à profectione deterreat, eaque tria. 1. Quòd nihil in eum hostile Dido commiserit. 2. Quòd nondum commoda sit navigationi tempestas. 3. Quòd non jam conjugium; sed breve tantùm tempus petat, ut dolori assuescat suo, ejusque absentiæ.

417. *Carbasus.*] Plur. *Carbasa.* Lini genus, quo et vela et vestes etiam fiunt: in Hispaniâ inventus est circa Tarraconem, ex Plin. l. 19. 1.

418. *Coronas.*] Mos nautarum cùm solverent, et appellerent, in signum lætitiæ. G. 1. 303. *Ceu pressæ cùm jam portum tetigere carinæ, Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.* Imponebant autem præcipuè puppibus, quia in eâ navis parte sacrarium erat.

419. *Hunc ego si potui, &c.*] *Si potuissem:* mutatio modi, ut suprà, v. 27. *Antè, pudor, quàm te violo;* id est, *violem.* Et sensus est: Quamvis non possim perferre, *tamen* hoc mihi solatium qualecunque exhibe, *I, soror, atque hostem affare,* &c.

Exequere, Anna, mihi: solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles aditus et tempora nôras.
I, soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi:
Nec patris Anchisæ cineres manesve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quò ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Expectet facilemque fugam ventosque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro:
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: miserere sororis:
Quam mihi cùm dederit, cumulatum morte remittam.
Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullus ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obstant, placidasque viri Deus obstruit aures.
Ac veluti annoso validam cùm robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, et altè
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis; et quantùm vertice ad auras
Æthereas, tantùm radice in Tartara tendit.

*nam perfidus ille* solebat *te solam revereri, etiam tibi committere secretos sensus: sola cognoscebas tempora et commodos aditus ad illum. I, soror, et supplex alloquere hostem ferocem. Non ego juravi cum Græcis in Aulide evertere Trojanam gentem, aut misi naves adversùs Trojam: nec effodi cineres et umbram patris Anchisæ. Cur abnuit excipere rigidis auribus meos sermones? Quò vadit? Concedat ultimum hoc munus miseræ amanti: expectet commodam fugam, et ventos opportunos. Non jam peto antiquum conjugium, quod violavit: nec* ut *abstineat pulchro Latio, et deserat regnum. Peto tempus leve, quietem, et moram* ad *amorem* extinguendum: *donec sors mea me domitam assuefaciat* huic dolori. *Hoc precor* ab illo *beneficium ultimum: miserere sororis: cùm mihi hoc dederit, dimittam illum expletum* etiam *morte* meâ. *Talibus* verbis *precabatur, et soror miserrima fert ac refert* Æneæ *tales fletus: sed ille nullis fletibus movetur, et nulla verba audit exorabilis. Fata obstant, et Deus occludit Æneæ benignas aures. Et veluti quando Boreæ Alpini nunc hinc, nunc illinc, conantur inter se evertere flatibus quercum validam antiquo robore;* tunc *stridor auditur, et trunco profundè commoto folia tegunt terram: ipsa* quercus *hæret rupibus: et tantùm radice progreditur ad inferos, quantùm cacumine in cœlestem aërem.*

## NOTÆ.

426. *Aulide juravi.*] *Aulis,* Tanagræcorum pagus est, in orâ Bœotiæ, loco saxoso, ad Euripum Eubœæ appositus, non longè à Chalcide: portum habet duplicem; quò convenit Græcorum classis navium mille, ad Trojanam expeditionem proficiscens. Hìc cùm in illo Græcorum conventu Agamemnon rex Mycenarum cervam, Dianæ Aulidensi sacram, inter venandum occidisset, ventis adversis detenta classis fuit, donec admonitus à Calchante Agamemnon Iphigeniam filiam suam Dianæ immolaret, Æn. 2. 116. De *Danais,* Græcis, Æn. 1. 30. De *Pergamis,* arce Trojæ, Æn. 1. 466.

427. *Anchisæ cineres manesve.*] Grave crimen apud veteres, violare mortuorum sepulchra. De *manibus,* suprà, v. 385. De *Latio,* Italiæ parte, Æn. 1. 6.

435. *Veniam.*] Favorem ac beneficium, Æn. 1. 519.

*Miserere sororis.*] Extremum hoc ab illo beneficium peto: miserere igitur sororis, et fac ut illud obtineam.

436. *Quam mihi cùm dederit, cumulatum morte remittam.*] Ita, collatis exemplaribus, hunc versum, totius operis difficillimum et maximè luxatum, emendo: Et sensus est. *Hoc beneficium moræ paulò longioris, hanc gratiam extremam cùm mihi contulerit: remittam illum, dimittam, sinam abire, et mortem meam quasi cumulum votis ejus adjiciam.* Estque hæc amantum locutio, qui perfidis amantibus munus conferre morte suâ existimant: qualis ille pastor, Ecl. 8. 59. *Præceps aërii speculâ de mentis in undas Deferar, extremum hoc munus morientis habeto.* Habent alii codices: *Quam mihi cùm dederis, cumulatam morte relinquam,* vel *cumulatâ in morte relinquam:* nullo, vel absurdo sensu.

442. *Alpini Boreæ.*] De *Boreâ,* vento septentrionali, Ecl. 7. 51. Hìc numero plurali, ut passim *Aquilones* et *Austri.* Dicuntur *Alpini,* quia flant à septentrione: ager autem Mantuanus, unde Virgilius erat, et magna pars Italiæ, Alpibus à septentrione et occidente cingitur. De *Alpibus,* E. 10. 47.

Haud secùs assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas:
Mens immota manet; lachrymæ volvuntur inanes.
 Tum verò infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cœli convexa tueri.
Quò magis inceptum peragat, lucemque relinquat:
Vidit, thuricremis cùm dona imponeret aris,
Horrendum dictu, latices nigrescere sacros;
Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea, fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festâ fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox cùm terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque prætereà vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios desertâ quærere terrâ.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et Solem geminum, et duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,

*Non aliter heros verberatur, hinc atque hinc continuis sermonibus, et magno animo sentit dolores: animus* tamen *perstat immutabilis, inutiles lachrymæ defluunt. Tunc autem misera Dido territa fatis rogat mortem: tædet* eam *aspicere concava cœli. Ut magis perficiat consilium, et abjiciat vitam: vidit, cùm imponeret munera altaribus* ubi *thus crematur,* rem *horribilem dictu, sacrum liquorem nigrescere, et vinum effusum mutare se in fœdum sanguinem. Nulli elocuta* est hoc *prodigium, ne ipsi* quidem *sorori. Prætereà fuit in ædibus sacrarium primi mariti è marmore, quod venerabatur mirabili cultu, cinctum vittis albis et festivis foliis. Verba et voces mariti appellantis visa* sunt *hinc audiri, cùm opaca nox obtegeret terras: et bubo solus* visus est *è tectis sæpe queri funesto cantu, et protrahere longas voces in* modum *fletûs. Et prætereà vaticinia veterum vatum terrent* eam *monitis horrendis. Ipse crudelis Æneas turbat furentem per somnia: et* ipsa sibi *videtur semper deseri sola, semper ire* per *longum iter incomitata, et quærere Carthaginienses* in *locis desertis. Quemadmodum Pentheus insaniens videt turmas Furiarum, duosque Soles, et duas Thebas se offerre* ipsi: *vel* quemadmodum *Agamemnonis* filius *Orestes,* tam sæpe *jactatus* in *theatris,*

## NOTÆ.

451. *Convexa, &c.*] *Tædet cœlum videre,* id est, *vivere. Convexa,* dixit, id est, *concava:* concavam enim cœli superficiem duntaxat videmus, non convexam, Æn. 1. 310.

454. *Latices nigrescere, &c.*] Per *latices,* lac et aquam intelligit, quæ cùm alba vulgò sint, novo prodigio nigrescebant: tum vina in cruorem vertebantur. Hæc enim offerebantur in sacrificiis, vina præsertim, ad libationem, de quâ Æn. 1. 736.

457. *Templum.*] *Sacrarium,* locus in privatâ domo, ubi statuam servabat Sichæi, primi conjugis: ornatam frondibus, et velleribus niveis, iisque laneis, quæ *vittæ* dicebantur; ornamenta non sacerdotum tantùm, sed et statuarum et victimarum. Ecl. 8. 64. Æn. 2. 133.

462. *Sola bubo.*] *Hibou:* THE OWL: vulgò masculini generis, hìc fœminini: idque notat Nonnius Marcellus; idemque legit *sera,* non *sola;* utrumque aptè, cùm *sero* sub noctem canat, et loca *sola* plerumque incolat.

469. *Eumenidum veluti, &c.*] Furorem Didonis comparat cum furore Penthei et Orestis. *Pentheus,* Echionis filius, Cadmi nepos ex Agave filiâ, rex Thebarum in Bœotiâ: cùm cives à Bacchi veneratione averteret, ipsumque Bacchum, ad se sub Acœtæ formâ adductum à famulis, carcere includi jussisset, tum in Cithæronem, Bœotiæ montem ad orgia disturbanda cucurrisset, à matre et materteris orgia celebrantibus laceratus est. Ita Ovid. Metam. 3. 700. Ita ferè et Euripedes in Bacchis: ubi ait Pentheum, antequam in montem abiret furore immisso vexatum à Baccho fuisse, v. 848. ipsumque inducit Pentheum ita loquentem, v. 915. Καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, διττὰς δὲ Θήβας, *Et verò videre mihi duos quidem Soles videor, duplicesque Thebas.* Addit Virgilius etiam *agmina Eumenidum,* sive furiarum, quæ tres tantummodo sunt. De quibus, G. 1. 278.

471. *Orestes.*] Agamemnonis filius, propter occisum matrem Clytæmnestram agitatus ab ejus umbrâ et Furiis, quæ semper ei cum facibus imminere videbantur, Delphos adiit ad consulendum Apollinem: à quo cùm audisset se Athenis in templo Minervæ expiandum, Furiis templi limen obsidentibus ne exiret, exiit tamen; et Athenas profectus, Minervæ judicio causam ad-

*quando fugit matrem armatam facibus et nigris anguibus ; et* quando *Furiæ vindices stant ad januam. Igitur postquam* Dido *succumbens dolori suscepit* animo *furias, et statuit mori : secum ipsa meditatur tempus et modum, et compellans verbis tristem sororem, celat consilium sub vultu, et exhilarat frontem spe* simulatâ : *O soror,* inquit, *gratulare sorori, reperi artem, quæ restituet illum mihi, vel me amantem liberabit* ab *illo. Prope terminos Oceani et Solem occidentem, extrema est regio Æthiopum : ubi magnus Atlas vertit humeris cœlum confixum astris fulgentibus. Inde* oriunda *ostensa est mihi saga Massylæ nationis, custos templi Hesperidum : et quæ præbebat cibum draconi, et servabat sacros ramos in arbore, fundens liquida mella et somniferum papaver. Hæc pollicetur se carminibus resolvere animos quos velit : aliis verò injicere tristes curas, retinere aquam* in *fluviis, et retrò agere sidera ;*

Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Cùm fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore,
Decrevitque mori : tempus secum ipse modumque
Exigit, et, mœstam dictis aggressa sororem
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat :
Inveni, germana, viam, gratare sorori,
Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta Solemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus est : ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit : ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retrò :

## NOTÆ.

versùs Furias obtinuit. Hinc dixit Virgilius *in limine.* Ita ferè Æschylus in Eumenidum tragœdiâ : quâ de re cùm aliæ ab Euripide aliisque poëtis tragœdiæ scriptæ sint ; ideò dicitur *scenis agitatus Orestes.* Cætera de eo, Æn. 3. 331. De *Scenâ,* parte theatri, G. 2. 381. et 3. 24. De *Diris,* Furiis. Æn. 3. 211. G. 1. 278. G. 3. 552.

480. *Oceani finem juxta, &c.*] *Hesperides* tres, *Ægle, Arethusa, Hesperethusa :* patrem habuerunt, vel Hesperum Atlantis fratrem ; vel Atlantem ipsum, ex Hesperide. Is hortos filiabus attribuit, ubi mala fuere aurea : eosque custodiendos dedit pervigili draconi : inde Hercules, ab Euristheo jussus, occiso dracone, mala diripuit. Præter draconem addit Virgilius *sacerdotem* et *templum,* fortassè Veneris, cui mala dicata erant. Situs hortorum à Virgilio describitur juxta communiorem opinionem, in Mauritaniâ Tingitanâ, extremâ Africæ parte ad occidentem, circa Lixum oppidum : vel in continenti, juxta aliquos : vel in insulâ, juxta alios. Hic locus ad orientem habet *Massylos* sive *Masæsylos,* ad meridiem, *Æthiopas* occidentales, et *Atlantem* montem, de quo v. 247. qui mons cùm variis nominibus ad Ægyptum usque pertineat, et Africam universam dividat in septentrionalem et meridionalem : ideò veteres poëtæ quicquid erat ferè gentium ad meridiem Atlantis, Æthiopum nomine comprehendebant, dividebantque in orientales et occidentales. De *Æthiopiâ* propriè dictâ diximus Ecl. 10. 68. Alii *Hesperidum* hortos collocant in parte Africæ planè oppositâ, nempe ad orientem, in orientali orâ Syrtis majoris : quorum errorem refellit Salmasius ad Solinum. *Mala* porrò hortorum, alii *oves* pretiosissimi velleris aiunt fuisse, quæ, ut et *mala,* Græcis dicuntur μῆλα : alii *mala* illa existimant, quæ vel *citrea* vel *aurantia* appellamus ; inde ab Hercule exportata in Græciam. *Hortos* verò putant insulas esse *Fortunatas,* nunc *Canaries,* infra Lixum quidem, sed Atlanti proximas, et à litore non admodùm dissitas. Alii volunt eas esse, quæ ab antiquis *Hesperides* et *Gorgades* appellatæ sunt, nunc *Isles du Cap Verd,* THE ISLES OF CAPE VERD ; sed illæ multò ad meridiem accedunt magis, et ab Atlante recedunt ad ostia nigri fluvii, à quibus leucis totis centum et quinquaginta dissitæ sunt. *Draconem* denique existimant flexuosum maris fretum fuisse, quo horti à continente dividebantur.

482. *Stellis ardentibus aptum.*] Hæc locutio ter reperitur in Ennii fragmentis, unde Virgilius eam hausit. *Aptum* autem hîc, *fixum* et *connexum* est à Græco ἅπτω, *ligo,* Ecl. 7. 13. Sic Lucret. 5. 538. *Ex ineunte ævo conjunctam atque uniter aptam.* Et v. 1205. *Stellisque micantibus æthera fixum :* id est, *in quo stellæ micantes fixæ sunt.* Ita : *Stellis ardentibus aptum,* id est, *in quo stellæ ardentes aptæ et junctæ sunt.*

486. *Soporiferumque papaver.*] Si pervigil esse debuit draco, quomodo soporifero papavere sacerdos eum alebat? Hîc multa interpretes. Ego hæc duo. I. Non significat poëta sopitum draconem à sacerdote, sed nutritum cibis delicatissimis. Erat autem in deliciis mensarum secundarum apud veteres massa quædam dulciaria, tosto semine papaveris

Nocturnosque ciet manes. Mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, chara, Deos et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige: et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviasque omnes, lectumque jugalem
Quo perii, superimponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monimenta jubet monstratque sacerdos.
Hæc effata silet: pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit: nec tantos mente furores
Concipit; aut graviora timet, quàm morte Sichæi:
Ergo jussa parat.
At regina pyrâ, penetrali in sede, sub auras
Erectâ ingenti, tædis atque ilice sectâ,
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funereâ: super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circùm et crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque,

*et evocat infernas umbras. Videbis terram reboare sub pedibus, et ornos delabi à montibus. O dilecta soror, attestor Deos, et te tuumque jucundum caput, me coactam præparari ad magicas artes. Tu tacita, sub aëre,* in *interiore domo, extrue rogum: et superpone arma Æneæ, quæ sceleratus reliquit suspensa* in *cubiculo, et omnes vestes, et lectum conjugalem* in *quo perii. Placet delere omnes reliquias pessimi hominis, et* ita *docet saga. Hæc locuta tacet: simul pallor invadit vultum. Tamen Anna non putat sororem celare mortem* suam sub illis *novis ceremoniis: nec suspicatur animo tantam rabiem; aut timet atrocius* quicquam, *quàm* in *nece Sichæi. Igitur præparat,* quæ *mandata* fuerant. *Sed regina, extructo rogo è tædis et ilicibus sectis, sub aëre, in interiore domo, cingitque locum sertis, et coronat funebribus foliis: superponit lecto vestes, et ensem relictum, et imaginem* Æneæ, *non inscia futuri* casûs. *Altaria stant circùm, et saga soluta crinibus tonat ore trecentos Deos, et Erebum, et Chaos,*

NOTÆ.

et melle condita: ex Plin. l. 19. 8. nihilque apud eos ferè mellitum erat, quod non esset sparsum etiam papavere. II. Forte vult illius sagæ potentiam extollere, quæ artem etiam sciret sopiendi pervigilis draconis: ut Medea apud Ovid. Met. 7. 150. De *manibus*, animis mortuorum, G. 4. 469. De *ornis*, fraxinis sylvestribus, Ecl. 6. 71.

493. *Accingier artes.*] Pro *accingi ad artes:* suppressâ præpositione, et voce trisyllabâ in quadrisyllabam prolatâ, more Græcorum, qui infinitivis attexunt syllabas. *Accingi*, pro *parari:* morem eorum innuit, qui fluentem vestem colligunt et cingunt, ut sint ad opus expeditiores. Cur autem opus erat hoc apparatu? nonne sibi necem consciscere poterat Dido clam sorore? Poterat enimverò. Sed sperare etiam poterat, apparatûs illius insolentiâ Æneam fore commovendum. Et pompam illam ex arte adhibuit Virgilius, ut historiæ aliquo modo serviret, quæ Didonem erecto rogo sibi vitam ademisse testatur, licèt honestiorem ob causam, suprà, v. 36.

494. *Pyram.*] Struem lignorum ad comburenda cadavera. *Rogus* dicitur, antequam ardeat: vel à *ῥωγὴ*, *fissura*, ex Marsilio: vel potiùs à *rogandis* Diis, qui cadavere imposito rogabantur, ex Perotto. *Pyra* dicitur, cùm jam ardere cœpit, à *πῦρ*, *ignis*. *Bustum*, cùm ardere desiit, vel quasi *benè ustum*, ex Festo: vel potiùs, ex Vossio, ab antiquo *buro*, unde *comburo*, quod est à Græco *πύρω*.

*Tecto interiore sub auras.*] Non quidem sub *tecto*, quod inde arsisset: sed in intimo regiæ recessu, aperto loco, *Sub auras*. *Tectum* igitur hìc pro domo sumitur, pars pro toto.

495. *Arma, thalamo, &c.*] Et infrà, v. 507. *ensem relictum*. Itaque immeritò culpant nonnulli Virgilium, quòd ensis ab Æneâ, Didoni; à viro mulieri, dono datus sit. At non ait *datum*, sed casu relictum in cubiculo. Nec obstat, quòd eum *munus* appellet, v. 647. Sic enim ait *non hos quæsitum munus in usus*, id est, *non hos in usus quæsitum et comparatum ab Æneâ: cui muneris loco, datus ab aliquo alio fuerat.*

496. *Exuvias.*] Spolia, vestes; ab *exuo*.

505. *Tædis atque ilice.*] *Tæda*, arbor pinguis, è *picearum* genere, ex quâ faces fiebant, quæ ideò *tædæ* vocabantur: *Ilex*, arbor glandifera, è quercuum genere, *l'yeuse*, THE HOLM OAK.

506. *Intenditque locum sertis, &c.*] Vel pyram, vel parietis locum ubi stabat pyra. *Funereâ fronde*, verbena ex funestis arboribus, cupresso, taxo, &c. De *verbenis*, E. 8. 65.

508. *Effigiemque toro, &c.*] Ad amoris affectum, ut ne in morte quidem ab Æneâ separetur: in speciem tamen, ad magica sacra: quibus adhibebantur effigies eorum, in quos illa parabantur, præsertim cereæ, Ecl. 8. 75. De *toro*, lecto, Æn. 3. 224.

509. *Sacerdos.*] Massyla, de quâ, v. 483. De *crinium in sacris effusione*, Æn. 3. 370.

510. *Tercentum tonat ore Deos.*] Vel juxta Hortensium, sonat *tercentum Deos;* id est, *innumeros:* certo numero, pro incerto. Vel juxta Servium, *Ter tonat centum Deos*, id est centum numina Hecates, quæ sic dicta ab

*et Hecaten triplicem, tria capita virginis Dianæ. Affuderat quoque fictas aquas lacûs Averni. Et conquiruntur lanuginosæ, herbæ, succisæ falcibus æreis ad Lunam cum succo nigri veneni. Conquiritur etiam* Hippomanes, *amor equæ subductus, et evulsus è fronte pulli nascentis. Ipsa* Dido *moritura, exuta calceamentis* circa *unum pedem, in veste succinctâ, prope altaria,*

Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianæ.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni.
Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa molâ manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recinctâ,

NOTÆ.

ἑκατὸν, *centum:* quia centum varias habere dicebatur potestates, et centum victimis placabatur, et centenarius numerus ipsi sacer erat.

*Erebum.*] Vel Deus est inferorum, ex Chao et Caligine prognatus, paterque Noctis, juxta Hyginum: vel profundissima inferorum sedes, ob ἐρέφω, *tego.*

*Chaos.*] Vel antiquissimus Deorum est, unde cæteri propagati, juxta Hesiodum in Theog. v. 116. Vel prima rerum omnium et confusa moles, unde orbis eductus est, G. 4. 347.

511. *Tergeminam Hecaten, &c.*] Sororem Apollinis, triplici nomine: quippe *Luna* in cœlo, *Diana* in terris, *Proserpina* in inferis appellabatur. At prætereà *Hecate.* Ergo nomine quadruplici, non triplici? Immò *Hecate* nomen non fuit, sed cognomen, de quo proximè diximus. Eadem quoque tribus capitibus pingebatur, dextro equino; sinistre canino; medio, vel humano, vel suillo, variant enim auctores. Tum colebatur in triviis. *Virgo* dicitur, quia virginitatis amans, ideóque sylvestres mores et venatum coluit. Igitur poëta per *Hecaten* et *Dianam,* idem dixit, diversè tamen expressit.

512. *Simulatos fontis Averni.*] *Lacus* propriè, non *fons* est, in Campaniâ Italiæ, per quem descensus esse dicitur ad inferos, G. 2. 161. Cujus aquæ ad magica sacra celebres dicuntur apud Latinos: an item apud Barbaros et Græcos non perinde liquet. Fortassè *Averna* generatim dicuntur lacus omnes, quorum halitus putris et gravior avibus infestus est: inde enim *Avernus* nomen habuit quasi ἄορνος, ab α privativo, et ὄρνις, *avis,* Æn. 6. 237. Conjecturam firmat Lucret. l. 6. 738. *Nunc age Averni tibi quæ sint loca cumque, lacusque.* Aquam autem ejusmodi à magis ubique expetitam, quippe fœdam et graveolentem, verisimile est. Addit *simulatos:* quia communem aquam hoc nomine Dido appellabat, ad fallendam sororem.

513. *Falcibus et, &c.*] *Ad lunam:* quia putabatur in herbas despumare, et inservire rebus magicis: quippe eadem atque Hecate, Ecl 8. 69. *Pubentes herbæ:* vel villosæ et lanuginosæ: vel grandiores et adultæ, quibus vis insit major; non teneræ. *Ahenis falcibus,* id est æreis: quia id eâ in arte solemne. Ovid. Met. 7. 288. de Medeâ: *Partim succidit curvam ne falcis ahenæ.*

514. *Nigri lacte veneni.*] Vel *lac* dixit, pro quolibet succo: *nigrum venenum,* pro infausto, diro, ut G. 2.130. *Membris agit atra venena.* Vel, *lac nigri veneni,* pro succo nigri coloris.

515. *Nascentis equi, &c.*] Plin. l. 8. 42. *Censent equis innasci amoris veneficium hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu devorat fœta; aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat.* Eadem ferè Aristoteles et Ælianus. Ideò Hippomanes *matris amor* dicitur: quia primò expetitur ab equâ, eique pullum chariorem reddit. Nomen ab ἵππος, *equus* et μανία, *furor.* Hoc autem hippomanes quæri jubet Dido: ut sorori persuadeat, sacra illa, ad conciliandum Æneam, non ad mortem sibi quærendam institui.

517. *Ipsa molâ manibusque, &c.*] Ipsa Dido, non sacerdos, Deos attestatur: *spargens molam,* sive placentam salsam super àras, easque *tenens manibus.* De *molâ,* ejusque spargendæ consuetudine, Æn. 8. 82. De *tenendis aris,* inter supplicandum, suprà, v. 219.

518. *Unum exuta pedem vinclis, &c.*] Sagarum habitus. Talis Medea apud Ovid. Met. 7. 182. *Egreditur tectis, vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudis humeris infusa capillos.* Sinistrum *pedem* fuisse existimat Cerdanus. *Vincla* explicat Pontanus, *calceamenta,* ex Tibull. l. 1. 6. 30. *Vinclaque de niveo detrahit ipse pede.*

*In veste recinctâ.*] Explicant omnes, *discinctam, solutam,* ac *fluentem* vestem: quia, inquit Nascimbænus, nihil in sacrificiis non solutum esse oportebat. Ego *succinctam* et *collectam;* ut pes nudus appareret, et commodior esset ad circumeundas aras habitus. Et verò tres poëtarum principes reperio, hæc tria in magico habitu descripsisse, nudos pedes, effusos capillos, et vestem recinctam. Virgilium quidem hoc loco de Didone. Ovidium Met. 7. 182. de Medeâ: *Egreditur tectis vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudis humeris infusa capillos.* Horatium Sat. l. 1. 8. 23. de Canidiâ: *Vidi egomet nigrâ succinctam vadere pallâ Canidiam, pedibus nudis passoque capillo.* Tutius igitur puto Virgilii et Ovidii interpretem adhibere Horatium: et *recinctam,* explicare *succinctam, accinctam:* præsertim cùm anteà, v. 493. Dido dixerit: *Magicas invi-*

Testatur moritura Deos, et conscia fati
Sidera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet justumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque et sæva quiêrant
Æquora: cùm medio volvuntur sidera lapsu:
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus latè liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœnissa; neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeò insistit, secumque ita corde volutat:
En quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrûm
Jussa sequar? quiáne auxilio juvat antè levatos,
Et benè apud memores veteris stat gratia facti!
Quis me autem, fac velle, sinet? ratibusque superbis
Irrisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
Quid tum? sola fugâ nautas comitabor ovantes?
An Tyriis, omnique manu stipata meorum
Insequar? et quos Sidoniâ vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrymis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.

*testatur molâ et manibus piis Deos et astra concurrentia ad* suum *fatum: prætereà, si aliquis Deus æquus et memor curam gerit amantum non æquali nexu* junctorum, hunc *implorat. Nox erat, et corpora fatigata somnum capiebant in terris, sylvæque et aspera maria quieverant: quando astra vertuntur in medio cursu: quando omnis campus silet, bestiæ, et versicolores aves, et quæ incolunt latè lacus liquidos, et quæ agros rubis horridos, jacentes sub nocte tacitâ, mulcebant somno curas et corda oblita laborum. Non verò* mulcebat curas *Phœnissa animo misera, nec unquam resolvitur in somnum, aut admittit noctem oculis aut pectore: augescunt curæ, et iterum renascens amor furit, et agitatur magno motu irarum. Sic adeò instat* sibi, *et sic apud se cogitat: Quid nunc faciam? an vicissim contemnenda tentabo primos amatores, et supplex flagitabo nuptias Numidarum, quos ego jam toties dedignata sum* accipere *conjuges? An ergo sequar naves Trojanas, et suprema imperia Trojanorum? an quia* mihi *prodest eos priùs* à me *recreatos esse subsidio, et* quia *gratia* illius *antiqui facti manet* adhuc *in benè gratis* eorum animis! *Fac autem* me *velle* eos sequi, *quis* eorum *mihi permittet? et navibus admittet irrisam? Heu! nescisne misera, necdum sentis perjuria Trojanæ gentis? Quid tum* si hoc accidat? *an sola fugiendo sequar nautas* eorum *triumphantes? an cincta Carthaginiensibus, et omni turbâ meorum persequar* eos? *et iterum traham in mare, et jubebo committere vela ventis,* eos *quos difficilè extraxi ex urbe* Tyro, *Sidoniæ* vicinâ? *Morere potiùs, ut digna es, et expelle ense dolorem. Tu, ô soror, commota meis lachrymis, tu primò oppressisti amantem his miseriis, et exponis* me *hosti.*

## NOTÆ.

*tam accingier artes;* et in plerisque aliis verbis, *re,* non neget, sed augeat; ut in *recido, recipio;* in plerisque utramque vim habeat; ut in *recanto,* et *recino,* quæ significat incantationem et dissolvere et iterare; sic erit in *recingo* utraque vis.

520. *Non æquo fœdere amantes.*] Amantes, non æquali effectu; non pari fide conjunctos: quales erunt Dido et Æneas; illa multùm, hic leviter amans.

529. *Phœnissa.*] Hic *Phœnix,* hæc *Phœnissa:* oriunda è Phœniciâ, Æn. 1. 446. *Infelix animi.*] Græca locutio: ut G. 4. 491. *Fictusque animi,* G. 3. 498. *Infelix studiorum, &c.*

534. *En quid ago? &c.*] Deliberat noctu Dido, quid factura sit. Quinque sibi proponit consilia. I. Procos priores adire precibus, ut per eos læsum amorem ulciscatur. II. Trojanorum navibus, et fidei se committere. III. Solam Trojanos fugientes sequi. IV. Eos totius regni sui viribus persequi. V. Rejectis his omnibus, mori. Denique miseriarum causam in sororem refert: cujus blanditiis impulsa est, ut datam Sichæo falleret fidem. De *Nomadibus,* vel Numidis, suprà, v. 41.

538. *Quiáne.*] An quia? Et ironia est, hoc sensu: *An quia jam nihil prodest mihi quòd eos olim juverim: ideò eorum naves sequar, eorum imperio me subjiciam?* De gente *Laomedonteâ,* ejusque perjuriis, G. 1. 502.

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?
Non servata fides cineri promissa Sichæo.
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsâ in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam ritè paratis.
Huic se forma Dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, et membra decora juventæ:
Nate deâ, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec, quæ circumstent te deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas?
Jam mare turbari trabibus, sævasque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis:
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras: varium et mutabile semper
Fœmina. Sic fatus nocti se immiscuit atræ.
Tum verò Æneas, subitis exterritus umbris,
Corripit è somno corpus, sociosque fatigat:
Præcipites vigilate viri, et considite transtris:
Solvite vela citi: Deus æthere missus ab alto,
Festinare fugam tortosque incidere funes
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte Deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.

*Nonne fas erat ducere vitam immunem nuptiarum, in modum feræ, nec tangi talibus curis? Non est servata* à me *fides jurata cineribus Sichæi. Illa immittebat è pectore tantas querelas. Æneas jam certus abeundi capiebat somnum in altâ puppe, jam benè præparatis rebus. Species Dei redeuntis sub eâdem figurâ obtulit se illi per somnum, et iterum visa est ita increpare illum: similis Mercurio* per *omnia, et vocem, et colorem et flavos capillos, et membra pulchra juventutis: Fili Veneris,* inquit, *potesne capere somnum, in hoc casu? nec vides pericula quæ mox te circumstabunt? insane! nec audis ventos propitios flare? Illa* Dido, *certa moriendi, meditatur animo fraudes et sævum crimen, et agitatur variis motibus irarum. Nec fugis hinc festinus, quamdiu potestas* est *festinandi? Mox videbis mare agitari remis, et splendere funestis facibus; mox litora accendi flammis: si Aurora invenerit te tardantem* in *his regionibus. Age ergo, amputa moras: mulier* res est *semper varia et mutabilis. Ita locutus confudit se* cum *nigris tenebris. Tunc autem Æneas territus subito simulacro, eripit corpus somno, et increpat socios: Expergiscimini celeriter, ô socii, et sedete in scamnis: explicate vela citò: ecce Deus missus ex alto cœlo rursus hortatur celerare fugam, et secare tortos funes. Sequimur te, ô sancte Deus, quicunque es, et rursus læti obtemperamus mandatis.*

## NOTÆ.

551. *More feræ, &c.*] Id est solitariam vitam degere, et minimè sociabilem, et quasi feram. Frustrà enim nonnulli ad *lynces* respexisse existimant, quas aiunt amisso conjuge nunquam deinceps alteri sociari. *Tangere curas.*] Dictum, pro *tangi curis:* ut Æn. 1. 9. *volvere casus,* pro *volvi casibus.*

552. *Cineri Sichæo.*] Adjectivè pro *Sichæio:* nisi legatur, ut in antiquis plerisque cod. *Sichæi.*

560. *Nate Deâ.*] Secunda Mercurii ad Æneam legatio: quâ suadet, ut etiam noctu fugiat. Duplici ratione utitur. I. Petitur ab imminentibus periculis. II. A commodâ tempestate. Pericula deinde exponit, in eo posita quod nunc quidem Dido statuerit mori: sed cùm sit *varium ac mutabile fœmina,* fieri possit, ut nolit inulta mori, et posterâ die fugientem armatâ classe persequatur.

562. *Zephyros.*] Commodum quemlibet ventum: nam ex Africâ in Italiam solventibus Austro meridionali, non Zephyro occidentali opus est, Ecl. *5. 5.*

566. *Jam mare turbari trabibus.*] Carthaginiensium navibus, à Didone immittendis. Sic Æn. 3. 191. *Cavâ trabe currimus æquor.* De *Aurorâ,* G. 1. 249.

573. *Transtris.*] Scamnis nauticis, ubi remiges sedent.

576. *Sancte Deorum, Quisquis es.*] Sumpsit ex Ennio: *Respondit Juno Saturnia, sancta Dearum:* qui fortè ex Græcis, apud quos illa dicitur δῖα θεάων. Alii sic interpungunt: *Sequimur te,* sancte, *Deorum quisquis es. Quisquis es.*] Non enim videtur iterum venisse Mercurius armatus caduceo et talaribus, ut v. 239. sed colore tantùm et voce similis, v. *559.*

577. *Ovantes.*] Læti, Æn. 3. 189.

Adsis ô placidusque juves, et sidera cœlo
Dextra feras. Dixit: vaginâque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet: rapiuntque, ruuntque:
Litora deseruere: latet sub classibus æquor.
Adnixi torquent spumas, et cœrula verrunt.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina è speculis ut primùm albescere lucem
Vidit, et æquatis classem procedere velis;
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas: Proh Jupiter! ibit
Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis?
Non arma expedient, totâque ex urbe sequentur,
Diripientque rates alii navalibus? ite:
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cùm sceptra dabas. En dextra fidesque!
Quem secum patrios aiunt portare Penates,
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum divellere corpus, et undis

*Adsis ô, et* nos *benignus adjuves, et reddas è cœlo sidera propitia. Dixit: et eripit è vaginâ gladium coruscantem, et strictâ acie secat funes. Idem ardor occupat simul omnes: et rapiunt, et ruunt: reliquerunt litora: mare tegitur sub navibus: adnixi convolvunt* fluctus *spumosos, et trajiciunt cœrulea* spatia. *Et jam prima Aurora, deserens croceum lectum Tithoni illustrabat terras novâ luce: statim atque regina vidit è speculâ diem albescere, et classem progredi velis paribus: et animadvertit litora et portus vacuos absque remigibus: percutiens ter et quater manu pulchrum pectus, et evellens flavos capillos: Proh Jupiter! inquit: abibit ille advena, et illuserit nostro regno?* Cives *non educent arma, nec* eum *insequentur ex urbe totâ, nec alii extrahent naves è stationibus? ite celeres, injicite faces, immittite vela, agitate remos. Quid dico, aut ubi sum? quæ amentia turbat mentem? Misera Dido, nunc fata crudelia te urgent. Tunc decebat* hæc facere, *cùm tradebas sceptra* tua Æneæ. *En dextra* data, *et fides:* en ille, *quem dicunt ferre secum patrios Penates, quem sustentâsse humeris patrem annis effœtum. Nonne potui lacerare correptum corpus,*

NOTÆ.

579. *Dextra sidera.*] Propitia. De usu vocis hujus, et cur sæpe *læva* etiam prospera sint, Ecl. 1. 16.

585. *Tithoni croceum, &c.*] Tithonus, Laomedontis Trojani regis filius, ex Strymone: ob formam raptus ab Aurorâ, ab eâdem immortalitatem obtinuit: sed oblitus perpetuam juventam etiam petere, cùm demum consenuisset, tædio affectus mortalitatem petiit; quæ restitui cùm non posset, in cicadam ab Aurorâ mutatus est. De *Aurorâ*, Geor. 1. 249. *Croceus* color, qui proprius est *croci* floris, *du safran*, SAFFRON.

586. *E speculis.*] Locis editioribus, unde *speculari* procul poterat abeuntes: insomnis enim totâ nocte, eò se Dido amoris impatientiâ contulerat.

590. *Proh Jupiter, &c.*] Erumpit in hanc orationem reginæ furor. *Imprecatoria* est: habetque partes septem. I. Exclamationem abruptam, quâ Jovem appellat, quasi violati hospitii vindicem: quemadmodum eum in excipiendo primùm hospite appellaverat Æn. 1. 731. II. Jussa aspera et concitata, quibus Carthaginienses in fugaces Trojanos commovet. III. Correctionem amentiæ suæ, quâ se absentibus stulta imperare cognoscit: tum enim sola loquebatur è speculis. IV. Exprobrationem fictæ Æneæ pietatis, in Deos, in patrem. V. Dolorem amissæ ultionis, quam in Æneam, ejusque filium et gentem, exercere potuisset. VI. Obtestationem Deorum, tam superorum, quàm inferorum; ut sibi adesse ultores velint. VII. Diram imprecationem, tam in Æneam, quàm in ejus posteros; quæ æterna Carthaginiensibus et Italis inter se odia protendit.

595. *Quæ mentem insania mutat?*] Olim quippe servabas Æneam ejusque naves à Pœnorum furore, Æn. 1. 562. nunc eos in illum immittis? Olim sceptra dabas Æneæ, nunc ejus vitam petis?

596. *Nunc te fata impia tangunt.*] Nunc instant tibi fata ultima, dura sors, suprema dies: et jam tibi mentem et consilium, mox vitam quoque eripient.

597. *Tum decuit, cùm, &c.*] Decuit hæc, quæ nunc jubes, tum jubere; et Trojanos habere hostiliter: cùm eos hospitio, eorum ducem in regni partem accepisti, cùm ei sceptra tua, teque adeò tradidisti.

598. *Penates.*] De *Penatibus*, quos Trojano incendio Æneas eripuerat, deque *Anchisâ* sublato in humeros, Æn. 2. 717. et sequentibus.

600. *Abreptum divellere corpus.*] Quemadmodum Bacchæ Orpheum, Pentheum, decerpserunt: Geor. 4. 220. et suprà, 469.

Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum apponere mensis?
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna! fuisset.
Quem metui moritura? faces in castra tulissem:
Implêssemque foros flammis: natumque patremque
Cum genere extinxêm: memet super ipsa dedissem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras:
Tuque harum interpres curarum, et conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Diræ ultrices, et Dii morientis Elisæ,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est;
Et sic fata Jovis poscunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulsus Iüli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera: nec, cùm se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optatâ luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediâque inhumatus arenâ.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

*et spargere* in *aquas? nonne occidere gladio socios, nonne ipsum Ascanium, et offerre* eum *in mensâ patris comedendum? At dubius fuisset exitus* illius *pugnæ! fuisset. Quem timebam* ego *moritura? immisissem faces in castra, et implevissem ignibus naves: extinxissem patrem et filium cum gente: ipsa me præcipitâssem super* illos. *Sol, qui luce circumspicis omnia terrarum opera: tuque Juno, conciliatrix et particeps nuptialium negotiorum: et tu Hecate inclamata per urbes in triviis nocturnis: et Furiæ vindices, et Dii morientis Didonis; audite hæc, et applicate huc numen meritum à sceleratis, et excipite nostras preces. Si necesse est* Æneam, *sceleratum* illud *caput, attingere portus, et appelli terris; et sic voluntas Jovis* id *exigit, et hic terminus stat: saltem agitatus et bello et armis fortis populi, exul è finibus* suis, *abstractus à complexu Ascanii, imploret auxilium, et cernat indignas mortes suorum: et, cùm submiserit se conditionibus pacis onerosæ, non potiatur regno aut vitâ desideratâ: sed moriatur ante tempus, et* sit *insepultus* in *mediâ arenâ. Hæc imprecor: emitto hæc ultima verba cum sanguine.*

## NOTÆ.

632. *Patriis epulandum, &c.*] Quemadmodum Atreus, Thyestæ fratris filios, ipsi ad epulas coctos apposuerat: Procne et Philomela Tereo Itym. Ecl. 6. 78.

605. *Foros.*] Vel spatia in navibus aperta, ut tabulata in quibus inceditur: vel concava navium latera, quæ onus *ferunt*. Geor. 4. 250.

606. *Extinxêm.*] Syncope, pro *extinxissem:* infrà, v. 682.

607. *Sol, qui, &c.*] *Solem* obtestatur, vel quasi ultorem vitæ, quam relictura est; vel ut qui lustrat omnia, suæ mortis et alienæ perfidiæ testis esse velit. *Junonem*, ut pronubam et conciliatricem interpretemque nuptiarum propter quas moritur, suprà, v. 59. *Hecaten*, ut præsidem sacrorum magicorum, quorum simulatione moritur, suprà, v. 511. *Diras*, seu *Furias*, ut infestæ sint Æneæ, cujus scelere moritur, Æn. 3. 212. Geor. 3. 552. *Deos* denique vel tutelares urbis suæ, ut inter illam atque Italos odia æterna suscitent; vel mortis præsides, ut facilem sibi mortem præbeant. De voce *lustro*, pro *circumeo*, Æn. 1. 608.

611. *Meritum malis, &c.*] Advertite et applicate huc numen vestrum, id est, potestatem illam et vim ulciscendi ac puniendi, quâ mali coërceri atque opprimi meruerunt. De *fatis*, eorumque dispensatore Jove, Æn. 1. 239.

615. *At bello, &c.*] Volunt interpretes hanc imprecationem aliquatenus exitum habuisse. Nam Æneas, I. Appulsus in Italiam, vexatus est armis Turni regis. II. Avulsus est ab Iüli complexu, cùm ab eo dicessit, ut apud Evandrum quæreret auxilium, Æn. 8. 80. III. Vidit indigna suorum funera variis in præliis, Æn. 10. 11. 12. Præsertim cædem Pallantis, Æn. 10. 489. IV. Pacem, aiunt, iniquis conditionibus cum Latino rege sancivit; quia propriæ gentis amisit nomen, et commune Latinorum nomen accepit, Æn. 1. 6. V. Cecidit ante diem, inhumatus jacuit: quia dicitur, tertio imperii anno cum Mezentio pugnans, in Numici fluminis ripâ, nusquam comparuisse: alii tamen aliter, Æn. 1. 266. VI. Nullus amor populis, nec fœdera fuerunt: siquidem tria Romanos inter et Carthaginienses orta sunt Punica bella; ex Pœnorum perfidiâ, qui nullâ fœderum religione coërceri poterant. VII. Exortus ex ipsius gente Annibal, novem annos natus ab Amilcare patre ad aras Deorum jurejurando adactus est, ut, quamprimùm posset, hostis Romanorum foret. Idem bellum Punicum secundum Romanis intulit, in ipsum Italiæ sinum; illudque octodecim annis gessit. Victus demùm à Scipione Africano majore, in Africâ, apud Prusiam Bithyniæ regem veneno se ipse interemit, ne in manus Flaminii Romanorum legati traderetur.

Tum vos, ô Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique hæc mittite nostro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor;
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.
Hæc ait: et partes animum versabat in omnes,
Invisam quærens quamprimum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi,
Namque suam patriâ antiquâ cinis ater habebat:
Annam, chara, mihi, nutrix, huc siste sororem:
Dic corpus properet fluviali spargere lymphâ,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
Sic veniat, tuque ipsa piâ tege tempora vittâ.
Sacra Jovi Stygio, quæ ritè incepta paravi,
Perficere est animus: finemque imponere curis:
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.
At trepida et cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, et pallida morte futurâ,
Interiora domûs irrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit

*Vos etiam, ô Carthaginienses, persequimini odiis stirpem* ejus *et omnem gentem futuram; et afferte hæc dona meis cineribus; nullus amor, nulla concordia sit* inter hos *populos. Nascere, ô vindex aliquis, è nostris ossibus; qui persequaris ferro et flammâ colonias Trojanas. Nunc*, et *olim*, et *quocunque tempore offerent se vires, imprecor litora inimica litoribus, maria maribus, arma armis: certent etiam ipsi posteri. Dixit hæc, et convertebat animum in varias partes, quærens quàm citissimè abrumpere vitam odiosam. Tunc breviter allocuta est Barcen nutricem Sichæi, nam nigra humus tenebat suam* nutricem *in vetere patriâ: O nutrix dilecta, accerse huc mihi Annam sororem. Mone ut festinet aspergere corpus aquâ flumineâ, et secum adducat pecudes ac piacula præscripta. Sic veniat, et tu ipsa cinge caput sacrâ vittâ. Mens est* mihi *absolvere sacrificia, quæ inchoata destinavi Jovi inferno: et ponere terminum miseriis: et dare igni bustum Trojani ducis. Sic locuta est. Illa urgebat gressum senili affectu. At Dido tremens, et efferata horridis consiliis, rotans oculos sanguineos, et infecta maculis* circa *malas trementes, et pallens* ob *mortem imminentem, ingreditur interiorem partem domûs, et furens conscendit altam pyram, et educit gladium*

## NOTÆ.

620. *Cadat ante diem, &c.*] Cadere dicuntur ante diem, qui, non præfixo juxta communem naturæ ordinem tempore, sed violentâ, aut fortuitâ, aut immaturâ morte, pereunt. De *Tyriis*, Carthaginiensibus Tyro oriundis, Æn. 1. 12. De *Dardaniis*, Trojanis, Æn. 1. 235.

623. *Cinerique hæc mittite, &c.*] Alludit ad munera, quæ sepulchris mortuorum imponebant infundebantque: *lac, vinum, sanguinem.* Æn. 3. 62. Quorum loco petit *odia*, et inimicitias cum Trojanâ stirpe.

628. *Litora litoribus, &c.*] Nam Carthaginis litus Italiæ litori situ oppositum est. Æn. 1. 13. *Carthago Italiam contra.*] Sic odiis quoque.

635. *Fluviali spargere lymphâ.*] De ablutione veterum, ante sacrificia, purâ et fluviali aquâ, Æn. 2. 719. Notant autem interpretes, ad sacra superorum Deorum ablutionem adhibitam; ad sacra inferorum, solam aspersionem. Sic Æn. 6. 636. Æneas ramum Proserpinæ figens apud inferos: *Corpusque recenti spargita quâ.* At idem, Æn. 2. 720. Penates attingere non audens, ait: *Attrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero.*

636. *Monstrata piacula.*] Res ad expiandos Deos necessarias. Cur autem? quia fidem juratam Sichæo, novo et fatali conjugio violaverat. Quæ autem illa piacula? Nempe nigræ victimæ, quæ Diis inferis immolabantur. Æn. 6. 153. *Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.* Et multa mandat vetulæ nutrici; ut eâ diutiùs absente, se ipsam faciliùs interimat: adstantibus paucis duntaxat, iisque inferioris ordinis mulierculis, de quibus v. 664. *Collapsam aspiciunt comites:* non ausæ nimirum ad eam propiùs accedere. De *vittis* et tæniis è capite pendentibus ad sacra mysteria, Æn. 2. 133.

638. *Jovi Stygio.*] Plutoni, Saturni filio, Jovis fratri: cui, in divisione universi imperii, sorte inferi obtigerunt. Dictus à *Styge*, inferorum fluvio, Æn. 6. 323.

640. *Dardaniique rogum capitis.*] Rogum extructum ad abolenda monumenta omnia exuviasque Æneæ Trojani, ejusque amorem extinguendum: ut à sagâ sibi præscriptum esse fingebat, v. 495. De *rogo*, busto, v. 494.

646. *Ensem, non hos, &c.*] De ense illo, suprà, v. 495. De *toro*, lecto, Æn. 3. 224.

Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.
Hìc postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paullùm lacrymis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
Dulces exuviæ, dum fata Deusque sinebant:
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem præclaram statui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico à fratre recepi:
Felix, heu nimiùm felix! si litora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.
Dixit: et, os impressa toro, Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait: sic, sic juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat: atque illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria, concussam bacchatur fama per urbem;
Lamentis gemituque et fœmineo ululatu
Tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther.
Non aliter quàm si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque Deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans et pectora pugnis,

*Trojanum, munus non comparatum in hos usus. Postquam vidit vestes Trojanas, et lectum* sibi *cognitum, paululùm illìc morata flendo et cogitando, abjecit se in lectum, et protulit hæc ultima verba: Reliquiæ dulces, dum fata et Dii permittebant, accipite hanc animam et liberate me his curis. Vixi, et perfeci cursum quem fortuna* mihi *dederat: et nunc simulacrum meum descendet illustre sub terras. Condidi urbem egregiam: vidi meos muros, vindicavi maritum, exegi pœnas ab inimico fratre. Fortunata, heu nimis fortunata! si tantummodo Trojanæ naves non attigissent nostra litora. Dixit* hæc, *et ore incumbens in lectum:* An *moriemur inultæ? sed* tamen *moriamur, inquit: sic, sic dulce est descendere ad umbras. Crudelis Trojanus è mari videat oculis has flammas, et auferat secum signa nostræ mortis. Dixerat: et in medio talium* verborum *famulæ vident eam collapsam, et gladium spumantem sanguine, et manus* eodem *tinctas. Clamor spargitur in profundam aream: fama furit per urbem commotam, domus fremunt gemitu et ululatu fœminarum, aër sonat magnis planctibus. Non aliter ac si tota Carthago, aut Tyrus antiqua, subvertatur irrumpentibus hostibus; et* si *flammæ furentes spargantur per tecta, et Deorum et hominum. Audiit* hoc *soror exanimata; et pavefacta festino cursu, lacerans vultum unguibus et pectus pugnis,*

## NOTÆ.

651. *Dulces exuviæ, &c.*] In hâc supremâ Didonis oratione tres elucent præcipuè sensus: *Amoris, gloriæ, ultionis.* I. AMORIS: cùm Æneæ imagini, jugalique lecto vitam suam animamque committit: et in iis exuviis non tam præsentem intuetur acerbitatem, quàm præteritæ dulcedinis recordatur: *dulces, dum fata, &c.* II. GLORIÆ: cùm se sperat illustrem fore, tam apud inferos, *magna mei sub terras, &c.* quàm inter homines; apud quos, et præclaram urbem fundavit munivitque, et Sichæum ulta est, raptis Pygmalionis opibus, illustrior ac felicior futura, si nunquam Æneas Carthaginem appulsus esset. III. ULTIONIS: cùm os lecto imprimens rabie quâdam furoris, inultam se mori dolet: mox perpensis quasi rerum momentis, et secum existimans, duo esse quæ morte quærere possit, ultionem, et miseriarum finem; statuit sibi esse moriendum, saltem ut finem illum et quietem consequatur; *sic, sic juvat, &c.* maximè cùm aspectus incensi rogi permovere Æneæ animum possit, et ultionem inchoare. De *exuviis*, spoliis, v. 496.

654. *Imago.*] Umbra, manes, Æn. 5. 81.

656. *Ulta virum.*] Quia opes Pygmalioni, tum suas, tum eas propter quas Sichæum occiderat, fugiens eripuit. Æn. 1. 364. 359. De *Dardano* et *Dardanis*, Trojanis, Æn. 1. 235.

666. *Atria.*] Propriè *atrium* est *area subdialis* ante ædes, quasi *αἴθριον*, unde etiam ad primam ædium ipsarum partem significandam traductum est. Ab eo non longè aberat culina: in eoque cœnabant veteres, et majorum imagines disponebant; quæ cùm à fumo culinæ non longè abessent, ideò appellabantur *fumosæ;* ipsumque atrium, ut frigidè argutatur Servius, dictum etiam inde volunt quasi *atrum.* De voce *bacchatur*, pro *furit*, à furiosis Bacchi comitibus fœminis deductâ, suprà, v. 301. De *Carthagine*, in argumento. De *Tyro*, Æn. 1. 12.

Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? eadem me ad fata vocâsses,
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce Deos; sic te ut positâ crudelis abessem?
Extinxti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date, vulnera lymphis
Abluam; et extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata, gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa graves oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore vulnus.
Ter sese attollens cubitoque innixa levavit,
Ter revoluta toro est: oculisque errantibus, alto
Quæsivit cœlo lucem, ingemuitque repertâ.
  Tum Juno omnipotens, longum miserata dolorem,
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, meritâ nec morte peribat;
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore:
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem

*irrumpit inter medios, et inclamat morientem nomine: Hoc ipsum fuit, ô soror? fallebas me hoc dolo? hoc parabat mihi pyra ista, hoc ignes et altaria? Quâ de re primùm conquerar* ego *derelicta? an moriens aspernata es sororem te comitari? si me invitâsses ad eadem funera, idem dolor atque eadem hora sustulisset utramque gladio. Erexi etiam his manibus* meis, *et voce appellavi patrios Deos; ut ego inhumana abessem à te sic jacente? Perdidisti, ô soror, et me, et te, et populum, et senes Phœnicios, et tuam urbem. Date, abluam aquis plagas; et, si aliquis ultimus spiritus adhuc vagatur,* illum *ore colligam. Sic locuta pervenerat ad altissimos gradus, et gremio complexa sororem semimortuam, fovebat* eam *cum gemitu, et abstergebat veste nigrum sanguinem. Illa conata erigere tardos oculos, deficit iterum: stridet sub pectore plaga infixa. Ter erexit se efferens et innitens cubito, ter relapsa est in lectum; et vagis oculis quæsivit lucem ex alto cœlo, et ingemuit* post lucem *repertam. Tunc Juno omnipotens, miserescens longi doloris et difficilis mortis, misit Irim è cœlo, quæ separaret animam pugnantem et membra* eidem *conjuncta. Nam, quia nec moriebatur* ex *naturâ, neque morte meritâ; sed misera ante tempus, et inflammata subito furore: nondum Proserpina eripuerat illi flavum capillum,*

## NOTÆ.

681. *Sic te ut positâ.*] Sic *depositâ,* sic *jacente:* vox funebris, de quâ, Æn. 2. 644. Et sensus loci est: *Itâne verò struxi hunc rogum meis manibus, et ad hæc sacra Deos vocavi: ut eorum particeps non essem; ut abessem, dum tu te occidisti?*

682. *Extinxti, &c.*] Pro *extinxisti,* syncope; ut suprà, 606. *extinxêm,* pro *extinxissem:* et Æn. 1. 201. *accêstis,* pro *accessistis.* Ita legunt Valerius Probus, Carisius, &c. Veteres tamen plurimi codices habent *Extinxi,* primâ personâ: ita ut culpam omnem damnumque commune Anna in se unam conferat. De *Sidoniis,* unde oriundi Carthaginienses, Æn. 1. 446.

685. *Ore legam.*] Mos Romanorum veterum, ut amici et cognati, admoto ad os morientis ore, extremum ejus spiritum quasi excipere et haurire velle viderentur. Moris etiam illius apud Græcos aliqua reperit vestigia Cerdanus in hunc locum.

696. *Nec fato, meritâ, &c.*] Triplex distinguit genus mortis: quæ *fato,* quæ *merito,* quæque *casu* contingit. Contingit *fato,* quæ naturalis est; *merito,* quæ propter scelera, aut intemperantiam accidit: *casu,* quæ nec naturâ, nec merito. In primis duabus fatalem crinem secari definit Virgilius, in tertiâ negat: quasi *fata* tantùm, hominumque *merita,* sub Deorum providentiam caderent; *casus* eam falleret. At Dido cadit ante diem, non *fato* et naturâ, suprà, v. 620. Cadit *misera,* non rea, nec merita. Igitur *casu.* Quare crinis ipsi non amputatur.

698. *Flavum Proserpina crinem.*] Credebant Græci Romanique, mori neminem posse, nisi Proserpina morientis crinem abstulisset, quasi sacras sibi inferisque primitias. Hujus opinionis multa sunt in posterioribus poëtis vestigia: nonnulla etiam in antiquioribus: in Euripidis Alcestide, v. 74. Θάνατος sive *Mors,* crinem illum sacrum Alcestidi amputat, pro conjuge Admeto morituræ. Hìc Iris officio illo fungitur. Mos fortè repetitus è sacrificiis: ubi setas aliquot è mediâ victimarum fronte decerpere, et in ignem conjicere solebant. Æn. 6. 245. Ita et in hominibus putabant fieri, quos Orco quasi victimas mors demittebat. De *Junone,* custode Carthaginis Deâ, Æn. 1. 15. De *Proserpinâ,* inferorum Deâ, Plutonis conjuge, G. 1. 39. De *Styge,* inferorum fluvio, Æn. 6. 223. De *Orco,* Deo inferorum, G. 1. 277.

Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso Sole colores,
Devolat, et supra caput astitit: Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextrâ crinem secat: omnis et unà
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

*nec damnaverat ejus caput Stygio Orco. Igitur Iris rorifera, ducens ex opposito Sole mille colores varios, devolat per cœlum croceis alis, et stetit supra* ejus *caput: Ego jussa, offero Plutoni hunc* crinem *sacrum, et libero te isto corpore. Sic dixit, et dextrâ abscindit crinem: et simul omnis calor effusus* est, *ac vita abiit in aërem.*

NOTÆ.

700. *Iris croceis, &c.*] *Iris*, Deorum, et Junonis præcipuè, nuntia, Thaumantis, et Electræ dicitur filia; quia arcus est cœlestis qui maximam colorum varietate admirationem facit; et *admiror*, Græcè dicitur θαυμάζω. Est autem cœlestis arcus, Solaris lucis pictura, in adversâ nube, eâque *roscidâ*, id est, mox in pluviam solvendâ. Colores refert varios, pro majori minorique nubis densitate; præcipuè purpureum, cæruleum, viridem, croceum, qui *crocum* florem refert, *le saffran*, SAFFRON. De *Dite*, Plutone inferorum Deo, Geor. 4. 467.

---

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER V.

---

## ARGUMENTUM.

*ÆNEAS, è Libyâ in Italiam navigans, deflectere in Siciliam vi tempestatis cogitur: ubi ab Aceste Trojano benevole exceptus; patri, quem illìc superiore anno mors abstulerat, anniversarium celebrat sacrum, ludosque quatuor, cursum navalem, ac pedestrem, cæstuum pugnam, sagittarum ejaculationem, quibus addit Ascanius equestrem decursum. Interim Trojanæ mulieres, Junonis impulsu, hortatu Iridis, tædio navigationis, incendunt naves: quarum quatuor exuruntur, cæteræ immissâ à Jove pluviâ servantur. Quare suadet Æneæ Nautes, ut avecto secum juvenum flore, senes ac mulieres in Siciliâ relinquat. Firmat id consilium Anchises in somnis: idemque suadet Æneæ, ut appulsus in Italiam adeat Sibyllam: eâque duce descendat ad inferos, ubi posterorum seriem et eventus docebitur. Paret Æneas patris monitis, et conditâ in Siciliâ urbe Acestâ, Neptuno per Venerem conciliato, solvit in Italiam: quo in cursu Palinurus navis gubernator dormiens in mare excutitur. Delineatus est hic liber ad exemplum libri Iliad. 23. ubi ludi ab Achille ad tumulum Patrocli celebrantur.*

INTEREA medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat:
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elisæ,
Collucent flammis: quæ tantum accenderit ignem,
Causa latet; duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid fœmina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam ampliùs ulla
Occurrit tellus, cœlum undique et undique pontus:
Olli cœruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab altâ:
Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non si mihi Jupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro

INTERPRETATIO.

*Interim Æneas jam tenebat navibus medium iter, certus* eundi, *et vento findebat fluctus nigros: respectans ad urbem, quæ jam splendet ignibus miseræ Didonis: Ignoratur causa, quæ excitaverit tantum incendium; sed acerbi dolores, violato magno amore, et* id *quod furens mulier potest* facere, *cognitum* Trojanis, *deducunt animos Trojanorum in tristia auguria. Postquam naves attigere* altum *mare, nec jam ulla terra ampliùs apparet,* sed *undique cœlum et undique mare: cærulea pluvia incubuit illi in caput, invehens noctem ac tempestatem; et aqua inhorruit tenebris. Ipse gubernator Palinurus ex altâ puppe* exclamat: *Heu! quare tanti nimbi circumdederunt cœlum? quidve præparas* nobis, *ô pater Neptune? Sic locutus, deinde imperat* eos *sumere arma* nautica, *et incumbere fortibus remis; et tendit obliquè vela ad ventum, et talia dicit: Generose Ænea, etiamsi auctor Jupiter mihi promitteret, non sperarem attingere Italiam hâc cœli* temperie. *Venti mutati è transverso fremunt, et flant ab obscuro occidente;*

NOTÆ.

1. *Medium.*] Non præcisè *medium* itineris partem, Africam inter et Siciliam; hinc enim rogi flammas videre non potuisset: sed *medium,* id est, *plenum mare:* quemadmodum Polyphemus, Æn. 3. 665. *Graditurque per æquor Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.*

2. *Certus.*] Vel *certus eundi,* et ad petendam Italiam obstinatus; ut Æn. 3. 554. *Celsâ in puppi jam certus eundi carpebat somnos.* Vel *certus et gnarus itineris,* quod jam semel confecerat, Drepano in Italiam solvens, indeque tempestate retrò actus in Africam, Æn. 1. 1.

*Aquilone.*] *Vento* generatim: neque enim Aquilone septentrionali vento impelli ex Africâ in Italiam potuit, sed Austro potiùs, Aquiloni opposito: Ecl. 7. 51. De *Elisâ,* altero Didonis nomine, in argumento lib. 4. De *augurio,* quod hìc pro præsagio universim sumitur, Æn. 2. 703. De *Teucris,* Trojanis, Æn. 1. 235.

11. *Noctem hyememque.*] *Tempestatem cum nocte.* Nocte enim hanc tempestatem contigisse hinc patet, quòd astra tum observari poterant; infrà, v. 25. *Si modò ritè memor servata remetior astra.* Porrò *hyemem* sumi pro tempestate diximus, Æn. 1. 122. Habentur hæc duo carmina etiam, Æn. 3. 194. 195.

13. *Quianam.*] Jovianus Pontanus rescribit: *quinam tanti.* Sed contra codices omnes, atque interpretes. Et verò vox Enniana est: *Heu! quianam dictis nostris sententia flexa est?* quam antiquitatis causâ affectatam à Virgilio ait Quinctilianus. De *Neptuno,* Æn. 1. 125. 130.

15. *Colligere arma, &c.*] *Arma* cujuslibet artis instrumenta sunt, ut vidimus, Æn. 1. 177. Atque ita supellex omnis nautica, *vela, rudentes, remi.* Obnixè tamen contendit Cerdanus, *arma,* in re nauticâ, nihil ligneum significare; atque adeò non *remos,* sed *vela* tantùm et his affinia. Quod quamquam curiosiùs notatum puto; tamen favet ipsi vox *colligere,* quæ propriè de velis dicitur. Erit igitur hic sensus, juxta ipsum: *Jubet colligi et contrahi vela;* ne transversi venti è cursu dejiciant: *jubet incumbi remis;* ut, quantum eos è recto itinere ventorum vis amovebit, tantum labor atque industria provehat; *jubet vela, non omnino contrahi, sed obliquari;* ut aura venti saltem aliqua captetur, quæ remigantes adjuvet. De illâ *obliquatione,* infrà, v. 830. De *Italiâ,* Æn. 1. 530.

19. *Transversa.*] Neutrum plurale, pro adverbio, Græco more. Sic Æn. 9. 125. *Amnis rauca sonans.*

*Vespere.*] *Occidente.* Causam habes, Æn. 1. 530. Et miror dici ab accuratis interpretibus, Taubmanno, Cerdano, cursum Æneæ tum ad occidentem fuisse: manifestum enim est, Carthagine solventibus, Italiam, quò tunc Æneæ cursus erat, esse ad septentrionem. Itaque verba hæc, *vespere ab atro consurgunt venti,* superiora explicant, *mutati transversa fremunt:* erat enim tum transversus Æneæ ventus occidentalis, et planè in Siciliam propellebat: unde concludit Palinurus, *quóque vocat, vertamus iter,* scilicet in Siciliam.

Consurgunt venti; atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm
Sufficimus: superat quoniam fortuna, sequamur:
Quóque vocat, vertamus iter. Nec litora longè
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modò ritè memor servata remetior astra.
Tum pius Æneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, et frustrà cerno te tendere contrà.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quóque magis fessas optem dimittere naves,
Quàm quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
  Hæc ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri: fertur cita gurgite classis:
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis
Adventum, sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ:

*et aër densatur in nubes. Nec nos possumus obluctari contrà, ac ne progredi quidem: obsequamur, siquidem fortuna vincit; et convertamus iter, quò* nos *vocat. Et puto non procul* esse *fida regna Erycis fratris* tui, *et portus Siculos: si modò benè memor remetior sidera* jam *observata. Tunc pius Æneas* ait: *Certè video ventos petere hoc jamdiu, et te incassùm contrà obniti. Detorque iter velis. An ulla terra* potest *esse mihi gratior, et* ad *quam potiùs cupiam appellere naves fessas: quàm quæ servat mihi Trojanum Acesten, et continet sinu ossa patris Anchisæ? Postquam ea dicta* sunt: *tendunt* ad *portum et Zephyri faventes inflant vela: classis velox mari provehitur, ac demùm læti applicantur noto litori. At Acestes eminùs* ex *alto cacumine montis admiratus adventum sociarum navium venit obviam, terribilis ob jacula, et pellem ursæ Libycæ:*

## NOTÆ.

24. *Fraterna Erycis.*] *Eryx* filius *Butæ*, communem creditus est cum Æneâ matrem habere *Venerem*; reipsâ *Lycasten* Siculam meretricem, quæ ob formæ elegantiam, usitato veteribus sermone, *Venus* appellata est. Avum habuit *Amycum*, regem Bebrycum circa Pontum, qui cæstuum certamine occisus est à Polluce: quapropter fugiens Butes, regnum in Siciliâ constituit. Eryx pariter ab Hercule cæstibus occisus est, infrà, v. 411. Ex eo nomen datum *Eryci* monti atque urbi, circa Lilybæum occidentale Siciliæ promontorium, de quo Æn. 3. 707. quò nunc iter Trojani deflectunt. De *Sicanis*, antiquis Siciliæ populis, Æn. 3. 687.

25. *Remetior.*] Nota enim erant jam inde maria illa Palinuro, ut modò diximus.

36. *Acestes, &c.*] De hujus genere multa è Græcis afferunt admodùm ambigua Hortensius et Cluverius. Ex iis ista colligo. Laomedon, rex Trojanus, offensus viro nobili, cujus fraude coactus erat Hesionem filiam suam marinæ belluæ exponere; vicissim tres ejus filias Siculis nautis tradidit, vel mari submergendas, vel quò luberet avehendas. His in Siciliam appulsis, una è Trojanis tribus puellis filium suscepit: vel ex adolescente Trojano, qui se illis præ amore comitem addixerat, juxta Dionysium Halicarnasseum; vel ex Crimiso amne in canem converso, juxto Lycophronem. Hic hujus filius, reversus Trojam Priami temporibus, inde iterum post Trojæ excidium in Siciliam regressus est, et secum Elymum advexit. Ibi recepti à Sicanis, et agris donati, mox Æneam eódem appulsum exceperunt, et cum eo varias illìc statuerunt urbes, ad occidentalem Siciliæ partem, de quibus infrà, v. 755. Porrò pater puellarum trium, à Lycophrone *Phœnodamas*, à Servio et Pomponio *Hippotes* appellatur. Hujus filia Crimisi uxor, à Servio et Pomponio *Egesta*. Egestæ filius, de quo hìc agitur, à Stephano *Egestus*, à Dionysio *Ægestus*, à Tzetze *Ægestes*, à Virgilio et Silio *Acestes*. Fluvius pater, ex Lycophrone *Crimissus*, ex Diodoro *Cremissus*, ex Plutarcho *Crimesus*, ex Cornelio Nepote *Crinissus*; ex Virgilii variis exemplaribus, *Crinisus*, *Crimnisus*, et omnino emendatissimè, ut contendit Cluverius in Siciliâ, l. 2. 2. *Crimisus*. Hic modò, ut idem luculenter probat, non est brevis ille fluvius, ad Segestam urbem in mare Tyrrhenum influens, vulgò *Freddo*, ut multi putant; sed major alius ex agro Panormitano et septentrionali Siciliæ parte in meridionalem decurrens, qui cum *Hypsâ* fluvio denique commixtus, cum eo in mare Lybicum devolvitur, ad Selinuntem urbem, cum Hypsâ communi dictus nomine *Belici*, aut *Belici destro*, quia in dextram Hypsæ ripam influit.

37. *Horridus in, &c.*] *In* præpositio adhibetur hoc modo ad significandum habitum: Æn. 4. 518. *In veste recinctâ*. *Pellum* antiquissimus usus est ad vestes, tamen post arborum folia. *Ursos* Plinius negavit nasci in Africâ, ob calidiorem cœli temperiem: Cerdanus tamen multis defendit Virgilium, in primis auctoritate Solini, c. 29. *Numidici ursi formâ cæteris præstant, villis profundioribus.* Lipsius ursos Numidicos et Libycos à Romanis dictos

Troïa Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces, et gazâ lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera cùm primo stellas oriente fugârat
Clara dies; socios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à sanguine Divûm:
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terrâ, mœstasque sacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adest; quem semper acerbum,
Semper honoratum, sic Dî voluistis, habebo.
Hunc ego Gætulis agerem si syrtibus exul,
Argolicóve mari deprensus, et urbe Mycenæ:
Annua vota tamen, solemnesque ordine pompas
Exsequerer; struerremque suis altaria donis.
Nunc ultrò ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine Divûm,
Adsumus: et portus delati intramus amicos.

*hunc mater Trojana peperit conceptum è Crimiso fluvio. Ille non oblitus veterum patrum, gratulatur reversis, et lætus excipit* juxta *rusticam opulentiam, et reficit fatigatos amicis opibus. Cùm postera dies clara pepulisset stellas è primo oriente, Æneas advocat socios in concionem è toto litore, et ex summitate tumuli* sic *loquitur: Trojani magni, gens è nobili sanguine Deorum; completur annuus circuitus mensibus transactis, ex quo mandavimus terræ reliquias et ossa divini patris, et dedicavimus altaria funebria. Et jam, nisi decipior, adest dies, quem semper existimabo mœstum, semper colendum; sic voluistis, ô Dii. Ego si hunc* diem *transigerem exul in syrtibus Gætulis, aut interceptus mari Argolico, vel* in *urbe Mycenis; tamen celebrarem annua vota, et solemnes ceremonias* juxta *ritum; et cumularem altaria congruis muneribus. Nunc libenter adsumus ante cineres et ossa ipsius patris, certè non sine concilio et sine voluntate Deorum,* ut *puto: et vento impulsi ingredimur portus amicos.*

## NOTÆ.

putat non veros *ursos*, sed *leones;* quemadmodum *elephantos*, ab iisdem *boves lucas*, ob insolitam formam, cui nomen ex notiore animali imponebant. *Lybistidis*, à *Libystis*, gentile nomen est, per pleonasmum formatum à proprio *Libys*. Legunt tamen aliqui *Libyssidis:* ut sit à *Libys, Libyssa:* à *Libyssa, Libyssis, Libyssidis.* De *gazâ*, opibus, Æn. 1. 119.

44. *Tumuli aggere.*] *Agger* aggestio est, vel lapidum, vel terræ, unum in locum. *Tumulus*, est terræ *tumor*, ex illâ aggestione: unde tam pro *sepulchro* quàm pro *colle* usurpatur: hìc pro *colle.*

45. *Dardanidæ.*] A Dardano Jovis filio orti; ideò à *sanguine Divûm.*

46. *Annuus exactis, &c.*] Anniversarius recurrit dies, Anchisæ morte consignatus. Igitur Anchises vere ineunte, hyeme exeunte, obierat. Patet id quia I. Tempus hoc ipsum adhuc hybernum vocat Dido, Æn. 4. 309. *Hyberno moliris sidere classem.* II. In ipsâ profectione Trojani *frondentes ferunt ramos*, Æn. 4. 399. ex Africâ autem in Siciliam cursus, vix duorum triumve dierum est. III. Incerta tum erat cœli temperies, qualis primo vere: solvit Æneas ex Africâ sudo cœlo, mox tempestas oritur, nunc dubitat utrùm subsequens dies nona serena futura sit, v. 64. *Si nona diem, &c.* IV. Terra tum vestita erat gramine et floribus, v. 76. *Purpureosque jacit flores*, v. 287. *Tendit gramineum in campum.* Nec tamen inde sequitur Æneidos opus annuum spatium prætergredi, ut notavimus in argumento Æneidos.

48. *Condidimus terrâ.*] Non totum ipsum cadaver, qui sepulturæ nostræ mos est: sed combusti corporis *reliquias, ossa, cineres*, quæ è busto collecta, tumulo deinde ac terræ mandaverit. Etsi enim apud veteres in usu fuerit, cadavera unguentis condita terræ mandare; usitatius tamen comburere, præsertim virorum illustrium apud Græcos; sic Patroclus ab Achille comburitur, ac deinde tumulatur, Iliad. 23. Sic Misenus ab Æneâ, Æn. 6. De *aris geminis* ad sepulchra struendis, Æn. 3. 62. De *Gætulis* Africæ populis, qui ad *syrtes* usque pertinent, Æn. 3. 40. De *syrtibus*, importuosis litoris Africani sinubus, Æn. 1. 111.

52. *Argolico mari.*] *Argolico sinu*, qui pars est Ægæi maris ad orientem Peloponnesi. *Urbe Mycenæ:* ut Æn. 1. 247. *Urbem Patavî.* Habent aliqui codices *Mycene, Mycena, Mycenis. Argos* et *Mycenæ*, urbes Peloponnesi, Æn. 1. 284.

54. *Strueremque suis altaria donis.*] *Struerem*, explicat Taubmannus *cumularem:* unde *structor* dicebatur in re coquinariâ, qui fercula struebat, scitè componebat, cumulabat. *Suis, donis*, congruis; congrua autem erant mortuis dona, *lac, vinum, mel, sanguis:* ut diximus, Æn. 3. 62. et mox videbitur, v. 76.

56. *Sine mente, sine numine.*] Sine consilio, et voluntate Deorum. De *numine*, hoc sensu Æn. 1. 133.

Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem :
Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Urbe velit positâ templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Trojâ generatus Acestes
Dat numero capita in naves : adhibete Penates
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Præfereâ, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem :
Prima citæ Teucris ponam certamine classis.
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax,
Aut jaculo incedit melior, levibusve sagittis ;
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu ;
Cuncti adsint, meritæque expectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.
  Sic fatus, velat maternâ tempora myrto ;

*Agite igitur, et omnes lætum sacrificium peragamus, petamus ventos* ab eo, *et ut patiatur me urbe conditâ singulis annis persolvere hæc sacrificia*, in *templis sibi dedicatis. Acestis oriundus Trojâ donat vobis corpora boum duo numero per naves* singulas : *invitate ad epulas Penates, et patrios, et eos quos hospes Acestes veneratur. Insuper si nona Aurora protulerit hominibus diem serenum, et luce detexerit orbem, proponam Trojanis pugnam velocium navium. Et qui volet cursu pedum ; et qui incedit fidens viribus, aut solertior jaculo, vel levibus sagittis ; sive* qui *audet conserere pugnam duro cæstu : hi omnes adsint, et expectent præmia merita victoriæ. Favete omnes linguis, et circumdate caput ramis. Sic locutus, tegit caput myrto matris* suæ :

## NOTÆ.

59. *Poscamus ventos.*] Ab ipso Anchisâ, quem ut Deum colere instituit. *Divinique ossa parentis.* Hujus autem divini cultûs notæ sunt *aræ, sacra, ludi, templa dicata, vota* pro ventis obtinendis. Quorum tamen aliqua in communibus mortuorum omnium funeribus usurpabantur.

62. *Adhibete Penates.*] De *Penatibus*, Æn. 2. 717. Quomodo *adhiberentur epulis*, Æn. 3. 177.

64. *Si nona, &c.*] *Si*, aliis *dubitantis*, esse videtur, qui ideò *almum* interpretantur *serenum ;* et sensus erit : *ludi nonâ die celebrabuntur, si sudum erit ;* sin minùs, in aliam diem remittentur. Aliis videtur esse *affirmantis ;* et absolutè sensus est : *cùm Aurora extulerit nonam diem ;* sic explicuimus, Æn. 1. 603. *Si qua pios respectant numina.* Per *nonam diem*, alludit ad novemdialia Romanorum sacra pro mortuis : servabantur enim domi cadavera septem dies, octavo cremabantur, nono reliquiæ sepulchro mandabantur.

66. *Ponam certamina.*] Vox in eâ re solemnis, *ponere.* Sic apud Græcos, ludorum ejusmodi designator dicebatur *ἀγωνοθέτης*, ab *ἀγὼν, certamen*, et *τίθημι, pono.*

68. *Incedit.*] Sic Æn. 1. 46. *Divûm incedo regina.* Quæ quanquam ad majestatem incessûs pertinere videri possunt : occurrit tamen mihi, *incedo* à poëtâ dici pro *sum.* Sic usurpatur et *venio*, Geor. 1. 29. *An Deus immensi venias maris.* De *cæstu*, chirothecâ è corio bubulo *crudo*, infrà, v. 405.

71. *Ore favete omnes.*] Passim apud alios auctores, *Favete linguis.* Quibus formulis dubium est, *silentium*, an *plausus* et acclamatio indicatur. Pro *silentio* facit locus Senecæ lib. de Vitâ Beatâ, c. 27. *Quoties mentio sacrarum literarum intervenerit, favete linguis. Hoc verbum, non ut plerique existimant, à favore trahitur ; sed imperatur silentium, ut ritè peragi possit sacrum, nullâ voce malâ obstrepente.* Pro *plausu* et acclamatione facit Ovid. Met. 15. 677. *En Deus est, Deus est, animis linguisque favete. Quisquis adest visum veneratur numen, et omnes Verba sacerdotis referunt geminata, piamque Æneadæ præstant et mente et voce salutem.* Idem in Ibin, v. 96. *Quisquis ades, sacris ore favete meis. Quisquis ades, sacris lugubria dicite verba.* Hæc ut conciliem, existimo non perpetuum *silentium* indici, neque perpetuam *acclamationem ;* sed omnino *attentionem* ad sacra : ut ea tantùm dicant, quæ sacrorum ritu dicenda sunt : à cæteris omnibus verbis abstineant. Interpretationem adjuvat Ovidius loco citato, cùm dicit, *animis linguisque favete ;* quibus eundem *animis* ac *linguis* exhibere favorem jubet. At non jubet, nihil omnino animis interim ac mente cogitari, sed ea duntaxat quæ ad Deos et sacra pertineant ; ita nec omnino nihil dici, sed ea quæ eò etiam spectent. Et verò Seneca vocem tantùm *malam* et *obstrepentem* arcet : Horatius Od. l. 3. 1. tantùm *profanum vulgus*, id est, profanis sermonibus indulgens. Ovidius loquentes inducit ea solùm, quæ sacrificio conveniant, ut patebit superiora exempla relegenti : Latini autem veteres, hujus auctores formulæ, cùm eam vocibus ambiguis expresserunt, *favete ore, linguis ;* non autem *favete verbis, sermone, silentio :* indicare videntur voluisse tempestivas illas loquendi ac tacendi vices.

72. *Maternâ myrto.*] Veneri, Æneæ matri dicatâ arbore. Unde ad coronas assumi ab Æneâ decuit, ut deinde à Romanis in ovatione, Ecl. 2. 52.

Hoc Elymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius: sequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magnâ medius comitante catervâ.
Hìc duo ritè mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro:
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens: iterum salvete, recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quærere Tybrim.
Dixerat hæc, adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapsusque per aras:
Cœruleæ cui terga notæ, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso Sole colores.
Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens,
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.

*Elymus idem facit, idem Acestes grandior natu, idem puer Ascanius: quos reliqua juventus imitatur. Æneas cum multis millibus ibat è concione ad sepulchrum medius* in *magnâ turbâ circumfusâ. Illic* juxta *ritum effundit stillans in terram duo pocula puri vini, duo lactis recentis, duo sanguinis sacri: spargitque flores purpureos, et profert talia: Salve, sancte pater: salvete rursùs frustrà recuperati cineres, et anima, et umbra paterna. Non fas fuit quærere tecum regionem Italam et agros fatales, nec Ausonium Tybrim, quisquis* ille *sit. Hæc protulerat cùm serpens lubricus, ingens, eduxit ex intimis penetralibus* sepulchri *septem sinus, septem plexus; tranquille circumdans sepulchrum, et labens inter aras: cui maculæ cœruleæ illustrabant dorsum, et fulgor auro interpunctas squamas; quemadmodum arcus* in *nubibus concipit mille diversos colores, Sole opposito. Æneas videns stupefactus est: ille demùm repens longo tractu inter pateras poculaque polita, et degustavit cibos, et innocuus rediit iterum in profundum sepulchrum, et reliquit aras degustatas.*

## NOTÆ.

73. *Elymus.*] Hic, ex Strabone, Dionysio, Lycophronis interprete Isaaco Tzetze, fuit Trojanus. Post excidium Trojæ in Siciliam ab Aceste advectus fuit, ut diximus, v. 36. Addit Tzetzes, fuisse spurium Anchisæ filium. Testatur Dionysius, regio genere ortum esse: ideóque novos illos Siciliæ incolas Trojanos, universim suo nomine *Elymos* appellâsse. Negare videtur Virgilius fuisse Trojanum Anchisæ filium, et regio sanguine oriundum: siquidem eum conceptis verbis Siculum testatur, v. 300. *Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus Panopesque.* Deinde nullam ei laudem ab Æneæ consanguinitate et regiâ origine tribuit: quod certè non omisisset, qui eodem loco, v. 297. Diorem commendat à *stirpe Priami;* et v. 24. Erycem *fratrem Æneæ* appellavit. Itaque hoc unum fatetur, v. 591. Elymum fuisse *comitem senioris Acestæ:* cui se comitem adjungere tam in ipsâ Siciliâ, quàm in Troade potuit.

77. *Carchesia Baccho.*] De *Carchesiis* poculis, G. 4. 380. De *Baccho,* vino, Ecl. 5. 69. De *sacris funebribus,* lacte, vino, sanguine, Æn. 3. 62.

76. *Purpureos flores.*] Vel rosas intelligit, flores dicatos Veneri, Anchisæ amatrici; vel generatim flores quoscunque purpureos.

80. *Iterum salvete, recepti.*] *Iterum salvete;* non autem, *iterum recepti. Iterum,* inquit; sive quia jam anno superiore exequiis patrem honoraverat, salutaveratque funebri more, sive quia modò dixit, *salve, sancte parens;* ergo *iterum salve;* ter enim extrema illa salutatio repetebatur in Romanorum funeribus *vale;* cui synonymum est *salve,* ex Varrone apud Servium: non quòd salutem iis valetudinemque optarent, quâ frui ultrâ non poterant: sed pacem saltem et gaudium in altero statu. *Recepti nequicquam cineres.*] Per *cineres,* ait Servius, patrem intelligit, quem è Trojano excidio frustrà liberaverat. Immò, *cineres* ipsos intelligit, quos anno superiore reliquerat in Siciliâ, nunc autem recipit reditu suo, ac revisit; *nequicquam* tamen, quia non conferet reditus, ut cum eo adire Italiam liceat. *Animæque umbræque.*] Vel plurali numero usus est, pro singulari; ut passim poëtæ: vel reipsâ plures putavit esse animas: de quibus commodiùs disserimus, Æn. 6. v. 724. et sequentibus.

82. *Fines Italos.*] De *Italiâ,* Æn. 1. 530. De *Ausoniâ,* Italiæ nomine, Æn. 3. 171. De *Tybri,* Italiæ fluvio, Æn. 1. 13. De *adytis,* locis intimis, Æn. 2. 297. De *squamis,* G. 4. 13. De *arcu,* seu *Iride,* Æn. 4. 700. De *agmine,* in serpentibus, G. 3. 423. De verbo *libavit,* degustavit, Æn. 1. 736.

93. *Depasta altaria.*] Non ab igne, victimas consumente, nondum enim cæsæ fuerant victimæ; sed ab ipso serpente, qui prima dona libaverat.

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores:
Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet; cædit quinas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos.
Necnon et socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii: fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, et viscera torrent.
 Expectata dies aderat, nonamque serenâ
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos et clari nomen Acestæ
Excierat: læto complêrant litora cœtu,
Visuri Æneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronæ,

*Tantò magis* Æneas *perficit sacra inchoata in* honorem *patris; dubitans, an Genium loci, an famulum patris existimet* eum *esse; mactat juxta consuetudinem quinque oves, et totidem sues, totidem juvencos nigros tergoribus: et effundebat vinum à pateris, et appellabat animam magni Anchisæ, et manes* ejus *emissos* ex *inferis. Pariter et socii offerunt læti munera* secundùm *facultatem quæ est unicuique: et onerant altaria, et immolant juvencos. Alii disponunt ærea* vasa *per ordinem: et strati super herbâ, supponunt prunas verubus, et torrent viscera. Dies aptata advenerat, et jam equi Phaëthontis advehebant nonam Auroram sereno lumine: et fama ac nomen illustris Acestæ eduxerat vicinos: occupaverant litus hilari multitudine,* partim *visuri Trojanos, partim etiam parati certare. Primò præmia statuuntur ob oculos et in medio circo: sacri tripodes, et virentes coronæ,*

## NOTÆ.

94. *Instaurat.*] Renovat incepta sacrificia: iam enim fuderat vina, v. 78. moxque iterum fundit, v. 98. Quid ita? an quia sacrificia serpentis occursu turbata esse putabat? At bono erat omini serpentis occursus. An quia cùm prævia sacrificia è floribus et liquoribus, quasi mortuo homini obtulerit; nunc viso serpente, majora offerenda existimat, quasi heroi, inter Deos admisso? Certè non admodùm diversa ab his sacrificia Plutoni, Proserpinæ, Diisque inferorum aliis offert, Æn. 6. 243.

95. *Geniumne loci, famulumne, &c.*] *Genii* et custodes, locis, urbibus, domibus attribui solebant; ut et hominibus singulis attribui solitos diximus, Ecl. 4. 63. *Famulos* item majoribus Diis suos assignabant: eosque è brutis animantibus plerumque assumptos. Sic Æn. 6. 190. columbæ ministræ sunt Veneris, ut Æneam ad auream arborem deducant. Sic ex Silio Italico, l. 13. 124. apud Capuam: *Numen erat jam cerva loci, famulamque Dianæ credebant.* Sic aquila Jovi. Sic ex Plutarcho in Cleomene, dracones heroibus sacri putabantur; unde hìc *anguis* Anchisæ famulus.

96. *Cædit quinas de more bidentes.*] Vel *cædit de more,* id est, non per se ipsum, sed per famulos, more pontificum Romanorum. Vel oves *de more bidentes,* id est, *biennes,* aut *ambidentes,* de quibus, Æn. 4. 57. Vel *quinas, de more* cœlestibus Diis adhibito; quibus numero impari victimæ cædebantur, quia *numero Deus impare gaudet:* inferis autem numero pari, Æn. 6. 243. Igitur offert Æneas patri quinque pecudes, ut jam cœlesti Divo; easque nigrantes, ut ex inferis assumpto. Notatque Turnebus ejusmodi sacrificia Romanis *suovetaurilia* dicta esse: quæ *sue, ove,* et *tauro* fiebant.

98. *Animamque vocabat, &c.*] Non simpliciter inclamat, invitatque ad sepulchrales aras, ut sacrificiorum sanguine pascatur: quemadmodum pascuntur animæ mortuorum, imprimisque Tiresiæ apud Homer. Odyss. 11. 95. Quemadmodum Achilles totâ nocte circa Patrocli rogum vina fundit, animam ejus vocans, Iliad. 23. 221. Non ita inquam. Sed *invocat,* ut sibi adsit propitius pater, cujus *manes Acheronte remissos* putat, et inter Deos vitam degere. De *Acheronte,* inferorum fluvio, Æn. 6. 242. De *manibus,* G. 4. 469.

102. *Ahena.*] Vasa ærea: vel ad lavanda corpora, vel ad elixandas carnes. Licèt enim Homerus heroibus suis elixas carnes non paret, ut notat Plato de Republ. l. 3. has tamen primis etiam illis temporibus in usu fuisse notavimus, Æn. 1. 211. De *epulis* post sacrificia, plura vide, Æn. 8. 180.

105. *Auroram Phaëthontis equi.*] *Phaëthon,* hìc, vel Solis est filius, qui cùm à patre diurnum regimen currûs extorsisset precibus, et equos inscitè regeret, ex iis à Jove in Eridanum Italiæ fluvium fulmine excussus est. Ovid. Met. 2. Vel potiùs *Sol* ipse est, qui dicitur ab Homero Odyss. 11. 16. Ἠέλιος φαέθων, *Sol Phaëthon,* id est, *splendens.* Ejus equi quatuor, *Pyroïs,* à πῦρ, *ignis; Eoïs,* ab ἠώς, *Aurora; Æthon,* ab αἴθω, *uro; Phlegon,* à φλέγω, *inflammo.* De *Aurorâ,* G. 1. 249.

110. *Tripodes, &c.*] *Tripus* propriè sellæ mensæque species, tribus nixæ pedibus: cui quandoque insidebatur, sæpe imponebantur lebetes crateresque ad libamina, Æn. 3. 359. *Sacer* dicitur, quia in templo Delphico, reque omni divinâ magni erat usûs: tum viris fortibus donabatur in præmium, unde Horat. Od.

Et palmæ, pretium victoribus; armaque, et ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta:
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
  Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmî:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus; triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

*et palmæ, dona victoribus* destinata, *et arma, et vestes intinctæ purpurâ, pondera argenti et auri: et medio è tumulo tuba canit indictos ludos. Quatuor naves, pares vastis remis, electæ è totâ classe, incipiunt primum certamen. Mnestheus agitat fortibus remigibus celerem Pristin; Mnestheus,* inquam, *mox Italus, à quo nomine oritur familia Memmii: et Gyas magnam Chimæram, magnâ mole, opus* instar *urbis; quam juvenes Trojani triplici versu impellunt,* cui *remi surgunt triplici ordine.*

## NOTÆ.

l. 4. 8. *Donarem tripodas præmia fortium Grajorum.*

111. *Et palmæ, pretium victoribus.*] Id est, pretium solemne et vulgare victoribus omnibus. Quærit enim Plutarchus Sympos. l. 8. quæst. 4. *Cur sacrorum certaminum aliud aliam habeat coronam, palma sit communis omnibus.* Respondetque, hoc ideò usu venisse, quòd viro forti palma persimilis, non deprimatur onere, sed contrà magis obluctetur. De *ostro,* ostreâ sive conchylio, unde purpura exprimitur, G. 2. 506.

112. *Talenta.*] Τάλαντον, à ταλάω, *suffero:* quia primò libram significavit, quâ pondera appenduntur: tum quodvis magnum auri argentique pondus, denique certum determinatumque pondus, varium tamen apud varias gentes: celebratissimum Atticum Talentum, quod sic describitur à Rhemnio Fannio:

*Cecropium superest post hæc docuisse talentum,*
*Sexaginta minas, seu vis, sex millia drachmas,*
*Quod summum doctis, perhibetur pondus Athenis.*

Porrò, *drachma* Attica, *denario* Romano, et *grosso* Francico æquiparatur. *Grossus* pars est *marcæ* sexagesima quarta. *Marca* signati argenti hoc anno 1675. Ludoviceos argenteos capit novem; hoc est, libras nostras sive Francicos viginti septem. Grossus igitur valet octo solidos cum denariolis paulò minùs sex: qui grossi sexies millies repetiti Francicos conficiunt 2550. Et hic valor est *argentei talenti* Attici ad modum nostrum revocati. *Aurei* autem *talenti* valorem conjicies, habitâ auri cum argento comparatione: aurum enim Græcum Romanumque duodecies argenti valorem: Francicum sexies etiam ac decies et ampliùs nunc superat. *Cætera,* infrà, v. 248.

114. *Prima pares, &c.*] I. LUDUS. *Navium decursus.* Cujus exemplum in Homero, non habuit Virgilius: nec verò voluit cursum illius equestrem imitari, quia Homerus in eo plus operæ studiique posuerat; ludos alios imitatus est, quos ille minùs diligenter scripserat, Iliad. 23.

116. *Pristin, &c.*] Naves quatuor, æquales magnitudine ac robore, suis insignit nominibus quæ è pictis in puppi monstris repetit. Primæ *Pristis* appicta erat marina bellua è balænarum genere, de quâ Æn. 3. 427. Secundæ *Chimæra,* ignivomum ac triforme monstrum: quod ex Ovid. Metam. 9. 649. *mediis in partibus hircum, Pectus et ora leæ, caudam serpentis habebat.* De eâ, Æn. 6. 288. Tertiam ornabat *Centauri* pictura, ex equinâ et humanâ specie conflata, de quo genere, G. 2. 456. Quartam *Scyllæ,* marini in freto Siculo monstri effigies, quam explicuimus, Æn. 3. 427.

117. *Mox Italus Mnestheus, &c.*] Ut nobilibus Romanorum familiis gratificetur, eas à Trojanis deducit, à Mnestheo *Memmios,* à Sergesto *Sergios,* à Cloantho *Cluentios.* Addunt alii etiam à Gyâ *Geganios:* quod tamen Virgilii testimonio caret.

119. *Urbis opus.*] *Urbis instar;* in quâ tantum operis fuerat, quantum in urbe positum. Sic apud Cicer. Acc. in Ver. 5. 88. *Erat illa navis constrata: et ita magna, ut si in prædonum pugnâ versaretur, urbis instar haberi inter illos piraticos myoparones videretur.*

*Triplici versu, &c.*] *Triremem* significat navem: qualem tamen Trojanis temporibus nondum fuisse probabile est: sed poëtæ ut multa alia; sic et illud per anticipationem dicere licuit. Quod sit autem in navibus *versus* et *ordo* remorum duplex, triplex, quadruplex; unde *biremes, triremes, quadriremes, &c.* appellantur: valdè ambiguum est. Quia tamen ex Virgilio, *triplici consurgunt ordine remi,* constat in utroque navis latere remigum ordines surrexisse alios aliis superpositos: non ita tamen, ut superiorum remigum pedes inferiorum capitibus impenderent, perpendiculari, ut aiunt, rectâque lineâ; sic enim latera navium extruenda altiùs fuissent; sed ita, ut scamnis, quæ et *juga* et *transtra* dicuntur, obliquè à summo ad imum instar graduum dispositis, insisterent remiges; quorum superior ordo ibi figebat pedes, ubi ordo inferior insidebat. Porrò series illæ remigum, à summo latere ad imam carinam obliquè numeratæ, *ordines* dicebantur: ut pro multiplici *ordine,* navis erat *biremis, triremis, quadriremis,* à Ptolemæo Philopatore exstructa etiam *quadraginta* ordinum: at eædem series à prorâ ad puppim numeratæ, dicebantur *versus,* et sic in singulis lateribus, *versus* aliquando viginti quinque, aliquando plu

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magnâ: Scyllâque Cloanthus
Cœruleâ, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Litora; quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi sidera Cori:
Tranquillo silet, immotâque attollitur undâ
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hìc viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater: unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt: ipsique in puppibus auro
Ductores longè effulgent ostroque decori:
Cætera populeâ velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit:
Considunt transtris, intentaque brachia remis
Intenti expectant signum: exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde ubi clara dedit sonitum tuba; finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos: totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic immissis aurigæ undantia lora

*Et Sergestus, à quo familia Sergia trahit nomen, vehitur Centauro magnâ: et Cloanthus, unde tibi origo est, ô Cluenti Romane, vehitur Scyllâ cœruleâ. Procul in mari, adversùs spumosum litus, est rupes; quæ aliquando mersa verberatur fluctibus, quando hyemales Cori abscondunt astra:* at *tranquillo* tempore *silet, et erigitur ex immotis aquis,* veluti *campus et perfugium gratissimum mergis apricantibus. Illìc pater Æneas ponit metam è frondosâ ilice,* quæ esset *signum nautis: à quâ scirent redire, et circa quam flectere longos circuitus. Deinde sorte capiunt loca: et ipsi duces è puppibus procul resplendent, insignes auro et purpurâ: reliqui juvenes coronantur populeis foliis, et renitent uncti oleo* per *nudos humeros: sedent* in *transtris, et expectant signum obnixi* secundùm *brachia remis intenta: et metus pulsans, atque arrectum desiderium gloriæ, fatigat corda subsultantia. Deinde quando clara tuba emisit sonum, non* est *mora, omnes è terminis suis proruperunt; nauticus clamor pulsat cœlum, fluctus turbati adductis brachiis spumant: pari* impetu *imprimunt sulcos* in aquis: *et totum mare erutum remis et rostris trifidis aperitur. Non tam celeres currus invadunt campum* in *certamine bigarum, et erumpunt emissi è carcere. Nec ita aurigæ immissis jugis quatiunt habenas sinuosas*

## NOTÆ.

res; et in Ptolemæi navi, quæ quadraginta *ordinum* fuit, et quater mille remigum, *versus* quinquaginta fuere. Igitur Chimæra hìc Virgiliana, quæ *triplici versu, triplici ordine* instructa erat; remiges in singulis lateribus novem, totâ nave octodecim capiebat.

125. *Olim.*] *Aliquando,* indefinitè. Sic G. 3. 303. *Cùm frigidus olim jam cadit.*

126. *Hyberni Cori, &c.*] *Corus* ventus, flat ab occasu æstivo. *Hybernus* dicitur, seu frigidus, quia sìtu maximè ad septentrionales ventos accedit. *Condit sidera* nimbis inductis. Scribitur etiam *Caurus.*

128. *Apricis mergis.*] Avibus aquaticis, *plongeons,* DIVERS, quæ cum frequenter se aquis immergant, amant ad Solem siccare se, in locis *apricis,* id est, Soli expositis. De voce *apricis,* Ecl. 9. 49.

129. *Metam.*] *Meta,* est *extremitas, terminus:* sive in agris, sive in circo: vulgò è lapidibus oblongis, in acumen ac pyramidem erectis. Talis erat Romano in circo figura metarum, quas in extremo decursu septies quadrigæ circumflectebant; eò alludit Virgilius: et quanquam ilicis ramus hanc figuram non refert; refert tamen quomodocunque ipsa rupes, cui ramus infigitur. De *ostro,* purpurâ, G. 2. 506. De *populo, peuplier,* POPLAR, G. 2. 13. De *ilice, yeuse,* THE HOLM OAK, Ecl. 1. 18.

135. *Oleo.*] Ad membra roboranda: unde etiam eo luctaturi ungebantur, Æn. 3. 280. De *transtris,* scamnis remigum, suprà, v. 119.

137. *Haurit corda pavor, &c.*] Versum jam explicuimus, G. 3. 105.

143. *Rostrisque tridentibus.*] Passim legebatur olim *stridentibus;* sed obstat mensura primæ syllabæ quæ ubique longa est. Sed à viris doctis academiæ Neapolitanæ profecta est superiore sæculo illa correctio, quâ usi sumus: utpote cùm antiquâ navium specie veteribusque nummis ac picturis convenientissima, quarum in prorâ rostrum trifidum ex ære bifidumve addebatur, ad hostiles naves in incursu vulnerandas.

144. *Bijugo certamine, &c.*] Cursu *bigarum* et *quadrigarum:* de quibus, G. 1. 512. De *carceribus,* infrà, v. 288. *Juga,* ligna transversa quibus equi temoni currus alligavantur: hìc verò, juxta aliquos, pro ipsis *jugalibus equis* usurpantur.

Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora, pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primusque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis; sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis abit; nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc unà ambæ junctisque feruntur
Frontibus, et longâ sulcant vada salsa carinâ.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant;
Cùm princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten:
Quò tantùm mihi dexter abis? huc dirige cursum,
Litus ama, et lævas stringat sine palmula cautes:
Altum alii teneant. Dixit: sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas:
Quò diversus abis? iterum, Pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis.
Tum verò exarsit juveni dolor ossibus ingens,
Nec lacrymis caruere genæ: segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui sociûmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab altâ.
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:

*et proni extendunt* se *ad verberandum* equos. *Tunc omnis sylva resonat plausu et fremitu hominum, et acclamationibus faventium, et litora volvunt murmur inclusum: colles icti clamoribus, eos remittunt. Gyas primus abit ante alios et evadit per undas inter fremitum multitudinis: quem deinde Cloanthus sequitur, meliùs* instructus *remis, sed navis gravior mole* ipsum *retinet. Post illos æquali intervallo Pristis et Centaurus conantur attingere priorem locum. Et nunc Pristis præit: nunc magna Centaurus præcedit* eam *victam: nunc ambæ currunt simul æquatis proris, et longis carinis secant salsos fluctus. Et jam appropinquabant scopulo, et attingebant terminum; cùm Gyas* qui *primus* erat, *et victor, medio in mari increpat* his *verbis Menœten gubernatorem navis* suæ: *Quò tantùm recidis mihi ad dextram? huc flecte cursum, adhære litori* rupis, *et permitte* ut *remi radant sinistra saxa: alii currant pleniore mari. Sic dixit: sed Menœtes metuens occulta saxa, detorquet proram ad undas maris. Quò recedis diversus? iterum revocabat* eum *Gyas* repetens *cum clamore: Pete saxa, ô Menœte: et interim videt Cloanthum imminentem dorso, et tenentem proxima* spatia. *Ille* Cloanthus *interior radit sinistram viam, inter navem Gyæ et saxa sonantia, et repentinus prætergreditur* Gyam qui modò fuerat *prior, et tenet securum mare metis præteritis. Tunc autem ingens dolor accensus est in medullis juvenis, et genæ non caruerunt lachrymis, et immemor dignitatis suæ et vitæ sociorum, dejicit tardum Menœten ex altâ puppe pronum in mare. Ipse succedit gubernaculo moderator, ipse magister* navis:

## NOTÆ.

149. *Vocemque inclusa volutant Litora.* Commutatio est: pro, *vocemque inclusam volutant.*

162. *Mihi dexter abis.*] *Mihi abis:* abundat hìc *mihi;* ut alibi sæpe, et Geor. 3. 16. *In medio mihi Cæsar erit.*

163. *Litus ama.*] *Accede propiùs ad litus.* Sic Horat. Od. l. 1. 25. 3. *Amatque janua limen.* Jubet igitur ut navem admoveat propiùs litori; non Siciliæ equidem, sed rupis et metæ; ne latiore cursu eam circumeundo, ab aliis insequentibus superetur.

*Palmula.*] Pars extrema remi planior, et in modum humanæ palmæ protensa. Catull. in Phaselo, v. 4. *Sive palmulis opus foret volare, sive linteo.*

170. *Interior.*] Quicquid sit de hujus vocis significatione in hominum concessu et incessu, *dextram* an *sinistram* partem notet: certum est in decursu Circensi, interiorem partem *sinistram* esse: quia, cùm in Circo *meta* ad sinistram curruum esset; brevior circa eam flexus *sinister* erat, isque metæ propior atque *interior; dexter* autem *exterior* atque à metâ remotior. Igitur, cùm navalis hic ludus Circensem imitetur; hìc *interior* est *sinister.* De *Circo* et *metis,* infrà v. 288.

171. *Tuta.*] Nempe à periculo saxorum, quæ metam circumstabant: nondum tamen omnino tuta, quia nondum victoria parta erat: post metam quippe superatam, et aliquâ ex parte circuitam, in portum sinistro cursu redeundum erat, ut dicemus infrà, v. 225.

174. *Decoris sui, sociûmque, &c.*] *Decoris sui,* quia indignum est principem virum ab alio pœnam suis manibus exigere. *Sociûm salutis;* id est, *salutis sociorum,* quæ amisso gubernatore periclitabatur. Nec placet Cerdanus, qui *socium* agnoscit accusativo casu; tum quia mutatur verbi regimen, *oblitus decoris, sociûmque:* tum quia non video quî dici possit Menœtes *socius salutis.*

Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior, madidâque fluens in veste Menœtes;
Summa petit scopuli, siccâque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri, et risere natantem:
Et salsos rident removentem pectore fluctus.
Hìc læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheoque, Gyam superare morantem.
Sergestus capit antè locum, scopuloque propinquat:
Nec totâ tamen ille prior præeunte carinâ:
Parte prior, partem rostro premit æmula Pristis.
At mediâ socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Trojæ quos sorte supremâ
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos; quibus in Gætulis syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleæque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo:
Quanquam ô! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum: tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi, dum prorâ ad saxa suburget
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.

*et hortatur nautas, et vertit clavum ad litora* metæ. *Sed Menœtes, postquam gravatus* undis *ægrè tandem emissus est ex imo fundo. jam senior, fluens humidâ in veste; conscendit summitatem rupis, et sedit in arido saxo. Trojani riserunt illum, et cadentem, et enatantem: et rident removentem è pectore salsam aquam. Tunc bona spes superandi Gyam tardantem orta est ultimis duobus, Sergesto et Mnestheo. Sergestus anticipat spatium, et appropinquat rupi: nec tamen ille prior est, totâ navi præcedente: prior est* ex *parte,* et *æmula Pristis urget rostro* aliam *partem. Sed Mnestheus ambulans mediâ* in *nave inter ipsos socios,* eos *hortatur: Nunc, nunc insurgite in remos, ô Trojani socii,* quos in *extremo exitio Trojæ elegi comites: nunc exercete illud robur, illam fortitudinem, quâ usi* estis *in syrtibus Gætulis, et mari Ionio, et infestis aquis Maleæ. Non jam peto prima* loca, ego *Mnestheus* modò victor; *neque contendo vincere: Tamen ô* utinam possem! *Sed vincant quibus hoc concessisti, ô Neptune. Pudeat nos ultimos reverti: hoc superate, ô cives, et impedite* hoc *dedecus. Illi summâ contentione incumbunt* in remos: *navis ærata tremit magno succussu, et æquor subducitur: tunc frequens anhelitus concutit membra et sicca ora* remigum: *sudor fluit undique* in *rivos. Ipsa fortuna attulit viris gloriam cupitam. Nam dum Sergestus ardens animi impellit proram ad scopulos, inter* scopulos et Mnestheum, *et elabitur spatio angusto; miser adhæsit scopulis protensis* sub aquâ. *Rupes commotæ* sunt, *et remi impacti in acutum saxum crepuerunt, et prora allisa* stetit *suspensa in scopulis.*

NOTÆ.

177. *Clavumque*] Pars in summo gubernaculo transversa, instar capuli, quâ gubernaculum regitur. *Gubernaculum* verò, remus erat longior latiorque, ad puppim religatus, quo cursum navis gubernator moderabatur. De *Teucris*, Trojanis, Æn. 1. 235.

186. *Carinâ.*] Ima trabs est, navis totius fabricam fulciens, et instar spinæ à prorâ ad puppim decurrens. De *rostro*, v. 143. De *Gætulis*, Æn. 4. 40. De *syrtibus*, Æn. 1. 111. De *Ionio mari*, Id. 3. 210.

193. *Maleæque sequacibus undis.*] *Malea* promontorium est Peloponnesi, sinum inter Argolicum et Laconicum, nunc *Capo Malio di S. Angelo:* procellis infestum; unde *sequaces* ejus dicuntur undæ; quasi nautas insequerentur. Superatum autem ab Æneâ fuit, cùm è Sporadibus et Cycladibus insulis ad Strophades iter fecit, Æn. 3.

195. *Quanquam ô! sed, &c.*] Duplex affectus. I. Victoriæ optatio. *Non vincere certo: quanquam ô! velim, si liceat, vincere.* II. Correctio. *Sed tamen vincant illi, quibus hoc, Neptune, dedisti.* De *Neptuno*, Æn. 1. 125.

199. *Subtrahiturque solum.*] Substrata maris aqua non secari, sed quasi per vim subtrahi videtur retrò, tanto impetu navis porrò impellitur: *solum* enim est quicquid alteri substernitur, ut ostendimus, Ecl. 6. 35.

203. *Interior.*] *Inter* Mnestheum et metam, flexum breviorem et *sinistrum* captans: suprà, v. 170.

205. *Murice.*] Saxo acuto, aspero ac prominente: sic dicto à *murice* ostreo, unde purpureus liquor exprimitur, cujus conchylium fastigiatum et acutum est.

Consurgunt nautæ, et magno clamore morantur:
Ferratasque sudes et acutâ cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis speluncâ subitò commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto,
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fugâ secat ultima Pristis
Æquora; sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primùm in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum, brevibusque vadis; frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan, ipsamque ingenti mole Chimæram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urget.
Tum verò ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis: resonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem,
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci.

*Consurgunt nautæ, et magno* cum *clamore sistunt: et adhibent ferratas trudes, ac perticas acuminatâ cuspide: et colligunt è mari remos fractos. At Mnestheus gaudens et ardentior* ex *illo successu, veloci impulsu remorum, et invocatis ventis, secat undas faciles, et navigat patenti mari. Qualis columba, cui domus et nidi sunt in cavo saxo, repentè excita è speluncâ fugit in campos volans, et territa dat alis ictum ingentem domui* suæ: *mox elapsa in aërem tranquillum, secat viam tenuem, nec movet celeres alas: Sic Mnestheus, sic ipsa* ejus *Pristis findit fugiens extremum* spatium assignati *maris; sic ipse impetus provehit* illam *volantem. Et primò præterit Sergestum connitentem adversùs rupem altam et vada humilia; frustráque implorantem auxilium, et tentantem enatare fractis remis. Deinde consequitur Gyan, et ipsam* ejus *Chimæram vastæ magnitudinis: vincitur* illa, *quia orbata est gubernatore. Et jam unus Cloanthus restat* vincendus *prope ipsum terminum: hunc* Mnestheus *sequitur, et premit contendens totis viribus. Tunc verò invalescit clamor, et omnes favore incitant insequentem, et aër sonat fragoribus. Illi indignantur, nisi conservent gloriam propriam, et honorem* jam *comparatum; et vellent pacto* mutare *vitam cum victoriâ.*

## NOTÆ.

208. *Sudes——contos, &c.*] Perticas, quæ à Tacito *trudes* appellantur: quibus vado inhærens impellitur navis, aut iners alia moles promovetur. Monetque Isidorus *cuspidem conti* ferro non armatam esse, sed tantùm ex ipso ligno acuminatam.

211. *Agmine remorum.*] Actu motuque remorum ordinato, et per quandam successionem continuo. De illâ voce, Geor. 3. 423.

212. *Prona maria.*] Secunda, facilia, sine ullo jam obstaculo; cursu tam facili, ut non in plano æquore, sed in declivi loco pronus ac præceps currere videatur. Plinius l. 2. 70. *In alia adverso, in alia prono mari.*

214. *Pumice.*] *Pumex* lapis est levis, spongiosus, ad scabra leviganda aptissimus: hìc pro cavernosâ rupe sumitur, per tapinosim: ut v. 209. *Gurges,* pro mari, quemadmodum diximus, Æn. 1. 118. Est autem hæc, navem inter et columbam, scitè instituta comparatio; cùm *navium,* et *volatûs* magna cognatio sit, ut diximus, Æn. 1. 224. et mox Mnesthei navem appellat *volantem,* v. 219.

218. *Ultima æquora.*] Ultimam assignati maris partem, ultra metam. De *brevibus vadis,* Æn. 1. 111.

225. *Superest in fine Cloanthus.*] Mnestheus in victoriâ contendit cum Cloantho. At Cloanthus tamen jam à versu 171. *metis tenet æquora tuta relictis:* Hæc ut conciliem: existimo præmium ei propositum fuisse, non qui duntaxat metam attingeret primus: sed qui prætereà circumitâ metâ, primus sinistro cursu rediret in portum, unde dextro cursu naves exierant. Idque manifestum est: I. Quia hæc tria proponit Æneas certaturis, v. 130. *Constituit signum nautis pater, unde reverti Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.* II. Quia mox v. 243. navis Cloanthi tum victoriam obtinet, cùm *ad terram fugit, et portu se condidit alto.* At, in rupe, quæ metæ loco fuit, *portus,* isque *altus* fuisse non potest; cùm esset objecta portui, et tantùm *statio gratissima mergis.* Hìc igitur jam et Mnestheus et Cloanthus metam prætergressi putandi sunt: *Cloanthus* quidem, quia *metis tenet æquora tuta relictis;* Mnestheus verò, quia *fugâ secat ultima æquora.* Cloanthus autem *solus ipso superest in fine:* id est, in extremo recursu, reditu à metâ ad portum: quo in reditu eum superare, aut saltem æquare Mnestheus contendit.

228. *Fragoribus.*] Ita ex manuscriptis cum N. Heinsio emendamus. Olim *clamoribus:* sed parùm exactè, cùm superiore versu dixerit, *Ingeminat clamor.*

Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.
Et fors æquatis cepissent præmia rostris:
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces, Divosque in vota vocasset:
Dii, quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro;
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
  Dixit; eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit: illa Noto citiùs volucrique sagittâ
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
  Tum satus Anchisâ, cunctis ex more vocatis,
Victorem magnâ præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naves, ternos optare juvencos,
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit,

*Hi animantur successu; possunt* vincere, *quia videntur* sibi *posse. Et fortassè meruissent* paria *præmia, navibus ex æquo* victricibus*: nisi Cloanthus tendens* ad *mare ambas palmas* manuum, *emisisset preces, et Deos invocâsset per vota: O Dii, quibus est regnum maris, quorum decurro spatia; ego vobis offeram lætus in hoc litore ante altaria candidum taurum, voto obligatus, et projiciam viscera in salsos fluctus et effundam vina pura. Dixit; et ex intimis fluctibus audiit eum omnis turba Nereidum, et Phorci, et virgo Panopea; et ipse pater Portunus magnâ manu impulit* navem *currentem: illa celeriùs vento et pennatâ sagittâ currit ad terram, et immittit se* in *portum intimum. Tunc filius Anchisæ, vocatis omnibus juxta consuetudinem, declarat magnâ voce præconis Cloanthum victorem, et coronat* ejus *caput viridi lauro: datque ipsi eligendos tres juvencos, et vina, et magnum talentum argenti possidendum,* quæ erant *munera pro navibus. Ipsis* verò *ducibus tribuit singularia dona. Victori* Cloantho *chlamydem auro intextam, circa quam Melibœa purpura densa excurrit gemino flexu.*

## NOTÆ.

237. *Voti reus.*] Voto obligatus. Sic Ecl. 5. 80. *Damnabis tu quoque votis;* ubi verba hæc explicuimus.

238. *Porriciam in fluctus, &c.*] *Porrò et procul jaciam in fluctus.* Verbum est in sacrificiis solenne. Sic apud Livium, l. 29. 27. Scipio è Siciliâ in Africam navigaturus, *cruda exta, cæsâ victimâ, uti mos est, in mare porricit; tubâque signum dedit proficiscendi. Libationis* verò par exemplum habemus apud Thucyd. lib. 6. ubi Nicias, Lamachus, et Alcibiades, è Piræeo Atheniensi portu solventes, aureis argenteisque pateris vinum in mare fudisse dicuntur.

240. *Nereïdum Phorcique chorus, &c.*] *Phorcus* sive *Phorcys,* marinum numen, Ponti ac Terræ filius; filias habuit Gorgonas tres, Medusam, Euryalen, et Sthenyo. *Chorus* ejus marina alia numina. *Nereïdes,* Nymphæ maris, Nereï et Doridis ejus sororis filiæ. *Panopea,* Nereïdum una, de quâ Geor. 1. 437. Ubi de *Portuno* quoque diximus, cui à *portu* vel *portandis* navibus nomen est. De *Noto,* vento meridionali, Ecl. 2. 58.

245. *Præconis.*] *Præco,* non *tubicen,* quia, apud Livium, l. 33. 18. *Romani ad spectaculum consederunt, et præco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam processit.* Præco igitur, qui voce, non cantu, populum, vel ad ludum, vel ad alia *præciebat:* ut enim inquit Vossius, *concio* est populus, qui per præconem *concietur* et convocatur; ita *præco,* qui *præciet* et ante conventum excitet populum, ut veniat.

248. *Talentum.*] Constat ex comparatione cum aliis præmiis institutâ, *talentum,* neque hìc, neque v. 112. sumi posse pro *talento Attico.* Constat idem ex Homero, qui Il. 23. præmium statuit equestris curriculi, primum quidem, fœminam cum lebete; secundum, equam prægnantem; tertium, lebetem; quartum duo auri talenta. Igitur vel *talentum,* pro quolibet auri argentique pondere hìc sumendum est, ut diximus, v. 112. vel pro *talento Siculo* veteri, quod minimum quid valuisse ait Pollux, l. 9. Et ex ipsius verbis colligit Budæus fuisse *sex drachmarum,* hoc est, solidorum nostrorum Francicorum vixdum unius et quinquaginta. Homerus autem, si non Siculo talento, simili saltem aliquo usus est.

251. *Purpura Mæandro, &c.*] De *chlamyde, casaque,* A LOOSE GOWN OR COAT, Æn. 4. 137. Fuit hæc aureo textu *aurata;* sed extremâ in orâ, geminum habuit sinuosum flexuosumque limbum, *plurimâ purpurâ,* id est, densiore, distinctum. *Mæander* fluvius minoris Asiæ maximus, è Phrygiâ majore nascens, tum inter Cariam et Ioniam in mare Myrtoüm, quæ pars est Ægæi, ad Heracleam urbem influens;

Intextusque puer frondosâ regius Idâ
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis; quem præpes ab Idâ
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes, sævitque canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute secundum:
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleus, cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
  Jamque adeò donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cùm sævo è scopulo multâ vix arte revulsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus:
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodos, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat:
Vela facit tamen, et plenis subit ostia velis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,

*et regius puer* Ganymedes in ea *intextus, ardens, similis anhelanti persequitur cursu et jaculo cervos celeres in Idâ sylvosâ; quem volans armiger Jovis pedibus uncis rapuit ab Idâ* in *sublime. Frustrà senes custodes tendunt palmas ad astra, et latratus canum* videtur *furere in aërem. At posteà huic* Mnestheo, *qui viribus obtinuit locum secundum, donat habendam loricam, compactam hamis* et ornatam *triplici licio auri,* ut sit ipsi *decus et armatura in bello: Æneas ipse victor hanc abstulerat Demoleo juxta rapidum Simoënta et prope altam Trojam. Vix ministri Phegeus et Sagaris obnixi humeris portabant illam multiplici* textu densam; *Demoleus autem* illâ *olim armatus agitabat fugâ Trojanos vagos. Tertia præmia dat* Gyæ, *duos lebetas ex ære, et pocula conflata argento atque scabra figuris. Jamque adeò omnes remunerati, et gloriantes opibus, incedebant coronati rubris vittis* circa *caput: cùm Sergestus multo labore vix extractus è scopulo, remis amissis, et spoliatus uno* remorum *ordine, provehebat navem irrisam sine gloriâ. Qualis sæpe interceptus in eminentiâ viæ anguis, quem rota ærea obliquum trajecit, vel* quem *viator graviter feriens reliquit semimortuum et laceratum saxo: frustrà fugiens movet corpore longos flexus: parte sui ferox, et micans oculis, et sublimis erigens colla sibilantia; pars debilis vulnere retardat* eum *torquentem nodos, et involventem se in sua membra. Navis tarda movebat se talibus remis; tamen velis utitur, et intrat portum velis tumentibus. Æneas, gaudens propter navem et socios reductos, donat Sergestum promisso præmio.*

## NOTÆ.

nunc *Madre* appellatur: tot flexibus in se quasi recurrens, ut pro quibuscunque flexibus metaphoricè sumatur. *Melibœa,* Thessaliæ urbs ad radices montis Ossæ, purpurei ostrei piscatu ad tincturam celebris. De *purpurâ* densiore ac *dibaphâ,* G. 2. 506.

252. *Puer regius Idâ.*] In chlamyde, textus acu *Ganymedes,* Trois regis filius, de quo Æn. 1. 28. De *Idâ,* Troadis monte, Æn. 2. 801. Et divisam quidem hanc picturam fuisse necesse est, duas velut in partes: quarum altera venantem Ganymedem exprimeret; altera raptum ejus et comitum stuporem.

255. *Jovis armiger.*] Ex Plinio, l. 2. 55. Fulmen non percutit è volucribus aquilam, quæ ideò ministra fulminis Jovisque à poëtis fingitur. De *hamis* et *loricâ auro trilice,* Æn. 3. 467.

260. *Demoleo.*] Demoleus, Græcorum dux aliquis ab Æneâ occisus. *Simoïs,* fluvius Troadis, Æn. 1. 100. *Ilio alto,* Græco more corripit vocalem longam ante aliam, absque vocalium elisione, ut Geor. 1. 281. *Imponere Pelio Ossam,* De *Ilio,* Troja, Æn. 1. 1. De *lebetibus* dono datis, Æn. 3. 466. De *Cymbiis,* vasculis, Æn. 3. 66.

269. *Puniceis tæniis.*] Vittis laneis, seu lemniscis è laureâ coronâ pendentibus, quæ coronæ, *lemniscatæ* dicebantur. *Tæniis,* vox dissyllaba, per contractionem: ut passim *aureis.* De *puniceo,* sive rubicundo et roseo colore, Ecl. 5. 17.

273. *Viæ in aggere.*] *Agger,* viæ publicæ pars media, eminentior et lapidibus strata atque exaggerata, ut pluviæ defluant.

Servatam ob navem lætus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,
Cressa genus, Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Æneas misso certamine, tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant sylvæ: mediâque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, extructoque resedit.
Hìc qui fortè velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani:
Nisus et Euryalus primi.
Euryalus formâ insignis, viridique juventâ;
Nisus, amore pio pueri: quos deinde secutus
Regius egregiâ Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius, simul et Patron: quorum alter Acarnan;
Alter ab Arcadiâ, Tegeææ sanguine gentis.

*Datur illi serva, haud inscia artis Minervæ, Cressa secundùm genus, nomine Pholoë, et bini filii ad* ejus *ubera. Pius Æneas dimisso hoc ludo, procedit in campum virentem, quem sylvæ* in *collibus curvatis* positæ *claudebant undequaque; et in imâ valle erat circuitus theatri, quò heros intulit se medium inter multa millia, et composito in cœtu resedit. Illìc invitat valore* præmiorum *animos, qui fortè velint certare cursu, et statuit præmia. Undique congregantur Trojani, et Sicani* cum iis *mixti: primi Nisus et Euryalus. Euryalus insignis pulchritudine, et robustâ juventute: Nisus, honesto amore pueri: quos deinde sequitur Diores regius* juvenis *è præclarâ stirpe Priami. Hunc* sequuntur *simul Salius et Patron: quorum alter* est *Acarnan; alter ex Arcadiâ, è sanguine Tegæi populi.*

NOTÆ.

284. *Operum Minervæ.*] Quam cùm artibus aliis, tum præcipuè lanificio, ac texturæ præesse dicitur, Æn. 2. 31. *Cressa*, Cres, Cressa, è Cretâ, *Candie*, Æn. 3. 104.

288. *Theatri Circus erat, &c.*] De *theatri* formâ, G. 2. 381. De *circo*, cujus aliquam similitudinem vallis hæc Sicula referebat, hæc accipe. I. *Circus* locus fuit à Tarquinio Prisco Romæ extructus, montes inter Aventinum ac Palatinum, ludis celebrandis ad imitationem Olympicorum; sed præcipuè decursionibus equestribus; quas jam Romulus in campo Martio ad Tybris ripam instituerat, et nuncupaverat *equiria*. Nomen inde habuit quod *circularis* seu orbicularis esset figuræ, longior tamen quàm latior, quippe longitudine pedes circiter bis mille, latitudine mille tantùm complexus. II. *Cavea*, fuit ambitus circi, ubi populi sedes, in *cuneos* distinctæ, ut de theatro diximus. III. *Arena*, spatium fuit circi medium, in quo aurigæ decurrebant: comminutis albis lapidibus, aliquando etiam minio et chrysocollâ constratum. IV. *Euripus*, fuit lacuna, altitudine ac latitudine pedum decem, arenæ circumdata, eamque à caveâ dividens: in eam derivabantur aquæ: unde ab Euripo nomen habuit, Euboïci freti angustissimo loco, in quo septies aquæ singulis diebus reciprocant. V. *Carceres*, loca fuerant fornicata, ubi currus ante pugnam coërcebantur, et unde dato signo sublatisque repagulis erumpebant, ducto per sortem ordine. Dicebantur *ostia* etiam et *limina:* eorumque medium erat *ostium*, quo ascendebatur ad locum ubi erat ludorum editoris præsidumque sessio. VI. *Metæ* moles erant lapideæ, rotundæ, in acumen desinentes, tres, simul junctæ, quarum acuminibus ova erant imposita: hæ in utrâque arenæ parte ferè extremâ positæ erant, relicto tamen circumundique spatio, quo circa metas aurigæ currum facilè flecterent. VII. *Spina*, fuit septum, secundùm longitudinem circi, à metâ ad metam, instar spinæ dorsi productam; circi arenam duas in partes, dextram sinistramque, disterminans. In eâ *columnæ*, *obelisci*, *delphini*, *Deorum statuæ*, *delubra* etiam et *sacraria* disposita ad ornatum. VIII. *Cursus* à carceribus incipiebat, secundùm latus dexterum circi; ita ut metæ ultimæ ad sinistram curruum sitæ essent. Ad eas qui pervenerant, circuibant eas septies, in sinistram interioremque partem deflectendo: inde per sinistrum circi latus redibant ad metas *Murcias*, carceribus propiores, ubi è curru descendebant. De *factionibus* aurigarum, et *missibus*, G. 3. 18.

291. *Hìc, qui fortè velint, &c.*] II. LUDUS, *Pedestris cursus.* Imitatur Homerum Virgilius, qui Iliad. 23. 740. tres inducit cursores apud Patrocli tumulum, *Ajacem Oïlei*, *Ulyssem*, et *Antilochum;* et Ajacem quidem Minervæ dolo fingit bovino in fimo lapsum esse; id unum ex eo mutuatus est Virgilius, reliqua longo intervallo superavit.

292. *Pretiis—præmia.*] Diversa sunt: *præmia*, munera ipsa; *pretia*, valor, dignitasque præmiorum. De *Teucris*, Æn. 1. 235. De *Sicanis*, Ib. 3. 687. De *Niso* et *Euryalo*, Ib. 9. 176. De *Priamo*, Ib. 3. 476.

298. *Acarnan.*] *Salius*, ex Acarnania, Epiri parte, de quâ, Æn. 3. 292.

299. *Arcadiâ, Tegeææ, &c.*] *Patron Tegeæus* vel *Tegeates*, ex Tegeâ, urbe Arcadiæ, novem pagis constante juxta Strab. l. 8. De *Arca-*

Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus Panopesque,
Assueti sylvis, comites senioris Acestæ.
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in mediis sic deinde locutus :
Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes :
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo lævato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem :
Omnibus hic erit unus honos. Tres præmia primi
Accipient, flavâque caput nectentur olivâ.
Primus equum phaleris insignem victor habeto.
Alter Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threïciis ; lato quam circùm amplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemmâ.
Tertius Argolicâ hâc galeâ contentus abito.
  Hæc ubi dicta : locum capiunt, signoque repentè
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt
Effusi, nimbo similes : simul ultima signant.
Primus abit, longèque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius. Spatio pòst deinde relicto,
Tertius Euryalus.
Euryalumque Elymus sequitur. Quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero : spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.

*Posteà duo juvenes Siculi, Elymus et Panopes, assueti sylvis, comites senis Acestæ. Insuper multi quos fama obscura celat. Quos inter medios Æneas deinde ita locutus est : Percipite hæc animo, et* huc *applicate lætos mentes. Nullus ex hoc numero non recedet remuneratus à me. Dabo reportanda duo tela Gnossia rutilantia lævigato ferro, et securim* tectam *cælato argento : Hoc præmium erit simile omnibus. Tres primi referent munera* alia, *et coronabuntur pallidâ oleâ* circa *caput. Primus victor habeat equum decoratum phaleris. Secundis pharetram Amazoniam et repletum sagittis Thraciis ; quam latus balteus* ex *auro circumambit, et fibula nectit gemmâ tereti. Tertius abeat contentus hâc casside Argolicâ. Postquam hæc dicta* sunt, *sumunt locum : et audito signo statim aggrediuntur curriculum : et relinquunt limen elapsi, similes nimbo : simul attendunt* ad *terminum. Primus currit Nisus, et exilit longè ante omnes socios, velocior et ventis et alis fulminis. Proximus ab eo, sed post longum intervallum proximus, sequitur Salius. Tum spatio post* Salium *relicto Euryalus tertius. Elymusque sequitur Euryalum. Deinde juxta hunc ipsum statim currit Diores, et jam fricat* ejus *calcem calce, imminens* alteri ejus *humero : et si longius restaret spatium ; præteriret* eum *elapsus prior, aut relinqueret dubium.*

NOTÆ.

*diâ*, E. 4. 58. De *Trinacriâ*, Siciliâ, Æ. 3. 687. De *Elymo*, suprà, v. 73. De *Acestâ*, v. 36.

306. *Gnossia, &c.*] *Gnossus*, urbs Cretæ insulæ, sive Candiæ, Æ. 3. 104. unde *spicula* laudatissima : *spiculum* autem non sagitta, sed missile telum fuit, pedum quinque, triangulo ferro : *pilum* aliter dictum. De *bipenni*, securi utrique acutâ, G. 4. 331.

309. *Flavâ olivâ.*] Arbore dicatâ Minervæ, G. 1. 14. *Flavâ :* quia folii pars posterior subpallida, et coloris veluti porracei est : eâ coronabantur victores Olympicis ludis, G. 3. 20.

310. *Phaleris.*] *Phaleræ*, equorum ornamenta, præsertim in capite, τὰ φάλαρα, quod est à φάω, *luceo : caparasson*, HARNESS, Æ. 7. 278.

311. *Amazoniam pharetram, &c.*] Qualem ferebant *Amazones*, quasi in *Thraciâ* propriè dictâ aliqui veterum collocabant. De verâ earum sede dicemus, Æ. 11. 659. De *Amazonum* nomine, Æ. 1. 490. De *Thraciâ*, Æ. 3. 14.

313. *Tereti.*] Quæ rotunda, et in longum porrecta est.

314. *Argolicâ galeâ.*] Vel quam Argivo alicui eripuerat ; vel Argolicâ figurâ : ut enim vidimus, Æ. 3. 637. clypeos Argolicos singularis fuisse formæ ; ita et galeæ fuerant : nam in Græcorum cæde, Æ. 2. 392. Trojani cùm occisorum arma sibi aptâssent, galeæ et *Graiarum errore jubarum*, tantùm non à suis occisi sunt. De *Argis*, urbe Peloponnesi, Æn. 1. 284.

316. *Limen.*] Lineam aliquam descriptam in campo, quæ *carceres* et *ostia* circi suppleret, suprà, v. 288. De *alis* fulmini appingi solitis, Æn. 2. 649.

324. *Calcem terit jam calce.*] Arguitur hìc à quibusdam Virgilius : quòd calcem præcurrentis, insequentis calce tritam dixerit : cùm teri non possit ab insequente nisi summis pedum articulis. Temerè : neque enim Diores Elymum æquâ directâque lineâ insequebatur, alioqui nunquam ipsum anteire potuisset ; at paulùm ad latus : ita ut penè incumberet, non ejus *humeris*, sed alteri tantùm *humero ;* et pedes utriusque secundùm latera se interdum stringerent, atque ita *calcem calce* tererent.

Jamque ferè spatio extremo fessique sub ipsum
Finem adventabant ; levi cùm sanguine Nisus
Labitur infelix ; cæsis ut fortè juvencis
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.
Hìc juvenis, jam victor ovans, vestigia presso
Haud tenuit titubata solo : sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum :
Nam sese opposuit Salio, per lubrica surgens ;
Ille autem spissâ jacuit revolutus arenâ.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Pòst Elymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hìc totum caveæ consessum ingentis, et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet :
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, et magnâ proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ ; frustráque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas : Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo.
Me liceat casûs misereri insontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hìc Nisus : Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret ; quæ munera Niso
Digna dabis, primam merui qui laude coronam ;
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset ?
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,

*Jamque penè* in *ultimo curriculo* positi, *et fatigati accedebant ad ipsum terminum : cùm miser Nisus cadit humido* in *sanguine, quippe mactatis juvencis, fortè* sanguis *superfusus madefecerat terram et virides herbas. Illic juvenis, jam exultans,* ut *victor, non firmavit pedem compressâ terra vacillantem: sed pronus cecidit in ipsum fimum obscœnum, sanguinemque sacrum. Non tamen ille oblitus* est *Euryali, neque amoris : nam surgens in lubrico* loco *opposuit se Salio ; ille autem jacuit supinus* in *densâ arenâ. Exilit Euryalus, et victor beneficio amici occupat primum* locum, *volatque plausu et acclamatione favente. Posteà succedit Elymus*, *et mox Diores tertius victor. Tunc Salius implet magnis clamoribus* cœtum *omnem sedentem* in *magno theatro*, *et conspectum primorum procerum : et postulat sibi restitui gloriam fraude ereptam. Favor et decens fletus, et virtus gratior apparens in formoso corpore, protegit Euryalum. Juvat* eum, *et magnâ voce clamat Diores : qui successit* tertius *victoriæ ; et frustrà accessit ad ultimum præmium, si prima gloria restituitur Salio. Tunc pater Æneas: Vestra præmia vobis stant certa, ô juvenes, et nemo mutabit ordine victoriam. Liceat me misereri casus amici insontis. Sic locutus, dat Salio magnam pellem Gætuli leonis, gravem villis et auratam unguibus. Tunc Nisus* ait, *Si tanta munera dantur victis, et te miseret* eorum qui *ceciderunt : quæ dabis digna dona* mihi *Niso, qui meruissem virtute primam coronam, nisi adversa* eadem *fortuna, quæ obstitit Salio, mihi* quoque obstitisset ? *Ac simul hæc dicendo ostendebat vultum, et membra fœdata humido fimo. Pater optimus* Æneas *arrisit illi :*

## NOTÆ.

329. *Cæsis juvencis.*] Ad sacrificia Anchisæ persolvenda.

332. *Titubata.*] Passivè, cùm *titubo* neutram vim vulgò habeat. Et hic Nisi casus est expressus ex Homero, Il. 23. 774. ut jam notavimus, v. 291.

339. *Nunc tertia palma Diores.*] *Palmam* hìc, non solùm pro *victoriâ*, sed pro ipso *victore* usurpat: ut G. 1. 59. *palmas equarum*, pro *victricibus inter equas.* Porrò quia Diores quintum duntaxat ordinem obtinebat, nec nisi casu Nisi, et fraude Salio factâ, tertium in locum provectus est : ideò dixit, *nunc : nunc*, inquam, primis duobus casu ac fraude sublatis. De *caveâ*, parte *circi*, suprà, v. 288.

340. *Ora Prima patrum.*] Seniores ac judices, quorum in conspectu atque ante ora vociferatur.

344. *Veniens in corpore virtus.*] *Apparens, crescens ;* meliùs, *existens :* nam *venio*, significat sæpe *sum, existo :* G. 1. 29. *An Deus immensi venias maris.*

351. *Gætuli leonis, &c.*] Africa tota leonibus, ferisque aliis infesta ; imprimis *Gætulia* ejus pars, de quâ Æn. 4. 40. Pellis autem hujus ungues ad splendorem deaurati fuerant ; *unguibus aureis.*

353. *Si tanta, &c.*] Vis Nisi verborum hæc est : Ego et Salius ambo cecidimus : at ego primus, hic secundus ad metam subibat : si ergo hic donatus munere, cur ego indonatus ?

Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
  Pòst ubi confecti cursus, et dona peregit;
Nunc, si cui virtus animusque in pectore præsens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum;
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora: continuò vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit;
Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebryciâ veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulvâ moribundum extendit arenâ.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
  Quæritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.

*et imperavit clypeum efferri, opus Didymaonis, ereptum à Græcis è portis Neptuno dicatis. Donat egregium juvenem hoc insigni præmio. Deinde postquam absoluti* sunt *cursus, et perfecit remunerationem: Nunc,* ait, *si virtus est alicui et animus præsens in pectore, accedat, et erigat brachia ligatis manibus. Sic dixit, et proponit geminum præmium certaminis: victori juvencum tectum auro et tæniis; victo gladium et pulchram cassidem,* ad *solatium. Nec mora* est: *statim Dares erigit vultum immani cum robore, et attollit se magno* cum *fremitu hominum: qui solus solebat certare cum Paride:* et qui *idem ad sepulchrum, ubi maximus Hector recumbit, percussit Buten illustrem victoriis, qui jactabat se ortum ex familiâ Bebryciâ Amyci, et prostravit* eum *morientem* in *arenâ fulvâ. Talis Dares erigit caput altum in prima certamina, et ostentat humeros latos, et porrigens jactat brachia alternatim, et verberat ictibus aërem. Quæritur. alter* certaturus cum *eo; nec ullus ex tantâ turbâ audet se offerre* huic *viro, et alligare cæstus manibus.*

## NOTÆ.

359. *Didymaonis.*] Fictum est nomen, et insignem artificem hìc notat.

360. *Neptuni sacro, &c.*] Censet Donatus, hunc clypeum, ex aliquo in Græciâ Neptuni templo erutum ab ipso Æneâ, cùm per Græcas insulas atque urbes navigaret: quemadmodum clypeum alium postibus Actiaci Apollinis fixerat, Æn. 3. 288. atque ita ad contemptum Græcorum illìc *fixum*, hìc *refixum* clypeum fuisse. Sed non decuit *pium Æneam* in spoliandis Deorum templis sacrilegium admittere. Quare Servium libentiùs audio: qui putat cætera inter munera, quæ Helenus Æneæ ex Epiro solventi dederat, Æn. 3. 464. hunc fuisse clypeum, olim à Pyrrho refixum è Neptuni templi postibus, in excidio Trojæ. De *Neptuno*, Æn. 1. 125. De *postibus*, parte januæ, Æn. 2. 442. De *Danais*, Æn. 1. 30.

362. *Pòst ubi, &c.*] III. LUDUS, *Pugilatus* sive *cæstuum certamen.* Expressus ex Homero, Iliad. 23. 653. ubi contendunt inter se *Epeus* et *Euryalus:* sed vix ullo eventu memorabili: unde Virgilius Homero planè hìc superior est. *Epeum* sibi nimiùm confidentem imitatur Virgilii *Dares*, *Euryalum Entellus* senex. De *pugilatu*, infrà, v. 401.

366. *Velatum auro vittisque juvencum.*] Boves cornibus deauratis vittisque ac tæniis insignes erant, et cùm statuebantur mactandi ad aras, et sæpe cùm in præmium dabantur. De primo more, Æn. 9. 627. *Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum.* De altero Livius, l. 7. 37. *Consul advocatâ concione, P. Decii cumulatas novâ virtute laudes peragit: et præter militaria alia dona, aureâ coronâ eum et centum bobus, eximioque uno albo, opimo, auratis cornibus, donat.*

370. *Paridem.*] Hunc enim Priami filium etsi moribus mollem, viribus tamen robustum fuisse, et cæstuum certamine victoriam ex ipso Hectore fratre retulisse, diximus, Ecl. 2. 61. De eo multa, Æn. 1. 27.

371. *Quo maximus occubat Hector.*] Hector, Priami filius, de quo, Æn. 1. 99. occisus ab Achille, redemptus à Priamo in Sigeo promontorio tumulatus est: factis, ut habet Dares Phrygius, inter utrumque exercitum duorum mensium induciis: ludique ad tumulum singulari pompâ celebrati sunt: in quibus Dares hic Virgilianus inter alios dicitur decertâsse.

372. *Victorem Buten, &c.*] Hìc *Butes*, non ille fuit Amyci filius, pater Erycis de quo suprà, v. 24. quippe Eryx multò ante Trojanum bellum ab Hercule occisus fuit, ut mox videbimus, v. 411. Quomodo igitur Butes, Erycis pater, sub ultimum Trojanæ obsidionis tempus occisus fuisset à juvene Darete? Itaque hic *Butes*, de quo hìc sermo, alter aliquis fuit, è primi Butæ posteris: quod innuunt Virgilii verba *se veniens Amyci dè gente ferebat:* quæ sanè remotiorem aliquem, quàm filii gradum notant. De *Bebrycibus*, et *Amyco* eorum rege, occiso à Polluce, suprà, v. 24.

Ergo alacris, cunctosque putans excedere palmâ,
Æneæ stetit ante pedes ; nec plura moratus,
Tum lævâ taurum cornu tenet, atque ita fatur :
Nate Deâ, si nemo audet se credere pugnæ,
Quæ finis standi ? quò me decet usque teneri ?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
  Hìc gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro consederat herbæ :
Entelle, heroum quondam fortissime frustrà,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines ? ubi nunc nobis Deus ille, magister
Nequicquam memoratus Eryx ? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis ?
Ille sub hæc : Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu : sed enim gelidus tardante senectâ
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quâque improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa juventa ;
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem : nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit : quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi : tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longéque recusat :
Magnanimusque Anchisiades, et pondus, et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
  Tum senior tales referebat pectore voces :
Quid si quis cæstus ipsius et Herculis arma

*Ergo lætus, et sperans superare omnes victoriâ, stetit ad pedes Æneæ : nec diutiùs tardans, tunc apprehendit sinistrâ* manu *taurum cornu, et sic loquitur : Nate deâ, si nemo audet contendere mecum, quis* erit *finis expectandi ? quousque oportet me retineri ? impera* me *abducere præmium. Simul omnes Trojani fremebant, et volebant præmia reddi viro. Tunc Acestes graviter increpat verbis Entellum, quippe sederat proximus* in *viridi lecto herbarum : Entelle,* qui *frustrà* fuisti *olim fortissimus heroum : an permittes tam patiens tanta præmia auferri sine pugnâ ? ubi nunc* est *Deus ille Eryx, frustrà dictus nobis* à te *magister* tuus? *ubi* est *fama* sparsa *per totam Siciliam, et illa spolia suspensa è tuis tectis ? Ille ad hæc* ait : *Non abiit amor laudis, nec gloria fugata* per *timorem : at verò sanguis frigidus stupet senectute tardante, et vires exhaustæ frigescunt in corpore. Si mihi,* si *nunc* mihi *adesset illa juventus, quæ adfuit olim, et quâ improbus iste gaudet cum confidentiâ : accessissem* ad pugnam, *non certè invitatus præmio et formoso juvenco : nec curo præmium. Sic locutus, posteà projecit in medium duos cæstus magni ponderis :* cum *quibus Eryx ardens solebat inferre manus in pugnam, et cingere brachia duro corio. Obstupuerunt animi* spectatorum : *tanti* erant *boves,* quorum *septem magna coria rigescebant plumbo et ferro insuto. Dares ipse obstupescit præ cæteris, et multùm abnuit* pugnare : *et generosus filius Anchisæ versat huc illuc et pondus et ipsa ingentia involucra ligaminum. Tunc senex* Entellus *emittebat è pectore talia verba : Quid, si aliquis* vestrûm *vidisset cæstus, et arma ipsius Herculis,*

NOTÆ.

384. *Quæ finis.*] Amat Virgilius hoc nomen fœminino genere : Æn. 2. 554. *Hæc finis Priami fatorum.* De *Dardanidis,* Æn. 1. 235. De *toro,* lecto, Æn. 3. 224.

396. *Sanguis hebet, frigentque effœtæ, &c.*] Sanguis in senibus minori copiâ, tardiores spiritus et crassiores emittit : unde frigus et stupor. *Effœtæ* propriè dicuntur fœminæ, quæ multos fœtus pepererunt.

401. *Cæstus.*] *Cæstus,* chirothecæ species quædam est è loris bubulis, plumbo etiam ac ferro interdum insuto : his pugiles muniebant manus ; eosque cubito atque humero, ne excuterentur, alligabant. Nomen multi, inter quos Vossius, deducunt à *cædo,* ideóque scribunt *cæstus :* malim audire Festum et Scaligerum, Poët. l. 1. 22. qui deducunt à κεστὸν, *cingulum, lorum :* et hoc à κεντέω, *pungo,* quia acu *punctum* et consutum erat. Sic apud Homer. Iliad. 14. 214. Venus deponit in sinum Junonis *cestum* suum, seu κεστὸν ἱμάντα, *punctum cingulum,* cui amor, desiderium, blandiloquentia, omnesque ad captandas mentes inerant illecebræ. Et verò Virgilius iis cæstum exprimit verbis quæ cingulo apprimè congruunt : v. 364. *Evinctis attollat brachia palmis :* v. 408. *Vinclorum immensa volumina :* v. 425. *paribus palmas innexuit armis.* Ludus autem ille inter antiquissimos fuit, vocabaturque *pugilatus :* in eo diversus à *luctâ ;* quòd, in *pugilatu,* manum *pugnis* se invicem cæderent, ab adverbio πὺξ, *pugno ;* in *lucta,* complexu insertisque brachiis ac pedibus *luxarent* se ac prosternerent.

Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes;
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto,
Solve metus: et tu Trojanos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris dejecit amictum:
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuit: atque ingens mediâ consistit arenâ.
Tum satus Anchisâ cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplò arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retrò longè capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille, pedum melior motu, fretusque juventâ:
Hic, membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus: erratque aures et tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub vulnere malæ.

*et triste certamen in hoc ipso litore? Eryx frater tuus ferebat olim hæc arma. Vides adhuc* ea *fœdata sanguine, et cerebro sparso. His pugnavit adversùs magnum Herculem: ego iisdem solitus* pugnare, *dum sanguis calidior præbebat robur, et nondum senectus æmula albescebat sparsa utrisque temporibus* capitis. *At si Dares Trojanus recusat arma hæc nostra, et* si *id placet pio Æneæ, idque probat Acestes auctor* hujus pugnæ; *æqualiter pugnemus. Depono tui* causâ *coria Erycis, depone timorem: tu quoque aufer cæstus Trojanos. Hæc locutus, deponit ex humeris geminum amictum: et nudat magnos artus membrorum, magna ossa, et lacertos: et arduus stat in medio campi. Tunc pater* Æneas *filius Anchisæ extulit cæstus æquales, et ligavit utriusque manus paribus armis. Statim uterque stetit erectus in articulos* pedum, *et intrepidus erexit brachia in altum aërem. Retrò averterunt ab ictu alta capita, et miscent manus manibus, et provocant certamen. Ille, fortior agilitate pedum, et defensus juventute: hic, robustus vastitate membrorum: sed genua pigra vacillant trementi, et difficilis anhelitus agitat vasta membra. Illi* viri *frustrà inter se minantur multas plagas, multas ingerant cavis lateribus, et edunt magnos sonitus pectore: et frequens manus vagatur circa aures ac tempora,* et *malæ crepitant sub gravibus ictibus.*

## NOTÆ.

411. *Tristemque, &c.*] De *Hercule*, Jovis et Alcmenæ filio, Æn. 8. 288. De *Eryce*, filio Veneris, atque ita Æneæ *germano* fratre, suprà, v. 24. Causam porrò cur ab Hercule in Sicilia *Eryx* occisus sit hanc afferunt. Hercules, occiso Iberiæ sive Hispaniæ rege Geryone, boves ejus cùm in Italiam adduxisset, eorum unus formâ præcipuus, transmisso freto in Siciliam enatans, ab Eryce raptus est, et ab Hercule frustrà repetitus. Hìnc gravis inter eos pugna ter cæstibus commissa, quarum ultimâ Eryx interfectus est.

414. *Alciden.*] *Herculem:* qui, licèt Jovis et Alcmenæ filius, tamen et *Amphitryoniades* et *Alcides* dictus est: ab *Amphitryone* Thebano Alcmenæ marito, et ab *Alcæo*, Amphitryonis patre. Aliqui derivant ab ἀλκὴ, *robur.*

415. *Æmula senectus.*] Vulgò *invidam* explicant, quæ vigorem juvenibus invidere solet: vel quæ frustrà vigorem illum imitatur, *æmulaturque.* Fortassè *æmulam* dixit, quia in utrisque temporibus canos spargentem: quasi utraque tempora cum festinatione quâdam et æmulatione certatim canescerent.

418. *Sedet.*] Fixum est, sedit in animo.

*Auctor Acestes.*] Non auctor quidem editorque ludorum, quos Æneas unus indixit: sed hortator Entelli, ut cum Darete pugnaret atque ita *Auctor:* suprà, v. 387.

421. *Duplicem amictum.*] Vel geminam vestem, interiorem et exteriorem: vel unicam, eamque suffultam et instar duplicis, qualis fuit *læna*, de quâ Æn. 4. 262.

422. *Membrorum artus.*] *Artus*, sunt compagines ac juncturæ majorum corporis membrorum; ut *articuli* minorum, putà digitorum. *Lacertus* os est inter manûs vertebram et cubitum. *Brachium* est os inter lacertum et humerum.

432. *Genua labant.*] Proceleusmaticus est, quatuor breves pro dactylo: ut Geor. 4. 297. *Parietibusque premunt arctis.*

434. *Cavo lateri.*] Vel *curvo*, quia infra latera corpus flectitur et curvatur: vel reipsâ *cavo* quia laterum costis cavus pectoris thorax circumcluditur.

Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem:
Corpore tela modò atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis;
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis assultibus irritus urget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, et ultrò
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho
Aut Idâ in magnâ, radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes:
It clamor cœlo; primusque accurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu, neque territus heros:
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira:
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;
Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille sinistrâ,
Nec mora, nec requies: quàm multâ grandine nimbi
Culminibus crepitant; sic densis ictibus heros
Creber utrâque manu pulsat versatque Dareta.
  Tum pater Æneas, procedere longiùs iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis:
Sed finem imposuit pugnæ; fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix: quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede Deo. Dixitque, et prælia voce diremit.

*Entellus consistit gravis, et immotus in eodem statu, tantummodo eludit ictus corpore et oculis vigilantibus. Alter, sicut qui invadit urbem machinis, aut* qui *obsidet in armis montana castella,* sic *pervestigat dolosè nunc hos nunc illos aditus, et omnem locum, et* eum *premit frustrà variis impressionibus. Entellus insurgens ostendit dextram, et altè erexit: alter celer prævidit ictum immissum à capite, et levi corpore elapsus effugit. Entellus effudit impetum in auras, et ipse gravis et graviter procumbit ultrò in terram magno pondere: ut aliquando pinus cariosa evulsa radicibus procumbit, in Erymantho, aut in magnâ Idâ. Trojani et juvenes Siculi surgunt* diversis *animis: clamores mittuntur ad cœlum: et Acestes primus accurrit, et miserans erigit è terrâ amicum æquævum. Sed heros non tardatus* est, *nec territus* illo *casu: redit ardentior ad pugnam, et ira revocat robur: præterea pudor et fortitudo* sibi *cognita inflammat vires: et ardens urget toto campo currentem Dareta; nunc dexterâ, nunc idem sinistrâ ingerens ictus. Nec* est *mora, nec requies: quàm spissâ grandine crepitant nimbi* super *tectis; tam spissis ictibus heros ultrâque manu frequens verberat et agitat Dareta. Tunc pater Æneas non passus* est *iras progredi ulteriùs, et Entellum furere animo crudeli: sed indixit finem certaminis; et subduxit lassum Dareta, solans* cum *verbis, et talia loquitur: Infelix! quæ tanta insania occupavit mentem: nonne experiris, aliud robur, et mutatos Deos? Cede Deo.* Sic *dixit, et dicendo abrupit pugnam.*

## NOTÆ.

43?. *Tela*—] *Tela* vulgò à τῆλε, *longe:* unde significant *missilia* quæcunque arma, quæ procùl et eminùs jaciuntur. Tamen aliquando usurpantur quoque pro armis quibus pugnatur cominùs. Pro ense, Æn. 9. 7. 47. *At non hoc telum, mea quod vi dextera versat, Effugies*—— *Sic ait, et sublatum altè consurgit in ensem.* Hìc pro cæstibus. Unde firmatur conjectura Vossii: qui deducit à *tego, tegulum, telum* priore productâ ob contractionem, ut à *premo, premulum, prelum;* atque ita significabat id omne quo quis se tegit ac tuetur.

*Exit.*] Activè, pro *eludit, evitat.* Sic et Æn. 11. 750. *Vim viribus exit.* Vox Lucretiana, l. 5. 1329. *Nam transversa feros exibant dentis adactus Jumenta.*

446. *Ultrò.*] Per se ipsum, nullo impellente.

448. *Erymantho.*] *Erymanthus* mons, sylva, et fluvius Arcadiæ in Peleponneso: nunc *Dimizana:* locus sylvis asper, et apro quondam infestus, quem occidit Hercules. De *Idâ,* Phrygiæ monte etiam sylvoso, Æn. 2. 801. De *Teucris,* Æn. 1. 235. De *Trinacriâ,* Æn. 3. 687. De *æquore,* pro campo, Æn. 2. 780.

466. *Vires alias.*] *Majores* illi, *minores* tibi vires esse, quàm putaveras.

467. *Cede Deo.*] Vel *Deo illi* cujus numina jam à te aversa sunt. Vel *Eryci heroi,* Deæ filio, Entelli magistro ac protectori, quem Acestes vocavit Deum, suprà, v. 291. cui mox deinde tanquam Deo taurum Entellus immolat, v. 483. vel, *rationi,* juxta mentem Plu-

Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore rejectantem mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves: galeamque ensemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hìc victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate Deâ, vosque hæc, inquit, cognoscite Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et quâ servetis revocatum à morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum astabat pugnæ: durosque reductâ
Libravit dextrâ media inter cornua cæstus
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces;
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo: hìc victor cæstus artemque repono.
Protinùs Æneas celeri certare sagittâ
Invitat, qui fortè velint, et præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis;

*At fideles socii* Daretis *ducunt ad naves illum, trahentem genua infirma, et motantem utrinque caput, et exspuentem ore spissum sanguinem ac dentes mixtos cum sanguine: et vocati* ab *Æneâ accipiunt cassidem et gladium; et permittunt Entello taurum et palmam. Tunc victor, elatus animo, et superbiens tauro, ait: Fili Veneris, et vos, ô Trojani, hæc animadvertite, et quale robur mihi fuerit in corpore juvenili, et è quali morte eripiatis liberatum Dareta.* Sic *locutus* est, *et stetit adversùs caput oppositi tauri, qui stabat præmium certaminis: et sublimis, manu reductâ, impegit duros cæstus inter media cornua, et immisit* eos *in ossa perrupto cerebro. Sternitur bos, et tremens procedit* in *terram moribundus. Ille super bove profert è pectore talia verba: O Eryx, immolo tibi pro morte Daretis hanc vitam potiorem: hìc victor depono artem et cæstus. Statim Æneas invitat qui fortè velint contendere sagittis, et proponit præmia: et magnâ manu attollit malum de nave Seresti: et suspendit ex alto malo columbam in fune trajecto volitantem, ad quam dirigant sagittas. Convenerunt viri, et ærea cassis excepit sortes conjectas: et favente clamore primus ante cæteros extrahitur locus Hippocoontis Hyrtaci* filii;

## NOTÆ.

tarchi; qui auctor est hoc proverbium apud septem Græciæ sapientes fuisse, ἕπου Θεῷ, *sequere Deum:* explicatque, *obtempera rationi,* quæ quasi Deus oracula de rebus agendis semper dictat.

472. *Palmam.*] Vel translatio est, pro *victoriâ:* vel propriè, *palma,* de quâ diximus, *Æ.* 5. 111.

483. *Hanc tibi, Eryx, meliorem animam.*] *Meliorem;* vel quia vilipendit à se victum Dareta: vel quia Diis gratiores sunt victimæ ex brutis animantibus, quàm humanæ: vel alludit ad *succidaneas* victimas; quæ, cùm primæ fugerant, aut infaustæ fuerant, earum in locum substituebantur, dicebanturque, *meliores* inclamantibus sacerdotibus, δευτέρων ἀμεινόνων, *secundis melioribus.*

484. *Hìc victor cæstus, &c.*] Morem notat gladiatorum consequentis ætatis, qui cùm per ætatem ab arte discedebant, virgâ donabantur, quam *rudem* appellabant; vocabanturque *rudiarii;* et artis suæ arma suspendebant ad postes Herculis. Hìc Entellus, non Herculi, à quo Eryx occisus; sed ipsi Eryci sua consecrat, quem Dei loco videtur habere, ut jam diximus, v. 467.

485. *Celeri certare sagittâ.*] IV. LUDUS, *Sagittarum jactus.* Expressus est ex Homeri Iliad. 23. 850. ubi *Teucer* columbæ funem secat; *Meriones* columbam ipsam evolantem ferit. Virgilius quatuor inducit certantes: *Hippocoonta, Mnestheum, Eurytiona, Acesten.* Et *Hippocoon* quidem malo sagittam infigit. *Mnestheus* funem secat. *Eurytion* columbam inter nubila transfodit. *Acestæ* sagitta in auras conjecta ignem concipit.

487. *Seresti.*] De hoc Trojano duce, *Æn.* 1. 611.

491. *Galea.*] In *galeam,* quia apud milites: apud cæteros vulgò in *urnam* aut *situlam,* sortes conjiciebantur.

492. *Hyrtacidæ Hippocoontis.*] Hortensius eum appellat Hyrtacidem filium Hippocoontis. Donatus meliùs Hippocoonta filium Hyrtaci. Est quidem apud Homerum *Hyrtacides Asius,* Il. 12. 96. sed *Asius* proprium est, *Hyrtacides* patronymicum, ut patet Il. 13. 384. ubi *Asius* idem ille ab Idomeneo occiditur. Est etiam apud eundem, Iliad. 10. 318. *Hippocoon* Thrax, consobrinus Rhesi: qui eâ ipsâ nocte quâ Rhesus ad Trojam cæsus est, è somno excitatus est ab Apolline. Hic ex Æneæ sociis esse deinde potuit.

Quem modò navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus olivâ.
Tertius Eurytion, tuus, ô clarissime, frater,
Pandare : qui quondam, jussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeâque imâ subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.
  Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris :
Primaque per cœlum nervo stridente sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras,
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Pòst acer Mnestheus adducto constitit arcu
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit :
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit : nodos et vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit :
Jam vacuo lætam cœlo speculatus, et alis
Plaudentem, nigrâ figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aëriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissâ solus palmâ superabat Acestes :
Qui tamen æthereas telum contorsit in auras,

*hunc sequitur Mnestheus modò victor* in *nauticâ pugnâ, Mnestheus coronatus viridi oleâ. Tertius* est *Eurytion, tuus frater, ô nobilissime Pandare: qui olim jussus turbare fœdus, primus vibrâsti jaculum in medium Græcorum. Ultimus et in profundo cassidis remansit Acestes, ausus etiam ipse aggredi manu laborem juvenum. Tunc viri* illi, *unusquisque pro se, curvant robustis viribus flexiles arcus, et educunt sagittas è pharetris. Et sagitta juvenis Hyrtacidæ prima ferit levem aërem, nervo per cœlum sonante: et pervenit* ad malum, *et figitur in arbore oppositi mali. Malus tremuit, et avis territa tremuit alis, et omnia* loca *sonuerunt magno plausu. Posteà ardens Mnestheus stetit inflexo arcu, dirigens in altum, et simul intendit oculos ac sagittam: at miser non potuit attingere ferro ipsam avem:* tantùm *secuit nodos et funes lineos, quibus pendebat ab alto malo constricta* circa *pedem. Illa* avis *fugit evolans in ventos et nigras nubes. Deinde promptus Eurytion, tenens sagittam jamdiu intentam arcu parato invocavit per vota fratrem* Pandarum: *et contuitus columbam jam gaudentem aëre libero et plaudentem alis, transfodit* eam *inter obscuras nubes. Cadit mortua, et amisit vitam in astris cœlestibus, et labens refert sagittam infixam. Acestes restabat solus amissâ victoriâ; qui tamen evibravit sagittam in aërem sublimem,*

## NOTÆ.

493. *Victor.*] Non primo, sed secundo loco.

496. *Pandare, qui, &c.*] Convenerat Græcos inter ac Trojanos, ad dirimendum bellum, ut Paris Helenæ raptor, et Menelaus Helenæ maritus, singulari certamine de Helenâ contenderent. At Paris, cùm propè victus esset, à Venere è pugnâ subductus est, inductâ caligine, Iliad. 3. 380. Deinde Jupiter, adnitente Junone, Minervæ mandavit ut fœdus turbaret: quod ut faceret, persuasit illa Pandaro, è Mysiâ, Lycaonis filio, ut sagittam in Menelaum evibraret: atque ita vulnerato Menelao rursus in bella itum est, Iliad. 4. 89. De *Achivis*, Æn. 1. 488.

512. *Notos.*] Ventos quoslibet, propriè meridionales: Austri aliter dicuntur, Ecl. 2. 58.

514. *Fratrem in vota vocavit.*] Pandarum, qui, inquit Servius, apud Lycios colitur quasi heros. At errat si eum ideò Lycium fuisse putat, inductus in errorem his Homeri versibus, Iliad. 4. 119. Εὔχετο δ' Ἀπόλλωνι Λυκηγενεῖ. &c. *Supplicabat autem Apollini Lycio, inclyto jaculatori, agnorum primogenitorum sacrificaturum claram hecatomben, ubi domum reversus esset claræ in urbem Zeliæ.* Est enim *Zelia*, urbs Mysiæ, ad radices montis Idæ, et fluvium Asopum, cujus accolas populos in auxilium Priami adduxerat Pandarus, ut legitur ibid. v. 91. *Lycium* igitur Apollinem ab eo invocatum puto, non quòd patriâ esset Lycius, sed propter Lycii templi atque oraculi celebritatem; de quo Æn. 4. 345. fratrem verò invocat Eurytion, vel ut heroa, vel ut summè jaculandi peritum, quippe qui Menelaum vulneraverat, Iliad. 4. 139. Sic Manlius apud Livium, l. 38. 48. *Te L. Scipio appello, cujus ego mihi, succedens in vicem imperii tui, virtutem felicitatemque non frustrà ab Diis immortalibus precatus sum.*

Ostentans artem pariter arcumque sonantem.
 Hìc oculis subitò objicitur magnoque futurum
Augurio monstrum: docuit pòst exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos: cœlo ceu sæpe refixa
Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas: sed lætum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater, nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.
Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis:
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monimentum et pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori,
Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
 At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque impubis Iüli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:

*ostentans simul industriam et sonitum arcûs* sui. *Tum occurrit oculis prodigium repentinum et futurum magno omini: ingens casus* hoc *explicuit posteà, et vates terrifici declaraverunt tardam prædictionem. Nam* sagitta *arundinea volans inflammata est inter aëreas nubes, et igne notavit iter, et absumpta evanuit in leves ventos: quemadmodum sæpe stellæ cadentes è cœlo transeunt, et volantes trahunt* post se *comam. Siculi Trojanique viri steterunt stupefacti animo, et oraverunt Deos: et maximus Æneas non rejecit omen, sed amplexus Acesten, ornat* eum *magnis donis, et talia dicit: Accipe, ô pater, nam talibus prodigiis magnus rex cœli voluit te habere honorem extraordinarium. Habebis hoc munus ipsius senis Anchisæ: poculum cælatum figuris, quod olim Cisseus* rex *Thraciæ dederat habendum Anchisæ patri pro magno munere, et* quasi *pignus et monimentum sui amoris. Sic locutus, coronat caput* ejus *viridi lauro, et declarat Acesten primum victorem ante omnes. Et benignus Eurytion non invidit victoriæ sibi prælatæ, licet solus dejecisset volucrem ex alto aëre. Proximus est* in distributione *præmiorum, qui secuit funem: ultimus, qui levi sagittâ perfodit malum. At pater Æneas, ludis nondum dimissis, vocat ad se Epytiden, custodem et comitem pueri Ascanii: et sic loquitur in aurem fidelem:*

## NOTÆ.

521. *Pariter arcumque.*] *Pariter* ultimam brevem hìc producit, sequente vocali, propter cæsuram.

523. *Augurio monstrum; docuit pòst, &c.*] *Augurium* propriè quid sit, diximus Æn. 2. 703. Hìc pro quolibet signo ac præsagio futurorum eventuum sumitur. *Monstrum* est, quicquid contra rerum naturam accidit, et aliquid monstrat ac significat eventurum. *Exitus* qui hinc secutus est, incensio fuit navium Trojanarum, infrà, v. 659.

524. *Seraque, &c.*] Explicat Servius *gravia:* Hortensius, *futura;* Cerdanus, *tarda:* hoc sensu: Ignorabant quid hoc monstro portenderetur: id mox docuit exitus; tumque vates intellexerunt aperueruntque omina, sed seriùs ac tardiùs; cum nullus ultra esset remedio locus.

525. *In nubibus arsit arundo.*] Prodigium in eo fuit, quòd id juxta rerum ordinem accidere non poterat; ut sagitta ex arundine, quamlibet sicca, ignem inter nubila conciperet; quod de terræ exhalationibus in altum aërem eductis Aristoteles ait. De *stellis,* ut vulgus putat, *cadentibus,* quales et unde sint, diximus G. 1. 365.

530. *Nec omen abnuit Æneas.*] Cùm debuisset aversari, accipit, atque ut sibi prosperum agnoscit; vel dissimulans ob Acestæ reverentiam, et licèt infaustum sciret; vel potiùs deceptus recordatione lætæ illius flammæ, quæ in Ascanii capite effulserat, Æn. 2. 680.

534. *Exsortem ducere honorem.*] *Extra sortem ordinemque propositorum præmiorum.* Et morem notat Græcorum; apud quos, antequam præda divideretur inter milites, selectissima quæque, iis qui se fortiter in prælio gesserant, non sorte, sed judicio dabantur. Sic Æn. 9. 271. Ascanius Niso: *Clypeum cristasque rubentes Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.*

537. *Cisseus.*] Rex alicujus Thraciæ partis, Hecubæ pater, quæ Priami conjux fuit, ab eoque dicta *Cisseis.* De *Thraciâ,* Æn. 3. 14.

547. *Epytiden.*] *Epytides,* patronymicum

Vade, age: et, Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos jubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ:
Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro,
Pars leves humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti,
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,

*Age, vade: et dic, inquit, Ascanio, si jam habet secum instructum agmen puerorum, et si composuit cursus equorum, huc deducat turmas* in honorem *avi* sui, *et monstret se in armis. Ipse imperat populum omnem sparsum recedere è toto circo, et spatium fieri vacuum. Accedunt pueri, et in conspectu parentum emicant æqualiter super equis frænatis: omnis juventus Siciliæ et Trojæ plaudit admirans eos equitantes. Omnibus capilli premuntur coronâ comptâ: gerunt duas hastas corneas armatas ferro, pars humero pharetras politas: flexibilis, circulus torti auri per collum descendit* in *summum pectus. Turmæ equitum* sunt *tres numero et tres duces oberrant: pueri duodecim secuti unumquemque ducem, micant agmine distincto, et similibus ducibus. Una* est *turma puerorum, quam lætam ducit parvus Priamus, ferens nomen avi, tua inclyta proles, ô Polite,*

NOTÆ.

ejus fuit nomen; proprium, *Periphantes:* qui *Epyti* filius, Anchisæ præco, Iliad. 17. 324.

548. *Ascanio, si jam, &c.*] Non enim interfuerat ludis Ascanius: turmas intereà suas ad ludum instruens. De eo, Æn. 1. 267.

553. *Incedunt pueri, &c.*] V. LUDUS, *Equestris decursio puerorum Trojano more.* Hunc, omissis cæteris Homeri ludis, Iliad. 23. addidit Virgilius in gratiam Augusti, qui his temporibus ludum illum in usum revocaverat, ut diximus, Æn. 3. 280. De Augusto sic Suetonius, c. 43. *Trojæ ludum edidit frequentissimè, majorum minorumve puerorum delectu: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donavit: passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioséque in curiâ questo Æsermini nepotis sui casum, qui et ipse crus effregerat.* In eoque Augustus ducem secutus erat Julium Cæsarem, de quo idem Suetonius, c. 39. *Trojam lusit turma duplex, majorum minorumve puerorum.* Tres hìc turmas statuit Virgilius, singulas puerorum duodecim: cùm vulgò in exercitu *turmæ* ter denos haberent equites quibus præerant tres *decuriones.* Tres, inquam, statuit turmas, licèt Julius duas tantùm: quia fortassè turmarum numerus ad arbitrium editoris mutabatur, et ab Augusto auctus fuerat; est enim verisimile ita descriptos hìc à poëtâ ludos fuisse, ut ab Augusto tunc edebantur. Porrò hæc fuerunt ludentibus pueris arma atque ornamenta. I. Galea. II. Corona supra ipsam galeam. III. Torques aureus, catenæ instar circuito collo, summum in pectus delabens. IV. Pharetra humero suspensa; non omnibus quidem; ait enim, *pars leves humero pharetras;* sed fortassè ducibus. V. Hastilia duo præfixa ferro; quibus sese videntur ex equis vicissim impulisse: unde frequens casus sequebatur, ut ex Suetonio modò vidimus.

556. *Tonsâ coma, &c.*] Nascimbænus *tonsam* de tonsurâ capillorum explicat. Servius *coronam,* de galeâ; et verò Homerus, Iliad. 7. 12. de galeâ loquens, ait, ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου, *sub coronâ æreâ.* Tamen existimo pueros, et *galeatos,* et supra galeam *coronatos* fuisse: qualis est Marrubius sacerdos, Æn. 7. 751. *Fronde super galeam et felici comptus olivâ. Galeatos* quidem, quia Ascanius deinde v. 673. *Galeam ante pedes projecit inanem. Coronatos* verò, non fluentibus ramis; sed pressis concisisque frondibus: talis ipse Virgilius G. 3. 21. *Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ.*

557. *Cornea bina, &c.*] *Hastile,* lignum ipsum hastæ, cui ferrum præfixum est: lignum, inquam, ex arbore *corno, cornouïller,* THE CORNEIL-TREE: de quâ G. 2. 34. et hastas quidem illas necesse est breviores fuisse, ut binæ ferri possent, vel alterutrâ simul manu, vel singulæ singulis manibus.

562. *Partito.*] Ab antiquo *partio:* nunc enim, *partior,* activè tantùm, non etiam passivè sumitur. *Magistris.*] Ducibus, quos mox enumeraturus est: et hæc appellatio propria est in eo genere: quippe cùm eligebatur Romæ dictator; qui sub eo præerat equitatui vocabatur *magister equitum.* De voce, *ovans,* Æn. 3. 189.

564. *Polite, progenies, &c.*] Ejus *Politæ* filius, qui in oculis Priami patris à Pyrrho in-

Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Attî duxere Latini:
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iülo.
Extremus, formâque ante omnes pulcher Iülus
Sidonio est invectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monimentum et pignus amoris.
Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterumque agnoscunt ora parentum.
  Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravêre in equis: signum clamore paratis
Epytides longè dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrêre pares, atque agmina terni
Diductis solvêre choris: rursúsque vocati
Convertêre vias, infestaque tela tulêre.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus,
Adversis spatiis: alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis.

*auctura Italos: quem portat equus Thracius bicolor notis candidis, gressus pedum primorum candidi* sunt, *et erigit frontem candidam. Secundus* dux *est Atys, à quo Attii Latini ducunt originem: parvus Atys, et puer charus puero Iülo. Ultimus Iülus, et præ omnibus spectabilis* propter *pulchritudinem, impositus est equo Sidonio: quem pulchra Dido dederat* ei, ut *esset monimentum et testimonium sui amoris. Reliqua juventus vehitur equis Siculis senis Acestæ. Trojani recipiunt* cum *plausu* eos de gloriâ *solicitos, et lætantur* eos *videndo, et agnoscunt vultus antiquorum patrum. Postquam læti circuierunt equitando omnem concionem et conspectum suorum: procul Epytides dedit paratis signum clamore, et sonuit flagello. Illi excurrerunt* simul *pares, deinde tres* duces *diremerunt agmen in separatas turmas: iterumque admoniti relegerunt iter, et immisere hastas inimicas. Posteà incipiunt alios cursus et alios recursus* ex *oppositis locis, et implicant alternatim gyros gyris, et sub armis edunt imaginem certaminis.*

## NOTÆ.

terfectus est, Æn. 2. 526. *Polite* vocativus est, à nominativo *Polites*, non à *Politus*. Hic *Polites*, teste Servio, dicitur tamen à Catone in originibus venisse cum Æneâ in Italiam, et urbem condidisse *Politorum* in Latio, ubi nunc *Polini:* quam deinde urbem Ancus Romanorum rex delevit, quòd esset illa Latinorum adversùs Romanos perfugium. Virgilius, qui Politen à Pyrrho cæsum induxit, hujus urbis structuram attribuere videtur ejus filio, cùm ait: *Progenies auctura Italos.* De *Italis*, Æn. 1. 530.

566. *Portat equus bicolor, &c.*] Albus quidem fronte primisque duobus pedibus: hoc enim est *primi pedis*, id est, *primorum pedum.* At quis alter color? Fortassè rufus: talis enim equus ab Homero describitur, Iliad. 23. 455. totus rufus, et albâ stellâ in fronte conspicuus: quod exprimere hìc Virgilius voluisse Cerdano videtur. De *Thraciâ*, equorum ferace, Æn. 3. 14.

567. *Primi alba pedis, &c.*] Servius de duobus anterioribus pedibus explicat, Cerdanus de unico pede dextro. *Frontem albam* Scaliger interpretatur, *albâ veluti stellâ* notatam: quia omnino alba deterioris equi indicium est.

568. *Genus unde Attî.*] Sic rescribo cum Pierio ex antiquis codicibus. Constat enim signatam hìc à Virgilio fuisse gentem *Attiam*, non *Acciam*, neque *Atiam;* unde maternum genus Augustus ducebat. Quare dixit: *genus unde Attî duxere Latini*, non verò *Romani:* quia *Attia* gens erat ex urbe Latii *Aricia*, nunc *la Riccia.*

569. *Puer dilectus Iülo.*] Notat certè conjunctam affinitatem inter utramque gentem *Juliam*, quæ ab Iülo: et *Attiam*, quæ ab Aty: quâ ex conjunctione prodiit Augustus. Quippe Julia, Julii Cæsaris soror, nupserat M. Attio Balbo: quo ex conjugio prodiit *Attia;* quæ collocata C. Octavio, Octavium peperit, Augustum deinde appellatum. Unde emendabis Plutarchum et alios, qui Augustum ex sorore Cæsaris natum ferunt; et Livianam periochen libri 116. ubi is dicitur Cæsaris hæres, et *ex sorore nepos:* habet autem emendatissimus Livii codex, Pierio teste, *sororis nepos;* quod verum est: fuit enim Augustus nepos Juliæ, sororis Cæsaris, non nepos Cæsaris, ex Juliâ sorore: quâ ex verborum confusione ortus error est. De *Sidonio*, Æn. 1. 446. De *Didone*, in argumento lib. 4.

573. *Senioris Acestæ.*] Ad *equos Acestæ* refero, quibus Acestes Trojanam juventutem ad hunc ludum instruxerat; non ad *pubem Acestæ*, seu juventutem Siculam; quam probabile est in Trojanis illis pueris locum non habuisse, siquidem è tribus ductoribus nullus Siculus fuit.

575. *Pavidos.*] De laude et victoriâ solicitos: eo pavore perculsos, de quo v. 138. *Exultantiaque haurit corda pavor pulsans.*

576. *Ora parentum.*] Parentum similitudinem in liberis. De verbo *lustro*, pro *circumeo*, Æn. 1. 608.

Et nunc terga fugâ nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, factâ pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Cretâ fertur Labyrinthus in altâ
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, quà signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error.
Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et prælia ludo:
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem cursûs, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes:
Albani docuere suos, hinc maxima porrò
Accepit Roma, et patrium servavit honorem;
Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmen.
  Hàc celebrata tenus sancto certamina patri.
Hìc primùm fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt solemnia ludis:
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem; ventosque aspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum: et litora lustrans,
Desertosque videt portus, classemque relictam.
At procul in solâ secretæ Troades actâ
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum aspectabant flentes: heu! tot vada fessis,
Et tantum superesse maris, vox omnibus una.
Urbem orant: tædet pelagi perferre laborem.
  Ergo inter medias sese haud ignara nocendi

*Et modò præbent terga fugæ, modo convertunt hastas* quasi *inimici, modò æqualiter incedunt* quasi *pace compositâ. Quemadmodum Labyrinthus in altâ Cretâ dicitur habuisse olim iter implexum obscuris parietibus, et fraudem incertam* propter *mille vias,* per *quas error inobservabilis et inexplicabilis turbabat signa progrediendi. Non aliter filii Trojanorum impediunt currendo cursum, et miscent fugas ac certamina ludendo. Similes delphinis, qui natando per liquidum mare findunt Carpathium ac Libycum* mare, *et ludunt inter fluctus. Ascanius, cùm circumdaret Albam longam mœnibus, renovavit primus hanc consuetudinem decursionis, atque has pugnas; et docuit veteres Latinos* eas *edere: quo modo ipse puer, et cum eo Trojana juventus:* eodem modo *Albani docuerunt suos* posteros: *hinc verò maxima Roma accepit et retinuit patrium ludum; et* illi *pueri nunc dicuntur Troja et Trojanum agmen. Hactenus pugnæ editæ* sunt *sancto parenti. Tum fortuna primùm conversa mutavit fidem. Dum per diversos ludos persolvunt sepulchro justa: Juno* filia *Saturni demisit Irim è cœlo ad naves Trojanas, et adjuvat ventis* eam *descendentem, plurima parans, et nondum expleta* secundùm *veterem indignationem. Illa virgo festinans iter per arcum mille colorum, nulli aspectabilis descendit* per *pronam semitam. Videt magnum concursum* ad ludos; *et circumiens litora, cernit portus vacuos et naves incustoditas. At Trojanæ procul separatæ in deserto litore plorabant Anchisen omissum, et cunctæ plorantes aspiciebant altum mare: unus* erat *sermo omnium; heu! tot fluctus et tantum maris restare fatigatis! postulant urbem: tædet* eos *pati asperitatem maris. Igitur Iris non ignara nocendi immittit se in medium* earum,

## NOTÆ.

588. *Cretâ fertur Labyrinthus.*] De *Cretâ* insulâ, *Candie,* Æn. 3. 104. De *Labyrintho,* Æn. 6. 67. Et comparat varias cursûs puerilis figuras cum *Labyrintho;* currentes deinde pueros, cum *delphinis.*

594. *Delphinum, &c.*] *Delphin,* vel *delphinus,* communiter creditur esse *porcus marinus, marsouin,* A PORPOISE, quem falsò incurvo corpore pinxere veteres: nisi fortè sic apparet propter impetum ac velocitatem motûs cùm erumpit è mari: verè enim dicitur à Plinio l. 9. 8. *Velocissimum omnium animalium, non solùm marinorum; ocyor volucri, ocyor telo——tantâ vi exilit, ut plerumque vela navium transvolet.*

595. *Carpathium, Libycumque.*] *Carpathium* mare, ad orientem Cretæ insulæ, ubi est *Carpathus* insula, Cretam inter et Rhodum media, nunc *Scarpanto. Libycum* mare, circa Libyam, de quâ Africæ parte, Æn. 1. 158. et Geor. 1. 241. De *Ascanio,* Æn. 1. 267. De *Albâ,* Æn. 8. 48. De *Latinis,* veteribus, Latii incolis, Æn. 1. 6.

606. *Irim de Cœlo, &c.*] De *Iride,* et arcu cœlesti, Æn. 4. 700. De *Junone, Saturni filiâ,* Æn. 1. 23.

613. *Secretæ Troades actâ.*] Nam, ut ait Hortensius, indecorum est honestas matronas publicis in spectaculis esse cum viris. *Acta* litus est, ab ἀκτὴ; quâ voce etiam usus est Cicero, de Siculo litore loquens, Verrinâ 5. 81. *Uxorem tot in actâ dies secum habere.*

Conjicit, et faciemque Deæ vestemque reponit.
Fit Beroë, Ismarii conjux longæva Dorycli,
Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent.
Ac sic Dardanidûm mediam se matribus infert:
O miseræ, quas non manus, inquit, Achaïca bello
Traxerit ad letum, patriæ sub mœnibus! ô gens
Infelix! cui te exitio fortuna reservat?
Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas;
Cùm freta, cùm terras omnes, tot inhospita saxa
Sideraque emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hìc Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros jacere, et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequicquam ex hoste Penates!
Nulláne jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum et Simoënta videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: hìc quærite Trojam:
Hìc domus est, inquit, vobis: jam tempus agit res.
Nec tantis mora prodigiis: en quatuor aræ
Neptuno! Deus ipse faces animumque ministrat.
  Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem:
Sublatâque procul dextrâ connixa coruscat,
Et jacit. Arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hìc una è multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:

*et exuit formamque et habitum Deæ. Assimilatur Beroë uxori grandævæ Dorycli Ismarii, cui fuerat olim nobilitas, et fama, et soboles. Sic autem immiscet se mediam matribus Trojanorum: O infelices, inquit, quas manus Græcorum non traxere ad mortem,* in *bello, sub muris patriæ! ô gens infortunata! cui morti reservat te fortuna? Jam septima æstas transiit ab exitio Trojæ; ex quo* tempore *vagamur emensæ tot maria et omnes terras, tot scopulos inhabitabiles, et sidera: ex quo per vastum mare quærimus Italiam fugientem, et raptamur fluctibus. Hìc est regio Erycis fratris* Æneæ, *et hospes Acestes: quis vetat* Æneam *fundare muros, et dare urbem civibus? O patria, et Penates frustrà erepti ab hostibus! an deinceps nulli vocabuntur muri Trojæ? nullibi aspiciam fluvios Hectoreos, Xanthum et Simoënta? Immò agite, et mecum incendite funestas naves. Nam umbra Cassandræ vatis visa est per somnum præbere mihi faces accensos, ait*que, *Hìc quærite Trojam, hìc est vobis domus: jam tempus urget rem. Nec mora* est adhibenda *tantis præsagiis: ecce quatuor altaria* posita *Neptuno:* Ille *ipse Deus suppeditat* nobis *animos et faces. Hæc dicens, prima* per *vim rapit funestum ignem: et erectâ dexterâ nitens procul librat, et conjicit. Arrecti* sunt *animi et attonita corda Trojanorum. Hìc una è multis, quæ* erat *annis provectissima,* nomine *Pyrgo, regia nutrix tot filiorum Priami:*

## NOTÆ.

620. *Beroë, Ismarii, &c.*] Ficta nomina *Beroës* et *Dorycli. Ismarius* is dicitur, id est, *Thracius*, ab Ismaro, Thraciæ maritimæ monte, de quo G. 2. 37. De *Dardanidis*, Æn. 1. 235. De *Achaiâ*, Græciâ propriè dictâ, vel Peloponnesi parte, Æn. 1. 488.

626. *Jam vertitur æstas.*] Jam præterita est septima, et convertitur vergitque in octavam. Hunc enim esse sensum diximus, Æn. 1. 759. Et verò tunc ita loquebatur Beroë, non æstate, sed vere: ipso quippe ludorum die, ut statuimus suprà, v. 46.

628. *Sidera emensæ.*] Per navigationem, quæ astrorum aspectu regitur.

629. *Fugientem.*] Quia, quò propiùs ad eam accedebant, eò videbantur ab eâ longiùs vi tempestatum repelli. De *Eryce*, Æneæ fratre, v. 24. De *Acestâ*, v. 36. De *Penatibus*, Æn. 2. 717. De *Hectore*, Æn. 1. 99. De *Xantho*, Troadis fluvio, Æn. 1. 473. De *Simoënte*, Troadis item fluvio, Æn. 1. 100. De *Cassandrâ* vate, Priami filiâ, Æn. 2. 246.

638. *Agit res.*] Sic Romanus, ac Mediceus codex, aliique vetusti, apud Pierium: licèt in aliis legatur *tempus agi res:* id est, *tempus agendi rem.* Magis tamen placet prima lectio, *tempus agit res;* id est, *ipsum tempus, ipsa occasio, rem urget* et *porrò impellit: nam ecce faces, &c.*

639. *Quatuor aræ Neptuno.*] A quo constitutæ? non ab Æneâ, qui ad tumulum, et in patris honorem sacra fecerat; tumulus autem et sacrificii locus procul aberant ab eâ litoris parte: nec procul à circo; ut patet ex boum sanguine, quo lapsus est Nisus, v. 333. Ergo, vel à Cloantho: qui, hoc ipso in litore Siculo, immolandum pro navali victoriâ taurum Diis pelagi voverat, v. 235. vel ab ipsis Trojanis: qui, dum Æneas Anchisæ sacra faceret, mactabant ipsi juvencos, pro suâ quisque copiâ; sive ut Anchisen, sive ut alios etiam Deos colerent, neque enim id à poëtâ definitur, v. 100.

642. *Ignem—coruscat.*] Neutrum id vulgò verbum est; apud Virgilium sæpe activum. Æn. 10. 651. *Strictumque coruscat mucronem.* Æn. 12. 431. *Hastamque coruscat.*

645. *Pyrgo.*] Fictum nomen à poëtâ. De Priami quinquaginta filiis, ac duodecim filiabus, Æn. 2. 503.

*Non hæc vobis est Beroë, ô matres; non uxor Rhœteïa Dorycli: animadvertite indicia divinæ pulchritudinis, et oculos micantes, quis* sit *illi vigor, quæ facies, aut sonus vocis, aut gressus ambulanti. Egomet ipsa, jamdiu digressa* à Beroë; *reliqui Beroën ægrotantem, et dolentem quòd* sola *immunis esset talis officii, nec exhiberet Anchisæ digna sacrificia. Hæc locuta* est. *Sed matres primò* cœperunt *aspicere naves oculis malevolis, incertæ et dubiæ inter miserum amorem præsentis regionis et regna invitantia* per *fatum. Cùm Dea* Iris *extulit se per aërem alis æquatis, et* in *discessu signavit magnum arcum inter nubes. Tunc autem stupefactæ prodigiis, et impulsæ furore, vociferantur, et rapiunt ignem* ex *aris intimis: pars nudant aras, injiciuntque frondes et ramos et faces: ignis sævit laxatis habenis, per scamna, et remos, et puppes pictas* ex *abiete* structas. *Eumelus nuncius defert ad sepulchrum Anchisæ et sedes theatri naves esse combustas: et ipsi* spectatores *vident nigrantes favillas volare in fumo. Et primus Ascanius, quemadmodum lætus regebat decursionem, eo modo cucurrit* ad *castra tumultuantia, festinus* in *equo: et magistri stupefacti* non *possunt* eum *retinere.*

Non Beroë vobis; non hæc Rhœteïa, matres,
Est Dorycli conjux: divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos: qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudùm Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem tali quòd sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
  At matres primò ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ, spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ fatisque vocantia regna:
Cùm Dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fugâ secuit sub nubibus arcum.
Tum verò attonitæ monstris, actæque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt: furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per, et remos, et pictas abiete puppes.
  Nuntius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus: et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.

## NOTÆ.

646. *Rhœteïa.*] E *Rhœteo*, Troadis promontorio, non procul ab urbe Trojâ.

647. *Divini signa decoris.*] Quatuor ea signa commemorat. I. *Fulgorem vultûs* et *oculorum.* II. *Spiritum*, id est, halitum odoratum. III. *Incessum*, aut grandem, aut fluentem. IV. *Sonum vocis*, sanè altiorem firmioremque. De tribus primis diximus, Æn. 1. 402. 403. 405. De quarto dixit Æneas ad Venerem ibidem, v. 332. ubi: *Nec vox hominem sonat.*

651. *Indignantem quòd, &c.*] Ægrè ferentem, quòd per valetudinem sibi non liceret interesse sacris.

660. *Rapiuntque focis penetralibus ignem, &c.*] Dionysius Halicarn. postquam de Ægesto sive Acestâ, et Elymo, jam in Siciliâ considentibus, locutus est: ita de hoc navium incendio disserit, l. 1. Ἐντυχὼν δὲ εἰρημένοις Αἰνείας ἀνδράσι, &c. *In hos autem viros postquam incidit Æneas, complectitur eos comiter, et condit in eorum gratiam urbes Ægestam et Erycem, et exercitus sui partem in iis relinquit; quantùm ego conjicio, suâ sponte, ut labore et marinis jactationibus fessi loco tuto quiescerent; ut verò aliqui scribunt, detrimentum classis illic passus ab incendio quod aliquot fœminæ tædio navigationis excitaverant; et necessitate coactus turbam relinquere, quam post absumptas naves reliquæ capere non poterant.* Plutarchus in Romulo, refert ex aliquorum sententiâ incensas à mulieribus naves Trojanorum fuisse in ipsis Tybridis faucibus. *Romæ* cujusdam Trojanæ suasu, à quâ deinde *Roma* nomen habuerit. Strabo, l. 6. id Crotone accidisse narrat, et sic deinde rem definit: Καὶ τὸ τῶν Τρῳάδων δὲ τόλμημα περιφέρεται πολλαχοῦ, &c. *Et Trojanarum quidem facinus multis ascribitur locis, videturque incredibile, cùm tamen fieri potuerit.*

661. *Spoliant aras.*] Frondibus, verbenis, tæniis, quibus ornatæ erant et aræ et statuæ. Æn. 4. 457.

662. *Vulcanus habenis.*] De *Vulcano*, pro igne, Geor. 1. 295. *Habenis.*] Translatio ab aurigis, qui habenas ad incitatissimum cursum laxiores equis permittunt. De *transtris*, suprà, v. 119. De *abiete*, *sapin*, FIR, Geor. 2. 68. De *cuneis theatri*, suprà, v. 288.

665. *Eumelus.*] Effœtus aliquis senex, qui apud naves cum mulieribus steterat.

669. *Magistri.*] Vel alii duces duo, *Priamus* et *Atys*, qui sic appellantur, v. 562. Vel custos Ascanii Epytides, aliorumque juvenum custodes. De *Argivis*, et *Argis*, urbe Peloponnesi, Æn. 1. 284.

Quis furor iste novus? quò nunc, quò tenditis, inquit,
Heu miseræ cives! non hostem inimicaque castra
Argivûm; vestras spes uritis. En ego vester
Ascanius. Galeam ante pedes projecit inanem,
Quâ ludo indutus belli simulachra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illæ diversa metu per litora passim
Diffugiunt, sylvasque, et sicubi concava furtim
Saxa petunt: piget incepti, lucisque; suosque
Mutatæ agnoscunt: excussaque pectore Juno est.
Sed non idcircò flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stupa, vomens tardum fumum: lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis:
Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare Deos, et tendere palmas:
Jupiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos; da flammam evadere classi
Nunc, pater, et tenues Teucrûm res eripe læto:
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, dimitte; tuâque hìc obrue dextrâ.
Vix hæc ediderat: cùm effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit: tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum, et campi: ruit æthere toto

*Aitque, Quis* est *iste novus furor? ô miseræ cives! quò jam, quò tenditis? non incenditis hostes, et hostilia castra Græcorum;* sed *spes vestras. Ecce ego* sum *vester Ascanius. Abjecit ad pedes vacuam cassidem, quâ opertus* in *ludo ediderat imaginem pugnæ. Accurrit simul Æneas; simul multitudo Trojanorum. Sed illæ* præ *timore fugiunt quâcunque in remota litora, et clam quærunt sylvas, ac rupes cavernosas, si alicubi* sunt: *pœnitet* eas *facinoris et vitæ: et revocatæ* à furore *agnoscunt suos* cives: *et Juno expulsa est ex animo. Tamen flammæ et incendia non amiserunt propterea vim* suam: *stupa emittens pigrum fumum alitur sub ligno humido, et spissus ignis absumit trabes, et pernicies funditur* per *totam molem: et labor virorum injectæque undæ non proficiunt. Tunc pius Æneas* cœpit *lacerare vestem* ab *humeris, et invocare Deos* in *auxilium, et extollere palmas* manuum: *Jupiter omnipotens,* ait, *si nondum odisti Trojanos omnes ad unum, si vetus misericordia* tua *spectat casus humanos: concede nunc classi evitare incendium, ô pater, et serva ab exitio res angustas Trojanorum: vel, si mereor, tu trade me morti inimico fulmine, et hìc opprime* me *tuâ manu, quod* solum *restat. Vix dixerat ea: cùm immissis pluviis tempestas furit præter consuetudinem, et alta* loca *terrarum et campi quatiuntur fulmine:*

NOTÆ.

673. *Galeam—inanem.*] Jam *vacuam,* quippe extractam è capite. Alii explicant: *spoliatam coronâ,* quæ priùs superposita galeæ, jam impetu deciderat. De *Teucris,* Æn. 1. 235.

681. *Udo sub robore.*] Duro quovis ligno; aliquando certâ specie arboris, è querceo genere, Geor. 1. 162.

682. *Stupa.*] Linum vile, cortici proximè adhærens, obturandis ac stipandis rimis ac foraminibus comparatum. Græcè *στύπη,* à *στύφω, astringo.*

*Tardum fumum, lentusque, &c.*] Quia uda et vicina undis materia non facilè in flammam emicabat.

683. *Vapor.*] Propriè est halitus ac flatus, qui fumi instar exspiratur: hìc pro igne sumitur, juxta Lucretium, l. 2. 149. *At vapor is quem Sol mittit, lumenque serenum. Carinæ,* trabes sunt imæ in *navibus.*

*Corpore pestis.*] *Corpus* hìc pro navium mole: *Pestis* pro igne usurpatur, et sæpe pro noxiâ quâcunque re; et apud Livium, l. 44. pro cæde: *In aliam fœdiorem pestem incidebant: elephantes enim ab rectoribus in litus acti exeuntes obterebant.* Plinius l. 2. 48. pro tempestate: *Præcipua navigantium pestis, &c.*]

685. *Abscindere vestem, &c.*] Maximum hoc signum doloris fuit: usitatissimum apud Hebræos, ut patet ex sacris literis. Sed et apud Ægyptios ex Herodoto, l. 2. quos mortuos prosecutæ mulieres vagæ per urbem percutiebant se nudatis mamillis. Apud Trojanos, ex Senecâ in Troad. v. 101. ubi Hecuba: *Cadat ex humeris vestis apertis; jam nuda vocant pectora dextras.* Apud Græcos, ex Herodoto, l. 8. re malè gestâ à Mardonio. Apud Romanos, ex Suetonio in Nerone, c. 42. qui *postquam Galbam et Hispanias descivisse cognovit——veste discissâ, capite converberato, actum de se pronunciavit.* Causa autem hujus moris hæc erat, ut pectus pateret ad planctum, cujus etiam frequens apud veteres usus.

695. *Ardua terrarum.*] Montes, spatia terrarum altissima. Vulgaris est ea locutio atque elegans: ut Æn. 2. 332. *Angusta viarum.* Ibid.

Turbidus imber aquâ, densisque nigerrimus Austris:
Implenturque supèr puppes, semusta madescunt
Robora: restinctus donec vapor omnis; et omnes,
Quatuor amissis, servatæ à peste carinæ.
At pater Æneas casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat: versans, Siculisne resideret arvis
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multâque insignem reddidit arte;
Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna Deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.
Isque his Æneam solatus vocibus infit:
Nate Deâ, quò fata trahunt retrahuntque sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinæ stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium, et conjunge volentem.
Huic trade, amissis superant qui navibus; et quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est;
Longævosque senes, ac fessas æquore matres;
Et quicquid tecum invalidum, metuensque pericli est,
Delige: et his habeant terris sine mœnia fessi.
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici:
Tum verò in curas animus diducitur omnes.
Et nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis

*imber sonans aquis et densatus à nigris Austris cadit ex toto aëre: et naves desuper implentur, ligna semiusta humescunt; donec ignis totus extinctus* est: *et cæteræ naves receptæ* sunt *ab igne, quatuor* tantùm *absumptis. Sed pater Æneas, perculsus* hâc *tristi calamitate, agitabat animo magnas curas, nunc huc, nunc illuc deliberans, an remaneret* in *agris Siculis immemor fatorum, an peteret regiones Italas. Tunc senex Nautes, quem Tritonia Pallas unicè instituit, et effecit clarum multis vaticiniis, edebat hæc responsa* dicebatque *vel quid magna ira deorum minaretur, vel quid exigeret series fatorum. Atque ille solatus Æneam loquitur his verbis: Fili Veneris, eamus quò fata vocant et revocant. Quicquid accidet, omnis fortuna vincenda est tolerando. Est tibi Trojanus Acestes è divinâ origine: accipe illum, et volentem adhibe socium ad consilia. Da illi* eos, *qui superflui* sunt *amissis navibus, et quos tædet magni consilii et rerum tuarum; et elige senes grandævos, et matres lassas navigatione, et quodcunque tecum est infirmum et timens pericula: et permitte* ut illi *fatigati habeant urbem* in *hâc regione. Vocabant urbem* illam *Acestam, eo cesso* ab Acestâ *nomine.* Æneas *commotus* est *talibus verbis amici senis: deinde verò distractus est animo in omnes curas. Et nox nigra occupabat cœlum invecta duobus equis: deinde species Anchisæ patris delapsa è cœlo visa*

## NOTÆ.

v. 725. *Opaca locorum.* De *Austris,* ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58. De *roboribus,* suprà, v. 681.

704. *Nautes, unum Tritonia, &c.*] *Nautes,* caput *Nautiæ* familiæ Romanæ, cujus in custodiâ Palladium Romæ per successionem fuit: ut habet Dionysius Halicarn. l. 6. Et causam diximus, Æn. 2. 166. De *Pallade,* Æn. 1. 39. et 2. 31. De *Tritoniâ,* ejus cognomine, Æn. 2. 171. De *ordine fatorum,* Æn. 1. 239. De *Acestâ rege, Dardaniæ stirpis,* suprà, v. 36.

718. *Acestam.*] De hâc urbe, infrà, v. 755.

721. *Bigis.*] Ut Soli *quadrigæ,* sic Nocti et Lunæ *bigæ,* à poëtis trahendo currui assignantur: et quidem ab Ovidio *equi,* ab Ausonio *juvencæ,* ab aliis *muli;* quia sicut muli non suo, sed equi genere procreantur; ita Luna, non suo, sed Solis lucet lumine. Tibullus tamen, l. 3. 4. 17. attribuit Nocti *quadrigas.* Color autem illis *niger* vulgò datur; à Claudiano *cæruleus,* qui sæpe sumitur pro nigro; ab Ovidio *niveus,* quia illic de Lunâ agitur.

722. *Cœlo facies delapsa parentis, &c.*] E cœlo labitur, quo ejus *manes Acheronte remissos,* et inter Divos admissos putari vidimus, v. 99. Tamen mox conveniri vult apud inferos, v. 733. Scilicet putabant veteres quatuor inesse homini, de quibus Æn. 4. 385. præcipuè *animam;* et *simulacrum,* sive *idolum,* sive *manes; animam,* heroum præsertim in cœlum abire; *simulacrum* eorundem manere apud inferos. Sic apud Homerum Odyss. 11. 600. Ulysses, in illâ suâ mortuorum ex inferis evocatione, ait: Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην, Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ, &c. *Post hunc verò vidi vim Herculeam, idolum: ipse verò apud immortales Deos oblectatur in conviviis.* De *Ilio,* Æn. 1. 1. De *fatis,* Æn. 1. 239. De *Italiâ,* Æn. 1. 530. De *Latio,* Æn. 1. 6. De *Dite,* Plutone, Geor. 4. 467. De *Avernis,* pro inferis, Æn. 6. 237. De *Tartaro,* infimo inferorum loco, Geor. 1. 36. De *Elysio,* beatorum apud inferos sede, Æn. 6. 638. De *Sibyllâ,* Æ. 6. 10. De *sacrificio Sibyllæ,* Æn. 6. 243. De *genere Æneæ,* seu posteris, Æn. 6. 756.

Anchisæ, subitò tales effundere voces:
Nate, mihi vitâ quondam, dum vita manebat,
Chare magis: nate, Iliacis exercite fatis:
Imperio Jovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam: gens dura, atque aspera cultu,
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen antè
Infernas accede domos; et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent tristesque umbræ; sed amœna piorum
Concilia, Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrantûm multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quæ dentur mœnia, disces.
Jamque vale: torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas, Quò deinde ruis? quò proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem et sopitos suscitat ignes:
Pergameumque Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Farre pio et plenâ supplex veneratur acerrâ.
  Extemplò socios, primumque accersit Acesten:
Et Jovis imperium, et chari præcepta parentis

est ipsi *repentè proferre talia verba: O fili, mihi magis chare* quàm *vita, quando vita inerat mihi; fili, agitate casibus Trojanis: venio huc jussu Jovis, qui avertit incendium à navibus* tuis, *ac denique misertus est* tui *ex alto cœlo. Obtempera consiliis, quæ senex Nautes præbet tibi prudentissima: transporta in Italiam electos juvenes, generosissimos animos: gens fortis et aspera moribus vincenda est tibi in Latio. Tamen priùs veni* ad *domos inferas, et per Avernum profundum quære mea colloquia, ô fili. Non enim sceleratus Tartarus et mœstæ umbræ tenent me, sed habito Elysium, et lætos cætus bonorum. Casta Sibylla huc ducet te multo sanguine nigrarum victimarum. Tunc disces omnes posteros tuos, et urbes quæ concedentur. Nunc autem vale: nox humida peragit medium cursum, et* Sol *oriens crudelis me attingit equis anhelantibus.* Sic *locutus* erat, *et evanuit veluti fumus in levem aërem. Æneas deinde ait: Quò curris? quò* te *subtrahis? quem fugis, aut quis te cohibet ab amplexu nostro? Hæc dicens, succendit ignem in cinere sepultum: colitque supplex pio frumento et thuribulo pleno Lares Trojanos et sacraria albæ Vestæ. Statim advocat socios, ac primò Acesten; declaratque mandatum Jovis, et jussa dilecti patris,*

## NOTÆ.

738. *Torquet medios, &c.*] Tria sunt hìc notanda. I. Æstas, sive solstitium imminens, hìc significatur: cùm scilicet nox est brevissima, primumque diluculum mediæ nocti ferè conjunctum: ait enim *torquet medios nox cursus:* et *oriens me equis afflavit,* id est, *Sol oriens.* Quæ ratio temporis cum iis quæ diximus, v. 46. apprimè convenit. Et verò confectis ludis, verisimile est Æneam consilii ambiguum dies non paucos in deliberando posuisse; cùm hoc ipsi insomnium contigit. II. Umbræ noctu tantùm solent apparere, diemque fugiunt. Propert. l. 4. 7. 89.

> *Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat umbras;*
> *Errat et objectâ Cerberus ipse serâ.*
> *Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:*
> *Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.*

Alii hoc tribuunt *umbris,* quæ circa tumulos manebant; cùm *manes* sive *idola* apud inferos clausa essent. Licèt autem hæc Anchisæ species è cœlo, non ex inferis, apparere hìc dicatur: eandem tamen ipsi tribuit lucis ac diei formidinem. III. Somnia tantùm ea putantur vera, quæ ad extremam noctem obveniunt: falsa, quæ sub primam noctem. Causam affert Plinius, l. 10. 75. *A vino et à cibis proxima, atque in redormitione, vana esse visa propè convenit.* Quare verum hoc insomnium Æneas existimavit.

744. *Pergameumque Larem, &c.*] *Penates, Lares, Vestam,* id est, inextinctum ignem, secum in Italiam advexisse Æneam diximus, Æn. 2. 293. ubi de *Vestâ:* et Æn. 2. 717. De cultu *Larium* diximus, Æn. 3. 177. Colebantur autem injectis in ignem floribus, vino, thure, libis, sive placentis è purissimo frumento, quod *far* appellantur; molâ item salsâ, de quâ Æn. 2. 133. Unde hìc ait *farre pio,* id est, placentâ et libo; et *acerrâ,* arculâ thuris sive thuribulo. Supersunt hìc tria notanda. I. Per *sopitos ignes,* non intelligi ignes extinctos, hoc enim nefas erat: sed lentiùs emicantes. II. Vestam dici *canam.* Vel quasi antiquam, ut dicta est, Æn. 1. 292. *cana Fides.* Vel quia Vestales deinde virgines albo amictu indutæ sunt. III. Æneam, post Anchisæ discessum, sacra fecisse *Laribus:* quia putabant veteres, nihil aliud *Lares* esse, quàm animas parentum, ut ostendimus, Æn. 2. 717. De *transtris,* suprà, v. 119. De *rudentibus,* infrà, v. 824. De voce *ambesâ,* Æn. 3. 257.

Edocet; et quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis: aptant remosque rudentesque:
Exigui, numero, sed bello vivida virtus.
 Intereà Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, et hæc loca, Trojam
Esse jubet; gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ: tumuloque sacerdos,

*et quod jam consilium hæreat menti. Nulla* est *mora in* hoc *consilio, et Acestes non recusat mandata. Addicunt matres urbi, et relinquunt plebem volentem, animos non cupidos magnæ gloriæ. Alii reficiunt scamna, et reparant* in *navibus ligna semiusta flammis: accommodant remos et funes: pauci* quidem sunt *numero, sed virtus ardens bello. Interim Æneas describit* spatium *urbis aratro, et distribuit domos* per sortem: *imperat hoc spatium dici Ilium: et hæc loca,* novam *Trojam. Acestes Trojanus lætatur* novâ *ditione. Assignat forum, et ponit leges senibus convocatis. Tunc templum propinquum sideribus ponitur Veneri Cypriæ in cacumine Erycis* montis: *et sacerdos*

NOTÆ.

755. *Urbem, &c.*] De hâc tria dicenda, *nomen, situs, conditor.* I. Vocatur à Stephano *Ægesta,* à Dionysio Halicarnasseo *Ægista,* à Cicerone et Romanis vulgò *Segesta,* à Plinio cives ejus *Acestæi,* quod convenit cum Virgilio, qui *Acestam* vocat: nunc teste Fazello *Barbara.* Varietatem nominum induxit multiplex regis hujus appellatio, quem Virgilius *Acestem* vocat, suprà, v. 36. II. Situs ejus est in parte occidentali Siciliæ, sinum versùs et emporium, cui nomen *Castel di mare,* et septentrionem respicit: urbs ipsa *Segesta,* non in litore, sed ab hoc emporio milliaria circiter quinque in terras recedit ad meridiem; ager calidis et sulphureis fontibus passim scatet. III. Hujus conditor dicitur à quibusdam apud Strab. l. 6. Philoctetes, qui ex agro Italiæ Crotoniensi Trojanum Ægestum eo consilio in Siciliam miserat. Apud Lycophronem et ejus interpretem, Tzetzem, Ægestæ atque Elymo tribuitur, suprà, v. 73. Apud Virgilium, Pompeium Festum, Dionysium, Ciceronem, Æneæ assignatur. Ita Cicero Verrinâ, 4. 72. *Segesta est oppidum pervetus in Siciliâ quod ab Æneâ, fugiente à Trojâ atque in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant.* Dionysii Halicarn. verba jam retulimus, v. 660. De Romano more circumducendi *aratri,* ad circuitum urbis designandum, Æn. 1. 448. in voce *portâ.*

756. *Hoc, Ilium; et hæc loca, Trojam.*] *Ilii* mentionem in Siciliâ nusquam reperi: quare hìc, *Ilium* sumi puto pro *arce,* aut urbe ipsâ Segestanâ, quæ ad similitudinem Ilii sive Trojæ condita sit: quemadmodum ex arce Trojanâ *Pergamo,* edita loca omnia deinde *Pergama* vocata esse diximus, Æn. 1. 466.

*Loca, Trojam.*] *Scamandrum* sive *Xanthum,* et *Simoënta,* Troadis fluvios, de quibus Æn. 1. 100. 473. quorum nomina duobus circa Segestam in Siciliâ fluviis ab Æneâ fuisse imposita testantur quidam apud Strab. 1. 13. Et *Scamandri* quidem mentio est apud Diodorum, l. 20. quem Cluverius ait nunc appellari nomine *S. Bartholomæi,* vel *Freddo.* Addit idem *Simoënta* ad orientem ipsius nasci, et cum eo pòst paulò misceri: nec ejus vulgare nomen assignat.

758. *Indicitque forum, &c.*] *Forum* locus erat, ubi jus diceretur. *Indicit,* tempus propriè notat, quo jus in foro dicendum esset. *Dat jura,* jus illud legesque aperit, ex quibus urbem recturi essent *patres,* id est seniores; et sic Romæ *senatores* deinde vocati sunt. Notandum autem civitatem tribus præcipuè contineri, muris, legibus, religione: quibus ex æquo ab Æneâ provisum est.

759. *Erycino in vertice.*] De situ *Erycis,* nunc *S. Juliani,* montis post Ætnam in Siciliâ maximi, diximus, Æn. 3. 707. In hujus declivi, paulò infra verticem, urbs fuit ejusdem nominis. Hanc fundatam, et utrique nomen inditum volunt ab ipso Eryce, Diodorus l. 4. et Apollodorus l. 2. A sepulchro Erycis ibidem constituto nomen petit Hyginus, c. 270. Ab Æneâ cum Segestâ urbe conditam esse censent Dionysius l. 1. et Tzetzes in Lycophronem. De *Eryce,* suprà, v. 24.

760. *Sedes Fundatur Veneri Idaliæ.*] In summo montis Erycis vertice planities fuit, ubi templum Veneris Erycinæ diu celebratum; et juxta Tacitum à Tiberio, juxta Suetonium à Claudio, deinde instauratum. Primus ejus conditor Æneas dicitur à Pomponio Melâ, ab Hygino, à Dionysio, qui Venerem illam ipsam non *Erycinam,* sed *Æneiam* vocatam addit. Ab his ita dissentit Diodorus l. 4. ut non solùm Erycem urbem, sed et Erycinæ Veneris ædem ab *Eryce* fundatam putat; ab Æneâ donis duntaxat ornatam: Æneæ tamen opus vulgò id habitum esse innuit Tacitus Annal. l. 4. *Idaliam* vocat Venerem Virgilius, non quòd hoc ibi nomine insignita fuerit; sed quomodo Delium Apollinem appellat *Tymbræum,* ut notavimus, Æn. 3. 85. et Æn. 4. 345.

Et lucus latè sacer additur Anchisæo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt æquora venti:
Creber et aspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres; ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies et non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ.
Tres Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funes.
Ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prorâ, pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
At Venus intereà Neptunum exercita curis
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:

*ac sylva latè sacra attribuitur sepulchro Anchisæ. Et jam omnis populus epulatus fuerat* per *novem dies, et facta* fuerant *sacrificia* per *aras: cùm tranquilli venti complanaverunt fluctus, et validus Auster aspirans invitavit iterum in mare. Surgit magnus luctus per litora sinuosa:* cives *stant complexi inter se noctuque diuque. Jam ipsæ matres; ipsi, quibus conspectus maris videbatur olim horridus, et vis* ejus *intolerabilis;* illi *volunt proficisci, et pati difficultates omnes itineris. Bonus Æneas solatur illos sermone benevolo, et plorans commendat* eos *Acestæ consanguineo* suo. *Posteà jubet* suos *immolare Eryci tres vitulos, et agnam Tempestatibus; et funes per ordinem abrumpi. Ipse coronatus frondibus concisæ olivæ* circa *caput, erectus longè in prorâ, tenet poculum; et projicit viscera in aquas salsas, effunditque vina pura. Ventus exoriens propellit à puppe navigantes: socii verberant mare certatim, et verrunt* ejus *planitiem. Venus autem interim agitata curis alloquitur Neptunum, et emittit è pectore tales querelas:*

NOTÆ.

*Idalium* sive *Idalia*, oppidum et nemus est insulæ Cypri, in Mediterranei maris maximè orientali sinu, quæ tota Veneri dicata fuit.

761. *Sacerdos et lucus, &c.*] Quippe promiserat se, conditâ urbe, sacra in perpetuum Anchisæ patri fundaturum, v. 60. Itaque sacerdotem ei, et sacram sylvam dedicat.

*Anchisæo.*] Pro *Anchisæio*, ut Æn. 4. 552. *Cineri Sichæo*, pro *cineri Sichæio*. Testatur autem Hyginus, c. 270. in Erycino monte sepultum Anchisen fuisse: quamvis in Italiam pervenisse Cato dicat: alii, antequam Æneas Siciliam attigisset, in itinere obiisse.

762. *Dies epulata novem, &c.*] Novemdialia sacrificia repetita, de quibus, v. 64. sacrificiis autem ferè semper adjunctæ epulæ è sacris carnibus. Cujus autem in honorem peracta hæc sacra? An iterum patris, ut illa superiora? an Deorum novæ urbis? an Veneris Erycinæ? Hoc sanè ipsum puto; incidi enim in locum Athenæi, l. 9. quem hìc adscribere non pigebit. Τῆς δὲ Σικελίας ἐν Ἔρυκι καιρός τίς ἐστιν, ὃν καλοῦσιν ἀναγωγὰς, &c. *In Eryce autem Siciliæ tempus quoddam est quod vocant* ἀναγωγὰς, *sive* profectionis dies, *quibus aiunt Venerem in Africam abire. Tum nullæ apparent circa locum columbæ, tanquam abeuntem Deam comitatæ. Nono pòst die, quod tempus* καταγωγία, *sive* reversionis dies *appellant, columbâ ex mari unâ prævolante, et in templum se recipiente, sequuntur mox aliæ. Tum quotquot circùm habitant divites, convivia agunt, cæteri læti plaudunt.* Eadem fermè habet Ælianus Hist. Anim. l. 4. 2. Quæ cum Æneæ profectione, ac epulis, dierumque numero, satis congruunt; ut eò dicatur Virgilius respexisse; ut Æneas matri suæ Veneri postrema hæc fecisse sacra, cui modo templum fundaverat.

764. *Auster.*] Ventus meridionalis navigantibus è Siciliâ in Italiam commodus. Ecl. 2. 58.

768. *Numen.*] Vel numen ac divinitas maris: vel quorumcunque Deorum voluntas, Æn. 1. 133.

771. *Consanguineo Acestæ.*] *Consanguineus*, non cognatum et *ex eâdem familiâ* hìc significat; nullum enim est vestigium hujus inter Æneam et Acesten cognationis; sed *ex eâdem gente* Trojanâ. Vide quæ de Acestæ origine dicta sunt, v. 36. De *Eryce*, v. 24. De *Erycis divinitate*, v. 467. De *divinitate Tempestatum*, et *agnâ* iisdem immolandâ, Æn. 3. 120. De *vino* et *extis projiciendis* in mare ante profectionem, suprà v. 238. De *extis*, Æn. 4. 64. *Patera*, poculum est *patens*.

779. *At Venus, &c.*] De *Venere*, Æn. 1. 256. De *Neptuno*, Æn. 1. 125. De *æquore*, pro maris planitie, Æn. 2. 780. De *Junonis* irâ in Trojanos, Æn. 1. 29. De *ejusdem conatu adversùs fata*, Æn. 1. 239. De *Phrygibus*, Æn. 1. 381.

Junonis gravis ira et inexsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non mediâ de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, pœnam traxisse per omnem
Reliquias; Trojæ cineres atque ossa peremptæ
Insequitur: causas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis
Quam molem subitò excierit: maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis:
In regnis hoc ausa tuis.
Proh scelus! ecce etiam, Trojanis matribus actis,
Exussit fœdè puppes, et classe subegit
Amissâ socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.
  Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis; merui quoque: sæpe furores
Compressi, et rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoëntaque testor,
Æneæ mihi cura tui. Cùm Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus; Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam, nec Diis, nec viribus æquis,
Nube cavâ eripui; cuperem cùm vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi, pelle timorem.
Tutus quos optas portus accedet Averni:

*Aspera iracundia et insatiabilis animus Junonis cogunt me delabi ad omnes preces, ô Neptune. Hanc, neque diuturnum tempus, nec ulla pietas placat; nec quiescit victa jussu Jovis aut fatis. Non sufficit* ipsi *consumpsisse infando odio urbem è medio populorum Phrygiæ, et duxisse* ejus *reliquias per omne* genus *pœnarum; persequitur cineres et ossa interfectæ Trojæ: noverit ipsa causas tanti furoris. Tu ipse testis* es, *quantam excitaverit mihi nuper tempestatem in mari Libyco: confudit omnia maria* cum *cœlo, frustrà confidens ventis Æoliis: ausa* est *hoc in tuâ ditione. O crimen! en etiam impulsis mulieribus Trojanis incendit fœdè naves, et coëgit* cives *amissâ classe relinquere* eas mulieres in *peregrinâ regione. Quod* spectat ad *reliqua, precor, liceat* Trojanis *committere tibi per undas vela secura, liceat pervenire* ad *Tybrim Laurentem: siquidem peto* res *concessas, siquidem* Parcæ *et fata dant* illis *eas urbes. Tunc* filius *Saturni, rector profundi maris, protulit ista: O Venus, omnino æquum est te confidere meo imperio, unde accepisti ortum;* hoc *etiam merui: sæpe repressi furores et rabiem immanem cœli et maris. Nec minor cura est mihi Æneæ tui in terris, testes* appello *Xanthum et Simoënta. Quando Achilles persequens turmas Trojanas territas allidebat* eas ad *muros,* et *tradebat morti multa millia, et fluvii pleni* cadaveribus *gemebant, et Xanthus non poterat invenire viam et exonerare se in mare: tunc ego servavi cavâ nube Æneam certantem* cum *forti* filio *Pelei, nec Diis, nec viribus paribus, quamvis optarem eruere à fundamentis munimenta perjuræ Trojæ constructa meis manibus. Nunc etiam restat mihi eadem voluntas* erga Æneam, *depone metum: perveniet securus* ad *portum Averni, quem cupis:*

## NOTÆ.

784. *Infracta.*] *Fracta.* Affirmat enim ferè semper augetque, non negat; scilicet ab *infringo,* quod semper affirmat.

788. *Causas tanti sciat illa furoris.*] Significat nullam esse furoris illius causam; quasi dicat, *sciat illa causas, ego enim nescio.* De *Libyco mari,* circa Africam, Æn. 1. 158. De *Æolo* ventorum Deo, Æn. 1. 52.

790. *Molem.*] Cumulos fluctuum, tempestate suscitatos. Sic Æn. 1. 134. Neptunus increpat ventos: *Tantas audetis tollere moles?* De *Parcis,* quæ pro fato sumuntur, Æn. 1. 22. De *Neptuno, Saturni filio,* Æn. 1. 125.

800. *Cytherea, &c.*] De hoc *Veneris* nomine, Æn. 1. 257. De *ejus genere* et *ortu* è spumâ maris, Æn. 1. 256.

801. *Merui quoque.*] Merui beneficiis meis, ut mihi fideres.

803. *Xanthum, &c.*] Hos attestatur fluvios Neptunus: non quasi sacra sibi numina; sed quia reipsâ testes fuerant exhibiti Æneæ auxilii, quorum in ripâ Æneam periculo Neptunus eripuerat. De *Xantho* et *Simoënte,* fluviis Troadis, Æn. 1. 100. 473. De *Æneâ ex Achillis manibus erepto,* Æn. 4. 228. De *Pelidâ,* Achille, ejusque patre Peleo, Æn. 2. 263. De *Neptuni odio in Trojanos,* Æn. 2. 610.

813. *Portus accedet Averni.*] Qui non longè abest ab urbe *Cumis,* et *antro Sibyllæ;* quò perveniet, Æn. 6. De *Averno,* Geor. 2. 161. Æn. 4. 512. Æn. 6. 237.

Unus erit tantùm, amissum quem gurgite quæret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta Deæ permulsit pectora dictis;
Jungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Fræna feris, manibusque omnes effundit habenas.
Cœruleo per summa levis volat æquora curru:
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies: immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inoüsque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis et Melite, Panopeaque virgo,
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hìc patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocyùs omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Unà omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvêre sinus; unà ardua torquent
Cornua, detorquentque: ferunt sua flamina classem.

*unus erit tantummodo quem requiret submersum mari; unicum caput peribit pro multis. Postquam pater* Neptunus *recreavit his verbis lætum animum Deæ, alligat equos currui, et imponit* iis *ferocientibus fræna spumantia, et manibus laxat omnes habenas. Volat celer per summos fluctus* in *curru cœruleo, unde demittunt* se, *et mare inflatum complanatur, aquis sub rotis sonantibus: nimbi fugiunt toto aëre. Tunc varii vultus comitum* apparent, *grandia cete, et chorus Glauci senioris, et Palæmon filius Inûs, et Tritones veloces, et totus exercitus Phorci. Thetis et Melite, et virgo Panopea, Nesææ, et Spio, Thalia, et Cymodoce, occupant sinistra* spatia. *Tunc vicissim blanda lætitia subit animum incertum Æneæ: imperat celeriter omnes malos erigi,* et *admoveri manus* ad *vela. Simul omnes extenderunt funes* veli; *et simul laxaverunt* modò *sinistros, modò dextros sinus* veli: *simul vertunt et obvertunt alta cornua* antennæ: *venti prosperi provehunt classem.*

NOTÆ.

815. *Unum pro multis, &c.*] Palinurus, qui Morpheï fraude submergetur, v. 860. De *equis* et *curru Neptuni*, Æn. 1. 156. De *feris*, pro equis, Æn. 2. 51.

820. *Sub axe tonanti.*] Vel *axe Neptuni currûs*, qui magno rotarum strepitu impelli et quasi *tonare* videbatur. Vel *axe cœli*, id est, cœlo ipso, quod tempestatem minabatur, et jam *tonabat*, priusquam has Neptuno preces funderet Venus.

822. *Variæ comitum facies, &c.*] Varia maris numina, aut monstra. I. *Cete*, maximi sunt pisces, qui pro balænis vulgò sumuntur: neutrius generis, et pluralis numeri: quia Græca vox est, eaque neutra τὸ κῆτος, plurali numero τὰ κήτεα, et per contractionem κήτη, unde *cete*. II. *Glaucus, Panopea, Palæmon* filius *Inûs*, Geor. 1. 437. III. *Senior Glauci chorus*, Nymphæ, aut Tritones: et commutatio est, id est, *senioris Glauci chorus*. IV. *Tritones*, Æn. 1. 144. V. *Phorci exercitus*, suprà, v. 240. VI. *Thetis*, Nerei filia, Ecl. 4. 42. cum reliquis Nymphis sororibus, quarum nomina singulatim explicantur, Geor. 4. 338. præterquam *Melites*, quæ ab Hesiodo numeratur inter quinquaginta Nerei filias. Μελίτη, à μέλι, *mel*.

829. *Attolli malos.*] De re nauticâ hæc accipe. I. *Malus*, ingens arbor est, in medio navis erecta, è quâ vela suspenduntur; cùm in altum solvebant veteres, hunc erigebant, inserebantque foramini, qui Latinis *modius*, Græcis μησόδμη, dicebatur; tum funibus undique firmabant: appulsi autem ad litus, eruebant è *modio*, et inclinabant ad puppim, in ligno quod Plauto *casteria*, Homero ἱστοδόκη appellatur. De *erectione* hìc loquitur Virgilius. De *inclinatione*, Lucanus, l. 3. 45. *Et posito remis petierunt litora malo.* II. *Antennæ*, oblongæ perticæ, è quibus expassa pendebant vela: hæ malo transversæ suspendebantur, vel in ipsâ mali summitate, si major venti vis captanda erat; vel medio in malo, si moderatior sufficiebat. III. *Brachia* et *cornua*, partes erant antennæ; *brachia* quidem partes mediæ, quæ hinc inde ad mali latera prominebant: *cornua* verò partes extremæ, quæ brachia terminabant. Itaque hìc per *brachia*, totas ipsas antennas, Æneas intelligit: jubetque velis intendi antennas, per enallagen sive commutationem; id est, *jubet vela intendi antennis.* Nisi fortè præstet ita simpliciùs explicare: *jubet admoveri manus et brachia artemque omnem explicandis velis.* IV. *Funes*, quibus antennæ velis instructæ demittebantur attollebanturque, vocabantur *rudentes*: qui verò ex utroque infimo veli angulo pendebant, dicebantur *pedes*. V. *Pedum* usus erat, in captando vento: cùm enim vulgò antenna extra malum, proram versùs, ex æquo penderet: pedesque hinc atque hinc è velo penduli ad latera navis, item ex æquo alligarentur: prout magis minúsve pedum alter aut laxabatur aut stringebatur, ita magis minúsve in dextrum sinistrumve latus *detorquebantur cornua* antennarum, ipsaque *obliquabatur* antenna, et majori minoríve sinu vela ventos excipiebant. Atque illud est, *obliquare sinus in ventum*, suprà, v. 16. Itemque *facere pedem*, id est, *extendere pedem*, ut sæpè, *facere vela*, id est, *extendere vela.*

832. *Sua flamina.*] *Prospera, commoda.* Sic Ovid. Trist. l. 9. 49. *Vos facite ut ventos, loca*

*Palinurus primus ante omnes ducebat densam classem; alii jussi* sunt *derigere cursum ad illum. Et jam nox humida attigerat pœnè medium spatium cœli, remiges strati inter dura scamna sub remis permiserant membra tranquillo somno: cùm Somnus celer delapsus è sideribus cœlestibus discussit aërem obscurum, et fugavit tenebras; quærens te, ô Palinure: ferens tibi innocenti somnia funesta: et Deus sedit in altâ puppe, similis Phorbanti, et protulit ore verba ista: O Palinure, fili Jasi, ipsum mare provehit naves, venti flant æquabiles, tempus offertur* ad *quietem. Demitte caput, et subtrahe labori oculos lassos. Ego ipse implebo pro te tuum officium tantisper. Cui Palinurus respondet vix aperiens oculos: An vis me nescire faciem tranquilli maris et undarum quietarum? an me fidere huic monstro? quid enim committam Æneam austris dolosis, etiam toties deceptus fraude aëris sereni? Proferebat talia verba: et nullatenus deserebat gubernaculum,* ei *affixus et adhærens; et intendebat oculos in sidera. Ecce Deus excutit super gemina tempora ramum sparsum aquâ Lethæa, et soporatum virtute Stygiâ: et relaxat obnitenti oculos fluitantes. Vix somnus improvisus occupaverat prima membra; et* statim Deus *super innitens, impulit, cum parte puppis effractâ et cum gubernaculo,* illum *pronum in undas liquidas, et sæpe implorantem socios frustrà. Ipse alatus et volans sustulit se in levem aërem. Classis decurrit mari viam non minùs tutam, et provehitur secura promissis patris Neptuni.*

Princeps ante omnes densum Palinurus agebat  
Agmen: ad hunc alii cursum contendere jussi.  
Jamque ferè mediam cœli nox humida metam  
Contigerat; placidâ laxârant membra quiete  
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ;  
Cùm levis æthereis delapsus Somnus ab astris  
Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,  
Te, Palinure, petens, tibi tristia somnia portans  
Insonti: puppique Deus consedit in altâ,  
Phorbanti similis, fuditque has ore loquelas:  
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem,  
Æquatæ spirant auræ, datur hora quieti;  
Pone caput, fessosque oculos furare labori.  
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.  
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:  
Méne salis placidi vultum fluctusque quietos  
Ignorare jubes? méne huic confidere monstro?  
Æneam credam quid enim fallacibus Austris,  
Et cœli toties deceptus fraude sereni?  
Talia dicta dabat: clavumque affixus et hærens  
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.  
Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem,  
Vique soporatum Stygiâ, super utraque quassat  
Tempora cunctantique natantia lumina solvit.  
Vix primos inopina quies laxaverat artus:  
Et super incumbens, cum puppis parte revulsâ,  
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas  
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.  
Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.  
Currit iter tutum non seciùs æquore classis,  
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.

## NOTÆ.

*cùm diversa petamus, Illa suos habeat, nec minùs illa suos.*

835. *Metam.*] Aërem *circo* comparat, in quo sidera, *noxque* ipsa, decurrunt: terram exiguæ rotundæque molis, positam in medio, comparat *metæ:* quam sidera circumeunt. De *circo* et *metâ*, v. 288.

838. *Somnus.*] De eo, ejusque insignibus, Æ. 6. 893. *Delapsus ab astris;* id est, *ex aëre*, per quem vagatur, ut varia hominibus somnia immittat: cùm enim noctis sit filius, et habitet apud inferos; ex astris et cœlo descendere, quasi è propriâ sede, non potest.

839. *Dispulit umbras.*] Vel simpliciter motum exprimit volantis Dei, qui tenebrosum aërem alis findit: vel significat, aërem ab eo etiam clariorem redditum, ut ejus insueta serenitas Palinuro fraudem faceret.

842. *Phorbanti.*] Multi fuerunt hujus nominis: interque alios unus è filiis Priami: de quo hìc sermonem esse putat Hortensius *Iasius*, Trojanus aliquis, pater aut avus Palinuri. De *sale*, pro mari, Æn. 1. 537. De *Austris*, ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58. De *clavo*, manubrio gubernaculi, suprà, 177. De *Lethæo rore*, et fonte apud inferos oblivionem inducente, Geor. 1. 78. et Æn. 6. 705. De *Styge*, fluvio etiam inferno, Æn. 6. 323.

856. *Natantia lumina.*] *Fluitantia*, quæ nunc aperiuntur, nunc clauduntur. De *gubernaculo*, suprà, v. 177.

Jamque adeò scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca assiduo longè sale saxa sonabant:
Cùm pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici:
O nimiùm cœlo et pelago confise sereno,
Nudus in ignotâ, Palinure, jacebis arenâ.

*Imò jam progressa radebat rupes Sirenum; olim asperas et albentes ossibus multorum, tunc verò saxa horrisona multùm strepebant irrequieto mari: cùm pater Æneas agnovit navem ire fluitantem amisso gubernatore, et ipse gubernavit eam per undas obscuras, multùm gemens, et turbatus animo* ob *sortem amici: O Palinure,* aiebat, qui *nimis fidisti cœlo et mari tranquillo, jacebis insepultus in ignoto litore.*

## NOTÆ.

864. *Sirenum scopulos, &c.*] Duo quærenda: quæ *Sirenes,* qui earum *scopuli.* I. *Sirenes* monstra fuerunt; Acheloi fluvii et Calliopes aut Melpomenes Musæ, filiæ tres, *Parthenope, Leucosia, Ligea.* Variâ specie pinguntur: superiore quidem corporis parte fœminæ: inferiore verò gallinæ, aut passeres, aut pisces. Harum una voce, altera tibiis, tertia lyrâ canebat. His deliciis nautas præternavigantes in naufragium pelliciebant ad scopulos. Harumque fatum fuit, tamdiu vivere, quamdiu cantantes eas audiens nemo impunè prætervectus esset. At cùm Ulysses, monitus à Circe, sociorum aures obturâsset cerâ, seque navis malo alligari jussisset: eâque arte trajecisset incolumis: ideò Sirenes in mare se præcipites dederunt. Nomen: non à *σύρω, traho,* quia *Sirenes,* non *Syrenes,* appellantur; sed, vel à *σειρὰ, catena, funis;* vel à *σείω,* quod interdum est *decipio.* II. Sedes earum collocatur ad Surrentinum Italiæ promontorium, in mare Tyrrhenum prominens, inter agrum Campanum et Picentinum, sinumque Puteolanum et Pæstanum. Sed cùm illic plures sint insulæ; imprimis *Capreæ,* major insula, Tiberii secessu ac voluptatibus infamis, nunc *Capri,* ad Puteolanum sinum magis accedens; item *Sirenusæ,* scopuli continenti propiores ac Pæstano sinui: hinc sedem Sirenum alii in *Capreis,* alii in *Sirenusis* locant: optimè qui in *Sirenusis,* nunc absque nomine scopulis. Pæstanus verò sinus nunc est *golfo di Silerno;* Puteolanus, *golfo di Napoli.*

871. *Nudus in ignotâ, Palinure, &c.*] Cætera, quæ ad Palinurum pertinent, describentur, Æn. 6. 337. Non enim fluctibus haustus est; sed enatans ab Italici litoris incolis occisus.

---

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER VI.

---

## ARGUMENTUM.

*APPULSUS Æneas in Italiam ad Cumas, petit antrum Sibyllæ Deïphobes: dumque varia Phœbeo in templo descripta contemplatur, jubetur victimas cædere: peractisque sacrificiis consulit Sibyllam de futuris eventibus, deque descensu ad inferos. Sibylla tria respondet: Bellum ab Ita-*

*lis instare gravissimum: ramum aureum, inventu perdifficilem, adeunti inferos parandum esse; denique unum ex amicis in litore mortem interim obiisse. Redit Æneas ad suos, mortuum Misenum reperit; hujus exstruendo rogo dum exciditur sylva, columbæ, aves Veneris, ad auream arborem Æneam deducunt. Hic igitur funere perfunctus, nocturnisque sacrificiis ad Avernum antrum inferiorum numina veneratus, ad inferos Sibyllâ duce descendit. Videt illic, I. In vestibulo, monstra varia. II. In ripa fluviorum infernorum, umbras defunctorum aditum petentes; inque iis, Orontem et Palinurum. III. In ipso flumine, Charonta portitorem, quem, secum de aditu rixantem, aurei rami conspectu demulcet. IV. In limine, Cerberum canem, quem sopit objectâ offâ. V. Ultra limen, sedes varias, quas incolebant: 1. Infantes: 2. Injustâ morte damnati: 3. Propriâ manu perempti: 4. Amantes, in quibus Dido. 5. Bellatores, inter quos Deïphobus, aliique Trojani et Græci duces. VI. Ad sinistram, eminùs carcerem vidit impiorum pœnis destinatum: quem locum adire cùm non possit, à Sibyllâ varia variorum supplicia edocetur, Gigantum, Salmonei, Lapitharum, Ixionis, Thesei, &c. VII. Ad dextram verso itinere, pervenit ad Elysios campos: ubi multos heroum nactus, à Musæo de loci incolarumque conditione, deque Anchisâ, certior factus; in ipsum Anchisen incidit. VIII. Anchises, multa de animarum naturâ juxta Pythagoræ documenta præfatus, clarissimum quemque posterorum ad usque Augustum ei ostendit. IX. Denique perlustratis omnibus, per eburneam somni portam Æneas ad suos revertitur; et è Cumano litore, ad Cajetanum navigat.*

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas:
Et tandem Euboïcis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naves, et litora curvæ
Prætexunt puppes: juvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium: quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit sylvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas arces quibus altus Apollo

INTERPRETATIO.

*Sic loquitur plorans, et permittit navibus cursum* liberum, *et demùm appellitur litori Euboïco Cumarum.* Nautæ *vertunt proras* ad *mare: deinde anchora sistit naves uncis tenacibus, et curvatæ puppes tegunt* extremum *litus: prompta turba juvenum exilit in terram Italicam: pars quærit scintillas ignis latentes in venis lapidis: pars colligit ligna* arborum, quæ sunt *opacæ domus ferarum, et ostendit repertos fluvios. Sed pius Æneas vadit* ad *templum altum cui Apollo*

## NOTÆ.

1. *Sic fatur, &c.*] Quid fatur? id nempe quod extremis duobus libri quinti versibus continetur: *O nimiùm cœlo, &c.*

*Habenas.*] Metaphora ab equis petita: quæ liberum impetum cursumque navium significat. Hæc ad ignem translata est, Æn. 5. 662. *Furit immissis Vulcanus habenis.* Et ad crescentes arborum ramos, Geor. 2. 364. *Palmes laxis per purum immissus habenis.*

2. *Euboïcis Cumarum, &c.*] *Eubœa*, maxima est Græciæ insula, hodie *Negrepont:* ad septentrionem et orientem, Locris, Bœotiæ, Atticæ, in longitudinem obversa: ab iisque divisa freto angustissimo, quod Euripus dicitur. Angustissimo freti loco urbs est *Chalcis*, quæ continenti Græciæ, ponte juncta est. *Æolia*, vel *Æolis*, regio est Asiæ minoris, ad Ægæum mare, et Ioniæ septentrionem: in eâ urbs fuit *Cuma*, nunc *Foja nova.* Hippocles Cumanus ex Æoliâ, et Megasthenes Chalcidensis ex Eubœâ, coloniam utriusque gentis in Italiam deduxerunt; urbemque condiderunt in Campaniâ, circa promontorium occidentale ejus sinûs, qui inde *Cumanus* appellatus est, etiam *Puteolanus*, nunc *Golfo di Napoli.* Græcis urbs dicta Κύμη, Latinis *Cumæ*, quibusdam etiam *Cuma:* nunc eversa est. Hanc multò post Trojana tempora conditam esse testatur Velleius, l. 1. 4. Unde hæc à Virgilio de eâ dicta esse necesse est per anticipationem temporis.

4. *Anchora fundabat, &c.*] Quia navim, unde per funem demittitur, committit, alligatque maris *fundo*, atque ita stabilit. Antiquissimæ anchoræ lapideæ fuerunt, ut constat ex Arriano, in Periplo ponti Euxini: deinde ligneæ, plumbo munitæ: postmodùm ferreæ. De *Hesperio* seu Italico litore, Æn. 1. 530.

6. *Semina flammæ.*] Scintillas. Sic Lucretius, l. 1. 900. *Verùm semina sunt ardoris multa.* Sic Homerus, Odyss. 5. 490. Σπέρμα πυρὸς, *semen ignis.* Imò Lucretius, quasi esset aliquid plantis et igni commune, dixit, l. 1. 898. *Donec flammaï fulserunt flore coorto.*

9. *Arces quibus altus Apollo, &c.*] Hic notanda sex. I. Æneæ prima cura est, adire Si-

Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit; magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicâque levis tandem superastitit arce.
Redditus his primùm terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum; posuitque immania templa.
In foribus, letum Androgeo: tum pendere pœnas,

*præest, et ad vastam penitùs cavernam et horrendum penetrale Sibyllæ, cui Deus Delius inspirat magnam animam et intelligentiam, declaratque* res *futuras. Jam intrant sylvas et auratum templum Dianæ. Dædalus, sicut fama perhibet, fugiens regnum Minoïs, ausus committere se aëri* cum *pennis velocibus, evasit ad frigidum septentrionem per viam insolitam; et volans stetit denique super arce Cumanâ. Appulsus primùm his terris sacravit tibi remos alarum, ô Apollo; et fundavit vastum templum. In portis* erat sculpta *mors Androgei: deinde Athenienses jussi* in *pœnam*

## NOTÆ.

byllam: juxta monitum Heleni, Æn. 3. 441. præceptumque patris, Æn. 5. 731. II. Templum illud in latere orientali collis, urbis Cumanæ pars et veluti arx fuit. III. Exstructum fuit ex uno eodemque rupis saxo, et velut in ipso rupis sinu excavatum. IV. Antrum Sibyllæ non extra templum, sed in intimo templi loco fuit, multos in recessus naturaliter defossum. Habentur ista ex Oratione Paræneticâ Justini Martyris, qui annis post Virgilium centum circiter et septuaginta florebat sub Antonino Pio, templumque ipsum vidisse se perhibet: tum ex Agathiâ Histor. l. 1. cujus ætate templum videtur fuisse destructum, aut in arcem conversum, cui caverna Sibyllæ subjecta erat. V. Templum illud, juxta Virgilium, Apollini simul et Dianæ dicatum fuit: siquidem Sibylla vocatur *Phœbi Triviæque sacerdos.* VI. Templo juncta de more sylva fuit, sive *lucus;* aut utrique numini, aut uni Dianæ sylvarum præsidi sacer. De *Sibyllâ,* infrà, v. 36. De *Apolline* et *Phœbo,* eodem numine, Ecl. 3. 62. 104. De *Triviâ,* Dianâ, sic à triviis ubi colebatur dictâ, Æn. 4. 511. De *Delio vate,* Apolline vatum Deo, Ecl. 3. 67. Æn. 3. 77.

11. *Mentem animumque.*] Non est hæc synonyma, sed rerum diversarum expressio familiaris poëtis, Lucretio, l. 4. 59. *Mens animi vigilat.* Catullo Epigr. ad Ortalum, v. 4. *Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.* Horatio item, &c. Ita distinguuntur à Lactantio, l. 7. *Non idem est Mens et Animus: aliud enim est quo vivimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium Mens, non Animus sopitur, et in furiosis Mens extinguitur, Animus manet.* Itaque mens, ipsa est Animi intelligentia et consilium: ex Lucretio, l. 3. 616. *Animi nunquam mens consiliumque.*

14. *Dædalus, &c.*] Atheniensis, solerti admodùm ac subtili ingenio faber ac sculptor, asciæ, terebræ, multorumque aliorum instrumentorum auctor: cùm Perdicem, sororis suæ filium, ob inventum serræ usum ex invidiâ occidisset; judicii metu fugit in Cretam. Hìc admissus in gratiam regis Minoïs labyrinthum fabricavit: sed mox, ob commodatam Pasiphaë reginæ operam ad promovendum ejus cum Tauro adulterium, turre inclusus cum Icaro filio, inde, sibi filioque à plumis et cerâ compactis alis, evolavit in Siciliam: ubi multa reliquit artis suæ monimenta, juxta Pausaniam et Diodorum. Juxta Virgilium tamen, quem Silius, Juvenalis et Statius ducem secuti sunt, in Italiam aufugit ad Cumas Campaniæ, ubi templum Phœbo condidit; opinor ideò, quòd ejus alas ardor non dissolvisset, ut dissolverat alas Icari ejus filii: qui imprudentiùs per aërem evagatus, alioqui inito cursu, in eam Ægæi maris partem cecidit, quæ est ad septentrionem Cretæ, circa Samum insulam; nomenque, et insulæ Sami vicinæ, et huic maris plagæ, reliquit suum.

*Minoïa regna.*] *Cretam,* sive *Candiam,* de quâ Æn. 3. 104. ubi regnavit *Minos,* Jovis et Europæ filius, qui ex *Pasiphaë* Solis filiâ, genuit *Ariadnem, Phædrum,* et *Androgeum.* Multis bellis adversùs Athenienses Megarensesque victor: cùm fugientem Dædalum insecutus, bello Cocalum Siciliæ regem appeteret, ab Cocali filiabus thermarum vapore suffocatus est: justitiæ nomine sic nobilitatus, ut apud inferos judex animarum à Græcarum fabularum auctoribus constitutus sit: qui tamen iidem, quòd ab eo malè mulctati sæpe Græci fuissent; ideò familiam ejus, uxorem, filiasque propudiosis figmentis infames fecere.

16. *Enavit ad Arctos.*] In eas evolavit regiones, quæ ad septentrionem Cretæ insulæ sitæ sunt. Pace tamen dixerim Virgilii; Italia Siciliaque multò ad occidentem Cretæ magis vergunt quàm ad septentrionem. *Enavit.*] Evolavit: magna enim inter navigationem et volatum affinitas, unde mox alæ vocantur *remigium alarum:* ut enim multiplici remorum ac remigum ordine navis hinc inde provehitur, ita geminis hinc inde alis agitatur volucris: Æn. 1. 224. De *Arcto geminâ,* sive *Ursâ,* astris septentrionalibus, Geor. 1. 138. De *Chalcidicâ,* sive Cumeâ arce, suprà, v. 2.

20. *Letum Androgeo, &c.*] *Androgeus,* Minoïs et Pasiphaës filius, in publicis Græciæ ludis

*dare singulis annis septem corpora filiorum,* res *misera! adest urna* unde *sortes eductæ* erant. *Cretica insula eminens mari respondet è regione. Hìc adest amor insanus Pasiphaës* erga *taurum, et Pasiphaë supposita* per *fraudem, et Minotaurus soboles* ejus *biformis mixto genere, monimentum flagitiosæ libidinis. Hìc* adest *illa difficultas et error inexplicabilis labyrinthi. Nam Dædalus miserans magnum amorem filiæ regis, ipse explicuit* Theseo *fraudes et circuitus parietum, dirigens filo passus* ejus *incertos. Tu etiam, ô Icare, haberes magnum locum in tantâ sculpturâ, si dolor permisisset. Bis conatus erat exprimere in auro calamitatem illam: bis manus paternæ defecerunt. At verò* Trojani *ulteriùs perlustrâssent oculis omnia: nisi Achates antè præmissus* ab Æneâ ad Sibyllam, *rediisset; et cum eo Deïphobe* filia *Glauci, sacerdos Apollinis ac Dianæ, quæ dicit hæc regi:*

Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.
Contrà elata mari respondet Gnossia tellus.
Hìc crudelis amor tauri, suppôstaque furto
Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ.
Hìc labor ille domûs, et inextricabilis error.
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidêre manus. Quin protinùs omnia
Perlegerent oculis: ni jam præmissus Achates
Afforet; atque unà Phœbi Triviæque sacerdos,
Deïphobe Glauci, fatur quæ talia regi:

## NOTÆ.

sæpenumerò victor, ab Atheniensibus et Megarensibus ex invidiâ occisus est. Ideò Megarensibus à Minoë bello petiti et subacti sunt. Athenienses tributo mulctati septem puerorum, totidemque puellarum: quos in Cretam, vel quotannis vel tertio aut nono quoque anno, sorte vel delectu, mittere jubebantur, includendos labyrintho, et Minotauro devorandos. Virgilius, pueros tantùm numerat. *Androgeo,* genitivus est Atticus quartæ inflectionis τοῦ Ἀνδρογέω.

21. *Cecropidæ.*] Antiquum Atheniensium nomen: quorum rex primus fuit *Cecrops* Ægyptius, qui populos hujus regionis vagos duodecim in oppida congregavit, primúmque vocavit *Cecropiam;* quæ deinde fuit arx Atheniensis urbis, cùm Theseus duodecim hæc oppida unam in urbem coëgit, murisque cinxit. De *sortibus* ex urnâ educendis, Æn. 5. 491. De *Gnosso,* urbe Cretæ insulæ, Æn. 3. 104.

24. *Amor tauri, &c.*] *Pasiphaë,* Solis filia, de quâ Ecl. 6. 46. turpi amore tauri correpta, dicitur arte Dædali inclusa vaccæ ligneæ fuisse, quâ arte clam *furtim*que suscepit è tauro monstrum *biforme,* semibovem ac semivirum, *Minotaurum* nomine: qui inclusus in labyrintho, puerorum Atheniensium sanguine pascebatur. *Taurus* hic, juxta aliquos, unus aliquis fuit ex aulicis principibus: qui stupri consuetudinem cum reginâ, Dædalo administro, habuerat.

25. *Proles biformis.*] Ortus puer ex illâ consuetudine; qui ad geminum referri poterat patrem, verum alterum, alterum falsum; unde et nomen ex utroque mixtum tulit. De *Venere* amoris ac libidinis Deâ, Æn. 1. 256.

27. *Labor ille domûs, &c.*] *Labyrinthus* quadruplex fuit. Primus Ægyptiacus apud Heracleopolitas, opus multorum regum, cui manum ultimam Psammitichus imposuit. Secundus hic Cretensis, Dædali opus, ad Ægyptiaci exemplum exstructus, sed vix centenam ejus partem referens. Tertius in Lemno insulâ, centum et quinquaginta columnis insignis. Quartus in Italiâ juxta Clusium, opus et sepulchrum Porsenæ Etruscorum regis. Locus fuit multis tramitibus inter se implexis, crebrisque foribus ad fallendos occursus recursusque intercisus: tectus fornicibus undequaque, et multis pyramidibus fastigiatus. Vide Plinium l. 36. 13.

28. *Reginæ sed enim, &c.*] *Theseus,* Ægei, Atheniensium regis filius, firmatus oraculis, à patre veniam obtinuit, ad persolvendum Cretensibus tributum, in Cretam cum reliquis pueris proficiscendi. Huc appulsus, pellectâ in amorem sui *Ariadne,* Minoïs et Pasiphaës filiâ, ejus operâ à Dædalo glomeratum filum accepit: quo ad labyrinthi januam alligato, et inter eundem evoluto, cùm Minotaurum occidisset, inde remenso itinere egressus, captivos reliquos ipsamque Ariadnen navi secum avexit. Hanc tamen itinere deseruisse dicitur in insulâ Naxo, ubi à Baccho suscepta est, et coronâ donata, quam deinde inter sidera Dii retulerunt. *Regina* vocatur, id est regis filia: ut Polyxena apud Euripidem ἄνασσα. De morte *Icari,* suprà v. 14.

31. *Sineret dolor.*] Supprimitur *si* particula; mutaturque tempus pro *si sivisset dolor.*

33. *Protinùs omnia.*] *Omnia,* duas ultimas vocales in unam contrahit, ut spondæus fiat. Sic Æn. 5. 352. *Unguibus aureis.* De *Achate,* fidissimo Æneæ comite, passim dictum. De *Phœbi Triviæque sacerdote,* suprà v. 9.

36. *Deïphobe Glauci, &c.*] De Sibyllis confusa obscuraque omnia: hæc mihi certiora occurrunt. I. *Sibyllæ* nomine nuncupatæ fuerunt, fœminæ generatim omnes, quæ fu-

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit:
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam, (nec sacra morantur
Jussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum;
Quò lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, cùm virgo: Poscere fata
Tempus, ait: Deus, ecce, Deus! Cui talia fanti
Ante fores, subitò non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans: afflata est numine quando

*Hoc tempus non petit sibi hæc spectacula: nunc potius erit immolare septem juvencos de armento* adhuc *indomito, et totidem oves electas juxta ritum. Sacerdos allocuta Æneam his* verbis, *invitat Trojanos in altum templum: et famuli non tardant* exequi *mandata de* sacrificio. *Latus ingens rupis Cumanæ excavatum* est *in* formam *antri: quò centum lati aditus et centum portæ ducunt: unde erumpunt totidem voces,* quæ sunt *responsa Sibyllæ. Perventum erat ad os* antri: *cùm Virgo dixit; tempus est petendi oracula: Deus, Deus adest. Cui dicenti talia ante ostia, repentè non remansit facies* eadem, *non idem color, non capilli ordinati: sed pectus anhelans, et cor efferatum intumescit rabie:* cœpitque *apparere major nec loquens modo humano: ex quo correpta est spiritu*

## NOTÆ.

tura cum aliquo impetu furoris Deique afflatu prædicebant. II. *Nomen* est, à σιὸς, Æolicâ voce, pro Θεὸς, *Deus*, et βουλὴ, *consilium;* ita ut *Sibylla* sit *divini consilii particeps.* III. Vitæ diuturnitate et virginitatis laude vulgò commendantur. IV. Ambrosius, in Epistolam 1. ad Corinth. cap. 2. existimat eas malo spiritu afflatas, non veri Dei beneficio futura conjecisse. Hieronymus tamen adversùs Jovinianum lib. 1. videtur existimare divinationem iis à vero Deo in præmium virginitatis datam esse. V. Multa de Christo prædixerunt, Cumana imprimis et Erythræa: neque tamen inde, aut vero numine afflatas, aut fide omnino dignas, putat Augustinus. Sic enim ait contra Faustum, l. 13. c. 2. *Sibylla porrò vel Sibyllæ, et si qui alii vates vel philosophi gentium de Filio Dei vera prædixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam: non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam: cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos idola et dæmonia colentes partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt.* VI. Ideò existimo, Sibyllas malo quidem spiritu afflatas fuisse: factum tamen, ut in præmium virginitatis, aliqua etiam vera declarari per eas voluerit Deus, ad revincendam ethnicorum pervicaciam. VII. Plures paucioresve à diversis auctoribus numerantur: decem à Varrone, quem vulgò sequuntur omnes. *Delphica, Erythræa, Cumæa, Samia, Cumana, Hellespontica, Libyca, Persica, Phrygia, Tiburtina.* Harum una Tarquinio Prisco, Romanorum regi tres vel novem obtulit libros, ex multarum Sibyllarum vaticiniis contextos: petiitque pretium trecentorum nummorum: despecta à rege, tertiam librorum partem abjecit in ignem; tum reversa, idem iterùm pretium poposcit: iterumque repulsam passa, partem librorum alteram incendit, pro reliquâ tantundem petiit. Cujus pertinaciam rex admiratus, et persolvit pretium, et libros inter sacra Romani imperii haberi voluit, et in Capitolini Jovis sacrario sub terram in arcâ lapideâ deposuit: constitutis viris, qui quoties exigerent dubia reipublicæ tempora, libros eos consulerent. Hi primùm viri duo, posteà decem, denique quindecim fuere Syllæ dictatoris temporibus. Hæc Tarquinii Sibylla aliis *Cumæa*, aliis *Erythræa*, dicitur, vulgò tamen *Cumana:* nomine *Amalthea*, vel *Demophile.* VIII. Libri illi incendio Capitolii conflagrârunt, anno ante Syllæ dictaturam: quare legati ex senatûsconsulto missi sunt in plerasque Græciæ et Italiæ civitates, qui carmina Sibyllarum undique conquisita Romam deportarent. Hi collegerunt ad mille versus: qui deinceps magnâ curâ servati, tandem à Stilicone Honorii imperatoris socero cremati sunt. Libros autem Sibyllinorum oraculorum octo, qui Græcis versibus scripti circumferuntur, omnino suppositos puto. IX. Denique hæc Virgiliana Sibylla, *Cumæa* esse putatur, sive *Cimmeria*, quæ in Italiâ paulò post excidium Trojæ vaticinata est. Hanc Justinus in Paræneticâ Orat. ait fuisse ortam Babylone, et Berosi Chaldaicarum rerum scriptoris filiam: Virgilius Deïphoben, et Glauci cujusdam filiam nuncupat; atque ita Græcæ putat esse originis.

38. *Grege de intacto, &c.*] *Juvencos* nondum jugum passos: hi enim uni sacrificiis apti erant, Geor. 4. 551. *Intactâ totidem cervice juvencas.* Deinde numero septem: quia Apollini immolandi erant, uni è Diis superis, quibus impar numerus placet, Æn. 5. 96. De *bidentibus ovibus*, Æn. 4. 57.

41. *Alta in templa, &c.*] De situ templi, et rupis, deque multis ejus ostiis et recessibus, suprà v. 9. De *Euboïcâ*, id est, *Cumanâ* urbe, v. 2.

50. *Afflata est, &c.*] Non tantùm tacta vici-

Jam propiore Dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim antè dehiscent
Attonitæ magna ora domûs. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor; fuditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis dirêxti tela manusque
Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitúsque repôstas
Massylûm gentes, prætentaque Syrtibus arva:
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hâc Trojana tenus fuerit fortuna secuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Dîque Deæque omnes, quibus obstitit Ilium, et ingens
Gloria Dardaniæ. Tuque, ô sanctissima vates,
Præscia venturi: da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros,
Errantesque Deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo et Triviæ solido de marmore templa
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hìc ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam; lectosque sacrabo,

*Dei jam præsente. Dixit*que: *Tardus es ad emittenda vota et preces, ô Ænea Trojane! tardus es! nam magna ostia antri terrifici non aperientur priùs,* quàm preces emiseris: *et hæc locuta siluit. Tremor frigidus subiit in ossa dura Trojanorum; et rex* eorum *misit preces ex intimo corde: O Phœbe, qui* semper *misertus* es *acerborum casuum Trojæ: qui direxisti sagittam Trojanam et manum Paridis in corpus Achillis: te auctore ingressus sum tot maria cingentia magnas terras, et nationes Massylorum longè remotas, et litora vicina Syrtibus. Nunc denique attingimus litora Italiæ recedentis. Hactenus calamitas Trojanorum nos persecuta fuerit. Nunc æquum est vos etiam ignoscere Trojanæ genti, ô Dii, et Deæ omnes, quibus adversabatur Troja et magna gloria Troadis. Et tu, ô sanctissima Sibylla, prævidens futurum, permitte Trojanos, et Deos vagos, et numina Trojæ jactata, sedere in Latio: non peto regna non debita meis fatis. Tunc statuam Phœbo et Dianæ templa è marmore solido, et dies festos de nomine Phœbi* dictos. *Magnum etiam sacrarium expectat te in regnis nostris. Ego enim illic recondam tua oracula, et secreta fata declarata meæ genti; et dedicabo tibi viros electos,*

## NOTÆ.

ni numinis spiritu: sed plena et correpta: ut contra Servium contendunt interpretes. Sic Ovid. Fast. 6. 703. tibiam dixit *afflatam*, quæ vento plena est, et quasi inflata: *Inventam Satyrus primùm miratur; et usum Nescit, et afflatam sensit habere sonum.* Igitur *propiore numine*, non est, *viciniore;* sed in intimâ pectoris parte jam *præsente;* maximè cùm dicatur, v. 78. *Magnum si pectore possit Excussisse Deum.*

53. *Attonitæ magna ora domûs.*] Ostia illa *centum*, id est, plurima, de quibus, v. 44. Domus vocatur *attonita:* vel quia vocum erumpentium sono, quasi tonitru concutitur: vel quia attonitos ac trepidos facit, quemadmodum mors dicitur *pallida*, quia pallorem inducit. Et sensus est: Ego quæ nunc te alloquor *ante fores;* non intrabo in ipsa antri penetralia, unde oracula soleo emittere: nisi priùs vota conceperis. De *Teucris*, Æn. 1. 235.

56. *Phœbe, &c.*] Trojanis favit: unde Ovid. Trist. l. 1. 2. 5. *Mulciber in Trojam, pro Trojâ stabat Apollo.* De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. De *Paride*, Æn. 1. 27. De *Achille*, à Paride in templo Apollinis occiso, Æn. 3. 321. De *Æaco*, Achillis avo, Æn. 1. 99. *Dirêxti*, pro *direxisti*, ut Æn. 1. 201. *accêstis* pro *accessistis.*

59. *Duce te.*] Ipsius enim oracula sæpiùs de rerum eventu consuluerat: maximè in insula Delo, Æn. 3. 84. Et ad Leucadem atque Actium, ibid. 274. Tum in Epiro apud Helenum, ibid. 359. De *Massylis*, Afris, Æn. 4. 480. De *Syrtibus*, vadosis Africi maris plagis, Æn. 1. 111.

63. *Parcere genti, Dîque, Deæque, &c.*] Numina Trojæ infesta: *Juno*, Æn. 1. 29. *Neptunus*, ibid. 2. 610. *Pallas*, ibid. 162. De *Dardaniâ*, gente et *Teucris*, ibid. 1. 235. De *Pergamo*, ibid. 466. De *Ilio* et *Trojâ*, ibid. 1. De *Latio*, ibid. 6. De *numinibus Troiæ*, ibid. 2. 717. De *Triviâ*, Dianâ, ibid. 4. 511.

69. *De marmore templa, &c.*] Alludit ad pleraque, quæ à Romanis Æneæ posteris in Apollinis honorem instituta sunt. Ad ludos quidem Apollinares primo bello Punico institutos ex Sibyllino carmine, Cornelio Rufo decemviro: qui inde dictus est *Sibylla*, postmodùm corrupto vocabulo *Sylla*. Deinde ad templum Apollinis, in Palatio post Actiacam victoriam ab Augusto magnificentissimè exstructum.

71. *Te quoque, &c.*] Non significat templa Sibyllæ esse exstruenda: sed locum duntaxat assignandum in ipsis Jovis Capitolini penetralibus et sacrario, ubi libri Sibyllini reponerentur sub eorum virorum curâ, de quibus diximus, v. 36. De *sortibus* pro *oraculis*, Æn. 4. 346.

Alma, viros: foliis tantùm ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro. Finem dedit ore loquendi.
  At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domûs patuere ingentia centum
Sponte suâ, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte perîclis!
Sed terrâ graviora manent. In regna Lavinî
Dardanidæ venient, mitte hanc de pectore curam:
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint: alius Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse Deâ: nec Teucris addita Juno
Usquam aberit. Quùm tu supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes?
Causa mali tanti conjux iterum hospita Teucris;
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis; sed contrà audentior ito,
Quàm tua te fortuna sinet. Via prima salutis,

*ô alma: tantummodo noli inscribere carmina frondibus, ne confusa evolent* in *ludibrium rapidorum ventorum: precor* te, *loquere* tu *ipsa.* Sic *fecit finem loquendi voce. At Sibylla ingens, nondum patiens Phœbi, furit in cavernâ,* tentans *an possit expellere è pectore magnum Deum: ille tantò magis exagitat os rabidum, subigens pectus efferatum, et opprimendo accommodat* ad oracula proferenda. *Et jam centum magnæ portæ antri apertæ sunt motu proprio, et emittunt in aërem* hæc *responsa Sibyllæ: O qui evasisti magna pericula maris! Sed majora expectant te* in *terrâ. Trojani pervenient ad regnum Lavinium, ejice hanc solicitudinem è corde: sed cupient quoque non eò pervenisse. Video bella, horrida bella, et Tybrim spumantem multo sanguine. Non deerunt tibi Simoïs, nec Xanthus, nec exercitus Græci; alter Achilles jam paratus est in Latio, ipse etiam filius Deæ: et Juno infesta Trojanis non aberit ullo loco. Quùm tu, quas nationes Italorum, et quas urbes non implorabis supplex in rebus extremis? Causa tantarum calamitatum* erit *rursùs Trojanis conjux hospitio excipiens* eos, *et rursùs peregrinæ nuptiæ. Tu noli frangi calamitatibus: sed contrà resiste audacior, quàm tua fortuna te permittet* esse. *Prima salutis via*

## NOTÆ.

74. *Foliis ne carmina manda.*] Hoc Sibyllæ illi peculiare aiunt fuisse, ut palmarum foliis oracula sua describeret; citatque Varronem Hortensius. Cerdanus censet id ex usu fuisse illorum temporum: quibus nondum scribebatur in cortice aut papyro, aut pergameno corio; sed in frondibus tantùm arboreis.

76. *Finem dedit ore loquendi.*] Consultò dictum id volunt interpretes: quia interim *animo* multa volvebat precabaturque, dum *ore* tacebat. Ego tamen hìc poëtæ diligentiam desidero.

77. *Nondum patiens.*] Vel *nondum* hìc significat *non*, ut censet Cujacius: hoc sensu, *Sibylla impatiens Phœbi conatur eum excutere.* Vel potiùs significat, Sibyllam nondum esse *omnino docilem* subditamque Phœbo, ut ex ipsius arbitrio oracula eloquatur: sed reluctari, donec fingatur, cogaturque.

78. *Bacchatur.*] Furit more Baccharum, de quibus, Æn. 4. 301. *Si possit;* locutio sic explenda, *tentans an possit:* ut Æn. 2. 756. *Pedem si fortè tulisset;* id est, *explorans an pedem retulisset.*

84. *In regna Lavinî.*] Regna *Lavinia:* regionem Italiæ, ubi urbs *Lavinium.* Sic Æn. 1. 247. *urbem Patavi,* ubi est urbs *Patavium.* An verò jam ante Æneæ tempora *Lavinium* urbi nomen esset, diximus, Æn. 1. 2. Quidam legunt non malè: *regna Latini,* regis ad quem Æneas perveniet, Æn. 7. 45. De *Tybri,* ibid. 8. 330.

88. *Non Simoïs, &c.*] Comparat vates bella Trojana cum futuris in Italiâ bellis, ex locorum, personarum, causarumque similitudine. Confert enim *Xanthum* et *Simoënta,* de quibus, Æn. 1. 100. 473. cum *Tybri* et *Numico,* de quibus, ibid. 8. 330. et 7. 150. *Achillem,* cum *Turno,* de quo, ibid. 7. 56. *Helenam,* cum *Laviniâ,* de quâ, ibid. 7. 72. De *Latio,* ibid. 7. 54. De *Doricis castris,* id est, Græcis, ibid. 2. 27.

90. *Natus et ipse Deâ.*] Ut enim Achilles matrem habuit Thetida, Ecl. 4. 32. sic Turnus Veniliam Nympham, Æn. 7. 56.

90. *Teucris addita Juno.*] *Infesta,* et quasi lateri semper *affixa.* Nam *addere,* etsi aliquando bonam in partem sumatur, ut Æn. 8. 304. *Decus addite Divis:* sæpe tamen in malam: et propriè de inflictis verberibus dici probat Taubmannus in Plauti Aulul. act. 3. sc. 6. v. 19. citatque Macrobius hoc è Lucilio: *Si mihi non prætor siet additus, atque agitet me.*

93. *Conjux iterum hospita.*] Ut Helena, Menelai uxor, quæ Paridem hospitio Spartæ excepit, ab eodem rapta, Trojano bello causam dedit: sic Lavinia, filia Latini qui Æneam hospitio excipiet, Turno promissa, ab Æneâ expetita, belli iterum auctor erit.

97. *Graiâ ab urbe.*] *Pallanteo,* urbe Evandri Arcadis: de quo, Æn. 8. 51.

*aperietur* tibi *ab urbe Græcâ, quod non putas. Talibus verbis Cumæa Sibylla canit è recessu terrificas ambages, et reboat è cavernâ, obtegens vera obscuris: sic Apollo regit habenas, et agitat stimulos sub* ejus *corde. Statim atque furor excessit, et os efferatum siluit; heros Æneas cœpit* loqui: *O virgo, nulla species laborum occurrit mihi nova et improvisa: præsensi et mecum priùs mente confeci cuncta. Unum precor: quandoquidem fertur hìc* esse *porta regis inferni, et obscura palus Acheronte exundante; liceat* mihi *ire in conspectum et vultum dilecti patris: monstra iter, et aperi sacras portas. Ego his humeris servavi illum inter flammas et mille spicula insequentia, et extraxi è mediis hostibus: Ille secutus* est *meum iter et omnia maria mecum; atque tolerabat omnes minas et cœli et maris,* quanquam *infirmus, supra robur et conditionem senectutis. Prætereà ipse rogans me,* simul *dabat jussa ut convenirem te supplex, et venirem tuam domum. O alma, precor, miserere filii et patris: nam potes cuncta: nec frustrà Hecate præposuit te sylvis infernis. Si Orpheus potuit evocare umbram uxoris, adjutus citharâ Thraciâ et chordis sonantibus: si Pollux eripuit fratrem alternâ morte,*

Quod minimè reris, Graiâ pandetur ab urbe.
  Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea fræna furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primùm cessit furor, et rabida ora quiêrunt;
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies inopinâve surgit:
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.
Unum oro; quando hìc inferni janua regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso;
Ire ad conspectum chari genitoris, et ora
Contingat: doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectæ.
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Natique patrisque,
Alma, precor, miserere: potes namque omnia; nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus,
Threïciâ fretus citharâ fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,

NOTÆ.

98. *Adyto.*] Loco antri intimo, Æn. 2. 297.

99. *Ambages.*] Circuitus *ambiguos:* ab antiquo *ambi, circùm,* et *ago.*

100. *Fræna——stimulos, &c.*] Metaphoræ ductæ ab equis et bobus; quorum illi reguntur frænis, atque habenis, hinc inde tractis et *concussis;* hi fustibus impelluntur pungunturque præacutis. Fingitur autem Apollo quasi vatibus incidens, equitis aut agitatoris in morem.

105. *Omnia præcepi.*] Monitis Heleni, Æn. 3. 441. Monitis Anchisæ, ibid. 5. 730.

106. *Hìc inferni janua regis.*] De hoc aditu inferorum, in Campaniâ Italiæ, ad Avernum lacum, dicemus, v. 237. De *Acheronte,* æstuante et stagnante, v. 323.

111. *Eripui his humeris.*] E Trojano incendio, Græcorumque potestate, Æn. 2. 721.

115. *Ut te supplex peterem mandata dabat.*] Cùm Æneæ noctu apparuit, Æn. 5. 731.

117. *Alma.*] Ab *alendo* propriè dicitur: unde *alma Ceres,* et *alma parens.*] Sæpe tamen apud Latinos, pro *pura* sumitur, ut *lux alma:* atque ita hìc pro *Sibyllâ virgine.*

118. *Lucis Hecate præfecit Avernis.*] *Lucis Avernis:* quia Avernus lacus, juxta quem aditus est ad inferos, undique sylvis cinctus erat, v. 237. *Hecate,* Proserpina, Æn. 4. 510. 511.

19. *Si potuit, &c.*] Petitionis æquitatem firmat exemplis Æneas. *Orpheus* adire potuit inferos, ut conjugem revocaret; quidni possim ut patrem duntaxat videam? *Pollux* et *Castor* toties eâdem viâ eunt ac redeunt: quidni ego semel? *Theseus* ut Proserpinam raperet: *Hercules,* ut Cerberum: quidni ego ut piè agam?

*Manes arcessere, &c.*] *Arcessere* est, *advocare:* pro quo posterioribus temporibus dictum est *accersere:* neque enim fides iis habenda, qui dicunt, *arcessere* esse, *repellere; accersere* verò, *advocare:* sed unum idemque significant: et *arcessere* quidem magis ex usu probatissimorum scriptorum. De *manibus,* infrà, v. 724. De *descensu Orphei ad inferos,* ad liberandam conjugem Eurydicen, Geor. 4. 454.

120. *Threïciâ——fidibus.*] *Thraciâ,* quia Orpheus Thrax fuit: de eâ regione, Æn. 3. 14. *Fides,* chordæ citharæ: non quòd inter se quâdam veluti fide concordent, ut vult Festus: sed omnino à σφίδες, quæ Hesychio *chordæ* sunt.

121. *Pollux, &c.*] De *Pollucis* et *Castoris* ge-

Itque reditque viam toties: quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? et mî genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis arasque tenebat.
Tunc sic orsa loqui vates: Sate sanguine Divûm,
Tros Anchisiade: facilis descensus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dîs geniti, potuere. Tenent media omnia sylvæ,
Cocytusque sinu labens circumfluit atro.
Quòd si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano juvat indulgere labori:
Accipe quæ peragenda priùs. Latet arbore opacâ
Aureus et foliis et lento vimine ramus,

*et toties it reditque per* illam eandem *viam: cur proferam Theseum; cur magnum Herculem? mihi etiam origo est à supremo Jove. Talibus verbis precabatur, et tangebat altaria. Tunc Sibylla cœpit ita loqui: O create sanguine Deorum, Trojane fili Anchisæ: facilis* est *descensus* ad *inferos: porta nigri Plutonis aperta est diu noctuque: sed referre pedem, et redire ad aërem sublimem, hæc est difficultas, hic labor. Pauci Deorum filii, quos justus Jupiter dilexit, vel quos generosa virtus extulit ad cælum,* id *potuerunt. Sylvæ occupant omnia intervalla et Cocytus fluens nigris flexibus circumcingit. Si tamen tantus amor et tantum desiderium inest animo, prænavigandi bis fluvios Stygios, et videndi bis nigrum Tartarum: et* si *placet suscipere vanum laborem: audi, quæ priùs perficienda sunt. Ramus aureus et frondibus et cortice flexili,* qui *dicitur dicatus Proserpinæ infernæ, latet* in *umbrosâ arbore:*

## NOTÆ.

nere diximus, Æn. 1. 650. Uterque Ledam habuit matrem, Tyndarei Spartani regis uxorem: patrem Pollux quidem Jovem, unde immortalis fuit: Castor verò Tyndareum, unde mortalis fuit. Communi tamen ambo nomine dicti sunt, et *Castores*, et *Tyndaridæ;* et Διόσκουροι, *Dioscuri;* id est, *Jovis filii.* Castor equestri arte, Pollux pugilatu insignis memoratur: ambo inter se amicitiâ conjunctissimi: Helenam sororem à Theseo raptam receperunt: Colchos ad expugnationem velleris aurei cum Argonautis profecti sunt: quà in expeditione cùm navis periclitaretur votaque Diis fierent; ignes ex utriusque fratris capitibus emicuere, quos tranquillitas maris statim consecuta est: mare piratis purgavere. Mortuo deinde Castore, Pollux à Jove obtinuit, ut suam cum ipso immortalitatem partiretur: atque ita factum est, ut alternis diebus, alter in cœlo, alter apud inferos degat. Fabulæ locum dedit siderum illorum natura, quos *geminos* appellamus, qui et ipsi dicuntur esse *Tyndaridæ;* aiunt enim interpretes, uno oriente alterum occidere; quod omnino falsum est: id quidem verum; ita stellas utriusque capitis esse dispositas inter se, ut in ipso, quod aiunt, sive ortûs sive occasûs puncto, cùm altera primùm oritur, altera infra horizontem adhuc lateat; cùm altera primùm occidit, altera supra horizontem adhuc appareat. Sunt et ignes eorum nomine dicti, circa navium vela malosque errare soliti; qui nihil ab *ignibus fatuis* differunt. Hi et olim et etiamnum, si duo apparent, salutares nautis habentur; si unus tantùm apparet, funestus existimatur: Hispani nautæ nunc vocant ignes *Sancti Hermi*, aut *Sancti Elmi:* Itali, *Sancti Petri*, et *Sancti Nicholai.*

122. *Thesea.*] Accusativus Græcus. De eo, infrà, v. 618. De *Alcidâ*, Herculis nomine, Æn. 5. 414. De ejus factis et descensu ad inferos, ibid. 8. 288.

123. *Et mî genus ab Jove.*] Tam maternum genus à Venere Jovis filiâ, Æn. 1. 256. quàm paternum, à Dardano, Jovis filio, Æn. 3. 167. Unde se majorem existimat Polluce, Hercule, et Theseo; qui materno genere mortales erant: Pollux Ledæ, Hercules Alcmenæ, Theseus Æthræ filius. De *tenendis aris* inter supplicandum, Æn. 4. 219. De *Averno*, infrà, v. 237. De *Dite*, Plutone, Geor. 4. 467.

131. *Tenent media omnia sylvæ.*] Non media inferorum loca, ubi carcer igneus impiorum, et Elysii piorum campi: sed intervalla et spatia, inter Sibyllæ cavernam et inferorum fluvios, media: Avernus enim lacus sylvis cinctus erat, v. 237. et aditus ipse inferorum, v. 257. De *Cocyto* et *Styge*, v. 323.

134. *Bis nigra, &c.*] Et nunc, et cùm aliquando morieris. *Tartarus*, plur. *Tartara*, profundissimus est inferorum locus. Alii deducunt à verbo ταρταρίζειν, *tremere:* nisi potiùs hoc verbum ab illo loco deductum est: alii à ταράττειν, *turbare.*

137. *Aureus ramus.*] Hoc fictum à Virgilio. Occasionem figmenti petitam putat Servius è sacrâ Dianæ sylvâ, apud urbem Latii Ariciam, cui sacerdos præerat dictus Rex nemorensis, conditione fugitivus. Hanc in sylvam quisquis fugitivus venisset, si poterat inde ramum auferre, poterat et cum sacerdote decertare singulari certamine; ac si eum vicisset, ejus in locum succedere. Auctor hujus et sacri, et moris, ferebatur fuisse Orestes, qui ex Tauricâ Chersoneso cum Iphigeniâ sorore fugâ elapsus, raptum inde Dianæ simulacrum Ariciæ collocaverat.

Junoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avulso non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo altè vestiga oculis, et ritè repertum
Carpe manu: namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant; aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Prætereà jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu nescis! totamque incestat funere classem:
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer antè suis, et conde sepulchro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demùm lucos Stygios, regna invia vivis,
Aspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
  Æneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; cæcosque volutat
Eventus animo secum: cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant:
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret: atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venêre, vident indignâ morte peremptum;
Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes: Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hastâ.

*hunc omnis sylva occultat, et umbræ obscurarum vallium abscondunt. Sed non conceditur intrare* loca *secreta terræ, priusquàm aliquis evulserit ex arbore aureum ramum. Jussit pulchra Proserpina ferri ad se suum illud donum: Uno decerpto alter non deest* etiam *aureus, et ramulus pullulat simili metallo. Igitur quære* illum *erectis oculis, et inventum evelle manu* juxta ritum: *nam ipse sponte et facilè cedet* tibi evellenti, *si fata vocant te* ad inferos; *alioqui non poteris* illum *superare ullo robore, nec amputare duro ferro. Præterea cadaver amici exanime jacet tibi, heu ignoras* id! *et funestat morte totam classem: dum requiris responsa, et suspensus* hæres *ad januam meam. Priùs depone hunc* in *propriâ sede, et include tumulo.* Deinde *duc* ad aram *victimas nigras: hæ primæ sint expiationes. Ita denique videbis sylvas Stygias, regionem inaccessam viventibus.* Sic *locuta est, tum clauso ore tacuit. Æneas relinquens cavernam incedit vultu tristi, figens oculos* in terram; *et volvit secum mente casus obscuros; cui fidelis Achates it comes, et figit pedes* agitatus *similibus curis. Jactabant inter se plurima vario colloquio:* scilicet, *quem sociorum mortuum dixisset Sibylla, quod cadaver tumulandum. At illi postquam pervenere* ad suos, *aspiciunt in litore arido Misenum occisum miserandâ morte: Misenum* filium *Æoli, quo non* erat *alter aptior ad incitandos tubâ viros, et inflammandam pugnam sonitu. Hic fuerat socius magni Hectoris, juxta Hectora circumibat* pugnantes, *conspicuus tubâ et hastâ.*

## NOTÆ.

138. *Junoni infernæ.*] Proserpinæ, inferorum deæ, de quâ Geor. 1. 39. *Juno inferna* vocatur: quemadmodum vir ejus Pluto, *Jupiter Stygius*, Æn. 4. 638. Et verò sylvam Averno circumjectam, de quâ dicemus, v. 237. aiunt Proserpinæ dicatam fuisse Homerus, Lycophron, et Diodorus.

141. *Auricomos fœtus.*] Vel fructus etiam aureos; aureis comis, id est, frondibus, ornatos: vel ramum ipsum aureum, qui, quia, pullulat ex arbore, fœtus illius dici potest.

150. *Incestat funere classem.*] *Incestum*, opponitur *casto;* et *incestare* est, *polluere funestare, fœdare.* Censebatur verò polluta domus omnis, in quâ quis mortuus fuerat, nisi certis piaculis expurgaretur.

152. *Sedibus suis.*] Terræ, quæ proprius est locus mortuorum.

153. *Ea prima piacula sunto.*] Censent aliqui præscribi sacrificia funebria ad expiandam labem ex morte Miseni contractam. Alii meliùs referunt ad sacrificia, Diis inferis offerenda; infrà, v. 243. Licèt enim illa *impetratoria* videri possint, ad obtinendum aditum inferorum; erant etiam *expiatoria:* expiandæ enim erant scelerum labes, ut quis hoc beneficio dignus haberetur: quare Æneas aquâ recenti corpus lustrat, v. 635. De *lucis Stygiis*, v. 237. De *Styge*, v. 323.

164. *Misenum Æoliden.*] Filium eum facit *Æoli*, ventorum Dei, de quo Æn. 1. 52. quia ad inflandam tubam vento flatuque opus est. De *Marte*, qui hìc pro pugnâ sumitur, Ecl. 9. 12. De *Hectore*, Priami filio, ab Achille occiso, Æn. 1. 483.

167. *Lituo.*] *Tuba* recta est: *cornu* planè in curvum: *lituus* inter utrumque medius: ab ejus

Postquam illum victor vitâ spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum fortè cavâ dum personat æquora conchâ
Demens, et cantu vocat in certamina Divos;
Æmulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosâ immerserat undâ.
Ergo omnes magno circùm clamore fremebant:
Præcipuè pius Æneas. Tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes; aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam sylvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ: sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes: cuneis et fissile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
  Necnon Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Aspectans sylvam immensam, et sic ore precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto: quando omnia verè
Heu nimiùm de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venêre volantes,
Et viridi sedêre solo: tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, lætusque precatur:
Este duces, ô, si qua via est: cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum: tuque ô dubiis ne defice rebus,
Diva parens! Sic effatus, vestigia pressit,
Observans quæ signa ferant, quò tendere pergant.
Pascentes illæ tantùm prodire volando,
Quantùm acie possent oculi servare sequentûm.

*Ex quo victor Achilles privaverat vitâ Hectora, heros generosissimus adjunxerat se socium Æneæ Trojano, non secutus viliorem dominum. Sed modò, dum fortè inconsultus sonat per mare conchâ excavatâ, et sonitu lacessit Deos ad certamen; Triton invidus, si æquum est* id *credere, submerserat spumantibus fluctibus hominem circumventum inter scopulos. Igitur omnes circùm querebantur magno clamore: imprimis pius Æneas. Deinde, exequuntur mandata Sibyllæ plorantes, nulla mora* est; *et contendunt accumulare ex arboribus atque erigere ad cœlum rogum sepulchralem. Eunt in sylvam veterem, profunda latibula ferarum; piceæ cadunt, ilex resonat percussa securibus, et trunci fraxinei roburque fissile frangitur cuneis: volvunt è montibus magnas ornos. Æneas quoque inter tales labores primus incitat socios, et instruitur similibus instrumentis. Interim ipse meditatur hæc suo cum animo mœsto, intuens ingentem sylvam; et ita orat voce: O si jam ille ramus aureus monstret se nobis in tantâ sylvâ: siquidem, ô Misene, Sibylla nimis verè dixit cuncta de te. Vix locutus erat ista: quando duæ columbæ fortè volantes per aërem venerunt in ipsum conspectum hominis, et steterunt in viridi terrâ. Tunc maximus heros agnoscit volucres matris* suæ, *et gaudens orat:* O vos *estote duces, si est aliqua via: et ex aëre dirigite iter* meum *in sylvam, ubi ramus pretiosus inumbrat terram fœcundam: et tu, ô Dea mater! ne desere* me *in rebus incertis. Sic locutus continuit pedem, explorans quæ dent indicia, quò pergant ire. Illæ pascentes cœperunt tantùm progredi subsiliendo, quantùm oculi sequentium poterant observare* visu *acutissimo.*

NOTÆ.

figurâ baculus auguralis *lituus* quoque dictus est. Tubæ, antequam ex ære fierent, è conchis intortis oblongisque in usu fuerant. De *Dardanio*, Trojano, Æn. 1. 235. De *Tritone*, Nepturi tubicine, Æn. 1. 144.

177. *Aram sepulchri.*] Rogum in modum aræ conformari solitum, Æn. 4. 494.

180. *Piceæ, &c.*] *Picea*, pini species, resinam ferens, arbor funesta, de quâ Geor. 2. 257. *Ilex* è querceo genere, *yeuse*, HOLM-OAK. *Fraxinus*, arbor nota, *frêsne*, ASH-TREE. *Robur*, species quercûs, Geor. 2. 25. *Ornus*, fraxinus sylvestris, Ecl. 6. 71.

184. *Armis.*] Securibus, instrumentis lignatorum. Sic instrumenta pistorum, Æn. 1. 177. dicuntur *Cerealia arma.* Nec deducebat pium principem hæc pietas in mortuos.

193. *Maternas aves.*] Columbas, ob fœcunditatem Veneri sacras, Æneæ matri.

199. *Pascentes——volando.*] Non, passis in aërem alis volando: tum quia sic pascere non potuissent; tum quia mox, v. 202. *tollunt se celeres.* Ergo priùs incedebant, et inter pascendum volitabant subsiliebantque. Alluditque poëta ad pullorum augurium, quod optimum habebatur, si pascerent pulli.

Inde ubi venêre ad fauces graveolentis Averni ;
Tollunt se celeres, liquidumque per aëra lapsæ,
Sedibus optatis geminâ super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere novâ, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.
Talis erat species auri frondentis opacâ
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit extemplò Æneas, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllæ.
Nec minùs intereà Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis et robore secto
Ingentem struxere pyram : cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales antè cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et ahena undantia flammis
Expediunt : corpusque lavant frigentis et unguunt.

*Deinde postquam pervenerunt ad os fœtidi Averni; attollunt se veloces, et elapsæ per aërem tenuem sistunt grato loco super geminâ arbore, unde splendor auri dissimilis coloris emicuit inter ramos. Quale viscum, quod propria arbor non producit, solet hyberno tempore in sylvis virescere foliis recentibus; et cingere ramusculo fulvo ramos* arborum *rotundos. Talis erat forma auri pullulantis* in *densâ ilice, sic lamina stridebat dulci vento. Æneas statim accipit* ramum, *et cupidus decerpit lentiorem, defertque in domum Sibyllæ. Intereà Trojani non segniùs plorabant in litore Misenum, et parabant ultima* officia *cadaveri mœsto. Primò erexerunt magnum bustum è tædis pinguibus et quercu fissâ: cujus latera ornant ramis funestis, et* in parte *anteriore collocant funebres cupressos, et desuper ornant armis splendentibus. Pars adhibent aquam calidam, et* vasa *ærea ebullientia* ex *igne : et eluunt unguuntque cadaver frigentis.*

## NOTÆ.

201. *Fauces Averni.*] Ad os ipsum *Averni* lacûs, quâ parte cum *Lucrino* lacu committitur, ut diximus, Geor. 2. 161. Hìc tollunt se columbæ in auras, non modò ut pestilentem lacûs halitum evitent; sed ut in arborem vicinam evolent, in eâque latentem ramum ostendant Æneæ. De *Averno*, infrà, v. 207.

204. *Discolor.*] Non enim tota arbor aurea; sed in ilice viridi, ramus unicus aureus, quo avulso subibat alter. *Aura auri.* Fulgor auri, unde *aurum*, et *auroram*, et *thesaurum* dici putat Scaliger, Poëtic. l. 4. 16.

205. *Viscum.*] Species est fruticis, politi et glutinosi, in ilice et larice et querni maximè generis arboribus, hyeme erumpens in ramuli modum earumque arborum ramis adhærescens: extrà fulvi, intus porracei coloris, *guy de chêne*, MISLETOE OF THE OAK. Non nascitur è semine proprio arboris: at neque ex insidentium volucrum fimo ut putavere veteres; sed ex ipso arborum vitali excremento: unde ait, *quod non sua seminat arbos.* Nulla sine visco sacra Gallorum sacerdotes Druidæ faciebant ex Plinio, l. 16. 44.

209. *Bractea.*] Tenuior subtiliorque lamina: hanc enim speciem aureæ frondes habebant.

210. *Avidus—cunctantem.*] Quomodo *cunctantem*, siquidem dixerat Sibylla: *facilisque sequetur Si te fata vocant?* Nondum solvit vox ista *avidus:* quippe avido citissima quæque tardiora videntur.

213. *Cineri ingrato.*] Ad quem nullus funebrium officiorum sensus perveniebat. Vel, qui nullam erat gratiam relaturus. Vel potiùs, qui mœstitiam omnibus creabat, minimè *gratus* et *lætus.* Habet porrò funus illud præcipua veterum cæremoniarum vestigia.

215. *Pyram, &c.*] I. De *pyrâ, rogo, busto*, Æn. 4. 494. II. *Atræ frondes*, rami sunt funestarum arborum, quales *taxus, picea, cupressus* imprimis: quæ cùm gravis esset odoris, ideò juxta Varronem addebatur pyræ, ne combusti cadaveris fœtor nares adstantium læderet; vel quia, cùm excisa nunquam renasci soleat, ideò mortis erat insigne. III. *Arma*, et *vestes*, et quicquid vivo charissimum fuerat, etiam cum mortuo comburebantur. Atque hæc ad structuram rogi pertinent: cætera ad curam cadaveris.

218. *Calidos latices.*] I. Lavabant cadavera calidis undis; ut si quid esset vitalis spiritûs quod homines falleret, excitaretur calore. II. Ungebant amomo, hyacinthino rosaceoque unguento: non tantùm quæ diu servanda erant, ut apud nos in usu est: sed etiam in honorem quæ proximè comburenda; idque officium erat penès *pollinctores.* III. Fiebant gemitus et conclamatio: tum ad dolorem; tum ad vitam, si adhuc superesset, revocandam; et ad id muneris conducebantur mulieres *præficæ*, quæ cæteris plangendi modum statuebant. IV. Collocabatur cadaver in toro, lecto, è stragulis ac vestibus congesto. De *toro*, Æn. 3. 224. V. Lectus ipse imponebatur *feretro:* quod cratis instar fuit, è ligno et vimine: neque solùm aptum funeribus, sed aliis quibuslibet pompis, in quibus simulacra aut spolia ferebantur: à *ferendo* dictum; unde

Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque supèr vestes, velamina nota,
Conjiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium; et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem: congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavêre favillam:
Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno.
Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi et ramo felicis olivæ:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.
His actis, properè exequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,

*Fit comploratio: deinde collocant in lecto membra deplorata; et superaggerunt vestes purpureas ac tegmina consueta. Pars supposuere* se *magno feretro,* quod est *triste officium; et retroversi porrexere suppositam facem,* ex *consuetudine majorum: comburuntur accumulata munera thuris, et carnes, et pocula injecti olei. Postquam cineres subsederunt, et flamma defecit; irrigaverunt vino reliquias et favillas siccas: et Chorinæus inclusit vasculo æreo ossa collecta. Idem circumiit ter socios aquâ piaculari, aspergens tenui rore* cum *ramo fertilis oleæ: et expiavit viros, et protulit voces ultimas. Sed pius Æneas statuit tumulum magnæ molis, et* in eo *propria viri* illius *arma, et remum, et tubam, sub excelso monte, qui nunc appellatur ex illo Misenus, et servat perpetuum nomen in secula. His perfectis, implet celeriter jussa Sibyllæ. Fuit caverna profunda, patens lato hiatu,*

## NOTÆ.

et *Jupiter Feretrius,* cui Romulus spolia Cæninensium regis prælio occisi in ejusmodi ferculo obtulerat, ut est apud Livium, l. 1. 10. VI. Subibant humeris feretrum consanguinei, virique nobiles. Sic Augustus ab Senatoribus elatus est, ex Suetonio, c. 100. Germanicus à tribunis et centurionibus, ex Tacito l. 3. 1. Severus ab equestris ordinis nobilissimis, ex Herodiano l. 4. VII. Propinqui facem pyræ subjiciebant, sed averso vultu, ut se id invitos facere ostenderent. VIII. Pingues etiam liquores, *thus, oleum, dapes,* id est carnes adipemque victimarum rogo adjiciebant ad excitandum ignem. Ita Achilles in funere Patrocli, Iliad. 23. 168.

227. *Reliquias vino, &c.*] Combusto cadavere. I. Vino prunas extinguebant, ut cineres faciliùs colligi possent. Patet id ex Patrocli funere, Iliad. 23. 250. II. Secernebant defuncti cineres ab aliis cineribus; imprimis ossa, cognitu facillima: quod notat Homerus eodem libro, v. 240. Fuit etiam apud Indos lini genus, molli et lapideo filo; quod igne splendesceret tantùm, non absumeretur. Hinc regibus texebant tunicas, quæ corporum favillam à reliquo cinere separabant, ex Plinio, l. 19. 1. III. Cineres imponebant urnæ, cado, phialæ, ut sepulchro deinde mandarentur; Iliad. 23. 253. IV. Quia maculam aliquam contraxerant ex funere, unde funestati et incesti putabantur: ideò antequam abirent, purgabantur à sacerdote trinâ lustralis aquæ aspersione per circuitionem, *purâ circumtulit undâ;* unde verbum *lustro,* quod propriè est *solvo, expio,* ad significandum *circuitionem* traductum est; Æn. 1. 608. et 4. 279. Aqua autem lustralis erat juxta Athenæum, l. 9. in quâ titionem tingebant, sumptum ex altari, ubi peragerant sacra. V. *Verba novissima,* alia erant quibus alloquebantur cadaveris reliquias, nempe ter repetitum *Vale:* alia quibus dimittebant populum, nempe *Ilicet,* id est, *ire licet;* idque ultimum usurpabant in omnium sacrorum exitu, non funebrium tantùm.

230. *Rore levi et ramo felicis, &c.*] Sunt qui *aspergillum* intelligunt: ex *olivâ* et *rore marino* frutice, *rosmarin,* ROSEMARY, de quo Ecl. 2. 49. et Geor. 2. 213. Tamen commodiùs de aquâ instar roris aspersâ.

*Felicis Olivæ.*] Fertilis, sativæ; non sylvestris, nec oleastri, qui dicitur Geor. 2. 314. *Infelix superat foliis oleaster amaris.*

232. *Sepulchrum, &c.*] Notat Æneæ pietatem in amicos: et morem illius etiam temporis, defunctorum insignia tumulis insculpendi. Igitur Miseno ponuntur *arma* ut bellatori, nam v. 167. *pugnas insignis obibat et hastâ. Remus,* ut qui in cursu navigationis obierat: ita ponitur et Elpenori ab Ulysse, Odyss. 12. 15. *Tuba* denique, ut tubicini.

234. *Qui nunc Misenus, &c.*] *Misenum* intelligit promontorium monte assurgens; et Puteolanum, nunc Neapolitanum sinum, ab occidente terminans, hodie *Capo Miseno.* Nomen huic inditum à sepulchro Miseni Æneæ tubicinis, consentiunt è poëtis post Virgilium, Propertius, Silius, Statius; è geographis Solinus et Mela. Ulyssis tamen socium illum facit Strabo. Intra sinum, non longè à promontorio, erat *portus Misenus;* ubi Augustus ad tutelam Italiæ classem alteram semper habebat, alteram Ravennæ.

237. *Spelunca alta fuit, &c.*] I. *Avernus,* ἄορνος, ab α privativo, et ὄρνις, *avis,* lacus est non longè à Puteolano Campaniæ sinu, inter Baias

*saxosa, defensa nigro lacu et umbris sylvarum: super quam nullæ aves poterant tutò facere iter alis: talis vapor erumpens ex nigris ostiis extollebat se ad curvaturam cœli: unde Græci appellaverunt locum nomine Avernum. Illic primò statuit* ad aras *quatuor juvencos nigros* secundùm *terga,*

Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris;
Quam super haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat;
Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.
Quatuor hìc primùm nigrantes terga juvencos

NOTÆ.

et Puteolos: hujus situm et cum Lucrino lacu conjunctionem descripsimus, Geor. 2. 161. 164. Nomen adhuc hodie, *lago d'Averno.* Hoc autem nomen olim, non peculiare huic loco, sed iis omnibus commune fuit, è quibus vapores halitusque erumpebant avibus pestiferi; seu lacus, seu cavernæ campique essent: idque manifestum est ex Lucretio, l. 3. 768. *Nunc age Averna tibi quæ sint loca cumque lacusque:* tum ex Plinio, qui in prooemio, l. 4. locum ejusmodi *Aornon* etiam in Epiro collocat. II. *Spelunca* circa hunc lacum adhuc apparet duplex; altera ad meridiem, quæ dicitur etiamnum, *Grotta di Sibylla;* videturque esse ostium illius cuniculi qui ab Averno Cumas usque deducebat et jam subsidente terrâ oppletus est: altera, quæ à Puteolis hodieque deducit Neapolim: suffosso monte *Pausilypo.* Est tamen utraque Æneæ temporibus multò recentior: quippe paulò ante scriptum opus Æneidos, à Cocceio effossa; sequente, ut ait Strabo, fabulosam famam de subterraneis hujus loci meatibus et Cimmeriorum cavernis. III. *Vera* hujus loci natura talis fuit. Avernus ipse lacus limpidissimus, sed profundissimus: unde ex Diodoro, l. 4. cœruleus, id est niger, apparet. Idem præcisis rectissimisque collibus, et propter sylvas densissimas olim inaccessis, cingebatur in orbem undique, præterquam in aditu imminentibus, ex Strabone, l. 5. Totus ille tractus calidæ aquæ fontibus innumeris scatet, sulfure, alumine, sale, nitro, bitumine commistis, ex Plin. l. 31. 2. Idem Campaniæ litus, ut et vicinæ Siciliæ, passim ubique cavum est: ut patet ex Charybdi, ex Vesuvio et Ætnâ, montibus ignivomis: unde Horatius objectas huic mari rupes, *pumices* vocat. Od. l. 1. 11. 5. IV. *Falsa* hinc multa poëtæ finxerunt Homero duce: qui cùm Ulyssem circa Siciliam et Italiam errantem induceret: ad concitandam admirationem nihil cavit diligentiùs, quàm ne quid nomine suo appellaret. Itaque cùm Ulysses, juxta Circes monita, è Circæo Latii monte sive insulâ, ad Plutonis domum nave contendit, Odyss. 10. 512. et 11. 13. omnino significatur hic Campaniæ locus: siquidem huc, et Boreâ vento, et unius diei navigatione Ulysses pervenit. At verò cùm sciret Homerus *Cimmerios* quosdam esse in Asiâ septentrionali populos, circa Sarmatas et Scythas, Mœotidemque paludem et mare Caspium, qui fortè ob caliginosos regionis suæ halitus rarò Solem videre et perpetuis in tenebris vivere dicerentur: cùm item Græci quatuor præcipuè agnoscerent apud inferos flumina, *Acherontem, Pyriphlegethontem, Cocytum,* et *Stygem:* ideò Cimmerios populos in cavis Campaniæ locis incolas statuit; fluviorumque infernorum nomina calidis ac sulfureis circa Avernum fontibus attribuit; Tyrrhenumque ipsum sive Mediterraneum mare, Oceanum appellavit. V. Manserunt apud posteros hæc eadem deinde nomina. Et *Acherusiam* quidem paludem agnoscit Strabo, cœnosam quandam Tyrrheni maris effusionem, inter Cumas et Misenum promontorium, nunc *Lago di Collucia.* Agnoscit et *Pyriphlegethontem* ex aquis calidis: et ad ipsum mare, non procul ab Averno, fontem aquæ potabilis, à quâ tamen omnes abstinent, *Stygis* esse aquam rati. Testatur Silius Italicus, l. 12. 117. *Cocyti* vocabulum inditum fuisse Lucrino lacui, qui Averno junctus erat, jamque exsiccatus est. *Cimmeriorum* verò oppidum ibidem olim fuisse aiunt Plinius, Lycophron, Festus Pompeius, qui addit eo nomine dictos esse, quòd convallem incolerent eminenti jugo circumdatam; sole neque matutino neque vespertino illustratam: Ephorus autem apud Strabonem ait eos in cuniculis habitâsse, et metallis effodiendis ibi quæsîsse victum. Inde aiunt locum illum Plutoni dicatum esse; et nemus ibidem fuisse Proserpinæ sacrum, sylvam haud dubiè Averno circumdatam; et sub terrâ oraculum, ubi vitâ functi responsa darent: et qui lacum navigabant, priùs sacrificiis solitos placare genios subterraneos. Fœtorem verò Averni perniciosum avibus inter fabulas Strabo reponit, propter aquæ limpitudinem, etiam Aristoteli memoratam. VI. Hinc demùm factum est, ut Latini poëtæ, cùm suis de rebus agunt, ostium inferorum in speluncis lacûs *Averni* constituant: cùm autem Græca describunt, in antris collocent *Tænari* montis, qui promontorium est Laconiæ, in parte Peloponnesi maximè meridionali, inter Laconium et Messeniacum sinum, nunc *Capo Maina.* Hâc descendisse dicitur Hercules cum Theseo, apud Senecam in Hercule Furente: hâc Orpheus Geor. 4. 467.

241. *Convexa.*] Concava spatia. Sic Æn. 1. 310. *Classem in convexo nemorum, &c.*

243. *Quatuor hìc primum, &c.*] De hoc sacrificio, quod Sibylla Diis inferis fieri præceperat, v. 153. hæc accipe. I. *Sacerdos,* ipsa *Sibylla* est, quemadmodum saga illa, Æn. 4. 509.

Constituit, frontique invergit vina sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cœloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum magnæque sorori
Ense ferit; sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue supérque oleum fundens ardentibus extis.
  Ecce autem, primi sub lumina Solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri
Sylvarum; visæque canes ululare per umbram,
Adventante Deâ. Procul ô, procul este profani,

*et sacerdos effundit vinum in caput* eorum: *et secans in medio cornuum summos pilos injicit eos in sacras flammas,* quasi *primitias sacrificii: appellans clamore Hecaten potentem* in *cœlo et inferis. Alii suffigunt cultros, et excipiant* in *poculis sanguinem calentem. Ipse Æneas cædit gladio agnam nigræ pellis matri Furiarum et magnæ* ejus *sorori, et vaccam infœcundum tibi, ô Proserpina. Deinde facit nocturna sacrificia regi inferno, et offert* super *altaribus tota corpora taurorum, et super fundens etiam oleum visceribus incensis. Ecce autem circa lucem et ortum primi Solis, cœpit terra reboare sub pedibus, et culmina sylvarum* cœperunt *agitari: et canes visæ sunt allatrare per noctem, appropinquante Hecate.* Tunc *Sibylla exclamat; Longè, longe recedite, ô profani,*

## NOTÆ.

*Crines effusa sacerdos Tercentum tonat ore Deos.* II. *Locus* sacrificii, *spelunca* est, per quam aditus esse putabatur ad inferos: diversa illa quidem ab antro Sibyllæ: Sibyllæ enim antrum in ipso erat Apollinis templo, Cumanâque urbe, ut diximus v. 9. hæc verò spelunca, apud Avernum lacum. Mos autem fuit ejusmodi sacrorum, ut sub terrâ fierent: effossâ etiam scrobe, in quam sanguis et libamina invergerentur. Ita Ulysses, Odyss. 11. 25. III. *Tempus* sacrificii, *nox:* v. 252. *nocturnas inchoat aras:* et maximâ noctis parte sacrificium duravit, ad usque ortum Solis, v. 255. IV. *Victimæ nigræ:* ob inferorum tenebras: *pari numero:* quia Diis inferorum hic placebat, ut *impar* superis, Æn. 5. 96. *Sterilis vacca,* Proserpinæ: quia nullam ex Plutone marito prolem susceperat. V. *Sacerdos invergit vina,* in frontem ad probandas victimas: si enim subitâ illâ vini aspersione non contremiscerent, sed stuperent immobiles, sacrificio aptæ non erant. *Invergit* porrò: id est, conversâ planè manu sive paterâ deorsùm effundit, quia Diis offert inferis: si autem superis; manu supinâ quasi in altum emittens, vinum cornibus effundebat: quare tunc ait Virgilius, Æn. 4. 61. *Media inter cornua fundit;* nunc verò, *invergit.* De voce *libo* quæ *stillo, degusto,* et *sacrifico* etiam significat, Æn. 1. 744. VI. *Setas* et *pilos* carpit, et in ignem jacit: ut sacrificium incipiat, ostendatque victimam Diis jam devotam esse. Agamemnon tamen Iliad. 3. 274. pilos illos non in ignem jacit, sed adstantibus distribuit: ut significet, omnes fœderis, quod sacrificio illo cum Trojanis sanciebatur, testes ac vindices futuros. VII. *Voce,* id est sono confuso ac tumultuoso, non distinctâ voce appellat *Hecaten,* quæ in cœlo *Luna,* in inferis *Proserpina* appellatur. De *Hecate* et *Erebo,* Æn. 4. 509—511. VIII. Ministri victimas cædunt: idque fiebat, primùm *securi* in cervicem impactâ, præsertim in majoribus victimis ut ictu exanimatæ conciderent: tam deinde cultris jugulabant. De primo more dixit, Æn. 2. 224. *Taurus et incertam excussit cervice securim.* IX. *Sanguinem* suscipiunt *pateris,* planis patentibusque poculis: ut circa aras in terram effundant; quemadmodum Ulysses in scrobem, Odyss. 11. 35. X. Æneas ipse, non operâ ministrorum, sed manu propriâ, victimas aliquot jugulat: heroum more qui ferè semper hoc officio apud Homerum defunguntur. XI. Denique *solida viscera* comburit flammis, quod vocant *holocaustum:* imponitque solida ipsa corpora, solâ detractâ pelle: *viscera* enim ait Servius esse, quicquid sub pelle est, etiam carnes quibus ossa vestiuntur: *exta* verò sunt ea ipsa viscera quæ maximè *extant* aperto pectore; ut cor, pulmo, lien. Aliis autem in sacrificiis, carnium et extorum partes aliquæ distribuebantur ad epulas, ut Æn. 8. 182. Tum victimas ipsas inspergit oleo, ut facilè comburantur.

250. *Matri Eumenidum, &c.*] *Mater* Eumenidum, *Nox;* quæ ipsas Acheronte peperit. *Soror* Noctis, *Terra;* nox enim terræ umbra est. *Eumenides,* Furiæ tres, de quibus, Æn. 4. 469. et Geor. 3. 552. De *Proserpinâ,* Geor. 1. 39. De *Stygio rege* Plutone, Æn. 4. 638.

257. *Canes ululare—Adventante Deâ.*] Invocaverunt *Hecaten,* magico more: ut iis numine suo adesset ad iter tutò peragendum. Adest illa: sed quia se manifestò videndam non exhibet, ejus præsentiam testantur *ululantes canes.* Per *canes,* intellige, vel canes quas Hecate comites attribuere veteres solebant: vel ipsam Hecaten, quæ tribus è capitibus unum habebat caninum: vel canem Cerberum, exeunti reginæ allatrantem: vel Furias, dictas quoque infernas canes.

258. *Procul este profani.*] Qui sacris non initiati estis, scelesti, non expiati. Et hæc solemnis fuit sacrorum, etiam magicorum, formula:

Conclamat vates, totoque absistite luco.
Tuque invade viam, vaginâque eripe ferrum:
Nunc animis opus, Æneа, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Dî, quibus imperium est animarum, umbræque silentes;
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late,
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res altâ terrâ et caligine mersas.
Ibant obscuri solâ sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce malignâ
Est iter in sylvis: ubi cœlum condidit umbrâ
Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci,
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ:
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, et turpis Egestas,
Terribiles visu formæ: Letumque, Laborque:
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,

*et exite è totâ sylvâ. Et tu ingredere viam, et extrahe gladium è vaginâ: nunc opus est fortitudine, nunc animo constanti, ô Ænea.* Hoc *solum locuta, infert se furens in profundum speluncæ: ille* Æneas *passibus non timidis assequitur euntem. O Dii, quibus est potestas in animas, et* vos *umbræ mutæ; et Chaos, et Phlegethon, loca undique tacita* per *noctem, sit mihi licitum narrare* res *auditas: sit* licitum per *divinitatem vestram exponere res tectas profundâ terrâ et obscuritate. Incedebant soli per noctem obscuram in tenebris, et per domos vacuas et inania regna Plutonis. Quale est iter in sylvis, ad Lunam dubiam, sub luce exiguâ: quando aër occultat caligine cœlum, et nox obscura eripuit rebus colorem. Ante ipsum vestibulum et in primo aditu inferorum, Luctus et Curæ vindices fixerunt cubilia: habitantque Morbi pallidi, et mœsta Senectus, et Metus, et Fames suadens mala, et Paupertas infamis, spectra horrida aspectu: et Mors, et Labor: deinde Somnus frater Mortis, et Gaudia animi scelerata, et in limine opposito Bellum mortiferum,*

## NOTÆ.

ut profani inde arcerentur. Cerdanus, *profanos* refert ad spectra alia quæ in Hecates comitatu præter Sibyllæ voluntatem aderant: idque firmat multis poëtarum similibus locis. Ego ad omnes Æneæ comites refero, quorum causâ non celebrata fuerant sacra: unius enim Æneæ expiandi rationem habuerat, unus erat ad inferos deducendus: quare cæteros arcet, non è speluncâ solùm, sed è totâ etiam lacûs Averni sylvâ.

260. *Vaginâque eripe ferrum.*] Ad fuganda, quæ deinceps occurrent, spectra. Quamvis enim in dæmonas, ac spiritus, et genios ejusmodi vim ferri nullam esse compertum sit: esse tamen aliquam existimavere Platonici, et poëtæ veteres. Ita Ulysses Odyss. 11. 48. fugat ense umbras, in scrobem sanguine plenam avidiùs incurrentes.

265. *Chaos et, &c.*] Invocatio est poëtæ: qualem solet magnarum rerum descriptionibus præfigere. De *Chao*, rudi et confusâ mole, ex quâ res omnes eruperunt, et quæ pro Deo, Deorumque parente habetur ab Hesiodo, diximus, Geor. 4. 247. De *Phlegethonte*, inferno fluvio, infrà, v. 323.

268. *Ibant obscuri solâ, &c.*] Commutatio, sive hypallage: pro *soli sub obscurâ* nocte. Sic Æn. 5. 149. *Vocemque inclusa volutant Litora*, pro *inclusam vocem*.

269. *Domos Ditis vacuas, &c.*] Quas habitant umbræ leves, et corporis expertes. De *Dite*, Plutone, Geor. 4. 467.

270. *Incertam Lunam.*] Alii explicant, Lunam cum Sole conjunctam, tumque minimè lucentem. Alii meliùs, Lunam nubibus et aëris caligine interclusam. De *Jove*, pro aëre, Ecl. 3. 60. et 7. 60.

273. *Vestibulum.*] Spatium est, sive area, quæ viam à domo dividit, estque ante portam ædium. In hoc inferorum vestibulo varias describit calamitates quas horrendis formis et quasi corporibus vestit. Has ferè omnes enumerat Cicero de Naturâ Deorum, l. 3. 44. aitque esse Noctis et Erebi filias. Locum etiam habent inter Noctis liberos, in Hesiodi Theogoniâ, v. 225. *Orcus*, hìc pro inferis, alibi pro Deo inferorum sumitur, infrà, 323.

276. *Malesuada Fames.*] Non tantùm est *inopia victûs:* sed etiam *avaritia*, et *auri sacra fames*, quæ nullum non suadet scelus.

278. *Consanguineus Leti Sopor.*] *Somnus* dicitur ab Homero Iliad. 14. 231. *κασίγνητος θανάτοιο, frater mortis:* et Hesiodus in Theogon. v. 214. Mortem et Somnum ait Noctis esse liberos. Ut autem *consanguineus* apud Latinos *fratrem germanum* sæpe significat, sic enim usurpat Statius, l. 11. 407. et alibi: ita quoque *κασίγνητος* apud Græcos.

278. *Mala mentis Gaudia.*] Voluptas ex perpetratis sceleribus percipi solita.

Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præthereà variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendùm stridens, flammisque armata Chimæra:
Gorgones, Harpyiæque et forma tricorporis umbræ.
Corripit hìc subitâ trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert.
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cavâ sub imagine formæ,
Irruat, et frustrà ferro diverberet umbras.
Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.
Turbidus hìc cœno vastâque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet; stant lumina flammâ;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ,
Jam senior; sed cruda Deo viridisque senectus.

*et ferrea cubicula Furiarum, et Discordia insana implicata tæniis sanguinolentis* circa *capillos anguineos. In medio* vestibulo *ulmus magna, umbrosa, explicat ramos et brachia vetera: aiunt vulgò Somnia inania occupare hunc locum, et* ipsa *sedent sub omnibus frondibus. Et præterea spectra plurima aliarum ferarum manent ad portas, Centauri, Scyllæ biformes, et Briareus centuplex, et Hydra Lernæ sibilans horridè, et Chimæra evomens ignes: Gorgones et Harpyiæ, et species umbræ tricorporis. Hìc Æneas captus repentino metu educit gladium, et intentat venientibus strictum* illius *acumen. Et nisi sapiens comes docuisset animas* eas *leves vagari sine corpore sub inani simulacro figuræ, irrumperet, et frustrà feriret umbras gladio. Inde* incipit *iter quod ducit ad aquas Acherontis inferni. Ille gurges turbidus cœno et vastâ voragine, exundat, et exonerat omnem arenam in Cocytum. Charon, vector tremendus horribili squalore tenet has aquas et* hos *fluvios: huic multa est in mento canities neglecta, oculi* pleni *sunt igne, vestis sordida nodo* ligata *pendet ex humeris. Ipse impellit cymbam perticâ, et adjuvat velis, et transportat* umbras *corporum nigrâ cymbâ, jam senex: sed senectus robusta et vegeta est,* utpote *Deo.*

## NOTÆ.

280. *Eumenidum thalami.*] Non *lecti conjugales*, quia nunquam nupsere Furiæ: sed *sedes, cubicula*, vel ubi natæ sunt, vel ubi decumbunt: propriè tamen *thalamus* dicitur de cubiculo nuptiali, à θάλλω, *vireo*. De *Eumenidibus*, Æn. 4. 469. Geor. 3. 552.

283. *Quam sedem, &c.*] Somnia sub *arbore* patulâ et opacâ collocat, qualis apta est somno conciliando: sub *ulmo*, quia ut ulmus sterilis arbor est, ita vana et cassa vulgò somnia: sub *foliis*, ob levitatem et mobilitatem: et quia eo tempore quo cadunt arborum folia, præsertim vana esse somnia vulgò dicuntur.

286. *Centauri, &c.*] Monstra superiore parte humana, inferiori equina: Ixione et nube geniti, Geor. 3. 38. Thessaliæ populi fuere, ideò sic dicti, quia primi ex equis pugnare, et eos stimulis agitare docuerunt, à κεντέω, *stimulo*. De *iis*, Geor. 3. 115. De *Scyllis* duabus, alterâ inferiori parte in canes, ac deinde in scopulum conversâ; alterâ in alaudam mutatâ, Ecl. 6. 74. Æn. 3. 420.

287. *Briareus.*] Gigas, Cœli et Terræ filius: *centumgeminus*, id est, centum brachiis instructus; non centum corporibus. *Ægæon* etiam appellatur, et inferorum custos hìc videtur esse, non ut cæteri gigantes pœnis damnatus. Causam habes, Æn. 10. 565. De *belluâ Lernæ*, sive *hydrâ*, quam in Lernæâ Argiæ regionis in Peloponneso palude Hercules occidit, Æn. 8. 300.

288. *Chimæra.*] Monstrum ignivomum, cui caput leonis, pectus hirci, cauda serpentis: hanc dicitur Bellerophontes occidisse Pegaso equo invectus, quia montem Lyciæ, habitabilem reddidit: cujus in ignivomo cacumine leones erant, in radice serpentes, in medio pascua capris alendis aptissima. De *Gorgonibus*, sororibus, quarum natu maxima Medusa serpentinos crines habuit, Æn. 2. 616. De *Harpyiis*, Æn. 3. 211. De *tricorpore umbrâ Geryonis*, Æn. 7. 662.

292. *Tenues sine corpore vitas.*] *Vitas*, quidem, quia animæ sunt immortales; *tenues*, quia separatæ à corpore, et sic à vulnerum et mortis periculo jam immunes. Cur ergo, v. 260. jussus erat Æneas ferrum stringere? non sanè ut umbras vulneraret; sed meo quidem judicio, ut terreret recordatione quâdam ferri, et præteritorum in vitâ periculorum.

295. *Tartarei quæ fert, &c.*] De *Tartaro*, infimo inferorum loco, suprà, v. 134. De *Acheronte* et *Cocyto*, infrà, v. 323.

299. *Charon.*] Erebi et Noctis filius per antiphrasin dictus, quòd minimè sit χαίρων, *gaudens*.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quàm multa in sylvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos:
Ast alios longè summotos arcet arenâ.
  Æneas (miratus enim, motusque tumultu)
Dic, ait, ô virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos:
Anchisâ generate, Deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dii cujus jurare timent et fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quàm sedibus ossa quiêrunt.

*Omnis turba currebat huc effusa ad ripas; matres et viri, et corpora fortium bellatorum privata luce, pueri, et puellæ innuptæ, et juvenes elati* in *pyras in conspectu parentum:* tam multi, *quàm multæ frondes excussæ cadunt per sylvas primo frigore autumni: sive quàm multæ volucres congregantur ad terram ex alto mari, quando tempestas hyberna pellit* eas *ultra mare, et mittit in plagas calidas. Stabant precantes, ut primi trajicerent spatium, et extendebant manus desiderio ripæ oppositæ. Sed vector asper nunc accipit hos, nunc illos; procul autem à ripâ expellit alios. Æneas inquit (nam obstupuit et commotus est* hoc *tumultu) Dic, ô virgo, quid significat* illa *frequentia ad fluvium? et quid poscunt animæ? vel ob quam differentiam hæ recedant è ripâ, illæ secant remis aquas pallidas? Sic antiqua vates breviter locuta est illi: Fili Anchisæ, certissima soboles Deorum, cernis stagna profunda Cocyti, et paludem Stygiam, cujus Dii metuunt jurare et violare divinitatem. Hæc omnis turba, quam vides, est egena et insepulta: vector ille,* est *Charon: hi, quos portat unda,* sunt *sepulti. Nec permittitur trajicere ripas horribiles et fluctus sonantes, antequam ossa reposita sint* in *tumulis.*

## NOTÆ.

300. *Stant lumina flammâ.*] Ita pleni sunt flammâ oculi, ut veluti ex eâ toti constare videantur. Sic dicitur, Æn. 12. 408. *Stare pulvere cœlum.* Horat. Od. l. 1. 9. *Vides ut altâ stet nive candidum Soracte, &c.* De *ferrugineo* colore, propriè ferreo, hìc nigro, Ecl. 2. 18.

312. *Terris apricis.*] Soli expositis, Ecl. 9. 49. Hi porrò septem superiores versus ferè expressi sunt, ex Geor. 4. 473. Quod autem ait de trajectione avium in calidiores plagas; de hirundinibus, deque gruibus et ciconiis memoratur, Geor. 2. 319.

323. *Cocyti stagna, &c.*] Quinque vulgò à Græcis apud inferos flumina statuuntur. *Acheron, Cocytus, Styx, Phlegethon,* seu *Pyriphlegethon,* et *Lethe.* Nomina illa desumpta sunt è variis Græciæ fontibus ac fluviis, quos propter noxiam aliquam naturæ vim, in inferis quoque reperiri finxerunt. I. *Acheron* multiplex: unus in Elide, occidentali et maritimâ Peloponnesi regione, in Alpheum influens, juxta quem insignis est Plutonis et Proserpinæ cultus, ex Strabone, l. 8. Alter in Thesprotiâ Epiri regione, ex Acherusiâ palude profluens, ad Cichyrum urbem, juxta Strabonem, l. 7. et Pausaniam in Atticis. *Cocytus,* juxta eundem Pausaniam, non longè ab Acheronte ibidem fluit, aquâ insuavissimâ. *Styx,* fons Arcadiæ est, ad urbem Nonacrin ex altissimâ rupe stillans, indeque penetrato saxo in Crathin fluvium delabens: tam præsentis veneni, ut vasa quælibet etiam aurea diffringat, nec possit nisi equi ungulâ contineri. Hæc Pausanias in Arcadicis. Cur autem Dii per eam jurare soliti sint, diximus, Geor. 3. 551. *Lethe,* sive, ut mavult Casaubonus, fluvius *Lethes,* genitivo casu; aut fluvius *Lethæus;* unus fuit in Portugaliâ, vulgò *Lima,* juxta Strabonem et Melam: alius in Africâ, circa majorem Syrtim urbemque Berenicen, juxta Lucanum: alius in Bœotiâ, ad Lebadeam oppidum, juxta Pausaniam in Bœoticis. *Lethæi* amnes alibi complures à Strabone numerantur, l. 14. *Phlegethon,* aut *Pyriphlegethon,* nulli quod sciam loco assignatus est, præterquàm calidis circa Avernum fontibus, ut refert Strabo ex Homero. II. Nomina hæc omnia luctuosum aliquid significant. Acheron ab *ἄχος, dolor,* et *ῥέω, fluo;* Cocytus à *κωκύω, fleo;* Styx à *στυγέω, odio prosequor;* Phlegethon aut Pyriphle-

Centum errant annos, volitantque hæc litora circum:
Tum demùm admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisâ satus, et vestigia pressit,
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mœstos, et mortis honore carentes,
Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos simul à Trojâ ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aquâ involvens navemque virosque.
  Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multâ mœstum cognovit in umbrâ,
Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, Deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic, age: namque mihi fallax haud antè repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo;
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios: en hæc promissa fides est!
  Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade; nec me Deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multâ vi fortè revulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans traxi mecum. Maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quàm tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres notus hybernas immensa per æquora noctes

*Vagantur* per *centum annos et volitant circa has ripas: tunc denique recepti transmittunt fluvios desideratos. Filius Anchisæ stetit, et continuit gressum, agitans plurima, et miserans animo* eorum *sortem acerbam. Videt illìc tristes, et privatos honore sepulturæ, Leucaspim, et Orontem ducem Lyciæ classis: quos è Troade navigantes per maria procellosa Auster demersit simul, sepeliens* in *aquis et navem et homines. Ecce Palinurus gubernator ferebat se* ad eum: is *qui nuper in navigatione, dum observat astra, ceciderat è puppe, lapsus in medias aquas. Postquam Æneas difficilè eum agnovit ob spissas tenebras, ita alloquitur prior: O Palinure, quis Deorum abstulit te nobis, et obruit sub medio mari? Dic, age: nam Apollo non priùs inventus mihi mendax, hoc solo responso decepit mentem* meam; *quando prædicebat te futurum esse salvum* per *mare, et perventurum ad litus Italicum: an illa est fides promissorum! Ille autem* respondit: *O dux, fili Anchisæ, nec oraculum Phœbi decepit te, nec Deus mersit me mari. Nam fortè cadens præceps, abstuli mecum gubernaculum multo pondere abruptum, cui commissus custos adhærebam, et* quo *moderabar cursum. Testor maria aspera,* me *nullum habuisse tantum metum pro me, quàm ne tua navis, destituta gubernaculo, et privata gubernatore, submergeretur,* si *tanti fluctus tumescerent. Auster validus sustentavit me tres noctes asperas* super

NOTÆ.

gethon, a πῦρ, *ignis*, et φλέγω, *comburo;* Lethe à λήθη, *oblivio*, quòd ejus epota aqua oblivionem induceret. III. De eorum in inferis situ pluribus disputat Cerdanus. Hoc certissimum; iis nominibus promiscuè poëtas abuti, nullo admodùm certo ordine: vulgò tamen dici, ex Acheronte profluere Stygem, à Styge Cocytum propagari. IV. Eridanus etiam in campis Elysiis à Virgilio constituitur. Causam vide, v. 659.

334. *Orontem.*] Ejus mortem habes, Æn. 1. 113. De *Austro*, vento meridionali, Ecl. 2. 58. De *Palinuri casu*, Æn. 5. 835.

338. *Libyco cursu.*] Non tamen mari *Libyco*, sed *Tyrrheno;* cùm è Siciliâ in Italiam solvisset. Ita tamen poëta locutus videtur, quia à Libyâ in Italiam Æneas navigans, in Siciliam deflexerat. De *Libyâ*, Æn. 1. 158. Expressum est hoc Palinuri cum Æneâ colloquium ex Homero Odyss. 11. ubi simile quiddam est inter Ulyssem et Elpenora.

346. *Ausonios.*] De iis Italiæ populis, Æn. 3. 171. De *Cortinâ Phœbi*, loco unde oracula redbantur, Æn. 3. 92.

348. *Nec me Deus æquore mersit.*] Aliqui sic interpungunt: *nec te Phœbi cortina fefellit, nec me; Deus æquore mersit:* nam à Somno reipsâ fuerat submersus. Alii communem retinent continuamque verborum sententiam: aiuntque, ex opinione Palinuri Phorbantem illum fuisse, non Deum cujus suasu somno se dederat. De *Noto* sive *Austro*, meridionali vento, Ecl. 3. 58.

353. *Excussa magistro.*] Commutatio; id est, *unde magister excussus erat.* Sic infrà, v. 507. *Nomen et arma locum servant;* id est, *locus servat arma.* Et Æn. 5. 149.

355. *Hybernas noctes.*] Ver tamen erat æstati proximum, ut liquet ex Æn. 5. 46. Igitur *hyems* hìc pro tempestate et maris asperitate sumenda est, ut Æn. 1. 116. *Notus*, sive *Auster*, flat à meridie, Æn. 2. 58.

Vexit me violentus aquâ: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summâ sublimis ab undâ.
Paulatim adnabam terræ, et jam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madidâ cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, prædamque ignara putâsset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te, per cœli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iüli;
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice, namque potes; portusque require Velinos:
Aut tu, si qua via est, si quam tibi Diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine Divûm
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem)
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
  Talia fatus erat, cœpit cùm talia vates:
Unde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum aspicies? ripamve injussus abibis?
Desine fata Deûm flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casûs.
Nam tua finitimi, longè latéque per urbes
Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt,

*fluctibus, per vastum mare: vix die quarto vidi Italiam erectus ex altis aquis. Paulatim adnatabam* ad *terram, et jam attigeram tuta* loca: *nisi natio inhumana appetiisset ferro, me gravatum ob vestem humidam, apprehendentem curvis manibus acuta cacumina rupis; et* nisi *malesana existimâsset* me esse *prædam. Nunc fluctus tenent meum cadaver, et venti jactant ad litus. Id* verò *precor te, per gratam lucem cœli et aërem, per patrem, per spem Ascanii crescentis: libera me his malis,* ô dux *invicte: vel tu impone mihi terram, quandoquidem potes; et pete portum Velinum: vel tu præbe manum* mihi *misero, et trahe me tecum trans fluvium, ut saltem post mortem quiescam in tranquillis sedibus: si est aliquis modus, si Dea mater* tua *tibi monstravit aliquem; non enim, ut existimo, suscipis trajicere tantos fluvios et paludem Stygiam absque auctoritate Deorum. Talia locutus erat, cùm Sibylla incepit talia: O Palinure, unde* est *tibi desiderium tam impium? Tu insepultus videbis aquas Stygias, et fluvium terribilem Furiarum? aut exibis in ripam* alteram *sine jussu* Deorum? *Cessa sperare fata Deorum posse mutari orando. Sed accipe memor* mea *verba,* ad *solatium acerbæ calamitatis. Nam vicini* Lucaniæ *populi, coacti monitis cœlestibus, placabunt ossa* tua *longè et latè per urbes,*

## NOTÆ.

356. *Lumine quarto.*] *Die quarto.* Ita Cicero, pro Rabirio Posthumo, 29. vertit ex Euripidis Medeâ versum his verbis; *Si te secundo lumine hìc offendero, moriere.*

358. *Terræ, et jam tuta tenebam.*] Quod satis erat ut impleta videretur fides oraculorum, quæ ambigua solebant esse. Non tamen legitur in Æneide, quonam oraculo promissus Æneæ fuerit Palinuri appulsus in Italiam.

359. *Gens crudelis.*] *Lucaniæ, Italiæ* populi; ad meridiem, vicini Brutiis, ad septentrionem Apulis et Picentinis: ad occidentem Tyrrheno mari, ad orientem sinu Tarentino definiti: nunc *Basilicata,* et pars principatûs ulterioris, in regno Neapolitano.

361. *Prædam.*] Naufragum, divitem, in quo spoliando multùm lucri facere possent. De *Iülo,* Æn. 1. 267.

365. *His malis.*] Cùm enim centum annos errabant inhumati: nec tam citò admittebantur in Elysium, nec nisi tardiùs in alia corpora revertebantur, v. 720. 724.

366. *Terram injice.*] Genus erat sepulturæ, *injectio glebæ,* cùm quis in cadaver incidisset; idque insepultum relinquere nefas habebatur, quod porcæ sacrificio erat expiandum. Idem injiciendi pulveris mos etiam Græcis fuit.

*Portus Velinos.*] Non longè ab urbe *Veliâ,* in litore Lucaniæ, inter promontoria Posidium ac Palinurum. Quî tamen Palinurus commemorare portum potuit Velinum? cùm Velia non nisi anno post Æneam ampliùs sexcentesimo, regnante rege Romanorum Servio Tullio, condita sit. Reprehenditur eo nomine Virgilius ab Hygino apud Gellium. Sed præterquàm quòd poëtis omnibus familiaris est, et communi usu quasi licita temporis anticipatio, præsertim in re obscuriore, ut notavimus, Æn. 3. 707. non leviter eum defendit Alciatus, cùm ait, non urbem hìc appellari, sed litus ac fluvium, à quo nomen urbi inditum esse Stephanus testatur. Ea nunc excisa est: prope *Castel a mar della brucca.*

374. *Amnemque severum Eumenidum.*] Severum quidem omnibus, sed præcipuè tibi, si contra fas ante centum annos eum trajicere volueris: aderunt enim tibi tum ultrices Furiæ. Eumenides, de quibus, Æn. 4. 469. Geor. 3. 552. De *Styge,* suprà, v. 223.

379. *Prodigiis acti, &c.*] Hoc Servius ait petitum ex historiâ; et Lucanos ob inhumanam

Et statuent tumulum, et tumulo solemnia mittent:
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terrâ.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygiâ prospexit ab undâ
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ·
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultrò:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; jam istinc et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporæ:
Corpora viva nefas Stygiâ vectare carinâ.
Nec verò Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu; nec Thesea, Pirithoümque:
Diis quanquam geniti, atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius à solio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contrà breviter fata est Amphrysia vates:
Nullæ hìc insidiæ tales, absiste moveri;
Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Æternùm latrans exsangues terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen.

*et erigent* tibi *sepulchrum, et ferent munera sepulchro: et locus servabit perpetuum nomen Palinuri. Curæ* ejus *sedatæ* sunt *his verbis, et dolor tantisper ejectus est è mæsto corde: lætatur* ob *terram sui nominis. Igitur perficiunt iter inchoatum, et accedunt ad flumen. Quos quando vector jam inde ab amne Stygio vidit ambulare per sylvam silentem, et admovere pedem* ad *litus; sic primus adoritur* eos *verbis, et ultrò increpat: Quicunque es, qui accedis armatus ad fluvios nostros, age, dic cur venias; et jam ex isto loco siste gradum. Hæc sedes est umbrarum, Somni et Noctis somniferæ; non licet vehere cymbâ Stygiâ corpora viventia. Nec verò gavisus sum me transmisisse* per *hanc paludem Herculem* huc *venientem; nec Theseum, et Pirithoüm: quamvis orti essent Diis, et insuperabiles robore. Ille manu deduxit in catenas infernum canem è solio ipsius Plutonis, et traxit eum trepidantem: Hi aggressi sunt extrahere reginam è lecto Plutonis. Adversùs hæc ita locuta est breviter Sibylla Apollinea: Nullæ hìc* sunt *insidiæ tales, desine turbari, nec arma* ista *minantur vim:* per nos *licet,* ut *magnus custos in antro semper latrans terreat umbras incorporeas; licet, ut Proserpina pudica teneat januam patrui* sui.

## NOTÆ.

Palinuri cædem pestilentiâ vexatos, consulto oraculo accepisse placandos esse ejus manes; quare et lucum ipsi dicaverunt, et tumulum ad meridiem Veliæ, erexerunt in promontorio, cui ab eo tempore Palinuri nomen fuit.

392. *Alciden.*] De eo Herculis nomine, *Æn.* 5. 414. De *Theseo* et *Pirithoo,* infrà, v. 618. *Diis geniti.*] Hercules Jove: Theseus, Ægeo quidem: sed juxta fabulas, Neptuno; Pirithous Ixione, ut vulgò putatur; sed ut est apud Homerum, Iliad. 14. 318. Jove, et Diâ ipsius Ixionis uxore; cui, ut addunt alii Jupiter in equum transformatus circumcurrendo vim intulit, unde nomen inditum Pirithoo, à περὶ, *circùm,* et θοὸς, *celer.*

395. *Custodem, &c.*] *Cerberum* canem: qui quidem non ad *solium* Plutonis, sed in ipso aditu inferorum est. Quare vel putandus est canis ad ipsum usque domini solium, Herculis metu refugisse, indeque abstractus fuisse: vel solium, pro toto regno ac ditione Plutonis accipiendum est. De *Cerbero,* v. 417. De *hoc Herculis facto,* Æn. 8. 296.

397. *Dominam Ditis thalamo.*] *Dominæ* vocantur ab amatoribus amicæ: Horat. Od. l. 2. 12. 13. *Me dulcis dominæ Musa Licymniæ cantus, &c.* Etiam à maritis uxores: Sueton. in Claudio 39. *Occisâ Messalinâ, paulò post quàm in triclinium decubuit, cur domina non veniret, requisivit.* Et singulariter Proserpina *domina* dicitur, ut sæpe occurrit apud Pausaniam in Arcadicis: Καὶ τῇ δεσποίνῃ θύουσιν ἱερεῖα οἱ Ἀρκάδες· *Et dominæ mactant victimas Arcades.* Cùm autem *Dis* propriè dicatur de Plutone, ut diximus Geor. 4. 467. ideò meliùs hìc legendum putem, *Ditis thalamo,* quàm *Dominam Ditis.* De *thalamo,* suprà, v. 280. De hoc *Thesei et Pirithoi facto,* infrà, v. 618.

398. *Amphrysia vates.*] *Apollinea:* quia Apollo ipse vocatur *Pastor ab Amphryso,* fluvio Thessaliæ, ubi Apollo greges pavit; vide Geor. 3. 2.

402. *Servet Proserpina limen.*] Non persuadet Cerdanus; honestas olim fœminas ad januas domorum, more meretricio, sedisse, licèt multa in eam rem congerat. Imò mihi persuasissimum est, tam apud Græcos, quàm apud Romanos arctam fuisse mulierum custodiam; easque domum interiorem tenuisse, non januam. Igitur hìc *servare limen,* explico *januam clausam tenere:* quod tutò facere Proserpina poterit: cùm Æneas eâ mente non venerit, ut aditum sibi ad eam perrumpat. Quanquam et hæc potest esse verborum sententia: *Adeò non irrumpet Æneas in*

Troïus Æneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem, imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum qui veste latebat)
Agnoscas. Tumidâ ex irâ tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo pòst tempore visum,
Cœruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros: simul accipit alveo
Ingentem Æneam. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo glaucâque exponit in ulvâ.
Cerberus hæc ingens latratu regnâ trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Objicit: ille fame rabidâ tria guttura pandens,
Corripit objectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum, custode sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.
Continuò auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo:

*Æneas Trojanus, illustris pietate et fortitudine, descendit ad patrem* suum *in profundas umbras. Si te nulla species tantæ pietatis commovet, saltem agnosce hunc ramum; et ostendit ramum qui tegebatur veste. Tunc corda* Charontis *quieverunt ab irâ tumidâ. Nec plura his* dicta sunt. *Ille admirans munus venerabile fatalis rami,* quod *videbat post longum tempus, appellit nigram navem, et accedit ad ripam. Deinde ejicit alias animas, quæ sedebant in scamnis longis, et evacuat tabulata: simul admittit in cymbam magnum Æneam. Cymba compactilis gemuit sub onere, et bibit per rimas multum aquæ. Denique transmittit ultra fluvium salvos Æneam et Sibyllam in fœdo limo et viridi herbâ. Magnus Cerberus sonat per hanc regionem latratu è tribus gutturibus e*rumpente, *decumbens vastus in speluncâ opposita. Sibylla animadvertens colla* Cerberi *jam rigescere serpentibus, projicit huic placentam conditam melle et frugibus præparatis. Ille aperiens tria guttura,* præ *fame furiosa, devorat* hanc *projectam, et prostratus humi deficit vastis membris, et quantus* est *porrigitur* per *totam speluncam. Custode sopito, Æneas occupat introitum, et pervadit promptus ripam fluvii, unde non reditur. Statim voces auditæ* sunt, *et magnus vagitus, et animæ infantum plorantes sub primis portis,*

## NOTÆ.

***Proserpinæ thalamum: ut etiam in ipso domûs limine stare illa casta quidem et secura possit.***

*Proserpina.*] Cereris filia ex Jove: unde Pluto frater Jovis, ipsius et maritus et *patruus* est. *Erebus:* vel Deus, vel locus inferorum profundissimus, Æn. 4. 509. *Juga,* scamna nautica, ibid. 5. 119. *Fori,* tabulata navis, ibid. 4. 605. Geor. 4. 250.

412. *Alveo.*] Non fluvii, sed cymbæ. Ita Livius, l. 1. de Remo et Romulo cymbæ impositis: *Cùm fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset.*

414. *Cymba Sutilis.*] Constat cymbas apud plerasque nationes è corio pellibusque consutis fieri. Neque tamen inde existimo infernam illam ejus generis fuisse: sed tantùm ex eo more verbum *suere* traductum esse ad fabricam compagemque lignearum etiam navium, qualis hæc fuit: sicut et verbum *texere;* quia è juncis passim aliquæ contextæ fuerunt.

416. *Ulvâ.*] Herba palustris, absque certo nomine.

417. *Cerberus.*] Canis infernæ januæ custos, dictus *Cerberus,* quasi *κρεαβόρος, carnivorus.* Describitur ab Apollodoro cum tribus capitibus, draconis caudâ, tergore variis serpentum capitibus sparso. Idcirco *latratu trifauci* ululat: et dicuntur ejus *colla horrere colubris.* Hesiodus tamen in Theogon. quinquaginta ipsi capita tribuit.

420. *Melle soporatam, &c.*] *Offa,* placentæ species fuit, ex edulibus rebus diversis mistis subactisque confectæ: *μάζα* Græcis dicta est, unde Latinis massa; eratque primò ex farinâ, aquâ et oleo; mox majori luxu condita etiam fuit, papavere, lacte, ficis, melle, quod sacchari loco veteribus erat. *Fruges,* itaque erant farra sive farina, et papaveris semina, quorum usum in bellariis jam notavimus, Æn. 4. 486. *Medicatæ* erant, id est, temperatæ et simul maceratæ. *Soporatam* dixit, id est, vi soporiferâ præditam: quæ quamvis non inerat melli, inerat tamen papaveri et aliis frugibus. Quare frustrà legit Turnebus *saporatam:* quæ vox est sequioris ætatis scriptorum, Ammiani, Tertulliani; cùm *soporatum* eo sensu jam dixerit Virgilius, Æn. 5. 855. *vique soporatum Stygiâ.* Mellita autem solita dari canibus et feris, notat Cerdanus ex Apollonio et Philostrato.

Quos dulcis vitæ exsortes, et ab ubere raptos
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Hos juxta, falso damnati crimine mortis.
Nec verò hæ sine sorte datæ, sine judice sedes.
Quæsitor Minos urnam movet: ille silentûm
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. Quàm vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fata obstant, tristique palus inamabilis undâ
Alligat, et novies Styx interfusa coërcet.
  Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hìc quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circùm
Sylva tegit: curæ non ipsâ in morte relinquunt.
His Phædram Procrinque locis, mœstamque Eryphylen

*quos dies funesta eripuit, privatos jucundâ vitâ et abstractos ab ubere, et demisit morti immaturæ. Juxta hos* sunt, qui *addicti* sunt *morti* ob *injustam calumniam. Nec verò assignantur illæ sedes absque sorte, absque judice. Minos inquisitor agitat urnam: ipse cogit cœtum umbrarum, et discutit vitam ac scelera. Deinde tristes occupant vicina loca, qui innocentes intulerunt sibi mortem* propriâ *manu, et pertæsi luminis prodegerunt animas. Quàm vellent nunc in superis auris tolerare et paupertatem et labores difficiles! Fata* id *prohibent, et palus odiosa implicat tristibus aquis, et Styx novies circumflua detinet. Nec longè hinc ostenduntur patentes in omnem partem campi lugentes: ita appellant illos nomine. Hìc occultæ semitæ abscondunt* eos *quos durus amor absumpsit crudeli veneno, et sylva myrtea undique tegit* eos, *nec solicitudines deserunt post ipsam mortem. His locis videt Phædram, et Procrin, et tristem Eriphylen*

## NOTÆ.

431. *Hæ sine sorte datæ.*] De sortibus in judiciis diversus mos fuit Græcorum ac Romanorum. Apud Romanos in urnam conjiciebantur, vel nomina judicum, ut sorte eligerentur ad singulas causas: vel, juxta alios, ipsa causarum nomina, ut, quo quæque ordine disceptanda esset, sorte statueretur. Apud Græcos urnæ statuebantur duæ in quas singuli judices calculum sortemque, vel damnantem, vel absolventem, conjiciebant. Dubitatur quo more judicia peragi apud inferos Virgilius velit. Enimverò unus videtur Minos hic esse judex, ut mox dicemus; ergo minimè opus erat judices sorte ducere. At neque varii erant calculi, cùm unus esset judex, ideóque duplex minimè calculus; et *urna* hìc notatur unica, eaque *moveri* dicitur, quod in colligendis calculis non usurpatur, sed in miscendis. Igitur omnino urnam et sortes hìc adhiberi puto ad causarum ordinem statuendum: quod Budæus in more Romano fuisse contendit, quicquid contrà Nonnius aliique afferant recentiores.

*Sine judice.*] Judices inferorum tres præcipui statuuntur, *Minos, Rhadamanthus, Æacus.* De *Minoë* jam diximus, v. 14. *Rhadamanthus,* hujus frater fuit, ambo Jovis et Europæ filii: ut Minos quidem Cretensibus leges primus dedisse dicitur, Rhadamanthus earum observationem curâsse: ita enim Plutarchus in Theseo. *Æacus* Jovis item filius fuit ex Æginâ, Pelei pater, et Achillis avus, de quo Æn. 1. 99. Hi tres ob justitiæ severitatem in inferis judicandi munere donati sunt à poëtis. At præcipua dignitas penès Minoa, cui soli sceptrum aureum ab Homero datur, Odyss. 11. 567. Virgilius mentionem de Æaco nullam facit, Rhadamanthi sedem in impiorum carcere collocat, pœnarum speciem ac modum unicuique decernentis, v. 566. Hìc solùm statuit Minoa, has aliasve sedes pro merito singulis assignantem. Quod autem discutiunt nonnulli, an quæstoris, an prætoris Romani munus hic gerat: omnino arbitror inutile.

436. *Quàm vellent, &c.*] Ex sententiâ Platonis: qui ait eos in inferis graviter puniri, qui sibi mortem intulerunt; et vulgò animas mirâ teneri cupiditate corporis: ut infrà videbitur, 721. 724. De *Styge*, suprà, v. 323.

443. *Myrtea Sylva.*] Quia myrtus sacra est Veneri, Ecl. 2. 54. Ecl. 7. 62. *Novies* interfusa Styx dicitur, id est, sæpiùs.

445. *Phædram.*] Minois filiam, Thesei uxorem, quæ privigni Hippolyti amore capta, et ab eo repulsa, cùm eum apud maritum de oblato sibi stupro accusâsset, eique mortem à patre ideò illatam audivisset, laqueo vitam finivit. Seneca in Hippolyto.

*Procrin.*] Erechthei Atheniensium regis filiam, uxorem Cephali. Hic ad explorandam ejus fidem, cùm dissimulato habitu pudicitiam ejus solicitâsset muneribus, ac propè expugnâsset: exprobratâ ei perfidiâ, rediit tamen cum eâ in gratiam. Sed illa cùm audisset Cephalum venatu fessum auram in umbrâ interdum invocare; suspicata amicæ alicujus hoc esse nomen, ut eum deprehenderet, latuit inter frutices: quibus com-

Crudelis nati monstrantem vulnera cernit,
Evadnenque, et Pasiphaën. His Laodamia
It comes; et juvenis quondam, nunc fœmina, Cæneus,
Rursùs et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœnissa recens à vulnere Dido
Errabat sylvâ in magnâ: quam Troïus heros
Ut primùm juxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram; qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam;
Demisit lacrymas, dulcique affatus amore est:
  Infelix Dido! verus mihi nuntius ergo
Venerat, extinctam ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi causa fui! per sidera juro,
Per superos, et si qua fides tellure sub imâ est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa Deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egêre suis: nec credere quivi,
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato quod te alloquor, hoc est.
  Talibus Æneas ardentem et torva tuentem

*ostendentem plagas* acceptas *à crudeli filio, et Evadnen, et Pasiphaën. Laodamia socia est illarum; et Cæneus olim juvenis, modò iterum fœmina, et reversa in antiquam formam* per *fatum. Inter quas Phœnicia Dido recens post vulnus* sibi inflictum *vagabatur in magno nemore. Ut primùm Trojanus heros stetit propè, et agnovit* eam *inter tenebras obscuras: qualem aliquis videt aut putat vidisse Lunam oriri inter nubes ineunte mense; effudit lachrymas,* et præ *suavi amore locutus est: Misera Dido! ergo verus nuncius ad me venerat, te mortuam, et gladio passam ultima* fata. *Heu! tibi auctor fui mortis. Juro per astra, per Deos, et si aliqua est fides sub terrâ profundâ, exivi nolens è tuo litore, ô regina. Sed mandata Deorum, quæ cogunt* me *nunc ire* per *has umbras, per loca horrida squalore et tenebras profundas, expulerunt me auctoritate suâ. Nec potui credere me tibi allaturum* esse *tantum dolorem abitu meo. Contine gressum, et ne subducas te conspectui meo. Quem fugis? hoc est ultimum* tempus, *quo tecum loquor* per *fatum. Æneas mulcebat verbis talibus animum iratæ et asperè intuentis,*

## NOTÆ.

motis, Cephalus feram ratus esse, jaculo eam incautus occidit. Ovid. Metam. v.

*Eriphylen.*] Amphiaraï, vatis Argivi, uxorem. Is cùm sciret se Thebano adversùs Eteoclem bello periturum, latere constituit. Sed ab Adrasto Argivorum rege, vel juxta alios à Polynice Adrasti genero, Eteoclis fratre, corrupta aurei monilis dono Eriphyle, maritum prodidit: qui ad bellum coactus proficisci, dum fortiter pugnat, terræ hiatu cum curru haustus est. Eriphyle ex mariti mandato ab Alcmæone filio est interfecta. Ita plerique narrant, alii aliter. Cùm autem inter amantes à Virgilio statuatur, necesse est eam non solo monilis dono, sed stupro fuisse corruptam.

447. *Evadnen.*] Martis filiam, uxorem Capanei Argivi: quæ, cùm eodem bello occisus fuisset maritus, et funus ejus celebraretur, in ejus rogum insiliit. De *Pasiphaës* amoribus, suprà, v. 24. Ecl. 6. 46.

*Laodamia.*] Acasti filia, uxor Protesilaï, unius è Græcis principibus, qui primus Græcorum omnium bello Trojano periit, occisus ab Hectore. Hujus mortem cùm accepisset uxor, à Diis petiit, ut ejus umbram sibi liceret intueri: idque cùm impetrâsset, in amplexibus animam afflavit.

448. *Cæneus.*] *Cænis,* Elati Lapithæ filia, à Neptuno in stupri mercedem obtinuit, ut mutaretur in virum et ferro vulnerari non posset. Inde tantam in superbiam, ac Deorum contemptum processit, ut hastam suam adorari à subditis vellet: ideò iratus Jupiter pugnantem eum adversùs Centauros, arborum stipitumque acervo opprimi voluit. Dicitur fato et voluntate Deorum ad pristinum sexum post mortem rediisse; ut sic in pœnam impietatis utroque Neptuni dono spoliaretur. De *Phœnissâ,* Sidoniâ, Tyriâ, Æn. 1. 446. De *Didonis* vulnere, ibid. 4. 663.

462. *Loca senta situ.*] *Sentis* est spina: sic dictus, quia quamprimùm à tangentibus sentitur: hinc *senticosus,* et *sentus,* asper, horridus. Terentius in Eunuch. act. 2. sc. 2. v. 5. *Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.* *Situs* est caries, mucor, squalor, ex humore parietibus adhærescens. *Aspectu* pro *aspectui,* dativus contractus, Ecl. 5. 29.

466. *Extremum fato, &c.*] Neque enim ampliùs me vivum mortuumque videre poteris: non vivum, quia pauculæ tantùm horæ mihi ad hæc invisenda loca Deorum voluntate ac fato concessæ sunt: non mortuum, quia sors mea fatumque bellatoris aliis inferorum sedibus me addicet.

467. *Torva tuentem—solo fixos oculos—aver-*

Lenibat dictis animum, lacrymasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem proripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi pristinus illi
Respondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minùs Æneas casu percussus iniquo,
Prosequitur lacrymans longè, et miseratus euntem est.
Inde datum molitur iter: jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hìc illi occurrit Tydeus, hìc inclytus armis
Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago.
Hìc multùm fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens,
Ingemuit: Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tres Antenoridas: Cererique sacrum Polybœten,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextrâ lævâque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere causas.

et conabatur ei *movere lachrymas. Illa infensa tenebat oculos defixos* in *terram. Nec magis movetur* secundùm *faciem ab usque principio sermonis, quàm* si *stet lapis duras, aut rupes Marpesia. Denique abstulit se, et fugit inimica in sylvam umbrosam: ubi prior maritus Sichæus respondet illi solicitudine, et æquat amorem ejus. Nihilominùs Æneas commotus acerbâ* ejus *morte, longè sequitur euntem plorans, et miseretur* ejus. *Inde persequitur iter concessum: et jam attigerant campos extremos, quos separatos incolunt* viri *insignes bello. Hìc occurrit illi Tydeus, hìc Parthenopæus illustris armis, et umbra Adrasti pallidi. Hìc Trojani valdè deplorati inter vivos, et occisi* in *prœliis. Quos omnes ille videns longâ serie suspiravit: et Glaucum, et Medonta, et Thersilochum, tres filios Antenoris, et Polybœten sacerdotem Cereris, et Idæum adhuc currus, adhuc arma tractantem. Animæ plurimæ circumsistunt* ad *dextram et sinistram: nec sufficit vidisse semel* Æneam: *delectat* ipsas *remanere diu, et admovere pedem* propiùs, *et petere causas cur venerit.*

NOTÆ.

*sa.*] Distingue tempora: primo enim torvè aspexit, mox solo fixit oculos, tum denique avertit. Vel *aversa*, non ad oculos, sed ad animum infensum refertur, ut Æn. 4. 362.

471. *Marpesia cautes.*] Mons marmoreus in insulâ Paro, unâ è Cycladibus, de quâ Æn. 3. 126. juxta Stephanum. Aut juxta Jornandem, Caucasi montis pars, ab Amazonum reginâ Marpesiâ, quæ illìc aliquando habitavit. De *Sichæo*, Æn. 1. 343.

479. *Tydeus, &c.*] Duces occurrunt belli Thebani, pro Polynice adversùs Eteoclem fratrem, *Tydeus* Œnei Ætolorum regis filius, Adrasti Argivorum regis filiam uxorem duxit, alteram Polynices. Pro Polynice legatus de repetendo regno ad Eteoclem Thebas missus, ab eo insidiis appetitus, viros quinquaginta solus superavit. Hinc reversus, et ad obsidionem urbis cum Adrasto et Polynice regressus, à Menalippo Thebano vulneratus occubuit. Diomedis pater fuit, qui inde *Tydides* appellatur, Æn. 1. 97.

480. *Parthenopæus, et Adrasti, &c.*] *Parthenopæus*, Atalantæ et Meleagri filius, Arcadibus imperavit: reversus ex Thebano bello incolumis, ad Trojam deinde occubuisse dicitur. *Adrastus* rex Argivorum, socer Tydei et Polynicis: qui, magno amisso exercitu, obsidionem Thebarum omittere coactus est, et in patriam fugienti similis redire, unde *pallens* hìc dicitur.

481. *Caduci Dardanidæ.*] De *Dardanidis*, Trojanis, Æn. 1. 235. *Caduci*, mortui, cadentes: unde *cadavera*, et *caducum fulmen* apud Horat. l. 3. 4. 44.

483. *Glaucumque, &c.*] Versus ex Homero expressus, qui tres illos duces enumerat inter Trojanorum auxiliatores, Iliad. 17. 216. Γλαῦκόν τε, Μέδοντά τε, Θερσίλοχόν τε. Unde arguas Nascimbænum: qui suspicatur *Mydona* legendum esse, quia Medontis nullam inter Trojanos fieri mentionem meminit. *Glaucus*, Hippolochi filius, Bellerophontis nepos, Lyciorum dux cum Sarpedone. Is in auxilium Trojanis venit, et cum Diomede congressus, initâ amicitiâ cum eo, arma aurea æreis commutavit, Iliad. 6. 119. Hic quando obierit, non liquet. *Thersilochus*, inter duces Pæonum, ex Macedoniâ Thraciæ confini, occisus est ab Achille, Iliad. 21. 209. *Tres Antenoridas*, Antenoris filios, Iliad. 11. 59. Τρεῖς τ' Ἀντηνορίδας, ibidemque appellantur, Polybus, Agenor, Acamas, qui ad pugnam Hectoris et Æneæ socii descenderunt. *Polybœtes* apud Homerum inter Trojanos non reperitur: sed inter Græcos, *Polypœtes*, Pirithoi filius. De *Cerere*, Ecl. 5. 79. *Idæus* auriga fuit et armiger Priami regis, de quo Iliad. 24. 470.

At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut vidêre virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hìc Priamiden laniatum corpore toto
Deïphobum vidit, lacerum crudeliter ora;
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeò agnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis compellat vocibus ultrò:
Deïphobe armipotens, genus alto à sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optavit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama supremâ
Nocte tulit, fessum vastâ te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Constitui, et magnâ Manes ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi
Conspicere, et patriâ decedens ponere terrâ.
Atque hic Priamides: Nihil ô tibi, amice, relictum est:
Omnia Deïphobo solvisti, et funeris umbris:
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ

*Sed duces Græcorum, et turmæ Agamemnonis, quando viderunt Æneam et arma splendentia inter tenebras; cœperunt tremere magno timore: pars obvertere dorsum, quemadmodum olim cucurrerunt* ad *naves: pars emittere parvam vocem, clamor inceptus fallit hiantes. Atque hìc vidit Deïphobum, filium Priami, discerptum omnibus membris, immaniter laceratum circa os:* circa *os, et utramque manum, et tempora spoliata sectis auribus, et nasum truncatum indecoro vulnere. Itaque difficilè agnovit trementem, et occultantem turpes plagas; et prior alloquitur* eum *voce cognitâ: O Deïphobe bellicose, soboles è nobili sanguine Teucri: quis ausus est exigere* de te, *tam dirum supplicium? cui tantum licuit contra te? Rumor pertulit mihi, te ultimâ nocte* Trojæ *lassum multâ strage Græcorum obiisse super cumulum confusorum cadaverum. Tunc ego ipse erexi* tibi *in litore Rhœteo sepulchrum vacuum, et appellavi ter magno clamore animam tuam: locus servat nomen et arma* tua. *Non potui, ô amice, te videre, et abiens tumulare* in *patriâ tellure. Tum verò filius Priami* dixit: *Nihil prætermissum est à te, ô amice: omnia exhibuisti* officia *Deïphobo, et umbræ cadaveris. Sed sors mea et perniciosum crimen* Helenæ *Lacedæmoniæ*

## NOTÆ.

489. *Agamemnoniæque phalanges.*] *Phalanx,* agmen propriè Macedonum fuit, constans octo peditum millibus, qui consertis clypeis pressisque ordinibus pugnabant. Hìc pro quolibet agmine ac multitudine sumitur. De *Danais,* Æn. 1. 30. De *Agamemnone,* Græcorum ad Trojam duce, Æn. 3. 54.

492. *Ceu quondam petiere rates.*] Achille, propter ereptam sibi ab Agamemnone Briseïda, è Græcorum exercitu absente: Trojani Græcos immissis ignibus ad naves usque fugaverunt, Hectore duce, Iliad. 15. 326.

495. *Deïphobum.*] Priami filium, post mortem Paridis Helenæ maritum, Æn. 2. 310. De *Helenâ,* aliqua diximus, Æn. 1. 650. cætera infrà, v. 511. De *prodito ab eâ Deïphobo,* Æn. 2. 567. Et sic eum à Menelao necatum esse testatur Dictys Cretensis.

500. *Teucri, &c.*] De eo, Æn. 1. 235. *Pelasgi,* Græci, Æn. 1. 624. *Rhœteum* et *Sigeum,* Troadis promontoria fuere duo, in Hellespontum excurrentia: in Rhœteo sepulchrum Ajacis, in Sigeo sepulchrum Achillis fuit. At quia loca illa tum à Græcis tenebantur, cùm inde fugit Æneas; existimo *Rhœteum* hìc sumi pro toto Troadis litore, cujus in parte meridionali clam Æneas classem ædificavit, apud Antandrum, Æn. 3. 6.

505. *Tumulum inanem, &c.*] *Honorarium,* qualis statuebatur iis, quorum corpora haberi non poterant: idque sufficiebat ut humati dicerentur, et essent à centum annorum errore liberi. De *inclamatione* ad sepulchrum, diximus in funere Polydori, Æn. 3. 62.

507. *Nomen et arma, &c.*] Commutatio: pro, *locus servat nomen et arma.* Porrò *arma* vel *sculpta* intelligit in tumulo, vel *vera,* olim fortè dono Æneæ data à Deïphobo servataque, ut Æn. 1. 650. palam Helenæ, et sceptrum Iliones. *Nomen* autem Deïphobo illi loco inditum fuisse non jam liquet ex ullis scriptoribus.

*Te amice.*] *Te,* omissâ elisione corripitur more Græcorum, sequente vocali.

510. *Funeris umbris.*] *Funus,* non pro sacris ac ceremoniâ funebri, sed pro ipso cadavere hìc sumitur: ut Æn. 9. 491. *Quæ nunc artus, avulsaque membra, Et funus lacerum tellus habet.*

511. *Lacænæ.*] Helenæ Lacedæmoniæ. De *Lacænæ* appellatione, Æn. 2. 601. De *ejus ortu,* Æn. 1. 650. Hæc, Ledâ *Spartani* regis Tyndarei uxore, et Jove genita: à Theseo primùm rapta est: per Castorem ac Pollucem fratres suos ex ejus potestate liberata, Menelao deinde nupsit Mycenarum regis filio; qui mortuo Tyndareo, Castore, ac Polluce, in regnum Spartanum suc-

His mersêre malis: illa hæc monimenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nôsti: et nimiùm meminisse necesse est:
Cùm fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo.
Illa chorum simulans, Evantes orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summâ Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.
Egregia intereà conjux arma omnia tectis
Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem.
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit:
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo, comes additur unà
Hortatur scelerum Æolides. Dii talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.
  Sed te qui vivum casus, age, fare vicissim,
Attulerint: pelagine venis erroribus actus?
An monitu Divûm? an quæ te fortuna fatigat,

*obruerunt me his pœnis: illa reliquit* mihi *hæc insignia. Scis enim quomodo traduxerimus ultimam noctem in falsâ lætitiâ; et oportet* nos *nimis recordari; quando equus fatalis venit ascensu super alta Pergama, et gravidus induxit in utero milites armatos. Illa fingens choreas, ducebat circa sacra Bacchi* fœminas *Phrygias furiosas: ipsa in medio attollebat magnam tædam, et ex altâ arce invitabat Græcos. Tunc funestus lectus tenebat me fatigatum curis et obrutum somno: et jucunda ac profunda quies, similisque morti tranquillæ, oppressit me decumbentem. Interim digna uxor aufert arma omnia domo, et subtraxerat capiti* meo *gladium fidelem. Vocat Menelaum intra domum, et aperit januam. Nempe existimans hoc magnum fore donum amanti* marito, *et sic infamiam veteris malitiæ posse deleri. Quid detineo* te? *irruunt in cubiculum: additur simul* iis *comes Ulysses incitator criminum. Dii reddite talia Græcis, si imprecor* iis *supplicia justo ore. At age, dic vicissim, quinam casus te adduxerint* huc *viventem: an venis pulsus erroribus maris, an jussu Deorum, an aliqua* alia *sors te adigit,*

## NOTÆ.

cessit; inde rapta à Paride, et Trojam deducta, decennii bello repetita est. Occiso sub obsidionis finem Paride, nupsit Deïphobo, Paridis fratri. Quid deinde ipsi captâ Trojâ contigerit, ambiguum est. Vulgò dicitur in gratiam cum Menelao rediisse et cum eo variis acta erroribus appulsa in Ægyptum; unde iterum navigans, incolumis cum marito Spartam rediit, ubi posteà sepulti sunt in Menelai delubro, Therapnis, quæ urbs est Laconiæ. Longè alia sors illius à Pausaniâ in Laconicis refertur ex Rhodiorum monumentis. Ait enim Helenam, mortuo Menelao, Spartâ pulsam, ad Polyxo Argivam, necessariam suam, Tlepolemi Rhodii regis uxorem, Rhodum confugisse: Polyxo memorem necis viri sui, qui ad Trojam occisus à Sarpedone fuerit, ancillas in eam furiarum habitu immisisse, quæ illam dum lavaret comprehensam laqueo suspenderint. Alii aliter.

515. *Saltu.*] Æn. 2. 237. *Scandit fatalis machina muros.* Quia cùm angustiores essent portæ, diruendi muri fuerant, ut equus in urbem induceretur. Ibid. 234. *Dividimus muros, &c.*] De *Pergamis*, Æn. 1. 466.

517. *Evantes orgia, &c.*] Menelaus Odyss. 4. 277. narrat Helenam ter equum circumlustrâsse, Græcorum singulos duces nomine appellantem: unde Virgilius finxit illos Baccharum choros. *Evantes*, Bacchæ dictæ sunt, Bacchi comites fœminæ. *Evan*, Εὐὰν, aut *Evius*, Εὔιος, ipse Bacchus: ab *evoë*, vel *evohe*, εὐοῖ, quæ Bacchantium in Bacchi honorem acclamatio est. Hujus vocis origo varia refertur. Hesychius ait *Evan*, Indis *hederam* esse, quâ Bacchus de Indis triumphans hastam implicuit. Alii dictum putant quasi εὖ οἷ, *benè illi*, aut εὖ υἱὲ, *benè fili:* quòd bello Giganteo primus Deorum Gigantem interfecerit in leonem versus, unde sic illi acclamârit Jupiter pater. De *Baccho*, Ecl. 5. 29. De *Bacchis* fœminis; et *orgiis*, Bacchi sacris, Æn. 4. 301. De *Phrygiâ*, Æn. 1. 381. De *Danais*, Æn. 1. 30. De *thalamo*, suprà, v. 280.

529. *Æolides.*] Nomen Ulyssi probrosum; quo, non legitimus Laërtæ filius dicitur; sed Anticleæ, Laërtæ uxoris, ex Sisypho Æoli filio, Æn. 3. 272. De *Graiis*, Græcis, Geor. 2. 16. *Instaurate*, reponite, renovate, rursùs facite, eorum in pœnam.

535. *Roseis Aurora quadrigis Jam, &c.*] De *Aurorâ*, ejusque *quadrigis* aut *bigis*, Geor. 1. 249. Hìc dissentire cogor à reliquis propemodùm interpretibus et cum Donato sentire, *medium diem* hìc significari, non *mediam noctem.* Quicquid enim dicant Gellius aliique, de variis dierum initiis ac dimensionibus apud varias gentes: nullum dubium esse potest, ubi Virgilius dies suos ortu Solis occasuque definit. Tenendum autem id quod à Cerdano affertur, ex libro Plutarchi de genio Socratis: tempus datum et concessum ad ejusmodi inferorum perlustrationem, fuisse *noc-*

Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?
  Hâc vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium æthereo cursu trajecerat axem,
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Ænea, nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit:
Hâc iter Elysium nobis: et læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.
Deïphobus contrà: Ne sævi, magna sacerdos:
Discedam: explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum: melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
  Respicit Æneas subitò; et sub rupe sinistrâ
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ:
Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneque sedens, pallâ succincta cruentâ,
Vestibulum insomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit:
Quæ scelerum facies, ô virgo, effare, quibusve
Urgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?

*ut venias* in *sedes mœstas absque luce, et* ad *loca tumultuosa?* In *hâc vicissitudine colloquii Aurora rubicundis equis in aëreo decursu jam transierat medium cœlum: et fortè traducerent in talibus omne tempus concessum. Sed comes Sibylla admonuit et breviter locuta est: Ænea, nox approperat, nos traducimus horas lugendo. Hic est locus, ubi via secat se in duas partes. Dextra* est, *quæ extenditur usque ad palatium magni Plutonis: per hanc iter est nobis ad Elysium: at sinistra continet supplicia impiorum, et ducit ad Tartara scelerata. Contrà Deïphobus ait: Ne irascare, ô magna vates: abibo: concludam sermonem et redibo in tenebras. I, nostra gloria, i; sequere fata feliciora.* Hoc *solum locutus* est, *et in* ipso *sermone deflexit gressum. Æneas respexit statim; et sub rupe sinistrâ cernit spatiosam urbem, cinctam tribus muris: quam Tartareus Phlegethon, rapidus fluvius, circuit ignibus torrentibus, et volvit saxa sonantia. Porta opposita magna* est, *et columna ex adamante durissimo;* ita *ut nullum robur hominum, non ipsi superi possint evertere* eam *ferro. Turris ferrea surgit in altum: et Tisiphone sedens, cincta pallio sanguinolento, custodit limen vigil et noctu et diu. Hinc* cœperunt *audiri gemitus, et resonare crudeles ictus: prætereà stridor ferri et tractorum vinculorum. Æneas stetit, et stupefactus attendit ad strepitum. Quæ* sunt illic *species criminum, dic, ô virgo, aut quibus suppliciis cruciantur? unde tantus planctus* surgit *in auram?*

## NOTÆ.

*tium duarum* et *unius diei.* At Æneas sacrificia perfecit superiore totâ nocte, v. 252. *Tum Stygio Jovi nocturnas inchoat aras.* Viam inferorum ingressus est sub ipsum Solis et lucis ortum, v. 255. *Ecce autem primi sub lumina Solis et ortus.* Nunc emensâ mediâ itineris parte, certè non potest esse nisi dies media, jam in noctem vergens: vespertinum illud tempus totum, et noctis secundæ partem aliquam traducet perlustrando Elysio: atque ita redibit ad suos nocte alterâ quàm ab iis discesserat. Igitur *Aurora* hìc diem significat. Et verò Donatus ac Lætus notant, Auroram, cùm quadrigis invehitur, pro Sole accipi. Deinde, *nox ruit,* Æn. 8. 369. significat, *nox accedit, venit:* ergo et hìc eodem sensu accipi nihil vetat.

541. *Ditis, &c.*] De *Dite,* Plutone, Geor. 4. 467. De *Elysio,* infrà, v. 638.

545. *Explebo numerum, reddarque, &c.*] Multæ in hæc verba afferuntur parùm sanæ interpretationes: hæ sanissimæ. I. Simplicior: *Discedam, et implebo numerum turbæ à quâ discessi, ut te alloquerer:* erat nempe inter bellicosos viros Deïphobus. II. Doctior: et juxta Platonis mentem, qui singulis animis, antequam alia in corpora remigrarent, certos quosdam assignabat purgationis annos, ut dicitur infrà, v. 739. Quocirca sensus erit: *Discedam, impleturus numerum annorum purgationis, quæ fit his in tenebris.* III. Verior, ut puto: *Discedam. Sine modò expleam orationis meæ, quam incepi, numerum et periodum.* Quam statim ita terminat: *I decus, i, nostrum, &c.*

549. *Mœnia—muro, &c.*] Munimenta arcis videt, triplici muro constantia. De *Phlegethonte,* suprà, v. 323.

552. *Adamante columnæ.*] Non ad ornatum, sed ad duritiem exprimendam; communi Græcis Latinisque proverbio, quo *dura* omnia et firma, *adamantina* dicuntur. De *Tisiphone,* unâ Furiarum, Geor. 3. 552. De *pallâ,* pallio muliebri, Æn. 1. 48.

564. *Hecate, &c.*] De *Hecate,* Æn. 4. 510. 511. De *lucis Avernis,* suprà, v. 237. De *Rhadamantho,* v. 431. De *Gnosso,* urbe Cretæ insulæ, Æn. 3. 104.

Tum vates sic orsa loqui: Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen:
Sed me, cùm lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa Deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque, auditque dolos: subigitque fateri
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuò sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans: torvosque sinistrâ
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.
Tum demùm horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sævior intus habet sedem: tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantùm, tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.
Hìc genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hìc et Aloïdas geminos, immania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,

*Tunc Vates sic cœpit loqui: Clarissime dux Trojanorum, nulli puro fas est subire portam impiam: sed quando Hecate præposuit me sylvis infernis: ipsa mihi declaravit supplicia* constituta *à Diis, et duxit me per omnia. Rhadamanthus Cretensis obtinet hoc sævissimum imperium; et punit, et audit fraudes, et cogit fateri quæcunque facinora patrata unusquisque per vitam protulit* usque *ad tardam mortem, gaudens vanâ simulatione. Statim Tisiphone vindex armata flagro verberat reos illudens, et sinistrâ* manu *incutiens sævos serpentes, appellat crudelem turbam sororum. Tunc denique portæ aperiuntur stridentes horrisono cardine.* Pergit Sibylla: *Vides quale satellitium sedeat in vestibulo? quale spectrum occupet postes? Hydra crudelior intus habet sedem, horribilis quinquaginta faucibus. Præterea ipse Tartarus bis tantùm descendit in profundum, et extenditur sub umbras, quantus* est *prospectus* inde *ad æthereum cœli Olympum. Illic juventus Titania, antiqua soboles Terræ, prostrati fulmine versantur in imo fundo. Illic vidi quoque geminos filios Aloëi, vasta corpora: qui susceperant evertere manibus magnum cœlum, et expellere Jovem è regnis supernis. Vidi etiam Salmonea solventem duras pœnas,*

## NOTÆ.

568. *Furto inani.*] *Secretis delictis:* ideò *inanibus,* quia Deo nota sunt, et post mortem punienda. *Furtum* autem dicitur quicquid clam et furtim committitur. Sic adulteria Martis vocantur *dulcia furta,* Geor. 4. 346. Et Pasiphaë dicitur *supposita furto,* suprà, v. 24.

572. *Agmina sæva sororum.*] Furiæ tantùm tres numerantur, *Tisiphone, Alecto, Megæra,* de quibus, Geor. 3. 552. Notat tamen Cerdanus vulgò apud poëtas *agmen* et *agmina* vocari, à Senecâ, *turbam;* à Statio, *aciem.* Existimat id factum ad significandas earum multiplices iras. Addo ego fortassè tres tantùm Furias principes privatis nominibus appellari, quibus aliæ complures quasi ministræ subserviant. De *cardine portarum,* Æn. 1. 448. De *vestibulo,* suprà, v. 273.

576. *Immanis hiatibus hydra.*] Hæc, vel alia est ab hydrâ Lernæâ, occisâ ab Hercule, quam in inferorum vestibulo jam Æneas vidit, v. 287. Vel, si eadem est, huc illuc vagatur per inferos, et ad cruciandos impios varias in partes mittitur; quemadmodùm Furiæ thalamos habent eodem in vestibulo, v. 280. cùm tamen Tisiphone hìc in Tartaro sontes cruciet. Dicitur hydra *sævior,* id est, crudelior reliquis Tartari custodibus, qui limina servant. De *hydrâ,* Æn. 8. 300. De *Tartaro,* profundissimo inferorum loco, suprà, v. 134.

579. *Quantus——suspectus, &c.*] *Suspectus,* substantivum nomen hìc apparet, non adjectivum, hoc sensu: tam profundus est Tartarus, quantus est conspectus spatii à terrâ ad cœlum, vel ab ipso Tartaro ad cœlum. Expressus est hic locus ex Homero, Iliad. 8. 16. et Hesiodo in Theog. 720. ubi Tartarus tantùm sub terrâ est, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης, *quantùm cœlum est à terrâ.*

580. *Titanis pubes.*] Gigantes, Titanis ac Terræ filii, de quibus, Æn. 4. 179.

582. *Aloïdas.*] Otum et Ephialtem Neptuni liberos ex Iphimediâ, Aloëi Terræ ac Titanis filii uxore: hos nono ipso ætatis anno novem cubitis latos, novem ulnis altos Homerus facit, Odyss. 11. 304. itaque in pugnâ Gigantum ab Apolline sagittis fuisse confixos, antequam ad pubertatem pervenirent.

585. *Salmonea, &c.*] *Salmoneus,* Σαλμωνεὺς, vel Deucalionis Elidensis, vel Æoli filius fuit: certè in Elide regnavit, Peloponnesi maritimâ et occidentali regione. Hic æreis in pontibus ac tabulatis quadrigas impellens, faces jactabat in subditos: ut Jovem in Elide ludis maximè Olympicis honoratum simularet. Ideò à Jove fulmine ictus est. *Mediæque per Elidis urbem:* pro *mediamque per Elidis urbem.* De *Olympo* monte, Ecl. 5. 56. De *Elide,* Geor. 1. 59.

Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis et lampada quassans,
Per Graiûm populos mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divûmque sibi poscebat honorem:
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Ære et cornipedum cursu simulârat equorum.
At Pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoümque?
Quos super atra silex jamjam lapsura, cadentique
Imminet assimilis. Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu; Furiarum maxima juxtà
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Esxurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hìc quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est:
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant. Ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent: sedet, æternúmque sedebit

*quia imitatus* fuerat *ignes Jovis et tonitru cœli. Ille vectus quatuor equis et quatiens tædum, currebat exultans per gentes Græcorum, et per mediam urbem Elidis, et exigebat sibi cultum divinum: insanus! qui imitabatur* curru *æreo et impetu equorum nimbos et tonitru non imitabile. Sed Pater omnipotens vibravit fulmen per opaca nubila (non ille* quidem *faces et lumina fumida tædarum,* ut Salmoneus) *et vasto turbine prostratum transfixit. Videre erat etiam Tityum filium Terræ omniparentis: cujus corpus extenditur per tota novem jugera: et immanis vultur fodicans adunco rostro jecur perpetuum et viscera fœcunda* ad pœnas, *scrutatur ea* ad *cibum, et manet intra profundum pectus: nec ulla quies permittitur fibris repullulantibus. Cur commemorem Lapithas, Ixiona, et Pirithoüm? super quos nigrum saxum jamjam lapsurum et simile cadenti impendet. Fulcra aurea splendent* in *lætis lectis altis,* et *convivia parata ante ora* cum *abundantia regali: maxima Furiarum accumbit propè, et vetat tangere mensas manibus, et surgit erigens facem, et vociferatur ore. Illic, ii quibus fratres odiosi* fuerunt, *dum vita durabat, aut pater verberatus, aut dolus fabricatus clienti; aut qui soli incubuerunt opibus partis, nec dederunt partem* earum *suis, quæ turba maxima est; et qui occisi* sunt *propter adulterium, et qui secuti* sunt *bella injusta, nec timuerunt violare fidem* datam *dominis; illi inclusi expectant supplicium. Ne petas doceri quale supplicium* expectent, *aut quis modus et quæ sors damnaverit eos. Alii versant magnum saxum, et pendent distenti radiis rotarum. Miser Theseus sedet et perpetuò sedebit;*

## NOTÆ.

595. *Tityon, &c.*] *Tityus,* Jove natus, et Elarâ Orchomeni filiâ: quam cùm Jupiter vitiâsset, Junonis metu occultavit in terrâ, unde erumpens Tityus Giganteâ specie Terræ filius creditus est: ideò à Virgilio *alumnus* ejus, non filius dicitur. Hic ab Apolline sagittis interfectus est, quòd Latonæ vim parâsset. Hanc ejus mensuram et supplicium Virgilius accepit ab Homero, Odyss. 11. 576. Eadem etiam Prometheo pœna ab aliis tribuitur.

601. *Lapithas, &c.*] De *Lapithis,* immani Thessaliæ gente, quorum tamen scelus nullum singulare narratur, Geor. 2. 456. De *Ixione,* eorum rege, qui ob tentatam Junonis pudicitiam, rotæ apud inferos alligatus est, Geor. 3. 38. De *Pirithoo,* qui Ixionis filius fuit, aut Jovis ex Diâ Ixionis uxore; quique Proserpinam rapere ex inferis aggressus, à Cerbero devoratus est, suprà, v. 393. et infrà, v. 617. His duplex supplicium assignatur, timor saxi imminentis, et mediis in epulis fames.

608. *Genialibus toris.*] Quales lecti nuptiales; qui *geniales* à *generando* dicuntur, vel à *genio,* vitæ ac lætitiæ præside, de quo Ecl. 4. 63. unde *geniale* appellatur quidquid lætum est, ut Geor. 1. 302. *Invitat genialis hyems.*

616. *Saxum ingens, &c.*] Indicat Sisyphum, Æoli filium, latrociniis infamem: de quo, Geor. 3. 39. *Radiisque rotarum, &c.* Indicat Ixionem, de quo, Geor. 3. 38. quem quia alteri supplicio jam addixit, v. 601. pluribus affectum suppliciis probabile est.

671. *Æternúmque sedebit Infelix Theseus.*] *Theseus,* de quo suprà, v. 28. et *Pirithous,* de

Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magnâ testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit: fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque hymenæos.
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.
  Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus:
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas:
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat: et pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aquâ, ramumque adverso in limine figit.
  His demùm exactis, perfecto munere Divæ,
Devenere locos lætos, et amœna vireta

*et Phlegyas miserrimus admonet omnes, et testatur magno clamore inter tenebras: Discite* toties *admoniti æquitatem, et non spernere Deos. Hic prodidit patriam pecuniâ, et* ei *imposuit tyrannum ferocem: tulit et sustulit leges pretio. Hic aggressus est pudicitiam filiæ, et nuptias prohibitas. Omnes ausi infanda crimina, et exsecuti consilia. Si essent mihi centum linguæ et centum ora, et vox ferrea, non possem complecti omnes species criminum, nec enumerare omnia nomina suppliciorum. Postquam longæva vates Apollinis protulit hæc verba, ait: Nunc autem age, ingredere viam, et perfice inceptum officium: properemus. Video muros fabricatos* in *fornacibus Cyclopum, et portas sub opposito fornice: ubi* Dii *nos jubent deponere munera decerpta* ex arbore. Sic *locuta fuerat: et pariter ambulantes per tenebrosa* spatia *viarum invadunt medium iter, et appropinquant portis. Æneas occupat aditum, et aspergit corpus recenti aquâ, et affigit ramum in opposito limine. Denique his absolutis, persoluto munere Proserpinæ, pervenerunt* ad *loca læta, et prata jucunda,*

## NOTÆ.

quo, v. 392. amicitiâ conjunctissimi, dicuntur inferos adiisse, ut inde Proserpinam raperent: et Pirithoum quidem à Plutone datum esse Cerbero devorandum: Theseum autem remansisse in vinculis; donec ab Hercule liberatus sit. At Theseus post mortem, cùm rediisset ad inferos, lapidi affixus est ubi æternùm sederet, in pœnam impii olim suscepti itineris. Ita fabulæ. Sed aiunt historiæ, et Theseum et Pirithoum conatos quidem rapere filiam Aidonei, qui Græcis Pluto est, Molossorum sive Thesprotorum in Epiro regis, eamque vocatam Proserpinam; matrem ejus Cererem; canem, cui objectus fuit Pirithous, Cerberum; posteà Theseum in gratiam Herculis ab Aidoneo dimissum esse: idque contigisse ad Cichyrum amnem et Acherusiam paludem, de quâ v. 323. testatur Pausanias in Atticis.

618. *Phlegyasque miserrimus, &c.*] Ambigua est hujus loci sententia: vel *Theseus miserrimus admonet omnes Phlegyas:* vel *Phlegyas miserrimus omnes admonet. Phlegyæ,* Bœotiæ juxta Orchomenum populi fuerunt, rapinis insignes; qui aggressi templum Apollinis Delphicum diripere fulminibus, terræ motibus, et pestilentiâ postmodùm absumpti sunt, ex Pausaniâ in Bœoticis. Hos alii insulanos fuisse perhibent circa Thessaliam, à rege Phlegyâ sic dictos; qui ob frequentem contemptum Deorum, à Neptuno immisso diluvio deleti sunt. *Phlegyas,* Martis filius, rex fuit Lapitharum in Thessaliâ; Ixionis juxta aliquos patet, et Coronidis Nymphæ: hæc cùm ex Apolline Æsculapium peperisset; dicitur pater templum Apollinis incendisse, ideóque sagittis ab Apolline detrusus fuisse ad inferos. Atque hæc sententia mihi videtur potior: quid enim Theseo cum Phlegyis populis?

622. *Fixit leges, &c.*] Condidit, tulit. Metaphora ducta à consuetudine, quâ leges in æs incisæ *fixis* tabellis in publico proponebantur; quæ cùm avellerentur, dicebantur *refigi.* De *Hymenæo,* nuptiali Deo, Geor. 3. 60.

630. *Cyclopum educta.*] De *Cyclopibus,* Æn. 3. 569. His cudendi ferri muniendarumque urbium inventio tribuitur. Quare hìc ferrea et munita mœnia intellige. *Educta* dicuntur: non quasi *elata* in altum; sed quasi ferro *ducta,* et *ductilia,* quod fit in caminis et fornacibus.

631. *Mœnia.*] Palatium Plutonis et Proserpinæ.

636. *Spargit aquâ.*] Vel quia pollutus aspectu Tartari; vel quia sacrum munus Proserpinæ offert; solemnis autem in sacris omnibus ablutio. *Spargit* verò duntaxat, non omnino *lavat:* de quo more, Æn. 4. 635.

638. *Locos lætos, &c.*] *Elysium.* Locus erat piis apud inferos destinatus, deliciis omnibus af-

Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hìc campos æther et lumine vestit
Purpureo: Solemque suum, sua sidera nôrunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, et fulvâ luctantur arenâ:
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Necnon Threïcius longâ cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno,
Hìc genus antiquum Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis:
Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul, currusque virûm miratur inanes.
Stant terrâ defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi: quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos; eadem sequitur tellure repôstos.
Conspicit ecce alios dextrâ lævâque per herbam
Vescentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde supernè
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.

*et sedes beatas sylvarum felicium. Hìc aër ambit agros liberior et luce purpureâ: et* incolæ *cognoscunt suum Solem et sua astra. Pars exercent corpora in herbosis locis, certant ludis, et luctantur* in *arenâ fulvâ. Pars agitant saltationes pedibus, et canunt cantilenas. Vates etiam Thracius cum veste longâ canit numeris septem discrimina sonorum: et sonat eadem, modò digitis, modò plectro eburneo. Hìc* est *vetusta propago Teucri, soboles clarissima, heroës magnanimi, nati temporibus felicioribus: et Ilus et Assaracus, et Dardanus fundator Trojæ. Miratur procul arma et currus virorum vacuos. Hastæ sunt fixæ* in *terrâ, et equi liberi pascuntur passim in campis: amor curruum et armorum qui fuit viventibus, studium quod* fuit *alendi pingues equos; idem manet* iis *depositis* sub *terrâ. Ecce videt alios* ad *dextram et ad sinistram epulantes super gramine, et cantantes choro lætas cantilenas, in odoriferâ sylvâ lauri: unde magnus Eridanus decurrit per sylvam apud superos.*

## NOTÆ.

fluens. Alii collocant in insulis Fortunatis, *Canaries*, ad latus occidentale Africæ, de quibus Æn. 4. 480. Alii in Hispaniâ Bœoticâ, *Andalousie, Grenade*. Alii apud Indos. Alii in pratis aëriis, cœlum inter ac terram mediis. Nomen aliqui fingunt ab Elysio quodam Eleutheri filio: aliqui ab ἤλυσις, *profectio*, quòd illuc piorum animæ post obitum proficiscantur: aliqui quasi οὐ λύσιον, *non solubile*, quia sedes est animarum immortalium, quæ dissolvi non possunt.

638. *Vireta.*] Loca sunt herbarum arborumque viriditate amœna.

641. *Purpureo: Solemque, &c.*] *Lumine purpureo*, pulchro, Æn. 1. 591. *Solem* in Elysio alium statuit etiam Plato in Phædone.

642. *Gramineis palæstris.*] *Palæstra*, tam pro *ludo* sumitur, quàm pro *loco* ludis addicto. Hìc pro *loco*. De *Palæstrâ*, sive *luctâ*, Æn. 3. 280. in quo differat à *pugilatu*, Æn. 5. 401.

645. *Threïcius sacerdos.*] *Orpheus*, Ecl. 3. 46. Geor. 4. 454. Multi fuere hujus nominis: sed omnia uni tribuuntur, fabularum more. Dicitur ex Ægypto arcanas ceremonias primus transtulisse: tum lyræ solertiâ, et carminis suavitate præcelluisse: quo utroque nomine *longâ cum veste* inducitur, quæ et sacerdotum fuit, et musicorum.

646. *Numeris septem, &c.*] Numerosis cantibus personat citharam: quæ primò septem chordis instructa memoratur, deinde novem, in honorem Musarum. Hæc autem pulsabatur *digitis, pectine, plectro:* Nam *plectrum*, sive arcum illum, quo fila perstringuntur, à pectine diversum esse ostendit inventa Romæ Julii tertii temporibus marmorea Orphei statua, quæ sinistrâ manu citharam, dextrâ pectinem tenebat, teste Nascimbæno.

650. *Assaracusque, &c.*] De hâc Trojanorum regum serie, Geor. 3. 35. De *Dardano*, Æn. 3. 167.

657. *Pæana.*] *Pæan*, hymnus fuit, isque duplex: alter in honorem Martis, qui solebat ante pugnam cani; alter in honorem Apollinis, qui post victoriam: inde læti quilibet quorumcunque Deorum hymni, *pæanes* etiam dicti. Nomen, vel à παίω, *ferio*, quia ob confossum ab Apolline Pythona serpentem, hic hymnus primò cantatus est: vel ab ἵει, παῖ, *jaculare, fili*, quibus verbis eum Latona mater eâ in pugnâ hortabatur: unde *Io pæan*, deinde triumphantium acclamatio fuit.

659. *Plurimus Eridani, &c.*] Duplex affertur ab interpretibus hujus loci sententia. I. *Unde magna pars Eridani è superis præcipitat in inferos:* notaturque ab iis vis adverbii *supernè*, quo motus significatur è superiore loco in inferiorem; tum natura Eridani, qui Plinio teste, l. 3. 16. non longè ab ortu absorbetur in terras quasi cuniculo, et paulò post in Forovibiensi agro, qui nunc est Pedemontii pars, exoritur. II.

Hìc manus, ob patriam pugnando vulnera passi:
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat:
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti:
Inventas aut qui vitam excoluere per artes:
Quique suî memores alios fecere merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla,
Musæum ante omnes; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis:
Dicite, felices animæ, tuque, optime vates;
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus: lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus: sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum, et facili jam tramite sistam.
Dixit: et antè tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitùs convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens: omnemque suorum
Fortè recensebat numerum, charosque nepotes,
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversùm per gramina vidit
Ænean; alacris palmas utrasque tetendit,
Effusæque genis lacrymæ, et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque expectata parenti
Vicit iter durum pietas! datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces!
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.

*Hìc turba* est eorum, *qui certando pro patriâ tulerunt vulnera: et qui sacerdotes puri* fuerunt, *dum vita durabat: et qui vates pii, ac locuti* res *dignas Apolline: aut qui ornaverunt vitam* humanam *per artes repertas* à se: *et qui reddiderunt alios memores sui*, iis *benefaciendo. Capita horum omnium coronantur tæniâ candidâ. Quos circumstantes Sibylla sic allocuta est, præ cæteris Musæum; nam magna turba hunc habet in medio* sui, *et admiratur superantem altis humeris: O animæ fortunatæ, et tu optime vates: dicite, quæ regio, quis locus tenet Anchisen? illius causâ venimus* huc, *et trajecimus magnos fluvios inferorum. Tunc heros sic dedit ei responsum paucis* verbis: *Nemo* nostrûm *habet fixam domum: habitamus in sylvis umbrosis, et incolimus herbosas ripas, et prata* semper *nova ob rivos. Vos tamen, si cupiditas animi sic jubet, conscendite hunc collem; et* vos *deducam* ad eum *facili semitâ.* Sic *dixit; et præivit incessu, et desuper ostendit campos amœnos: Deinde descendunt ex alto vertice. Pater autem Anchises in profundâ valle viridi circumspiciebat animas separatas et reversuras in lucem superiorem, considerans* eas *studiosè: et forte recognoscebat omnem multitudinem suorum, et dilectos posteros, et fata, et fortunas, et mores, et facta hominum* illorum. *Et quando ille vidit Æneam ex adverso venientem per herbas; lætus protulit ambas manus, et lacrymæ fluxerunt per genas, et vox exiit* ex *ore: Venisti denique, et tua pietas certa patri superavit iter difficile! ô fili, permittitur aspicere vultum tuum, et accipere ac reddere voces familiares! Certè numerans tempora, cogitabam animo et existimabam ita fore: et mea solicitudo non decepit me.*

## NOTÆ.

*Unde magnus Eridanus fluit ad superiores terræ incolas*, quæ sententia mihi probabilior videtur: tum quia *unde* indicat hìc Elysium nemus, ubi versatur Æneas: ideóque, *supernè*, non potest significare superas terras ex quibus Padus descendat, sensus enim esset: *Ex quo Elysio volvitur Eridanus ex terris:* qui motus non sibi consentiunt: tum quia *supernè*, significat quicquid est *suprà*, non tantùm *desuper:* tum quia subterranea sunt omnium fluviorum receptacula, unde erumpunt, Geor. 4. 364. Cùm autem Eridanus agrum Mantuanum alluat, hunc habuit Virgilius honorem amni patrio; ut eum non è communi fluviorum omnium receptaculo, sed ex Elysio ortum diceret. De *Eridano*, sive *Pado*, *le Po*, Geor. 1. 482.

667. *Musæum.*] Dicitur hic à Suidâ, Eleusinius Atheniensis, Orphei discipulus, carminum heroicorum scriptor, quorum Eumolpo filio ad quatuor millia scripsit: floruit sub Cecrope secundo Atheniensium rege. Hic, et Orpheus, Homero antiquiores putantur: ideóque hìc commemorantur à Virgilio. Superest adhuc carmen de amoribus Leandri et Herûs, quod Musæo tribuit Scaliger in Poëticâ, et longè versibus Homericis anteponit. Negat tamen Vossius, et auctorem hujus operis vixisse sub Augusto affirmat, etiam post quartum Christi seculum.

687. *Expectata.*] Doctissimi legunt *spectata.* Nec malè: id est, cognita, perspecta, *probata;* quemadmodùm Ovidius dixit, *Spectatur in ignibus aurum.*

Quas ego te terras, et quanta per æquora vectum,
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quàm metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago
Sæpiùs occurrens hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram,
Da genitor: teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circùm;
Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Intereà videt Æneas in valle reductâ
Seclusum nemus, et virgulta sonantia sylvis,
Lethæumque domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes populique volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes æstate serenâ
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, causasque requirit
Inscius Æneas: quæ sint ea flumina porrò,
Quíve viri tanto complêrint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coràm,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum;
Quò magis Italiâ tandem lætere repertâ.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,

*O fili*, per *quales terras et per quanta maria jactatum, et quantis periculis agitatum, ego te audio! quàm timui ne regna Africæ tibi obstarent aliquantum! Æneas verò* ait: *Tua, ô pater, tua mæsta umbra sæpe visa impulit me venire ad hæc loca. Naves* meæ *stant* in *mari Tyrrheno. Permitte* mihi, *ô pater, permitte conjungere manus, et ne te subducas complexui meo. Sic loquens, simul madefaciebat vultum copiosis lachrymis. Ter conatus erat implicare brachia collo* ejus: *ter umbra frustrà comprehensa elapsa est è manibus, similis ventis levibus, et simillima fugaci somno. Intereà Æneas cernit in valle secretâ sylvam separatam, et frutices sonantes* per *sylvam; et fluvium Lethæum, qui præterfluit tranquillam sedem. Gentes et populi innumeri volabant circa hunc* fluvium. *Et quemadmodum quando in pratis, sudâ æstate, apes adhærent diversis floribus, et vagantur circa alba lilia;* sic *omnis campus sonat fremitu. Æneas ignarus* rei *statim obstupet aspectu, et petit causas; quinam ergo sint illi fluvii, aut quinam homines occupaverint ripas tantâ multitudine. Tunc pater Anchises* ait: *Animæ quibus alia corpora destinantur* per *fatum, bibunt oblivia æterna et liquores tutos ad aquas Lethæi fluvii. Ego certè jamdudum opto enarrare tibi, et coram monstrare illas, et enumerare sobolem illam meorum: ut magis gaudeas Italiam demum inventam* fuisse à te. *O pater*, ait Æneas, *an existimandum est animas aliquas illustres hinc redire in lucem, et reverti rursus in pigra corpora? quodnam est miseris tam insanum vitæ desiderium? Respondet Anchises: O nate, equidem dicam, nec te relinquam dubium. Et* sic *explicat singula per ordinem. Primò spiritus fovet intus cœlum, terram, spatia aquea,*

## NOTÆ.

694. *Ne quid Libyæ, &c.*] Cùm Didonis amore te implicuisti, Æn. 4. De *Libyâ*, ibid. 1. 158. De *sale*, pro mari, ibid. 1. 537. De *Tyrrheno* mari, Italiam ad meridiem alluente, ibid. 1. 67. De *Lethæo* amne, suprà, v. 323.

713. *Quibus altera fato Corpora debentur.*] Non enim omnes animæ alia in corpora redibant, ut mox dicemus v. 748. Sed jam opus est ut promissam sæpe de animarum naturâ dissertationem exequamur, et evolvamus mysteria famosæ illius translationis animarum diversa in corpora, quæ Græcis μετεμψύχωσις dicitur. Hanc primò invexit Pythagoras, tenueruntque deinceps Socrates et Plato. His adhæret hoc loco Virgilius, ut et Geor. 4. 220. qui priùs Epicurum sequebatur, Ecl. 6. 31. Id omne undecim capitibus complectemur: quæ quantum à Christianâ veritate absint, facile erit intelligere.

724. *Principio Cœlum, &c.*] I. *Caput.* Deus rudem informemque materiam in quatuor elementa primùm digessit, ignem, aërem, aquam, terram. Inde mundi corpus fabricavit, varias in partes ac sphæras, quasi membra distinctum: harum suprema, *cœlum; infima, terra;* cui *liquentes campi*, sive aqua substernitur; mediæ partes, *Sol, Astra, globus Lunæ*, quo inferiora elementa à cœlestibus quasi communi

Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo
Seminibus: quantùm non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque; neque auras
Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.

*et lucidum globum Lunæ, et astra Titania: et mens diditta per omnia membra movet totam* illam *molem, et miscet se cum magno* illo *corpore. Inde* oritur *genus hominum, et pecudum, et vitæ avium, et monstra quæ mare fert sub volitâ planitie. Inest illis animis vis ignea, et origo cœlestis; quatenus corpora noxia non gravant, et artus terreni membraque mortalia non retundunt* vim illam. *Hinc* animæ *timent et desiderant, mœrent et lætantur: nec suspiciunt cœlum, inclusæ in tenebris et obscuro carcere.*

## NOTÆ.

termino separantur. Ut enim sunt infra Lunæ globum naturæ quatuor elementorum per formas distinctæ suis in sphæris: ita supra globum eundem sunt eædem naturæ longè excellentiori modo per virtutes: habent quippe cœlestia corpora ab ignis naturâ lumen ac motum; à terræ naturâ solidam firmitatem; ab aëris naturâ perspicuitatem, ab aquæ naturâ æquabilem lenitatem; sed illæ omnes naturæ illic in formam præstantissimam, nempe ignis, redactæ sunt; cujus tanta est excellentia, ut quintum elementum sive quinta *essentia* dici possit: quemadmodùm hìc apud nos in unam mixti formam quotidie coalescunt: Ita Plato in Timæo, et Marsilius, ibid. cap. 24. De *Titanis* nomine, quod Soli præcipuè tribuitur, Æn. 4. 119.

726. *Spiritus intus alit, &c.*] II. *Caput.* Huic mundi corpori Deus *animam* sive *spiritum* addidit, cui inest præcipuè *intellectus, intelligentia* et *natura*, id est vitalis ac seminaria virtus. Et hanc quidem animam Pythagoras Deum ipsum esse contendebat, ut liquet ex Minutio Felice: at Plato, non Deum, sed opus putabat summi Dei.

728. *Inde hominum, &c.*] III. *Caput. Inde*, juxta Pythagoram significat: *Ex hoc Deo, qui est mundi anima; quasi decerptæ particulæ sunt vitæ hominum, et pecudum.* Juxta Platonem verò significat: *Ex reliquiis hujus temperationis, ex quâ mundi animam formaverat Deus; formatæ sunt ab eodem singulares animæ viventium.* Ita Plato loquitur in Timæo. Quænam autem illa fuerit temperatio, satis dilucidè percipi non potest, neque ex Platonicorum, neque ex Platonis ipsius verbis. Virgilium aut in Platoni potiùs quàm Pythagoræ hìc adhæsisse existimo: quia sic meliùs hæc omnis ejus doctrina constabit, ut ex sequenti capite manifestum fiet.

730. *Igneus est ollis vigor—seminibus, &c.*] IV. *Caput.* Docet Plato disertè in Timæo, unicum illum ac supremum Deum, postquam ex animæ mundi reliquiis animas formâsset, rationis et intelligentiæ participes; eas quasi *sementem sparsisse* in Solem, in Lunam, aliaque astra et instrumenta temporis: ita ut singulæ singulis astris quasi vehieulis invectæ, universum contemplari possent. Addit, eum post ejusmodi sementem, animarum cum corporibus conjunctionem inferioribus ac junioribus Diis permisisse. Appellat Plato juniores Deos, Cœlum, Terram, Saturnum, Rheam, Jovem, &c. Tum ait, juniores Deos, viventia corpora ex elementis procreâsse, quibus duplicem animam addiderint; alteram immortalem, ex divinâ illâ *semente*, quâ sidera *consita* fuerant, quasi quodam defluvio delapsam; quam in capite rotundo, quasi in mundi compendio locaverint: alteram mortalem à se conflatam; cujus partem quæ irascitur, circa cor; quæ concupiscit, circa jecur, posuerint Ἔσπειρε τοὺς μὲν εἰς Ἥλιον, τοὺς δ' εἰς Σελήνην, τοὺς δ' εἰς τὰ ἄλλα ὅσα ὄργανα χρόνου· τὸ δὲ μετὰ τὸν σπόρον, τοῖς νέοις παρέδωκε θεοῖς σώματα πλάττειν, &c. Hinc patet, cur Virgilius vitas illas sive animas vocaverit *semina.* Item cur *igneus vigor* et *cœlestis origo* iisdem sit; nempe, vel quia per multa secula astris invectæ aliquid ex eâ contraxerunt naturâ, quam igneam esse diximus, v. 724. vel quia fortassè ex eodem cœli igne et quintâ *essentiâ* conflatæ sunt, ut Platonicis quibusdam visum est.

731. *Quantùm non, &c.*] V. *Caput.* Animæ ejusdem erant naturæ, in hominibus, belluis, volucribus, piscibus: siquidem, juxta Pythagoram et Platonem, mutua erat earum commutatio. Totum porrò earum discrimen ex crassiori aut subtiliori corporum discrimine petebatur: ut inter infantem ac juvenem, virum ac senem, videmus contingere. Atque illud est quod vocat Plato sub finem Timæi, *mentis jacturam et acquisitionem, quâ invicem animalia commutantur,* πάντα τότε καὶ νῦν διαμείβεται τὰ ζῶα εἰς ἄλληλα, νοῦ καὶ ἀνοίας ἀποβολῇ καὶ κτήσει μεταβαλλόμενα. Quo autem ordine fieret illa transmutatio, mox dicemus. Hinc inter ipsos homines, indolis, ingenii, morumque diversitas, ex eâdem oriebatur varietate corporum: ideò ait poëta, cœlestem in eorum animis esse originem, et verò apparere; quatenus corporum et membrorum pondere non gravantur.

733. *Hinc metuunt cupiuntque, &c.*] VI. *Caput.* Ex illo cum corporibus nexu oriuntur perturbationes omnes animorum. Prout quippe aut sanguis, aut pituita, aut flava, atrave bilis in corporibus prævalet: ita motibus aliis, aliisve, faciliùs animi agitantur. His autem quatuor motibus cæteros omnes poëta complectitur: quippe

Quin et supremo cùm lumine vita reliquit:
Non tamen omne malum miseris, nec funditùs omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitúsque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque auraï simplicis ignem.

*Præterea quando ultimâ luce vita recessit: non tamen omne malum, nec omnes corporeæ sordes omnino recedunt à miseris; et planè necesse est* ut *multa vitia diu conglutinata* iis adhuc *adhærescant ad mirabili ratione. Ideò cruciantur pœnis, et persolvunt supplicia præteritarum noxarum. Aliæ suspensæ exponuntur levibus ventis: aliis crimen,* quo sunt *infectæ, lavatur sub immenso lacu, aut absumitur flammis.* Omnes *patimur, unusquisque suos ultores. Deinde inducimur in spatiosum Elysium, et pauci obtinemus lætos campos: quando longa dies confectis spatiis temporum delevit congenitas sordes, ac reliquit purum sensum cœlestem et simplicem fulgorem ignis.*

## NOTÆ.

*metu* ac *desiderio* sive spe in malum ac bonum futurum ferimur; *dolore* et *gaudio*, circa malum ac bonum præsens afficimur: et facilè, inclusus quasi obscuro carcere animus, auras cœlestes, id est, divinam originem, obliviscitur.

738. *Inolescere.*] Est *simul crescere.* Vel ab *alo*, quòd simul alitur. Vel, à *soleo*, quòd simul esse solet.

739. *Ergo exercentur pœnis, &c.*] VII. *Caput.* Animæ illæ, etsi diversæ à corporibus naturæ, ex diuturnâ tamen cum iis conjunctione multa inquinamenta contrahunt. Unde triplici purgatione expiantur: *Igne, ventis,* id est *aëre;* et *gurgite vasto,* id est *aquis.* Hæc autem tria in sacris usurpabantur purgationum genera: aut enim res infectæ tædâ vel sulfure purgabantur, aut aquâ lustrabantur, aut aëre ventilabantur. Et quantum ad animas, hanc Platonicis attribuit sententiam Augustinus de Civit. Dei, lib. 21. 13. eamque affert hujus causam: quòd, *quoniam terris superiora sunt elementa, aqua, aër, ignis: ex aliquo istorum mundetur, quod terrenâ contagione contractum est.*

743. *Quisque suos patimur manes.*] Id est, *Omnes patimur nostros manes, unusquisque suos.* Quinam autem illi sint *manes,* ambigitur: idque videri potest è Platonis doctrinâ etiam repetitum. VIII. igitur *Caput.* Animis singulis, jam inde à primâ generatione descensuque ex astris, genium sive dæmonem attribui custodem operum, qui animum in lucem extrahat, ac deinde post mortem reducat ad inferos, ait Plato de Rep. 1. 10. itemque in Phædone. Hos *manes,* dici nihil vetat, eosdemque purgationis ministros adhiberi. Quanquam alii per *manes* furias aliosque minores intelligunt inferorum Deos, à quibus animæ torquentur: et verò ita sumuntur *manes,* Geor. 4. 489. *Scirent si ignoscere manes:* ibi enim Deos inferorum significari manifestum est. Utraque explicatio conciliabitur facilè: si Platonici genii dicantur utriusque mundi habere commercium, qualiter Mercurius: et superi quidem terrestresve Dii esse, cùm vivis adsunt; inferi autem, cùm mortuis purgandis assistunt. Loca verò huic purgationi assignata existimo, esse varias sedes illas, jam ab Æneâ peragratas, ubi infantes, amantes, bellicosi, propriâ manu occisi: qui inde post certos purgationis annos in Elysium admittebantur. De *manibus,* aliâ significatione, pro umbris mortuorum, Geor. 4. 469.

744. *Pauci læta arva tenemus, &c.*] IX. *Caput.* Pauci fruebantur Elysii voluptatibus; multi quidem si per se ipsi spectentur, nam evocabantur *agmine magno,* infrà, v. 749. tamen pauci, si cum immenso animarum omnium numero conferantur. I. Quia multi detrudebantur in Tartarum, inde nunquam in lucem aliâ generatione emersuri, quòd eorum scelera nullâ purgatione elui possent: ita Plato in Phædone. II. Quia pars animarum longè maxima distinctis illis in sedibus purgabatur; quibus in Elysium succedentibus, aliæ ex Elysio in vitam emigrabant. III. Quia multi, aut omni, aut saltem aliquâ purgatione perfuncti, scelerum in pœnam detrudebantur nova in corpora, belluarum aut volucrum; nec in Elysium transibant, ob vitam virtutum sterilem. Quare frustrà se torquet Cerdanus, ut pugnantes conciliet voces: *quisque patimur,* et *pauci tenemus.*

745. *Donec longa dies, &c.*] X. *Caput.* In hoc Elysio fruebantur animæ quiete perfectissimâ: vocat enim Virgilius, v. 669. *felices animas:* et v. 638. *locos lætos, et amœna vireta Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.* Ergo hinc procul aberant purgationis tormenta. Quid igitur ait Anchises; *Pauci læta arva tenemus: Donec longa dies concretam exemit labem?* Omnino aliud mihi sonare videtur *donec,* quàm aliis vulgò interpretibus: neque hìc interpretor, *quousque,* quasi futuram in Elysio purgationem notet; sed *quando,* ut præteritam seclusis in locis purgationem indicet. Idque duo persuadent: I. Quia non dixit Virgilius, *donec exemerit,* aut *eximat;* sed *donec exemit,* quod expressiùs significat, *quando exemit,* quàm *quousque exemerit.* II. Quia pari sensu dixit Horatius, Od. l. 3. 9.

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursùs et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises: natumque, unáque Sibyllam,
Conventus trahit in medios turbamque sonantem:
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit
Adversos legere, et venientûm discere vultus.
  Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Italâ de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides? purâ juvenis qui nititur hastâ,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Æthereas Italo commixtus sanguine surget,

*Postquam verterunt rotam per mille annos, Deus vocat eas omnes magno numero ad amnem oblivionis: nempe ut oblitæ* præteritorum *repetant superiorem curvaturam* mundi, *et incipiant velle iterum redire in corpora. Anchises* hæc *dixerat: et ducit filium ac simul Sibyllam in medios cœtus turbamque frementem: et conscendit collem, unde possit considerare longâ serie omnes* sibi *obversos, et intueri vultus venientium. Age modo,* inquit Anchises, *explicabo verbis, quis honos aliquando secuturus sit sobolem Trojanam, qui posteri destinentur ex Italicâ familiâ, nobiles animas, et successuras nostro nomini: et tibi aperiam tua fata. Vides*ne? *Ille juvenis qui insistit hastæ nitidæ, occupat sorte spatium proximum lumini, primus erumpet in aërem cœlestem mixtus Italo sanguine,*

## NOTÆ.

*Donec gratus eram tibi—Persarum vigui rege beatior:* id est, *quando gratus eram tibi, &c.* Per *auraï simplicis ignem,* significat puram animæ naturam, quæ propter subtilitatem aëri et igni simillima est, ideò vocat eam Horatius Sat. l. 2. 2. 79. *Divinæ particulam auræ;* cujus vocis ultima diphthongus duas in vocales prisco more dissolvitur, *auræ* in *auraï.*

748. *Has omnes, ubi, &c.*] XI. *Caput.* Postquam animæ hâc suâ beatitate per annos mille in Elysio potitæ sunt: evocantur ad generationem aliam, aliamque cum novo corpore unionem. At priùs Lethæas aquas jubentur ebibere: ut, præteritorum omnium, tam laborum, quàm voluptatum obliti, nec teneantur Elysii desiderio, nec superioris vitæ asperitate deterreantur; nec supersit quicquam, nisi ingenitus quidam affectus animæ in corpus. Quod autem ait *omnes,* restringi debet ad eas omnes, *quibus altera fato corpora debentur,* v. 714. Non enim omnes redibant in corpora; nec verò tale quicquam de se Anchises commemorat; quod si erat futurum, certè non omisisset. Hos autem ab eo reditu fuisse immunes puto, qui ob exquisita merita admissi inter Deos fuerant, et *Acheronte remissi,* ut loquitur Æneas de Anchise, Æn. 5. 99. et reversi *sideris in numerum,* unde primâ generatione defluxerant, ut ait Virgilius, Geor. 4. 227. Horum quippe non *animas* apud inferos, sed *idola* solùm ac simulacra Elysiis in campis remansisse testatur Lucretius ex Ennio, l. 1. 120. Et Ulysses apud Homer. Odyss. 11. 600. ait se inter inferorum umbras vidisse idolum Herculis, quocum sermonem habuerit: ipsum verò, id est, ipsius animam, apud superos degere. Tamen Anchisen à Virgilio describi: cujus idolum hìc Æneam alloquitur, dum anima fruitur cœlestium Deorum consortio. Itaque tria distingui possunt in nomina, *anima, corpus, idolum:* additur ab aliis etiam quarta pars, *umbra,* quæ sepulchra incolebat, ut notavimus, Æn. 4. 385. Quanquam hæc *umbræ* ab animâ, corpore, et idolo distinctio, non ita videtur certa. De *Lethæo,* oblivionis flumine, suprà, v. 323. *Rotam volvere,* metaphora est pro *tempus traducere;* ex Ennio petita, ut testatur Servius. Et temporis *rotam* dixit; ut paulò antè *orbem;* et passim alibi *cursum, curriculum. Convexa supera:* vel significant convexam superficiem terræ, cujus in concavo inferi latent, vel sublimem et concavam cœli conspicui partem, ut diximus Æn. 1. 310.

756. *Nunc age, &c.*] Ostendit Anchises Æneæ posterorum suorum clarissimos; ubi notanda quatuor. I. Posteros illos partim ex Trojanâ, partim ex Italâ gente oriundos fore: cùm utraque gens Æneæ et Laviniæ conjugio miscenda sit. II. Non servari ab Anchisâ in illâ enumeratione ordinem temporum: cùm à Romulo statim ad Cæsarem transeat, tum regrediatur ad Numam. III. Alios etiam commemorari, prætei posteros Æneæ, utriusque gentis illustres viros. IV. Hoc totum Virgilii artificium, etsi perquàm insigne est, errore non carere. Is autem error est ejusmodi: Animas inducit quæ jam insederant corpore; indeque egressæ, tum aut puræ erant, aut purgabantur, in Romanorum heroum corpora reversuræ. At si erant puræ, inerat iis duntaxat purus æthereus sensus atque auraï simplicis ignis: atque ita nullus inerat sensus corporis præteriti, multò minùs futuri: si purgabantur, nondum Lethæis aquis imbutæ, nondum præteriti corporis memoriam exuerant: atque adeò nondum potuerant convenientes futuræ olim sorti affectus assumere; igitur nec Sylvius niti hastâ, nec Romulus geminas habere cristas, nec Numa mentum incanum gerere, nec circa Marcellum Romani strepere.

Sylvius, Albanum nomen, tua posuma proles:
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumque parentem;
Unde genus longâ nostrum dominabitur Albâ.
Proximus ille, Procas, Trojanæ gloria gentis;
Et Capys, et Numitor; et qui te nomine reddet,
Sylvius Æneas; pariter pietate vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, aspice, vires!
  At qui umbrata gerunt civili tempora quercu;
Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam;
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Castrumque Inuï, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet

*Sylvius, nomen Albanum, tua soboles postrema: quem uxor Lavinia in sylvis tardè pariet tibi seniori,* futurum *regem et patrem regum: à quo familia nostra regnabit Albæ longæ. Hic vicinus* huic, est *Procas, honor Trojanæ nationis: Deinde Capys, et Numitor, et Æneas Sylvius, qui refert te nomine; æqualiter illustris armis et pietate, si tandem* aliquando *accipiat regendam Albam. Qui juvenes, vide, quantum præ se ferant robur! At qui habent caput cinctum* coronâ *civili quercicâ: hi condent tibi in montibus Nomentum, et Gabios, et urbem Fidenam: hi arces Collatinas, Pometiam, et Castrum Inuï, et Bolam, et Coram. Hæc nomina tunc dabuntur* illis, *jam sunt terræ absque nomine. Quin etiam Romulus Martius,*

NOTÆ.

763. *Sylvius Albanum nomen, &c.*] In his Romanæ Historiæ initiis parùm sibi scriptores consentiunt. Livius hunc Sylvium, Ascanii filium facit: Dionysius Halicarnasseus, Æneæ. Scribit enim Laviniam, tum, cùm obiit Æneas, prægnantem, Ascanii privigni metu in sylvas fugisse ad regii pecoris magistrum Tyrrhenum; ibique filium peperisse, cui inde Sylvio nomen fuit: Ascanium pietate motum in novercam, sibi hunc ipsum Sylvium successorem designâsse; Iülo filio suo pontificatum maximum tribuisse, à quo gens Julia propagata est. *Albanum nomen* dicitur Sylvius: quia ex eo reges Albani communi nomine Sylvii appellati sunt; ut posteà imperatores Romani, Cæsares. *Postuma proles,* duplici sensu explicabitur; vel quæ post *humationem* patris oritur; tumque scribitur *posthuma:* non *postuma:* vel quæ *postrema* oritur, etiam vivo patre; tumque deducitur à *post, posterior, postremus,* et *postumus;* ut ab *extra, exterior, extremus; extimus* et *extumus.* In hâc sententiâ sunt eruditorum diligentissimi quique: qui iidem aiunt usu quidem venisse, ut mortuo patre nati postumi appellentur; non quia post humationem nati, sed quia re verâ postremi. Et verò Virgilius ait Sylvium natum patre longævo, non patre mortuo: in quo discedit quidem ab eâ, quam ex Dionysio, attulimus, historiæ fide: sed eum excusat, vel ejusdem historiæ varietas, vel poëtica licentia: nec desunt, qui, ut historiæ veritati consulant, *longævum* explicant, jam relatum in Deos et *immortalem:* nituntur que hoc Ennii versu *Romulus in cœlo cum Diis genitalibus ævum Ducit;* et Æschyli testimonio qui in Tragœdiâ *Septem ad Thebas,* vocat Deos μακροβίους, *longævos.* De *Laviniâ,* Latini filiâ, Æn. 7. 52. De *Albâ,* Æn. 8. 42.

767. *Proximus ille, Procas, &c.*] Qui proximus tunc in Elysio apparebat: non qui proximus erat Sylvio successurus: fuit enim *Procas* inter Albanos reges ordine tantùm decimus tertius, *Capys* septimus, *Numitor* decimus quartus, *Æneas Sylvius* tertius, juxta Livium.

770. *Si unquam, &c.*] Æneas Sylvius fraude tutoris regno spoliatus, non nisi anno ætatis secundo et quinquagesimo regnum adeptus, illud tamen annis uno et triginta tenuit.

772. *Civili—quercu.*] Corona civica, è quercu vel ilice, quia alendæ hominum vitæ glandes olim in usu fuerant; ideo iis dabatur, qui in pugnâ civem servaverant, simulque occiderant hostem, nec è loco deturbati fuerant. Hìc iis assignatur Albanis, qui ad civium tutelam varias urbes Italiæ condiderant, murisve cinxerant: quorum nomina non indicat, utpote obscura aut incerta. *Nomentum,* nunc *Lamentano,* milliaribus duodecim Româ dissitum, ad septentrionem. *Gabii,* urbs inter Romam et Præneste media, decem circiter milliaribus utrinque distans, ad orientem: nunc omnino diruta, juxta diversorium publicum cui nomen est *l'Osteria Fideno,* vel *Fidenæ,* quinque milliaribus Romæ dissita, ad septentrionem, nunc *Castel Giubileo. Collatia,* non multò remotior, ad orientem, nunc ne vestigiis quidem superstes. *Pomelia, Suessa,* cujus ager *Pometius, Pometinus,* et *Pomptinus* dictus est; vicinæque paludes *Pomptinæ,* nunc *l'Aufente Palude;* urbs fuit Volscorum, nunc deleta. *Castrum Inuï,* oppidulum Rutulorum in litore Tyrrheni maris, nunc dirutum: ei dicatum Deo, qui Græcis Pan, Latinis Faunus, Fatuus, et *Inuus* sive *Incubus* dictus est ab ineundo; quòd animalia passim iniret. *Bola* vel *Bolæ,* oppidum Æquorum, circa Præneste ad orientem Romæ, quod jam Plinii tempore sine vestigiis interierat. *Cora,* nunc castellum nomen antiquum retinens, urbs Volscorum, non longè à Pometiâ. Has autem urbes ut Latio ascribat Virgilius. Latium sumit non prout erat antiquis illis temporibus, sed prout deinceps fuit; cùm huic etiam Æqui, Hernici, Volsci, et parte aliquâ Sabini annumerati sunt.

777. *Avo comitem, &c.*] *Numitori,* Procæ filio, per Amulium fratrem regnis pulso, addet se ultorem nepos Romulus, *Martis* filius, et *Iliæ,*

Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Vide'n' ut geminæ stant vertice cristæ,
Et pater ipse suo superûm jam signet honore?
En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm: qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc, geminas huc flecte acies: hanc aspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Cæsar, et omnis Iüli
Progenies, magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpiùs audis,
Augustus Cæsar, Divûm genus: aurea condet
Sæcula qui rursùs Latio, regnata per arva
Saturno quondam: super et Garamantas et Indos
Proferet imperium: jacet extra sidera tellus,

*quem pariet mater Ilia* ex *stirpe Assaraci, adjiciet se socium Avo. Videsne, ut duæ cristæ surgant* ex ejus *capite, et* ut *pater Deorum jam insigniat* eum *suo splendore? Ecce, ô fili, famosa illa Roma hujus ductu æquabit dominationem suam terris, et animos cœlo: et uno cinget sibi muro septem montes. Fortunata sobole civium: qualis mater Berecynthia vehitur curru per urbes Phrygias,* coronata *turribus, gaudens prole Deorum, amplexa centum nepotes, omnes incolas cœli, omnes obtinentes* spatia *alta* et *superiora. Huc, huc obverte geminos oculos: cerne hanc nationem, et Romanos tuos. Hic* est *Cæsar, et omnis proles Iüli, exitura sub magnum axem cœli. Hic est ille vir, quem sæpe audis promitti tibi, Augustus Cæsar, filius Deorum: qui instaurabit iterum aurea secula* per *Latium, per loca olim gubernata à Saturno: et propagabit imperium ultra Garamantas atque Indos: sita est* illa *terra ultra sidera,*

NOTÆ.

Numitoris filiæ, Æn. 1. 274. De *Assaraco*, avo Anchisæ, à quo per Albanos reges oriebatur Ilia, Æn. 284.

779. *Geminæ stant vertice cristæ.*] *Cristæ*, jubæ sunt equinæ, plumæ versicolores, galearum cono impositæ, à gallorum cristis ita propter similitudinem dictæ, Æn. 3. 468. *Geminæ*, ad majorem ornatum, non ut gemini fratres Remus Romulusque significentur, quod quidam volunt.

780. *Pater ipse, &c.*] Vel Mars *pater* Romuli, qui eum *sui, superûm*que honoris participem facit. Vel potiùs Jupiter *pater superorum*, qui eum *suo* honore insignit. Indicat Romuli mortem: qui vel fulmine ictus, vel à suis discerptus, inter Deos posteà relatus esse creditus est. De *Româ* ab eo conditâ, Æn. 1. 274. 276. De *septem Romæ montibus*, Geor. 2. 535.

784. *Berecynthia mater.*] *Cybele*, mater Jovis et complurium Deorum: quæ pro terrâ sumitur, unde turritam gerit coronam. *Berecynthia* dicta est à Berecyntho castello Phrygiæ ad Sagarim fluvium, vel monte ejusdem Phrygiæ ad amnem Marsyam, ubi insigniter colebatur. De *eâ, ejusque cultu in Phrygiâ*, Æn. 3. 111.

789. *Cæsar, et omnis Iüli, &c.*] De Julio Cæsare, quem hìc indicat, Ecl. 5. De *Iülo*, gentis Juliæ capite, Æn. 1. 267.

792. *Augustus Cæsar, &c.*] Octavianus, Julii sororis nepos, ut diximus, Æn. 5. 569. Augusti nomine donatus, anno U. C. 727. *Divûm genus* dicitur, quia Anchisâ, Æneâ, et per hos, Dardano et Jove genitus: Alia exemplaria habent *Divi genus*, notantque appellationem ipsam Octaviani: qui in nummis et marmoribus, ex quo tempore Julium Cæsarem, suum ex adoptione patrem, in Deos retulerat, se Divi filium nuncupabat, quod contigit anno U. C. 712. ut notavimus Ecl. 5. 64. De *aureo seculo, Saturno*, et *Latio*, Ecl. 4. 6. Notatque pacem ubique constitutam, anno U. C. 725. de quâ Æn. 1. 291.

794. *Garamantas et Indos.*] Vel intellige veros Indos, Asiæ populos, de quibus Geor. 1. 57. et *Garamantas*, inferioris Africæ populos, de quibus, Æn. 4. 198. Testatur enim Suetonius, c. 21: Indorum reges, Augusti famâ permotos, ejus amicitiam quæsivisse. Quod ex Eusebii Chronico accidisse colligitur anno U. C. 728. At verò, cùm eos ipse bello adeò non domuerit, ut ne lacessiverit quidem: malim *Indos* de Æthiopibus intimæ Africæ populis intelligere, de quibus, Ecl. 10. 68. Hos enim appellatos fuisse Indos à veteribus ostendimus, Geor. 1. 171. et Geor. 4. 287. Africæ verò partes ferè omnes tum cognitæ ab Augusto domitæ sunt: sive per se, cùm Ægyptum devictâ Cleopatrâ, in provinciam redegit, anno U. C. 724. sive per Antonium, qui ejus auspiciis de Africâ triumphavit, anno U. C. 725. et alios deinceps.

795. *Jacet extra sidera tellus, &c.*] Describit eandem Africam: quæ ita zonæ torridæ subjecta est, ut ultra tropicum Cancri ad septentrionem, extra tropicum Capricorni ad meridiem excurrat; quæ ultima pars, etsi non circumlustrata fuerat à veteribus, tamen conjecturis nota esse poterat. Hoc zonæ torridæ spatium vocat poëta *Solis et anni vias:* quia Solis annuus in cœlo cursus iisdem tropicis definitur: neque Solis duntaxat, sed et reliquarum sex planetarum, qui vocantur hìc

Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventu jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent Divûm; et Mæotica tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec verò Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licèt, aut Erymanthi
Pacârit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.
Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausoniâ prohibet consistere terrâ?
  Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani; primas qui legibus urbem

*ultra iter Solis et anni, ubi Atlas cœlifer versat humeris cœlum confixum stellis ardentibus. In ejus exspectatione jam nunc et regna Caspia, et terra Mœotica, trepidant* ob *oracula Deorum: et septem ostia Nili stupefacta commoventur. Nec certè Hercules peragravit tot terras: licèt occiderit cervam æneis pedibus, aut pacaverit sylvas Erymanthi, et arcu terruerit Lernam. Neque Bacchus, qui victor regit currum habenis pampino* vestitis, *impellens tigres ex alto cacumine Nysæ. Et adhuc dubitamus æternare virtutem factis? aut timor impedit* nos *sedere in terrâ Italicâ? Quis verò procul ille spectabilis ramo olivæ, portans sacras* res? *agnosco capillos et barbam canam regis Romani: qui primus firmabit urbem legibus,*

NOTÆ.

*sidera*, nec multùm ex iisdem spatiis excurrunt. De *zonâ, tropicis, &c.* Geor. 1. 233. 238. 240. De *Africâ*, Ecl. 1. 65.

796. *Cœlifer Atlas, &c.*] *Atlas*, mons quidem est Africæ septentrionalis, de quo, Æn. 4. 247. Sed cùm veteres interiorem ac meridionalem Africam parùm cognoscerent, isque mons Africæ sit maximus et longâ serie productus: montes harum regionum omnes Atlantis propaginem putabant: ut omnes earundem populos Æthiopum nomine complectebantur, Æn. 4. 480. *Axem aptum stellis*, explicuimus ibidem, v. 482.

798. *Caspia regna.*] Asiam intelligit, ubi *Caspium* est mare, nunc *mer de Bacu, de Sala:* et circa illud ad septentrionem Sarmatæ et Scythæ, ad meridiem Parthorum imperium, ad occidentem Armeni. Cum Parthis quid egerit vidimus, Geor. 4. 561.

799. *Mœotica tellus.*] Septentrionales significat Europæ populos, ubi *Mæotis palus*, nunc *Mar bianco*, circa quam minores Tartari: quæ tamen loca ab Augusto tentata non liquet: sed fœdere tantùm adjuncta.

800. *Septemgemini turbant, &c.*] Id est, *turbantur.* Sic etiam in prosâ oratione Tacitus: *Si una alterave civitas turbat.* De *Nilo*, Ægypti fluvio, ejusque septem ostiis, Geor. 4. 287.

801. *Alcides tantum, &c.*] *Hercules*, cur *Alcides* dictus, Æn. 5. 414. suis in varias orbis partes expeditionibus famosus. Adfuit enim Jasoni in Colchicâ velleris aurei direptione; Busirin occidit in Ægypto, Geryonem in Hispaniâ, Erycem in Siciliâ, Diomedem in Thraciâ: Hesperidum hortos in extremâ Africâ diripuit; tum itinerum suorum terminum fixit, columnas, montesve duos, Abylen in Africâ, et Calpen in Hispania: qui montes cùm anteà continui essent, ab eo dicuntur separati: unde immisso mari fretum Gaditanum apertum est, *le détroit de Gibraltar*, THE STREIGHTS OF GIBRALTAR. Quibus omissis illius factis, miror cur Virgilius tria elegerit in unâ eâdemque Peloponneso edita: nempe cervam æreis pedibus et aureis cornibus, Dianæ sacram, habitantem in *Mænalo* Arcadiæ monte, cursu comprehensam; aprum in *Erymantho*, Arcadiæ item monte vivum captum; hydram in *Lernâ* palude, Mycenas inter et Argos, interfectam; neque enim inde multa terrarum spatia peragrâsse Herculem colligi potest. De *Herculis laboribus*, Æn. 8. 288.

805. *Liber, agens, &c.*] De *Libero* sive *Baccho*, ejusque in Indiâ victoriis, Ecl. 5. 69. et 7. 58. Æn. 5. 301. Dicitur idem Hispaniam, deinde Ægyptum, et Libyam peragrâsse. Et *Nysa* quidem triplex numeratur. I. Urbs in Ægypto Arabiæ vicina, ubi Diodorus incunabula Bacchi constituit. II. Urbs ad montem Merum in Indiâ, non longè à Cophene fluvio, qui in occidentalem Indiæ partem influit; quam à Baccho Indiam peragrante conditam, deditione cepit et liberam reliquit Alexander. III. Alterum è Parnassi culminibus, juxta aliquos: qui ipsum Baccho sacrum dicunt; eique oppositum cacumen, Cyrrham nomine, Apollini dicatum. Vicus quidem *Nysa* statuitur à Stephano in Helicone, qui Bœotiæ mons est Parnasso æmulus. Bacchi autem tres ab aliquibus distinguuntur; ut Hercules quadraginta: quorum omnium facta tribuuntur Baccho filio Jovis ex Semele: ut Herculi Jovis ex Alcmenâ. De *Augusti victoriis* in utroque litore, Asiatico et Africano, Geor. 3. 33. De *Ausoniâ*, Italiâ, Æn. 7. 54.

Fundabit, Curibus parvis et paupere terrâ
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxtà sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimiùm gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus, sævasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchrâ pro libertate vocabit.
Infelix: utcunque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriæ laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi
Aspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illæ autem paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!

*missus in amplum regnum à parvis Curibus et terrâ paupere. Cui posteà succedet Tullus, qui turbabit pacem patriæ, et excitabit ad bella cives quietos et exercitum desuetum vincendi. Quem propè sequitur Ancus jactantior, et jam nunc nimis quærens favorem populi. Visne etiam videre reges Tarquinios, et animam gloriosam Bruti vindicis, et fasces recuperatos? Hic primus accipiet imperium Consulis et secures severas: et pro honestâ libertate pater adiget ad supplicium filios parantes novum bellum. Miser: quomodocunque posteri accepturi sint hoc factum, amor patriæ superabit et immensum desiderium gloriæ. Prætereà vide longè Decios et Drusos, et Torquatum sævientem securi, et Camillum reportantem vexilla. Illæ autem animæ, quas vides splendere in armis æqualibus, concordes nunc, et dum teguntur* his *tenebris: heu! si pervenerint ad lucem vitæ, quantum bellum, quantas pugnas et clades inter se excitabunt!*

## NOTÆ.

809. *Incanaque menta Regis, &c.*] *Numæ Pompilii*, secundi Romanorum regis; qui deficiente Romuli stirpe, propter prudentiam ascitus est è Curibus, urbe Sabinorum primariâ, ubi nunc Monasteriolum *Vescovio di Sabina*. Is legibus et religionum sanctitate feroces Romanos temperavit; Ægeriæ, ut fingebat, Nymphæ usus consilio; in pace perpetuâ urbem continuit: unde coronatur *olivâ*, quæ pacis insigne est; annos vixit octoginta, quorum tres et quadraginta regnavit, quare hìc describitur mento *incano*, id est, *valdè cano*, Æn. 5. 784.

814. *Tullus, &c.*] *Tullus Hostilius*, rex Romanorum tertius, neque è Romuli, neque è Numæ genere. Albano bello pacem abrupit, quod excepit gravis pestilentia: ob quam avertendam sacra dum Jovi faceret, ictus fulmine cum totâ domo conflagravit.

815. *Jactantior Ancus, &c.*] *Ancus Martius*, rex quartus, Numæ nepos ex filiâ: multa fecit in populi commoda, *cuilibet superiorem regum belli pacisque et artibus et gloriâ par*, inquit Livius. *Aura popularis*, est populi favor; et sic describitur à Cicerone Quinctius, pro Cluentio, 77. *homo popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere consuêsset.*

817. *Tarquinios.*] Corintho oriundos. Duo hujus nominis Romæ regnaverunt: *Priscus*, et *Superbus* Prisci nepos. Horum medius Servius Tullus omittitur à Virgilio propter obscuritatem stirpis. *Priscus*, Anci filiorum operâ occisus est: *Superbus*, ob violatam à Sexto filio suo Lucretiæ pudicitiam, cum totâ familiâ regno pulsus est: auctoribus conspirationis Bruto et Collatino, qui perpetuum regum imperium in annum consulare permutârunt: et *fasces*, ac purpuram, et alia summæ potestatis insignia sibi cæterisque deinde consulibus attribuerunt. De *fascibus* virgarum, quarum in medio securis eminebat, Geor. 2. 495.

820. *Natosque pater, &c.*] *Titus* et *Tiberius*, Bruti filii, cùm de revocandis in urbem Tarquiniis clam egissent, palam virgis cæsi, ac deinde securi percussi sunt, patre jubente ac spectante. Quo facto utrùm laudem Brutus meruerit à posteris, variè disceptatum est, unde addit, *utcunque ferent, &c.*

824. *Decios, Drusos, &c.*] Familias Romæ nobiles commemorat. *Decios*, quorum tres pro republicâ vitam devovere, variis temporibus, ut diximus, Geor. 2. 169. *Drusos:* cognomen fuit illatum in familiam *Liviam*, ob *Drusum*, Gallorum ducem, ab uno aliquo ejus familiæ trucidatum. In hâc multi Consules ac Tribuni plebis; ex eâ orta Livia Drusilla, tum Augusti conjux. *Torquatum*, T. Manlium intelligit, qui anno U. C. 393. ob detractum Gallorum duci à se occiso *torquem*, inde *Torquati* cognomen in familiam intulit; ter consul fuit, ter dictator: tertio consulatu triumphavit de Latinis, anno 414. quo bello filium securi cædi jussit, quòd contra edictum ducem Tusculanorum pugnâ interfecisset. *Camillum:* M. Furium Camillum: qui quinquies

Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci
Descendens; gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,

*socer descendens è montibus Alpinis et rupe Monœci: gener adjutus orientalibus populis oppositis. O pueri, ne assuefacite animum tantis bellis: neve convertite in viscera patriæ firmum* ejus *robur. Et tu prior, tu abstine, qui trahis originem è cœlo: Projice arma* è *manibus,* ô qui *sanguis meus* es. *Ille subactâ Corintho victor impellet currum ad altum Capitolium, clarus ob interfectos Achivos. Ille destruet Argos, et Mycenas Agamemnonis,*

## NOTÆ.

dictator fuit: quater triumphavit, de Veientibus, de Volscis, de Gallis Româ liberatâ, iterum de Gallis octogenarius, anno U. C. 387.

830. *Aggeribus socer Alpinis, &c.*] Cæsar, cujus filiam Juliam Pompeius in matrimonio habuerat. In auxiliis Cæsaris erant Galli et Germani ab occidente: in Pompeii auxiliis, Asiatici ab oriente. Unde Cæsarem ait venturum ex Alpibus, qui montes Italiam à Galliâ dividunt, Ecl. 10. 47. Pompeium ex orientalibus Auroræ partibus: ἠῶς enim est *Aurora. Arx Monœci, Monaco,* seu *Mourgues,* Principatus, arx, et portus, in orâ maritimâ Liguriæ, *de la côte,* ou *rivière de Gênes,* OF THE COAST OR RIVER OF GENOA, et ipso Alpium maritimarum initio: dictus *Herculis Monœci* portus, quòd Hercules, pulsis hostibus, illic aut solus regnaverit, aut solus privato in templo cultus fuerit, è μόνος, *solus,* et οἰκῶν, *habitans.*

832. *Animis assuescite bella.*] Duplex commutatio. I. *Assuescite bella animis;* pro *assuescite animos bellis.* II. Neutrum activo: *assuescite,* pro *assuefacite.* Et sic ferè Velleius Paterculus, l. 2. 79. *Militi ac remigi navalibus assuescendo certaminibus præfectus est Marcus Agrippa.*

835. *Sanguis meus.*] Julius Cæsar; qui ab Iülo Ascanio et Venere ducebat originem, suprà, v. 763. Idque per appositionem dictum est, pro *qui es sanguis meus:* alioqui dicendum erat, *mi sanguis.*

836. *Capitolia ad alta Corintho, &c.*] *Corinthus* urbs Græciæ nobilis, in Isthmo, dicto inde Corinthiaco, quo Peloponnesus à reliquâ Græciâ dividitur: inter duo maria, Ægæum ab oriente, et Ionium ab occidente. *Achivi,* populi sunt septentrionales Peloponnesi, ad occidentem Corinthi: quorum nomine, Hellas, sive maxima pars Græciæ ultra Isthmum, etiam Achaia dicta est. Hi, cùm sibi conciliâssent plurimas, tam Peloponnesi, quàm reliquæ extra Peloponnesum, Græciæ civitates: diuque fuissent in societate Romanorum: tandem Romanorum legatis ad illud, quod vocabant, Achæorum concilium dissolvendum missis Corinthum, ibique violatis, bello à Romanis appetiti sunt: quo ipsi victi, Corinthus capta et incensa, eorumque socii, Arcades, Thebani, Megarenses, totaque adeò Peloponnesus et Græcia Romano imperio subdita; eique præpositus magistratus, Achaiæ præfectus deinde appellatus est: quia Romani in Achæis, tum Græciæ principibus, Græciam universam subegerant, inquit Pausanias in Atticis. Hæc gesta sunt primùm à Q. Cæcilio Metello prætore; perfecta à L. Mummio consule, qui de iis triumphavit anno U. C. 609. *Capitolium,* templum Jovis fuit Romæ, strui cœptum à Tarquinio Prisco, in colle qui priùs Tarpeius dictus fuit, deinde Capitolinus: nomen inditum ab invento ibidem humano capite, dum fundamenta ponerentur. Huc solebant curru deduci triumphantes, ut lauream suam in Jovis gremio deponerent.

838. *Eruet ille Argos, &c.*] *Eruet,* hìc non significat *evertet,* sed simpliciter *vincet.* Tum *Argos* et *Mycenæ,* pro regno ipso Argolico totâque illâ regione usurpantur, ut sæpe fit à Virgilio. Constat enim ex Strabone, lib. 8. *Mycenas* ab ipsis Argivis invidiâ imperii excisas fuisse, et omnino deletas; non ergo à Romanis. Vide Æn. 7. 372. Dubitatur autem, cui Romanorum ducum tribuenda sit hæc victoria. I. Tribuitur T. Quinctio Flaminio, quem aliqui Flamininum nuncupant: qui Philippum Macedoniæ regem, cui parebat Thessalia Græciæque ac Peloponnesi pars maxima, debellavit; Argos recepit; Græcos omnes libertate donavit; ideóque tribus continuis diebus triumphavit anno 560. II. Tribuitur L. Æmilio Paulo: qui Perseum vel Persen, Philippi filium, iisdem ferè auxiliis confidentem, vicit, et in triumpho duxit, anno 587. III. Tribuitur Q. Cecilio Metello, qui Andriscum sive Pseudophilippum, patre Perseo falsò gloriantem, iisdem opibus fretum, ultimumque Macedoniæ regem, vicit: et bellum Achaïcum inchoavit, de quo mox dicemus, triumphavitque anno U. C. 608. *Philippus* autem, ejusque filius *Perseus,* et *Andriscus,* ex *Æacidarum* et *Achillis* familiâ genus deducere se gloriabantur, ut testatur Silius Italicus, de Philippo: *Hic gente egregius, veterisque ab origine regni, Æacidum sceptris proavoque tumebat Achille.* Idem ait Propertius, l. 4. 12. 39. De genitivo *Achillei,* pro *Achillis,* Æn. 1. 220.

Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achillei;
Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum; aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? parvoque potentem

*et ipsum nepotem Æaci, sobolem bellicosi Achillis: ultus avos* suos *Trojanos, et templum Minervæ violatum. Quis omittat te indictum, ô magnè Cato: aut te, ô Cosse? Quis familiam Gracchorum? aut duo fulmina belli, duos Scipiones destructores Libyæ? aut paupertate gloriosum*

NOTÆ.

840. *Ultus avos Trojæ, &c.*] Quæ à Græcis, Achæis præsertim et Peloponnesiis, excisa fuerat. *Templa temerata Minervæ* fuerant; tum à Diomede et Ulysse, cùm è Trojano ejus templo Palladium subripuerant, Æn. 2. 166. tum ab Ajace Oïlei filio, qui Cassandram eodem in templo violaverat, Æn. 1. 40. et 2. 404.

841. *Magne Cato.*] Duo præcipui fuerunt hujus nominis: *major* alter, et *censorius*, qui ad summam senectutem pervenit: *minor* alter, et *prætorius*, è majoris posteris; qui bello Cæsariano sibi mortem Uticæ conscivit, ne in Cæsaris potestatem veniret; ambo sic insignes gravitate, ut quisquis gravitatem affectat tertius dicatur Cato, Juvenal. Sat. 2. 40. *Tertius è cœlo cecidit Cato.* *Major*, de quo hìc agitur, Tusculo oriundus, è Portiâ gente obscurâ, ob prudentiam dictus est *Cato*. Latinis enim *catus* est prudens. Prætor Sardiniam subegit. Consul anno U. C. 559. anno insequente de Hispaniâ proconsul triumphavit. Censor anno U. C. 579. L. Quinctium Flamininum consularem è senatu ejecit. Tertio Bello Punico Carthaginem esse delendam censuit; septuagenarius literas Græcas didicit: octogenarius Galbam accusavit; ipse quater et quadragies accusatus, semper absolutus.

*Cosse.*] *A. Cornelius Cossus*, occiso Larte Volumino Veientium rege, opima ejus spolia Jovi Feretrio secunda consecravit, cùm Romulus prima dedicâsset: Id referunt multi in annum U. C. 325. Dubitatur verò, an Consul, an Magister equitum, an militum Tribunus, id Cossus fecerit. Dictator deinde factus anno U. C. 369. triumphavit de Volscis; et M. Manlium Capitolinum, regni affectati suspectum, in carcerem conjecit.

842. *Gracchi genus.*] Hujus familiæ clarissimus fuit *Tiberius Sempronius Gracchus:* qui prætor de Hispaniâ citeriore, ceu Celtiberis triumphavit, destructis oppidis eorum trecentis anno U. C. 576. Consul anno insequente, sortitus Sardiniam, iterum de eâ Proconsul triumphavit, anno 579. Censor anno 585. Consul iterum anno 591. graves gessit cum Scipione Africano majore inimicitias: quibus tamen depositis, filiam ejus Corneliam accepit conjugem. Ex eâ duodecim liberos sustulit: è quibus filii duo superstites, Tiberius et Caius Gracchus: qui ambo Tribuni plebis diversis temporibus facti, cùm per leges agrarias affectare regnum viderentur, concitato optimatum tumultu, similiter perierunt: Tiberius quidem, anno 621. Caius, anno 633.

*Duo fulmina belli, Scipiadas, &c.*] *P. Cornelius Scipio Africanus major*, et *P. Cornelius Scipio Æmilianus Africanus minor*, majoris nepos, ex familiâ Pauli Æmilii Macedonici per adoptionem assumptus. *Major*, anno U. C. 543. ætatis suæ 24. extra ordinem missus in Hispaniam, inde Pœnos expulit. Consul factus anno 549. in Africam anno sequente Proconsul trajecit: ibique cæsis Pœnis, coëgit Annibalem ad patriæ tutelam ex Italiâ regredi: subactæ Carthagini tributum et obsides imperavit, ideoque nomen Africani et triumphum tulit, bello Punico secundo confecto, anno 553. Censor deinde fuit anno 555. Iterum Consul anno 560. Ter electus princeps Senatûs: adversùs Antiochum Syriæ regem profectus est legatus Lucii fratris, qui ex eâ victoriâ dictus est Asiaticus. Inde reversus, et accusatus à Petilliis tribunis plebis, receptâ ab Antiocho ob dandam pacem pecuniâ, indignum ratus adesse se ad causam dicendam, abiit Liternum in Campaniam, ibidemque mortuus est, anno circiter 567. *Minor*, consul renunciatus ante ætatem favore populi, anno U. C. 607. bellum Punicum tertium confecit deletâ Carthagine, indeque triumphavit anno 608. Censor anno 612. Iterum Consul, anno 620. Numantiâ citerioris Hispaniæ urbe deletâ triumphavit, anno 622. Mortuus in lecto repertus est, anno 625. ita ut quædam elisarum faucium in capite notæ apparerent: suspecta fuit dati veneni uxor ejus Sempronia, soror Gracchorum, cum quibus fuerant Africano simultates. De ejus morte nulla est habita quæstio. *Belli fulmina* vocantur duce Lucretio, qui de eorum altero ait l. 3. 1048. *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.* Et Cicerone, qui de aliis ejusdem gentis, in orat. pro Cornelio Balbo, 34. *Cùm duo fulmina nostri imperii subitò in Hispaniâ Cn. et P. Scipiones extincti occidissent.* De *Libyâ*, Africâ, Æn. 1. 158.

Fabricium? vel te sulco, Serrane, serentem?
Quò fessum rapitis, Fabii? Tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia molliùs æra,
Credo equidem: vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt causas meliùs; cœlique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
 Sic pater Anchises; atque hæc mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumque rebellem:
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

*Fabricium? aut te seminantem* in *sulco, ô Serrane? Quò* me *abripitis fatigatum, ô Fabii? tu es ille* Fabius *Maximus, qui solus nobis reparas rempublicam cunctando. Alii, opinor equidem, conflabunt solertiùs æra* quasi *animata: excident è marmore vivos vultus; meliùs agitabunt causas, et distinguent virgâ circuitus cœli, et explicabunt ortum astrorum: tu, Romane, memineris gubernare gentes* cum *auctoritate: hæ erunt artes tuæ: et statuere conditiones pacis, et ignoscere submissis, et domare superbos. Sic* ait *Anchises: et hæc adjicit mirantibus: Vide quomodo Marcellus incedit, notabilis ob spolia opima, et victor assurgit super omnes viros. Hic magno tumultu furente firmabit rem Romanam equitatu: vincet Carthaginienses et Gallum rebellantem; et dicabit patri Quirino tertia spolia direpta.*

## NOTÆ.

844. *Fabricium.*] *C. Fabricius* bis Consul fuit, bis triumphavit: et primo quidem consulatu de Etruscis, anno 472. secundo de Samnitibus et Lucanis, anno 476. *Parvo potens,* quia paupertatis studio nobilis, auro neque à Samnitibus neque à Pyrrho rege corrumpi potuit: responditque, Romam aurum non habere, sed habentibus aurum imperare.

*Serrane, &c.*] *L. Quinctius Cincinnatus* bis Dictator: primâ dictaturâ de Æquis triumphavit, anno 296. Secundâ Sp. Mælium affectati regni suspicione laborantem per Servilium Ahalam obtruncavit, anno 315. tum octogenarius ex agro quatuor jugerum, quem arabat ipse et serebat, ad magistratum eductus, unde *Serrani* cognomen habuit à *serendo.*

845. *Fabii? tu Maximus, &c.*] *Fabiorum* nobilissima gens, et patricia, et ab Hercule deducens genus, una bellum adversùs Veientes in se suscepit: quo bello sex et trecenti à Veientibus ad fluvium Cremeram per insidias oppressi sunt: uno ex universâ familiâ superstite, qui propter teneriorem ætatem domi relictus fuerat: per hunc propagatum est genus: et ex ejus posteris fuit *Q. Fabius Maximus,* qui quinquies Consul, semel Censor, bis Dictator, bis Princeps Senatûs; bis triumphavit: primo quidem consulatu, de Liguribus, anno 521. quinto autem de Pœnis Tarento receptâ, anno 545. Annibalis ferociam et fortunam constantiâ suâ contudit: remque Romanam, acceptis ad Trebiam et Trasimenum cladibus fractam, cunctatione restituit: unde *cunctator* est appellatus. Hunc versum Virgilius ex Annalibus Ennii totum transtulit; *Unus qui nobis, &c.*

847. *Excudent alii, &c.*] Artem regnandi propriam Romanorum comparat cum gentium aliarum artibus: cum statuariâ Corinthiorum, oratoriâ Atheniensium, astrologicâ Chaldæorum et Ægyptiorum. De *radio* seu virgâ mathematicâ, ad varias cœli terrarumque partes assignandas, diximus, Ecl. 3. 41.

855. *Spoliis Marcellus opimis.*] *M. Claudius Marcellus,* plebeiæ, sed insignis familiæ, quinquies Consul, semel triumphavit: primo nempe consulatu: de Gallis Insubribus Germanisque eorum sociis, occiso Germanorum rege Virdumaro, captâque Gallorum urbe primariâ Mediolano, anno U. C. 532. Tertio consulatu missus in Siciliam, Syracusas Annibali Pœnisque faventes et Archimedis industriâ defensas, triennii obsidione cepit: ideóque ovans urbem ingressus est, anno 543. Primus Annibalem in fugam vertit, commisso ad Nolam certamine: inde sæpiùs cum eo prosperè congressus, tandem quinto consulatu circumventus ejus insidiis, interfectus est, anno 546. *Opima spolia* dicebantur, quæ dux duci à se in pugnâ occiso detraxerat: qualia Marcellus Virdumaro.

857. *Tumultu.*] Propriè bellum Gallicum ita nuncupat. Sic enim Cicero Philippicâ 8. 3. *Majores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus: tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus: præthereà nullum tumultum nominabant.* Propriè etiam *sistet eques,* quia Marcellus peditatu relicto, equitatu ad majorem celeritatem oppressit Gallos et Virdumarum. De *Pœnis,* Carthaginiensibus, Æn. 1. 338.

859. *Tertiaque arma, &c.*] *Prima* enim opi-

Atque hìc Æneas (unà namque ire videbat
Egregium formâ juvenem et fulgentibus armis;
Sed frons læta parùm, et dejecto lumina vultu)
Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magnâ de stirpe nepotum?
Quis strepitus circà comitum! quantum instar in ipso est!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbrâ.
Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Ostendent terris hunc tantùm fata, neque ultrà
Esse sinent. Nimiùm vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tyberine, videbis
Funera, cùm tumulum præterlabêre recentem!
Nec puer Iliacâ quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo se tantùm tellus jactabit alumno.

*Hìc verò Æneas* ait *(nam videbat simul incedere juvenem insignem pulchritudine et armis splendentibus; sed frons parùm erat hilaris, et oculi demissi è vultu) O pater, quis ille qui sic comitatur virum incedentem?* An *filius* est ejus? *an verò aliquis è magnâ serie posterorum? Quis strepitus sociorum est circa* illum! *quanta similitudo* Marcelli *est in illo! sed nigra nox cingit caput* illius *mœstis tenebris. Tunc pater Anchises erumpentibus lachrymis cœpit* loqui: *O fili, ne petas* à me *magnum dolorem tuorum. Fata monstrabunt duntaxat illum terris, nec permittent diutiùs vivere. O Dii, Romana gens visa* est *vobis nimis potens* futura, *si hoc munus fuisset ipsi perpetuum. Ille campus,* qui est *prope magnam urbem Martis, quantos emittet gemitus hominum! vel, ô Tyberine, quale aspicies funus, quando præterflues sepulchrum ejus novum! neque ullus puer è Trojanâ stirpe eriget avos Latinos in tantam spem: neque terra Romulea olim adeò se efferet ullo filio.*

NOTÆ.

ma spolia retulit Jovi Feretrio Romulus, de Acrone Cæninensium rege, suprà, v. 218. *Secunda* Cossus, de Larte Tolumnio Veientium rege, suprà, v. 341. *Tertia* hic Marcellus de Virdumaro: post quem nemo alius, ut perhibet Plutarchus in ejus vitâ. At quæritur, cur Virgilius dixerit, *Patri suspendet capta Quirino.* I. Nascimbænus explicat, *Suspendet patri Jovi, spolia capta Quirino,* id est, capta *Marte,* sive *bello.* II. Sic Cerdanus, *Appendit addetque spolia tertia, spoliis olim à patre Quirino,* sive *Romulo suspensis.* III. Sic Servius, *Suspendet patri Romulo;* affertque legem Numæ; quâ jubebantur prima opima spolia Jovi offerri, secunda Marti, tertia Romulo. Sed patet hoc edictum fuisse de spoliis tribus ab eodem duce referendis: et constat ex omnibus scriptoribus, Jovi Marcellum sua sacravisse. IV. Sic ego, *Suspendet Jovi Quirino,* id est, *Jovi Feretrio.* Quemadmodum enim dicitur, *Janus Quirinus,* apud Suet. in Augusto 22. et Horat. Od. l. 4. 15. 9. quod belli præses esset, et ejus templum fuisset à Romulo Quirino conditum, ut innuit Macrob. Saturn. l. 9. sic Jupiter Feretrius hoc utroque modo dici *Quirinus* potuit: *Quirini* porrò nomen ab *hastâ,* quæ Sabinis *curis* aut *quiris* dicitur, inditum primò est et Marti et Romulo, ob belli curam et studium.

865. *Quantum instar in ipso est.*] Quæ similitudo! quæ æquiparatio virtutis ejus, cum prisci illius Marcelli virtute! *Instar,* nomen est, ut aiunt, indeclinabile. Cicero in Pison. 52. *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit.* Suetonius in Cæsare, 61. *Cujus equi instar pro æde Veneris dedicavit.* Columella, l. 3. *Pampinus instar quatuor digitorum erit.* Solinus, Gellius, inferiorumque temporum scriptores abjectâ præpositione dixerunt, *ad instar.*

867. *Ingressus.*] Incepit loqui, ut Geor. 2. 175. *Tibi res antiquæ laudes et artis Ingredior.*

869. *Ostendent terris hunc, &c.*] Indicat M. Marcellum, Octaviæ sororis Augusti filium ex C. Marcello: quem Augustus etiam puerum destinaverat maritum Juliæ filiæ suæ, sibique filium et imperii successorem adoptaverat. Is factus ædilis et pontifex ante tempus: paulò pòst, anno U. C. 731. ætatis circiter 20. apud Baias obiit: aquarum frigidarum balneis, specie reficiendæ valetudinis, enectus ab Antonio Musâ medico, vel per imprudentiam, vel fortè Liviæ suasu. Corpus ejus Romam delatum, in Campo Martio, juxta urbem, secundùm Tybrim, crematum ac tumulatum est: maximo populi Romani dolore, magnificentissimo funere, quod lecti sexcenti comitati sunt.

871. *Propria dona.*] *Perpetua,* ut diximus, Ecl. 7. 31. De *Mavortis* sive *Martis urbe,* Româ, Æn. 1. 276. De *Tyberino fluvio,* Æn. 7. 330.

874. *Funera.*] Interpretare, vel funus ipsum, plurale pro singulari: vel lectos illos sexcentos: cæteraque funeris ornamenta: vel cædes gladiatorum in funeribus usurpatas. De *Ilio,* Æn. 1. 1. De *Latinis,* ibid. 1. 6. et 7. 54.

*Heu pietas! heu fides antiqua, et manus insuperabilis bello! non ullus adversus impunè opposuisset se illi armato: sive quandò pedibus irrupisset in hostem, sive percussisset calcaribus membra spumantis equi. Heu puer deplorande! si aliquo modo evites dura fata, tu eris Marcellus. Date lilia plenis manibus:* ut *injiciam rubicundos flores, et saltem ornem his muneribus umbram nepotis, et persolvam hoc vanum officium. Ita discurrunt ubique totâ regione in vastis spatiis aëris, et circumspiciunt omnia. Postquam Anchises duxit filium per hæc omnia, et inflammavit animum* ejus *cupiditate gloriæ futuræ: deinde monstrat illi bella quæ posteà facienda* sunt; *et declarat illi Laurentem gentem, et urbem Latini; et quâ ratione toleraturus sit, aut evitaturus unumquemque laborem. Duæ sunt januæ Somni: quarum una dicitur* esse *cornea,* per *quam permittitur liber egressus veris figuris: altera fulgens,* quia *facta è candido ebore; sed Dii inferi mittunt* per *hanc falsa somnia in mundum. Illic tunc Anchises alloquitur his verbis Æneam et simul Sibyllam, et demittit per januam eburneam.*

Heu pietas! heu prisca fides! invictaque bello
Dextera! non illi quisquam se impunè tulisset
Obvius armato: seu cùm pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer! si quà fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic totâ passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda;
Laurentesque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:
Altera, candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.
His ubi tum natum Anchises unàque Sibyllam
Prosequitur dictis, portâque emittit eburnâ.

## NOTÆ.

878. *Heu pietas! heu, &c.*] Deplorat spem tot insignium virtutum cum eo juvene sepultam. Sic autem eum describit Seneca ad Marciam, c. 2. *Adolescentem animo alacrem, ingenio potentem, sed et frugalitatis continentiæque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandum, patientem laboris, voluptatibus alienum, &c.*

881. *Armos.*] Propriè *humeri* sunt: quæ pars, quia calcaribus non foditur, sed ilia, ideò hìc, *armos*, pro equo generatim sume.

883. *Tu Marcellus, &c.*] Hic ille versus est, quem audiens Octavia, cùm librum hunc sextum Virgilius Augusto recitaret, animo defecta est: jussitque pro singulis hujus argumenti versibus auctori dena sestertia numerari. Inde constat, recente adhuc mortis illius luctu, perfectum à poëtâ librum hunc fuisse, scilicet anno U. C. 731. Nec plures quàm quatuor annos, in sex posterioribus libris collocâsse, cùm in sex prioribus circiter septem posuisset. De *aspertione florum circa sepulchra*, Æn. 5. 79.

887. *Aëris in campis, &c.*] In Elysio; quod *aëreum* dicitur, vel quia vacuum et inanibus umbris habitatum: vel quia situm in aëreis pratis, ut diximus, v. 638. De verbo *lustro*, circumspicio, Æn. 1. 608.

891. *Laurentesque, &c.*] De iis, Æn. 7. 63. De *Latino* rege, ibid. v. 47.

893. *Sunt geminæ, &c.*] Somnum apud Cimmerios, ad fluvium Lethes, collocat Ovid. Met. 11. 594. id est, in inferorum aditu. Circa eum seges magna papaverum, infinita somniorum gens, ministri tres præcipui: *Morpheus*, qui figuras hominum imitatur; *Icelus* vel *Phobetor*, qui reliquorum animantium; *Phantasos*, qui rerum inanimatarum species. *Somniis* Virgilius jam anteà sedem assignavit ulmum ingentem in vestibulo inferorum, v. 283. Sed illic aliqua tantùm hærere somniorum examina arbitror: hìc verò propriam esse domum; cui portas geminas attribuit, Homero duce, Odyss. 19. 562. *eburneam* alteram, quâ falsa; *corneam*, quâ vera Somnia emittuntur. Cujus discriminis rationem afferunt aliqui: quòd cornea, sint pervia visui; eburnea verò, impervia: alii, quòd cornu naturam oculorum referat, ebur naturam dentium; quæ autem videntur oculis, multò sunt certiora quàm quæ alieno tantùm ore famâque percipiuntur. Cùm igitur Virgilius Æneam eburneâ portâ emittit; indicat profectò, quidquid à se de illo inferorum aditu dictum est, in fabulis esse numerandum. De *elephanto*, pro ebore, quod elephanti dens est, Geor. 1. 57. De *manibus*, pro diis inferorum, suprà, v. 743. De *Cajetâ*, Æn. 7. 1. De *anchoris*, suprà, v. 4. De *hoc situ navium in litore*, Æn. 3. 277. unde versus iste decerptus est.

Ille viam secat ad naves, sociosque revisit.
Tum se ad Cajetæ recto fert litore portum.
Anchora de prorâ jacitur, stant litore puppes.

*Ille corripit viam ad naves, et repetit socios. Tunc radens rectum litus tendit ad portum Cajetæ. Anchora demittitur è prorâ, et puppes tegunt litus.*

---

# P. VIRGILII MARONIS

# Æ N E I D O S

## LIBER VII.

---

## ARGUMENTUM.

*ÆNEAS è Cumano litore ad occidentem provectus, tumulatâ in Auruncorum litore Cajetâ nutrice suâ, prætergressus montem Circæum, habitatione et veneficiis infamem, ad ostia Tyberis appellitur. Tunc Latinus illic Aboriginibus imperabat. Huic unica erat filia Lavinia, Fauni oraculis destinata externo marito; Amatæ tamen matris voluntate promissa Turno Rutulorum regi. Mittit Æneas oratores Laurentum, in urbem Latini regiam. Latinus Æneam non modò in socium; sed oraculi memor, etiam in generum admittit. Interim Juno, prosperis Trojanorum rebus offensa, evocat Alecto ex inferis. Alecto primùm Amatam Latini uxorem ita concitat, ut illa Bacchi sacra simulans filiam abscondat in montibus. Turnum deinde furiis iisdem agit in bellum: et Trojanos Latinosque invicem committit, occiso per Ascanium cervo, qui Tyrrhei pastoris regii filiæ erat in deliciis. Omnibus bellum frementibus, Latinus unus obsistit: tamen Junone ipsâ belli portas aperiente, rem fatis permittere cogitur. Confluunt ad Turnum ex omnibus Italiæ partibus auxilia: Mezentius, ejusque filius Lausus, cum Agyllinis; Catillus et Coras, cum Tyburtinis; Cæculus cum Prænestinis, &c.*

TU quoque litoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Cajeta, dedisti:

INTERPRETATIO.

*Tu etiam, ô Cajeta, nutrix Æneæ, tribuisti moriens famam immortalem nostris litoribus:*

NOTÆ

1. *Tu quoque, &c.*] In litore maris Tyrrheni, et finibus novi Latii; nunc eâ parte regni Neapolitani, quæ dicitur *Terra di lavoro*, est hodieque *Cajeta*, *Gaëta*, urbs cum sinu et promontorio cognomine. Nomen alii cum Virgilio ab Æneæ nutricæ repetunt: Aurelius Victor à *καίειν*, *incendere*, quòd illic Æneæ naves à Trojanis mulieribus incensas quidam dicunt: Strabo, à Laconum linguâ, qui *curva* omnia *καιάττας* vocant.

Et nunc servat honos sedem tuus; ossaque nomen
Hesperiâ in magnâ, si qua est ea gloria, signat.
At pius exequiis Æneas ritè solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem: nec candida cursum
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum et serâ sub nocte rudentum:
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira subirent;
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque fugam dedit, et præter vada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cùm venti posuere, omnisque repentè resedit
Fluctus, et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hìc Æneas ingentem ex æquore lucum

*et nunc memoria tua custodit locum; et nomen* tuum *indicat sepulchrum* tuum *in magnâ Italiâ, si aliquis est hic honor. At pius Æneas factis exequiis* juxta *consuetudinem, extructâ mole sepulchri, postquam tumida maria pacata sunt, continuat navigationem velis et deserit portum. Venti favent circa noctem: et Luna splendida non obstat cursui: mare fulget sub* ejus *luce tremulâ. Leguntur litora vicina terræ Circææ: ubi filia Solis opulenta sonat continuo cantu per sylvas invias: et* in *domo magnificâ accendit cedrum odoriferam ad lucem nocturnam, addensans acuto pectine telas subtiles. Hinc* cœperunt *audiri voces, et furores leonum excutientium vincula et rudentium per mediam noctem: et setosi porci, et ursi* cœperunt *frendere in stabulis, et species magnorum luporum ululare: quos Circe, crudelis Dea, mutaverat efficacibus herbis ex figurâ hominum in vultus et pellem ferarum. Quæ talia portenta ne paterentur pii Trojani, provecti in portum* illum, *et ne appellerent ad funesta litora; Neptunus inflavit vela prosperis ventis, et acceleravit cursum, et impulit* naves *ultra spumosum* hoc *mare. Et jam mare rubescebat luce, et ab alto cœlo Aurora crocea splendebat in equis duobus roseis: quando venti quieverunt, et omnis fluctus subitò cessavit, et remi laborant in mari immoto. Tunc autem Æneas vidit è mari magnam*

NOTÆ.

3. *Servat honos sedem tuus.*] Vel sensum habet, quem in interpretatione suggerimus. Vel est hypallage, sive commutatio, pro *sedes servat honorem et memoriam tuam*, Æn. 6. 268. De *Hesperiâ Magnâ*, Italiâ, ibid. 1. 530.

10. *Proxima Circææ, &c.*] Solvit sub noctem Cajetâ, et ad occidentem navigat; Circæumque montem *Circello*, in eodem Latii litore prætergressus, ad ostia Tiberis primâ luce pervenit. De *Circæo* monte et *Circe* veneficâ, Solis filiâ, Æn. 3. 368.

11. *Inaccessos lucos.*] Accessit eò tamen Ulysses cum sociis; igitur *inaccessos* dicit, quorum difficiles accessus, quò nemo debeat accedere propter illecebrarum pericula. Sic Geor. 3. 5. dixit, *Illaudati Busiridis aras*, id est quem nemo debet laudare, quamvis eum Isocrates laudaverit.

12. *Resonat cantu lucos.*] *Personat, resonare docet*, neutrum, pro activo: ut ferè Æn. 6. 832. *Assuescite bello.* Porrò Circe *urit cedrum*, sive tædam è cedro pretiosâ arbore, quæ cariem non sentit, et unde oleum exprimitur. *Percurrit telas:* telam texit, opus muliebre, de quo, Æn. 3. 483. *Pectine arguto*, id est, vel *stridulo*, vel *acuto.*

16. *Rudentum.*] Proprium est asinorum *rudere*, Geor. 3. 374. Leo dicitur *rugire*, sed vox ista recentiorum scriptorum est.

19. *Quos hominum ex facie, &c.*] Dicitur Circe potu medicati liquoris et virgæ tactu mutâsse homines in feras. Et sic in sues mutavit Ulyssis socios, præter Eurylochum, qui domum ejus ingredi noluerat; et Ulyssem, qui esu cujusdam herbæ, *moly* nomine, servatus à Mercurio fuerat. Hos tamen posteà Circe, Ulyssis rogatu, pristinæ restituit formæ. Ita Hom. Odyss. 10. 135. *Sæva Dea* appellatur ab Homero, ibid. δεινὴ θεός, quia divini generis, Solis filia. De *Neptuno*, Æn. 1. 125.

25. *Jamque, &c.*] De *Aurorâ*, ejusque *bigis*, Geor. 1. 249. De *luteo colore*, Ecl. 4. 44.

28. *Fluctus.*] Vulgò *Flatus*, sed *Venti* et *Flatus* ferè idem sonant. *Anon.*

*Tonsæ.*] Remi: sic dicti, vel quia fiunt è ligno *attonso* et dolato; vel quia aquas *tondent*, vel *tundunt* et verberant: Enniana et Lucretiana vox, Lucr. l. 2. 554. *Antennas, proram, malos, tonsasque natantes.*

Prospicit: hunc inter fluvio Tyberinus amœno,
Vorticibus rapidis et multâ flavus arenâ,
In mare prorumpit: variæ circùmque supràque
Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Imperat: et lætus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cùm primùm Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam: et primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu, Diva, mone: dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo,
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et Nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus. Fauno Picus pater: ipse parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato Divûm, prolesque virilis
Nulla fuit: primâque oriens erepta juventâ est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes;
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio totâque petebant

*sylvam: per illam Tybris, grato fluvio, celeri impetu, et flavus plurimis arenis, proruit in mare: diversæ aves, assuetæ litoribus et alveo fluvii, circùm et suprà recreabant cantu cœlum, et per sylvam volabant. Jubet socios detorquere cursum, et appellere proras litori: et gaudens subit amnem umbrosum. Age modò, ô Erato, explicabo, qui reges, quæ tempora rerum, quis status fuerit veteris Latii; quando peregrinus exercitus primò applicuit classem Italico litori: et revolvam initia primi belli. Tu, Dea, tu doce poëtam. Narrabo bella horrida: narrabo exercitus, et reges irâ impulsos in cædem, et turmas Tyrrhenas, et Italiam universam consociatam ad arma. Oritur mihi gravior series rerum, suscipio opus difficilius,* quàm prius. *Rex Latinus, jam grandævus gubernabat agros et urbes quietas in pace diuturnâ. Audimus hunc natum Fauno et Maricâ Nymphâ Laurente. Picus* fuerat *pater Fauni: et* Picus *te patrem habebat, ô Saturne; tu primum caput* ejus *familiæ. Filius Latino et soboles mascula nulla erat, Deorum voluntate: et nascens mortua fuerat* in *primâ infantiâ. Filia unica tenebat domum et totam regionem; jam apta marito, jam nubilis ob adultam ætatem. Plurimi è magno Latio et totâ Italiâ illam ambiebant.*

## NOTÆ.

30. *Tyberinus.*] Fluvius, vel potiùs fluvii Deus. De *eo*, Æn. 8. 330.

36. *Fluvio succedit opaco.*] *Umbroso*, propter arbores ripam hinc inde inumbrantes.

37. *Erato.*] Musa quæ versibus præest amatoriis, ab *ἐράω, amo.* Hanc invocat, quia bellorum sequentium origo ex amore Turni et Æneæ in Laviniam. De *Musis*, Ecl. 3. 69. De *Latio* antiquo et *Ausoniis*, infrà, v. 54.

43. *Tyrrhenam.*] Tuscam, Etruscam, Æn. 2. 781. De *Hesperiâ*, Italiâ, Æn. 1. 530.

47. *Hunc Fauno, &c.*] Obscura est admodum hujus familiæ series, et fabulis confusa. Multi discedunt à Virgilio, qui tres à Saturno gradus tantùm numerat: Saturnum, Picum, Faunum seu Fatuelum, et Latinum. Alii novem distinguunt gradus: in iisque geminum Saturnum, geminum item et Picum et Faunum: aiuntque ea junioribus Pico et Fauno tribui à Virgilio, quæ priscis tribui debuissent. Addunt hos *Aboriginum* reges fuisse, qui *Latini* deinde à Latino dicti sint: quanquam Latinorum nomen multò fuisse Latino rege antiquius quidam volunt, inter quos ipse Virgilius, ut diximus, Æn. 1. 6. De *Saturno* ejusque fugâ in Italiam, Æn. 8. 319.

47. *Laurente Maricâ.*] Uxor *Fauni*, seu *Fatueli*, dicta est *Fauna*, aut *Fatua*. Nomen habuere à *fando*, vel *fatu:* quia furore correpti futura *fari* ac dicere solebant. *Marica* autem Nympha, ex quâ Faunus suscepit Latinum, juxta Arnobium fuit Circe: juxta alios ipsa Fauna; quæ à Minternensibus, ad ostia Liris fluvii, sacro in luco colebatur. *Laurens* vocatur ex regionis nomine; de quo infrà, v. 63.

52. *Filia.*] Lavinia, quæ demùm Æneæ nupsit, occiso Turno, Æn. 12.

54. *Magno è Latio, totâque—Ausoniâ.*] Duplex *Latium* fuit: antiquum, à Tyberi fluvio ad Circæum montem, *Circello.* Novum, seu magnum, à Tyberi ad Lirim amnem, qui nunc est *Garigliano*, complectens Volscos, Auruncos, Æquos, &c. Hæc tamen Latii extensio à Romanis regibus est, multò Æneæ temporibus recentior; unde suspicantur multi, Latium hìc pro totâ Italiâ sumi, quemadmodum et Ausoniam. *Ausones*, Trojanis temporibus multò antiquiores, Italiæ partem incoluerunt inferiorem, quæ ad Siciliam accedit. Mox, quia notissimi rebus gestis evase-

Ausoniâ. Petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta Deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cùm conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrâsse Latinus;
Laurentisque ab eâ nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ, mirabile dictu,
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedêre apicem; et pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuò vates: Externum cernimus, inquit,
Adventare virum; et partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, et summâ dominarier arce.
Præthereà castis adolet dum altaria tædis,
Et juxtà genitorem adstat Lavinia virgo:
Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari:
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.

*Ambit præ cæteris omnibus formosissimus Turnus, potens avis et atavis, quem assumi generum uxor regis mirifico studio instabat: sed prodigia Deorum obsistunt per varios terrores. Laurus erat in medio domûs, in intimis recessibus, sacra* secundùm *frondes, et ob religionem servata per multos annos. Pater Latinus dicebatur dicâsse illam Phœbo, repertam cùm fundaret prima mœnia; et ab illâ dedisse nomen Laurentibus incolis. Apes densæ,* res *mira dictu, trans levem aërem volantes magno stridore, insederunt supremum illius cacumen: et pedibus invicem conjunctis, examen repentinum pependit è frondoso ramo. Statim vates dixit: Videmus appropinquare hominem peregrinum; et exercitum ex eâdem regione quærere* hanc *eandem regionem, et regnare in* hâc *supremâ arce. Præterea dum Lavinia virgo accendit altaria sacris facibus, et stat prope patrem: (res horrida) visa est corripere ignem longis capillis et comburi flammâ sonante,* secundùm *omnia ornamenta: et* visa est *accensa* secundùm *regias comas, accensa* secundùm *coronam spectabilem gemmis: deinde fumans* visa est *cingi rutilanti luce, et jactare ignem totâ domo.*

## NOTÆ.

rant, factum est ut eorum nomine à Græcis vocaretur tota Italia, à Siciliâ usque ad Alpes. Pulsi deinde ab aliis, ultimò consederunt inter Volscos et Campanos, circa Lirim, Caretam, et Minturnas; et *Aurunci* tunc appellati sunt. Vide Cluver. Italiæ, l. 3. 9.

56. *Turnus avis, &c.*] *Dauni* et *Veniliæ* filius, Rutulorum rex. *Venilia* soror erat Amatæ Latini uxoris, divinis honoribus affecta, Æn. 10. 76. Daunus maternum genus ducebat à Jove per Danaën, infrà, v. 372. paternum à Pilumno Deo etiam habito, Æn. 10. 76. De *situ Rutulorum*, infrà, v. 794.

*Regia conjux.*] *Amata*, Veniliæ soror.

62. *Phœbo sacrâsse.*] Quia laurus Phœbo dilecta. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62.

63. *Laurentis colonis.*] *Laurens*, nomen constat fuisse primò inditum sylvæ laureæ, quæ circa litus Tyrrheni maris fuit, à Tyberi orientem versùs porrecta. Inde vicina regio *Laurens* etiam dicta est. Inde *Laurens* dicitur Marica Nympha, Fauni uxor, v. 47. Inde Picus, Latini avus, dicitur etiam *Laurens*, v. 171. Inde Turnus ipse eodem appellatur nomine, v. 650. quia Rutulorum regionem sylva illa attingebat. Porrò cùm arces primas ibidem condidisse Latinus dicatur; et Laurens Picus, ejus avus, eodem loco regiam habuisse, v. 171. aut sibi malè consentit Virgilius: aut dicendum, *regiam* quidem à Pico esse conditam; à Latino *arces*, sive munitiones, additas: et urbem, à lauro præcipuæ magnitudinis, appellatam esse *Laurentum*, quod nomen sylvæ tantùm et regioni commune priùs fuerat. Dicuntur incolæ *Laurentes, Laurentini, Laurentii*, et *Laurenti*, hìc et apud Plinium l. 14. 3. quanquam aliqui legunt hìc *Laurentes*, non *Laurentis*. Urbs posterioribus dicta est *Laurolavinium;* non quòd eadem fuerit cùm *Lavinio;* sed quòd exhaustâ bellis utrâque, et Laurente et Lavinio, utriusque incolæ Laurentum confluxerint et urbem communi nomine dixerint, ut suspicatur Cluverius in antiquâ Italiâ, l. 3. 3. atque ut ei videtur, ea nunc dicitur *Paterno*.

66. *Pedibus per mutua nexis, &c.*] De hâc apum glomeratione, quæ *uva* dicitur, Geor. 4. 257. et 558. De *apum examine*, Ecl. 7. 13.

70. *Partibus ex iisdem.*] Apes quæ è Tyrrheni maris partibus venerant Laurentum, insederant lauri apicem; quo significabatur, exteros Tyrrheno mari venturos, victores futuros, summum imperium adepturos. *Dominarier*, extensio syllabæ, pro *dominari*.

71. *Adolet altaria tædis.*] Adolet thus ad altaria domesticorum Deorum, Æn. 1. 704. *Flammis adolere Penates*.

77. *Vulcanum.*] Deum ignis, pro igne, ut Geor. 1. 295.

Id verò horrendum ac visu mirabile ferri.
Namque fore illustrem famâ fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex solicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit: lucosque sub altâ
Consulit Albuneâ: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitim.
Hinc Italæ gentes omnisque Œnotria tellus
In dubiis responsa petunt: huc dona sacerdos
Cùm tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hìc et tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes;
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies; thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant; quorumque à stirpe nepotes,
Omnia sub pedibus, quà Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circùm latè volitans jam fama per urbes

*Hoc autem* cœpit *haberi terribile et visu admirabile. Etenim dicebant ipsam illustrem famâ et fortunâ futuram* esse, *sed minari genti magnum bellum. At rex territus his prodigiis vadit ad oracula fatidici Fauni patris* sui *et consulit sylvas* sitas *sub altâ Albuneâ: quæ* Albunea sylva *maxima sylvarum resonat sacro fonte, et umbrosa emittit densam Mephitim. Italæ nationes et omnis terra Œnotria accipiunt inde responsa in* rebus *incertis. Sacerdos cùm obtulit illic dona, et per noctem tacitam jacuit* super *pelles suppositas ovium immolatarum, et quæsivit* illic *somnum; videt multas figuras vagantes mirabilibus modis, et audit voces multiplices, et fruitur sermone Deorum, et alloquitur Acheronta è profundo Averno. Tunc etiam ipse pater Latinus, poscens responsa, illic sacrificabat* de *more centum oves lanigeras: et jacebat extensus super earum pelle et stratis velleribus. Vox repentina emissa est ex intimâ sylvâ: O mea proles, ne quære jungere filiam* tuam *conjugio Latino; neve confide lectis præparatis. Venit gener peregrinus: qui progenie* suâ *extollet nostrum nomen ad sidera; et cujus de stirpe posteri videbunt omnia versari et regi* sub *pedibus* suis, *quâcunque Sol revertens aspicit geminum Oceanum. Latinus ipse non continet* in *ore suo hæc responsa Fauni patris, et hæc monita data* per *noctem tacitam; sed jam fama circumundique volans sparserat* ea *per urbes*

## NOTÆ.

82. *Lucosque sub altâ Albuneâ.*] *Albunea* fons est profundissimæ altitudinis: unde erumpit fluvius *Albula,* nunc *la Solforata,* sulfureis aquis memorabilis, quæ primò frigidæ sunt, mox inducunt calorem. *Albula,* paulò infra Tibur, influit in *Anienem* fluvium, nunc *Teverone.* Odor ejus et sapor corruptus est: unde ait Virgilius exhalare *Mephitim.* Est autem *Mephitis,* Juno aëri corrupto præsidens; cui ædes apud Hirpinos fuit ad lacum Amsancti, ex Plinio l. 2. 93. et apud Cremonam, ex Tacito Hist. l. 3. Hìc *Mephitis* pro ipso putore sumitur, ut Vulcanus pro igne, Jupiter pro aëre. Juxta Scaligerum vox Etrusca est, à Syris deducta, apud quos gravitatem odoris significat. Apud Albuneam *sylva* fuit sacra Musis, ex Martiali: ibidem culti sunt Fauni, ex Virgilio et Statio: ibidem, ex Lactantio, Nympha *Albunea,* quæ Sibylla fuit Tyburtina. De *Italis* et *Œnotriis,* Æn. 1. 530.

87. *Cæsarum ovium sub nocte, &c.*] Plinius, l. 16. 44. *Apud Tiburtes* (unde non longè abest Albunea) *extant ilices tres, etiam Tiburte conditore eorum vetustiores. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierat unâ ætate ante Iliacum bellum.* Pausanias autem in Atticis loquens de Amphiarao insigni somniorum interprete, qui à Græcis ideò inter Deos relatus est; ait, apud Oropum, Atticæ maritimam urbem, Amphiarai fontem esse ac templum: ubi arietem immolant, cujus substratâ in pelle dormientes nocturna visa expectant. Ex iis colligit Cerdanus, ejusmodi sacra à Tiburte Amphiarai filio translata esse in Italiam; eaque à Virgilio esse Fauno attributa, quæ Amphiarao Græci tribuerant.

91. *Acheronta affatur Avernis.*] Per *Acheronta,* fluvium infernum, de quo, Æn. 6. 323. umbras Deosque inferorum intelligit. Per *Averna,* inferorum ostia, de quibus, Æn. 6. 237. ipsos indicat inferos.

96. *Latinis.*] E Latio, quod complectitur Aborigines, Rutulos, Laurentes, Volscos, &c. suprà, 54.

100. *Utrumque recurrens, &c.*] Magnitudinem notat futuri imperii Romani: vel ab oceano orientali ad occidentalem, quà Sol diurno motu recurrit; vel ab oceano septentrionali ad meridionalem, quà Sol annuo motu discurrit. De *vario Solis motu,* Geor. 1. 238.

Ausonias tulerat: cùm Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, et pulcher Iülus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Jupiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hìc fortè aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi;
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus, inquit Iülus.
Nec plura, alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuò: Salve, fatis mihi debita, tellus;
Vosque, ait, ô fidi Trojæ salvete Penates.
Hìc domus, hæc patria est. Genitor mihi talia (namque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cùm te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant,
Exitiis positura modum.
Quare agite: et primo læti cum lumine Solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus; et à portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, præcibusque vocate

*Italicas: cùm juventus Trojana applicuit naves ad crepidinem herbosam litoris. Æneas, et præcipui duces, et formosus Ascanius, sternunt corpora* sua *sub ramis arboris altæ: et inchoant epulas, et in gramine supponunt cibis placentas è frumento, sicut ipse Jupiter suggerebat, et onerant* illud *solum panis fructibus sylvestribus. Illic cæteris absumptis, cùm inopia ciborum cogeret* eos *vertere morsus in panem exiguum: et frangere manu ac dentibus audacibus orbem fatalis crustæ, nec abstinere à planis quadris: Ascanius jocans dixit: Heus! etiam comedimus mensas! Nec dixit plura. Vox illa audita indicavit prima terminum laborum: et pater excepit* eam *primus ab ore loquentis, et* secum *expendit admiratus oraculum. Statimque dixit: Salve, terra, debita mihi per fatum; et vos salvete, ô Penates Trojani. Hìc* est *domus, hæc est patria. Etenim nunc reminiscor, pater Anchises deposuit apud me talia secreta fatorum; Fili,* aiebat, *quando fames coget te appulsum incognitis litoribus comedere mensas, cibis deficientibus, tunc fatigatus memento sperare sedem* certam, *et manu statuere illic ac cingere mœnibus primam urbem. Illa fames erat* ista: *hi* casus *extremi erant destinati nobis, allaturi finem miseriis. Agite igitur: et sub primam lucem Solis inquiramus læti, quænam* sint hæ *regiones, aut quinam homines occupent* eas, *ubi* sint *urbes* illius *nationis: et abeamus* in loca *remota à portu. Nunc effundite pateras* in honorem *Jovis, et precibus invocate*

## NOTÆ.

105. *Ausonias, &c.*] Suprà, v. 54. *Laomedontia pubes*, à Laomedonte Trojano rege, Geor. 1. 502. *Aggere*, Æn. 5. 44. *Adorea liba*, placentas ex frumento purissimo, quod *ador*, sive *far*, appellatur, ibid. 7. 33. Et fortè, quia appellat *liba*, innuit Virgilius sacrificia Diis tum primùm ab Æneâ facta esse: et è placentis *libatis* oblatisque socios pavisse famem, ut è victimarum extis fieri solitum videbimus, Æn. 8. 183.

111. *Cereale solum.*] *Solum* est, quod cuique rei sustentandæ supponitur, Ecl. 6. 35. *Ceres*, Dea frumenti, panis, Æn. 5. 79. *Cereale solum*, quadra è pane.

114. *Orbem Fatalis crusti.*] Mox vocabit *quadram*, tum *mensam*: et *placentas* intelligit, quæ pro patinis tum fuerunt, et verò sæpe esse solebant apud veteres. Hæc vocum diversitas è placentæ figurâ repetenda est. Erat enim rotunda quidem, sed lineis duabus decussatim in medio signata: itaque quatuor veluti quadris distincta. Ita Cerdanus è veteribus poëtis.

119. *Stupefactus numine.*] Oraculo divino, quod ex Ascanii ore erumpebat; aut potiùs oraculi divinâ quâdam solutione. *Pressit.*] Vel, *continuit silentio:* vel potiùs, *secum tacitè expendit.*

121. *Trojæ Penates.*] Dii regionis illius patrii ac domestici: qui, cum iis Penatibus conjuncti, quos Trojâ advehimus, jam communi nomine Penates tutelaresque Trojæ ac Trojanorum dicendi estis.

128. *Illa fames.*] Prædicta, non tantùm ab Harpyiâ Celæno, Æn. 3. 257. sed etiam ab Anchisâ: fortè, ibid. 6. 890. ubi filio memorat futura bella in Italia: *Et quo quemque modo fugiatve feratve laborem.*

130. *Primo cum lumine Solis.*] Posteræ lucis initio. Hunc enim diem in excensu, et libationibus, et Deorum veneratione posuerunt. De *libatione* in mensâ, Æn. 1. 736. De *divinitate Anchisæ*, ibid. 5. 59. 96. 98. De *Geniis locorum*, ibid. 5. 95.

Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, et, Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, noctisque orientia signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, et duplices cœloque Ereboque parentes.
Hìc Pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hìc subitò Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, et vina coronant.
Postera cùm primâ lustrabat lampade terras
Orta dies; urbem, et fines, et litora gentis
Diversi explorant: hæc fontis stagna Numici,
Hunc Tybrim fluvium, hìc fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisâ delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora: festinant jussi, rapidisque feruntur

*patrem Anchisen, et rursùs afferte vinum* in *mensas. Sic locutus, posteà cingit caput ramo viridi, orat Genium* hujus *loci, et Terram primam Deorum, et Nymphas, et Deos fluviorum adhuc incognitos: deinde Noctem, et sidera surgentia per noctem, et Jovem Idæum, et Matrem Phrygiam per ordinem invocat, et geminos parentes* è *cœlo et* ex *inferis. Tunc Jupiter omnipotens intonuit ter serenus è supremo cœlo, et monstravit è cœlo nubem coruscantem auro et radiis luminis, ipse commovens* eam *manu. Tunc statim rumor spargitur per exercitum Trojanum, venisse diem quo ædificent urbem destinatam. Certatim renovant epulas, et gaudentes magnis præsagiis disponunt pocula, et coronant vina. Quando dies postera nascens cinxit terras luce; separati inquirunt urbem, et terminos, et litora* hujus *nationis:* discunt, *hæc* esse *stagna fontis Numici, hoc esse flumen Tybrim, hìc manere generosos Latinos. Tunc filius Anchisæ imperat centum oratores electos ex omni ordine ire ad magnificam urbem regis, omnes coronatos ramis Minervæ: et portare* illi *viro munera, et petere pacem* pro *Trojanis. Non* est *mora; jussi properant, et vadunt celeribus*

## NOTÆ.

136 *Primamque Deorum Tellurem, &c.*] Juxta Hesiodum, qui in Theogon. v. 117. post Chaos primam Deorum ponit *Terram*, quæ primò genuit Cœlum, ex Cœlo Oceanum, Saturnum, Gigantes, &c. Æneas deinde *Nymphas* precatur, de quibus Ecl. 2. 46. Et *flumina*, quæ suos quoque Deos habere putabantur. Et hos adjungit *Telluri* quia eam ornant atque incolunt.

138. *Noctem, &c.*] Deam item, apud Hesiodum, v. 123. prognatam è Chao, et parentem Diei atque Ætheris: unde cum eâ conjungit *signa* sive *astra*, quæ noctu oriuntur et apparere incipiunt. Noctem invocat, ut imminentem; quia timebat sibi tum ab incolarum insidiis.

139. *Idæumque Jovem.*] Natum in Idâ Cretæ monte, et educatum in Dictæo ejusdem antro, Geor. 4. 151. De *Matre Phrygiâ*, Cybele, in Phrygiâ præcipuè cultâ, Æn. 3. 111.

140. *Duplices cœloque Ereboque parentes.*] Venerem matrem: quæ in cœlo, et Anchisen patrem cujus idolum quidem apud inferos erat, anima tamen in cœlo apud superos, Æn. 6. 748. De *Erebo*, profundo inferorum loco, ibid. 4. 510.

141. *Clarus ab alto Intonuit.*] Fulmen sereno cœlo cadens, modò fausti, modò infausti ominis, Geor. 1. 487.

142. *Radiis lucis et auro.*] *Lucis aureæ.* Sic Geor. 2. 192. *Pateris libamus et auro.*

144. *Diditur.*] Non *deditur;* hoc enim à *dedo, trado:* illud à *dido, distribuo.* Hor. Sat. l. 2. 2. 66. *servis—munia didit.* Lucretius frequentissimè. De *coronatione vini:* cùm, vel implentur vino pocula, vel reipsâ cinguntur floribus, Æn. 3. 525. et Geor. 2. 528. De *lampade*, pro *Sole*, Æn. 4. 6.

150. *Stagna Numici.*] Fontem Numici fluvii, cujus brevissimus cursus est prope Lavinium, inter Laurentem et Ardeam. Hunc fontem aiunt sacrum fuisse Annæ Perennæ, quam Ovidius, Fast. 3. 551. putat Annam esse Didonis sororem, eò profugam, post necem sororis, direptamque ab Iarbâ Carthaginem: nunc est *rivo di Nemi.* De *Tybri*, Æn. 1. 13. De *Latinis*, suprà, v. 54.

154. *Ramis Palladis.*] Olivæ, Palladi sacræ, Geor. 1. 14. De *Pallade*, Æn. 1. 39.

157. *Designat mœnia fossâ.*] Locum ad orientalem Tyberis ripam, paulò supra maris litus, cui nomen Trojæ dedit, ex Livio et Dionysio Halicarn. ubi deinde *Ostia* urbs ab Anco Marcio Romanorum rege condita est.

*passibus:* Æneas *ipse describit muros depressâ fossâ, et inchoat urbem, et in litore cingit primam habitationem vallo et pinnis in formam castrorum. Et jam juvenes perfuncti itinere videbant turres et domos altos Latinorum, et appropinquabant muro. Ante urbem pueri et juvenes* in *primâ pubertate exercentur equis, et regunt currus in arenâ: aut intendunt difficiles arcus, aut vibrant brachiis spicula flexibilia, et provocant* se *cursu atque jactu* telorum. *Tunc nuncius vectus equo refert ad aures grandævi regis venisse magnos homines in habitu incognito. Ille jubet* eos *adduci intra domum, et sedet in avito solio, in medio* suorum. *Fuit in altissimâ* parte *urbis domus magna, magnifica, educta centum columnis, palatium Laurentis Pici, tremenda* ob *sylvas et religionem majorum. Initium erat regibus inde sumere sceptra, et erigere primos fasces: hæc curia* erat *illis templum, hic locus* destinatus *sacris conviviis: hìc mactato ariete patres solebant sedere* ad *mensas longas. Imò prætereà stabant in vestibulo per ordinem imagines veterum patrum ex antiquâ cedro, et Italus, et pater Sabinus*

Passibus: ipse humili designat mœnia fossâ,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cùm provectus equo longævi regis ad aures
Nuntius ingentes ignotâ in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summâ, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis et religione parentum.
Hinc sceptra accipere, et primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæc sacris sedes epulis: hìc ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiquâ è cedro, Italusque, paterque Sabinus

## NOTÆ.

160. *Tecta Latinorum.*] Redundat syllaba in versu, ut in isto, Geor. 1. 295. *Vulcano decoquit humorem.* Notat *Laurentum*, urbem Latini regiam.

171. *Laurentis regia Pici.*] De illâ *regiâ*, ut *Laurente agro*, suprà, v. 63. De *Pico*, v. 47. et infrà, v. 189.

173. *Attollere fasces omen erat.*] *Fasces* posuit, pro quibuslibet imperii insignibus; nondum enim fascium hìc usus erat. *Omen* posuit pro *initio:* quia veteres, gravissimarum rerum initio, captare omina, et auspicia, et auguria solebant: unde *auspicium* etiam et *auspicari,* dicimus pro *initium* capere et *incipere:* et *inaugurari,* pro *in dignitatem aliquam assumi.*

174. *Curia templum.*] *Curia,* locus est ubi respublicæ *curantur:* sive divinæ, ut sacrificia; sive humanæ, ut judicia, consilia; unde aliquando cum templo ferè convenit: aliquando ab eo diversa est, ut hìc. Qui curiæ præerat dicebatur inde apud Romanos *curio:* et postquam populus Romanus à Romulo tres in *tribus* distinctus est, singulæ tribus divisæ sunt in decem *curias,* sic dictas à locis, quò sacrorum negotiorumque causâ separatim cives conveniebant.

175. *Ariete cæso Perpetuis, &c.*] *Arietis* sacrificium, illis in partibus tum in usu fuisse jam diximus, v. 87. *Perpetuis mensis:* in longum porrectis, ubi continuâ serie sederent convivæ: non verò distinctis in sedilibus. Sic Æn. 8. 183. *Perpetui tergo bovis.* Porrò considere, non in lecto recumbere ad mensas, heroicis temporibus moris fuisse diximus, Æn. 1. 693.

178. *Italus.*] Hunc aiunt quidam fuisse Siculorum regem: Dionysius potentem virum, Œnotrum genere, et ex eorum Arcadum prosapiâ, qui duce Œnotro Lycaonis filio, illuc ex Peloponneso venerant: eumque, propagato imperio, regionem *Œnotriam* antè dictam, nomine suo *Italiam* nuncupâsse.

178. *Sabinus Vitisator, &c.*] *Sabinus* nomen dedit Sabinis, genti ex Lacedæmoniis quidem, ut vulgò existimatur; sed, ut Cluverius probat, ex Oscis Ausonibus oriundæ. Filius fuit *Sanci,* hujus regionis genii, qui alio nomine *Dius Fidius,* alio item *Semo* dicebatur: ut patet ex Ovid. Fast. 6. 213. Hunc *vitem* et *segetes* coluisse non liquet: quare multi versum hunc totum *Vitisator, curvam servans, &c.* referunt ad Saturnum. At certè structura versûs omnino ad Sabinum esse referendum ostendit. Et si conjicere fas est: puto hunc *Sabinum* ejusque patrem *Sancum,* artem serendæ terræ in eo tractu reperisse; unde *Sancus* dictus sit *Semo;* non quasi *semihomo,* id

Vitisator, curvam servans sub imagine falcem;
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque prætereà sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvâque sedebat
Succinctus trabeâ, lævâque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percussum virgâ, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
  Tali intus templo Divûm, patriâque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit;

*plantator vitis, tenens in imagine falcem curvatam; et senex Saturnus, et effigies Jani bifrontis; et alii reges à* primâ *origine, qui certando pro patriâ tulerant vulnera bellica. Et præterea pendent circa sacra limina arma plurima, capti currus, et curvæ secures, et cristæ capitum, et magna claustra portarum, et spicula et scuta, et rostra avulsa navibus. Ipse Picus, domitor equorum, sedebat* cum *baculo Quirinali, et vestitus parvâ trabeâ; et sinistrâ manu ferebat scutulum;* Picus, *quem amatrix Circe, correpta* nimiâ *cupiditate, percussum aureâ virgâ et transformatum venenis fecit avem; et variavit coloribus* ejus *alas. Latinus sedens intra tale templum Deorum et avitam domum, accersivit Trojanos ad se sub tecta;*

## NOTÆ.

est, inter homines Deosque medius, ut interpretatur Vossius; sed à *seminando;* atque ita *vitisator* et *falce armatus* pingitur ejus filius Sabinus; quod fortassè artem illam à patre inventam perfecerit, et vitium culturam eidem addiderit. De *Saturno,* Æn. 8. 319. De *Jano* bifronte, infrà, v. 610. De *vestibulo,* seu *atrio,* in quo disponebantur imagines, Æn. 4. 666.

181. *Ab origine reges.*] Allusum aliqui putant ad populos Aborigines, quibus tunc Latinus imperabat. Hos quidam volunt primos fuisse Italiæ incolas, ibidem natos, non aliunde advectos, ideóque dictos *Aborigines,* cujusmodi homines Græci vocant *αὐτόχθονας.* Alii ex variis nationibus vagis collectos, unde *Aberrigines* dicti sint, ab *aberrando.* Alii verò plures, Dionysio Halicarnasseo duce, eosdem putant fuisse cum Œnotriis, qui ex Arcadiâ profecti, annis ante bellum Trojanorum plusquam quadringentis, in Italiam appulsi, montes patrio more incoluerint; indeque quasi cognomine quodam appellati sint *Aborigines,* ab *ὄρος, mons.* Videtur Virgilius primam opinionem tenere, Æn. 8. 314. De *postibus,* ibid. 2. 442. De *cristis galeàrum,* ibid. 6. 779. De *rostris,* in prorâ navium prominentibus, ibid. 5. 143.

187. *Quirinali lituo, &c.*] *Lituus* hic baculus est augurum, in summâ parte incurvus, quo cœli regiones ad consulendos avium volatus distinguebant; alibi tuba est, ejusdem formæ, Æn. 6. 167. Igitur *succinctus* ad *trabeam* duntaxat pertinet, non ad *lituum:* nemo enim *cinctus* baculo dici potest. *Quirinalis* dicitur; quia ex Plutarcho, Romulus augurandi mirè peritus fuit, ob eamque rem lituum solebat gestare: qui deinde studiosè servatus in curiâ Saliorum, quæ est in Palatio, cùm ea deflagrâsset, inventus est integer, ut est apud Cicer. de Divin. l. 1. 30. Cùm ergo Romulus appellatus sit *Quirinus;* ideò lituus hic *Quirinalis,* per anticipationem vocatur.

188. *Parvâ succinctus trabeâ.*] *Trabea,* toga fuit, communis sive albi coloris: in eo dissimilis *prætextæ:* quod *prætexta* purpureo limbo tantùm in imâ orâ prætexeretur; trabea multis fasciis virgisque purpureis, instar trabium transversis ac discurrentibus, ornaretur; iisque vel intextis, vel assutis. Ornamentum fuit equitum in decursione publicâ, quæ idibus Julii fiebat: item et Consulum in aperiendo Jani templo: aliquando etiam augurum, qualis hic ornatus Pici describitur. A Romulo trabeam usurpatam, prætextam à Tullo Hostilio primùm inventam habemus ex Plinio, l. 9. 39. Quare Virgilius, qui eam attribuit Pico, prolepsi sive anticipatione usus est. Dicitur hæc Pici trabea, *parva;* id est, stricta, brevis atque angusta, quales initio togæ fuerunt; non laxior et fusior, quales deinde luxus induxit. De *ancilibus,* scutis minoribus ac rotundis, Æn. 8. 664.

189. *Picus, equûm domitor, &c.*] *Studiosus equorum* dicitur ab Ovid. Met. 14. 322. mutatusque in avem picum, *pivert,* A WOOD-PECKER, à Circe; quòd, ob fidem uxori suæ Canenti servandam, ejus amorem sprevisset. Fingitur mutatus in picum: quia avis illa maximi usûs fuit in captandis auguriis, quâ in arte idem rex excelluit; unde et augurali habitu hìc describitur.

*Aureâ virgâ.*] Aliqui legunt *aurea,* in primo casu, ut ad Circen referatur, quemadmodum *Venus aurea* appellatur, Æn. 10. 16. Alii, *aureâ,* in sexto casu, ut ad virgam referatur: quemadmodum diximus, Æn. 1. 698. *Aureâ composuit spondâ.* Vocatur Circe *conjux,* id est, amatrix, quæ conjugis loco optabat esse; ut Ecl. 8. 18. *Conjugis indigno Nisæ deceptus amore.*

191. *Sparsitque coloribus alas.*] Purpureo et fulvo, quibus pici pennæ distinctæ sunt. De *Teucris* et *Dardanidis,* Trojanis, Æn. 1. 235.

Atque hæc ingressus placido prior edidit ore;
Dicite Dardanidæ, (neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis æquore cursum)
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cœrula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrâstis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium; néve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte suà, veterisque Dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes: his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhenâ ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, et numerum Divorum altaribus auget.
  Dixerat: et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni: nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris;
Nec sidus regione viæ, litusve fefellit.
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur: pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes
Gaudet avo: rex ipse Jovis de gente supremâ,
Troïus Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque

*et prior dixit hæc ore tranquillo* iis *ingressis: O Trojani (neque enim ignoramus et urbem et genus* vestrum, *et cogniti direxistis* huc *mari navigationem) dicite quid petitis? quæ causa tulit per tot maria cœrulea ad litus Italicum naves* vestras, *aut cujus* rei *indigentes? Sive pulsi errore viarum, sive procellis (qualia multa navigantes tolerant per altum mare) ingressi estis ripas fluvii* nostri, *et statis in portu: ne fugiatis* hoc *hospitium: et ne nesciatis Latinos* esse *populum Saturni, non justum per vincula legum,* sed *sponte suâ, et continentem se* in *consuetudine* illius *antiqui Dei. Et sanè recordor* (quanquam *fama* illa *minùs nota* est *ob vetustatem). Auruncos senes ita narrare: quomodo Dardanus, natus* in *his arvis, pervenit ad Idæas urbes Phrygiæ, et* ad *Samum Thraciam, quæ nunc vocatur Samothracia. Nunc palatium aureum cœli siderei excipit solio illum hinc profectum è Tyrrhenâ urbe Corythi, et* donatus *aris auget numerum divorum. Dixerat: et Ilioneus sic respondit voce verbis ejus: Rex, eximia proles Fauni: nec nigra tempestas coëgit nos agitatos mari intrare* in *regnum vestrum; nec astrum, aut litus abduxit* nos *à rectâ regione viæ. Omnes consultò et animis libentibus appellimur ad hanc urbem; ejecti regnis, quæ Sol oriens ex ultimo cœlo spectabat olim amplissima. Initium nostræ stirpis* est *à Jove, Trojana juventus gloriatur Jove parente: rex Æneas Trojanus ipse è summâ familiâ Jovis, misit nos ad tuam domum. Si terra ultima celat aliquem interfuso oceano: si zona Solis torridi, porrecta in medio quatuor zonarum separat aliquem à* cæteris hominibus; is *quoque audivit, quanta procella* belli, *erumpens è crudelibus Mycenis, pererraverit agros Idæos; et quo fato geminus*

## NOTÆ.

202. *Latinos Saturni gentem, &c.*] Indicat ætatem auream. De quâ, Ecl. 4. 6. Geor. 1. 125. De *Saturni* in Italiâ regno, Æn. 8. 319. De *Auruncis* et *Ausonibus*, suprà, v. 55.

207. *Dardanus Idæas, &c.*] Hoc narravimus, Æn. 3. 167. et 1. 235. De *Idâ*, monte Troadis in Phrygiâ, ibid. 1. 381. De *Tyrrhenâ* regione, ibid. 2. 781.

208. *Threïciamque Samum.*] *Samos* triplex. I. Maxima, ad occidentem sinûs Corinthiaci, in mari Ionio, nunc *Cephalonie*, de quâ, Æn. 3. 271. II. Minor, ad occidentem Ioniæ, in mari Icario, nunc adhuc *Samo*, de quâ, ibid. 1. 16. III. Minima, ad meridiem Thraciæ, contra ostia Hebri fluvii, in mari Ægæo, communiùs *Samothracia* dicta, nunc *Samandrachi;* de quâ hìc sermo est. De *Corytho* oppido Tusciæ, nunc *Cortona*, Æn. 3. 170.

217. *Regnis, quæ maxima, &c.*] Priamus enim maximæ parti minoris Asiæ imperabat, Æn. 3. 1. De *ortu Dardani à Jove*, ibid. 3. 167.

220. *Jovis de gente—Æneas.*] Et paterno genere, per Dardanum; et materno, per Venerem. *Idæi campi*, Trojani, ubi mons Ida, Æn. 2. 801. *Mycenis*, urbe Peloponnesi, Agamemnonis regiâ, ibid. 1. 284. *Europæ atque Asiæ orbis:* Græci, qui ex Europâ; Trojani, qui ex Asiâ. *Orbis*, pro mundi parte hìc sumitur.

Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis:
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Diis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores: nec vestra feretur
Fama levis, tantique abolescet gratia facti:
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis:
Multi nos populi, multæ (ne temne, quòd ultrò
Præferimus manibus vittas ac verba precantûm)
Et petiêre sibi et voluere adjungere gentes.
Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis. Hinc Dardanus ortus,
Huc repetit: jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim, et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi prætereà fortunæ parva prioris
Munera, reliquias Trojâ ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras;
Hoc Priami gestamen erat, cùm jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor, vestes.
  Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret
Intentos volvens oculos: nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantùm,
Quantùm in connubio natæ thalamoque moratur,
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externâ à sede profectum

*orbis Europæ atque Asiæ commissus sit. Ab illo excidio, jactati per tot maria immensa, poscimus* pro *Diis domesticis sedem angustam, et litus securum, et aquam atque aërem communem omnibus. Non erimus dedecori regno* tuo, *nec levis fama vestra* inde *habebitur, nec delebitur gratia tanti beneficii, nec pœnitebit Italos admisisse in sinu* suo *Trojam. Juro per fata Æneæ;* et per *dextram* ejus *potentem, seu fide, seu bello et armis, si ullus expertus est* eam; *multi populi, multæ nationes, et petierunt, et voluerunt nos sociare sibi: ne sperne* nos, *quia sponte portamus manibus tænias et verba supplicantium. Sed voluntas Deorum coëgit nos jussis suis quærere regionem vestram. Dardanus hinc ortus* est, *hæc revertitur: et Apollo magnis oraculis impellit nos ad Tybrim Tyrrhenum, et* ad *fluenta sacra fontis Numici. Præterea Æneas offert tibi exigua dona præteritæ fortunæ, reliquias servatas è Trojâ incensâ. Anchises pater* ejus *libabat hâc* paterâ *aureâ ante altaria: hic erat ornatus Priami, quando* juxta *consuetudinem reddebat jus populis convocatis, et sceptrum, et sacra tiara, et vestes, opus Trojanarum* mulierum. Inter *talia verba Ilionei, Latinus tenet vultum defixum intuendo, et stat immotus loco, volvens oculos attentos: nec purpura colorata, nec sceptrum Priami tam movet regem, quàm attendit ad conjugium et nuptias filiæ, et meditatur in animo oraculum antiqui Fauni. Hunc* esse *illum generum, profectum è peregrinâ regione, destinatum fatis;*

NOTÆ.

225. *Audiit, et si quem, &c.*] Intelligit incolas, si qui sunt, zonæ frigidæ; quæ ultra oceanum, ad meridianum et septentrionalem polum hinc inde recedit: et incolas zonæ torridæ, quæ in medio orbis itineri Solis subjacet. De his tribus zonis et aliis duabus temperatis, Geor. 1. 233.

237. *Præferimus manibus vittas.*] Supplices, tam apud Latinos, quàm apud Græcos, solebant olivæ ramum præferre, revinctum laneis vittis; quæ in manus supplicum dependebant: unde dicuntur passim etiam *velamina*, et *infulæ;* quòd velarent manus et quasi vincirent: capitum verò infulæ vulgò etiam essent è tæniis vittisque laneis, Æn. 2. 133.

242. *Tyrrhenum ad Tybrim. &c.*] De eo, Æn. 2. 781. De *Numico*, suprà, v. 150. De *libatione ad aras*, Æn. 1. 736.

247. *Sacerque tiaras.*] Pileus fuit omnium ferè orientalium principum, igitur et Phrygum: oblongus, rotundus, in acumen desinens, pendulis ad aures vittis insignitus: cujus acumen erectum quidem reges ferebant; cæteri ab rege illustres viri, paulùm inflexum.

248. *Iliadumque labor, vestes.*] Vestes acu pictæ, quod *Phrygum* inventum fuit: unde et *Phrygiones* dicuntur ejusmodi artifices. *Iliades*, Trojanæ mulieres, Phrygiæ.

254. *Sortem.*] Oraculum, Æn. 4. 346. De *paribus auspiciis*, pro *pari potestate*, ibid. 4. 102.

Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis: hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dii nostra incepta secundent,
Auguriumque suum. Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno: non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipse modò Æneas (nostrî si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari)
Adveniat; vultus néve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contrà regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et (si quid veri mens augurat) opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplò Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminosque jugales,
Semine ab æthereo, spirantes naribus ignem
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Suppositâ de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.

*et* hunc *vocari in regnum æquâ potestate: hinc orituram sobolem illustrem virtutibus, et quæ potentiâ subjiciat totum orbem. Denique lætus ait: Dii prospera reddant nostra consilia, et sua auguria.* Vir *Trojane, concedetur* tibi *quod cupis. Nec contemno dona* vestra: *regnante Latino, non deficiet vobis fœcunditas divitis agri, aut abundantia Trojæ. Tantummodo veniat ipse Æneas: si tantum est* ipsi *desiderium nostri, si properat conjungi* mecum jure *hospitii, et appellari socius: et ne timeat vultus benevolos. Erit mihi pars fœderis tetigisse dextram regis. Vos verò jam reportate regi mea dicta. Est mihi filia, quam non oracula ex patrio sacrario, non multa prodigia è cœlo* missa *permittunt me sociare marito nationis nostræ. Edicunt hoc superesse Latio:* nempe *venturum* esse *generum è peregrinis regionibus, qui posteritate* suâ *extollat ad sidera nostrum nomen. Et opinor hunc illum* esse, *quem fata petunt; et* id *cupio, si* mea mens *conjicit aliquid veri. Hæc locutus pater, elegit equos ex omni multitudine. Trecenti* benè *curati erant in altis stabulis. Statim imperat equos, coopertos purpurâ et variatis stragulis, dari singulis Trojanis* per *ordinem: aureæ phaleræ pendent demissæ in pectora: tecti auro mordent sub dentibus aurum rutilum.* Imperat *duri Æneæ absenti currum et geminos* equos *jugales, ex origine cœlesti, exhalantes ignem naribus; de stirpe illorum, quos ingeniosa Circe, suffurata patri* suo *Soli, creaverat nothos è matre suppositâ. Trojani* post *talia munera et verba Latini revertuntur excelsi in equis, et referunt pacem.*

## NOTÆ.

262. *Uber agri.*] Substantivè pro *ubertate terræ*, Geor. 2. 185.

266. *Tyranni.*] *Regis.* Sic enim Plato, et Isocrates, et Græci poëtæ Tragici, bonum etiam principem appellant. De *adyto*, Æn. 2. 297.

277. *Instratos ostro alipedes.*] *Alipedes*, equi veloces et quasi alatis pedibus: desumpta vox è Lucretio, qui cervos ita nuncupat, l. 6. 765. *Ostro*, purpurâ è sanguine ostrei expressâ, Geor. 2. 506. *Pictis tapetis*, stragulis purpureis, sed acu pictis et variatis: pictura enim de acu sæpe dicitur: reperitur *tapes, tapete, tapetum.*

278. *Monilia.*] *Phaleras* quidam interpretantur. Et verò phaleræ sunt Plinio, pensilia ornamenta: quanquam Suidæ sunt scutula in fronte: Herodoto tegumenta circa maxillas.

282. *Patri quos Dædala Circe, &c.*] Fingitur hìc à Virgilio Circe, Solis filia, paternis equis equam clam supposuisse, quæ hos Latini equos ex eorum semine pepererit; unde *nothi* dicuntur, id est, non legitimi, quorum tamen notus est pater: quorum enim ignotus est, ii ducuntur *spurii:* à Græcâ voce *νόθος*, quæ idem significat. *Circe* dicitur *Dædala*, id est, ingeniosa: vel à Dædalo ingenioso artifice, Æn. 6. 14. vel à *δαιδάλλω*, *artificiosa facio.* Sic Lucretius, Minervam, *Dædalam* passim appellat. Dicitur autem *Circe* à quibusdam fuisse Marica illa nympha, mater Latini, de quâ, v. 47.

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat:
Et lætum Æneam, classemque ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,
Deseruisse rates: stetit acri fixa dolore:
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeïs occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent: odiis aut exsaturata quievi!
Quin etiam patriâ excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus, aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti;
Vincor ab Æneâ. Quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est:
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;

*Ecce autem aspera uxor Jovis referebat se ab Argis Inachiis, et ibat elata per aërem, et procul ab usque Pachyno Siculo videt ex aëre lætum Æneam et classem Trojanam. Videt* Trojanos *jam struere domos, jam confidere regioni, reliquisse naves: stetit affixa* illic, præ *gravi dolore: deinde movens caput, emisit è pectore hæc verba: Vah gentem odiosam, et fata Trojanorum opposita voluntati meæ! An* potuerunt *perire in campis Sigeis? an capti potuerunt capi? an Troja combusta combussit homines?* Ergo *repererunt iter per medios exercitus et medias flammas? At opinor, mea potestas denique jacet lassa: aut satiata deposui odium! Imò etiam ausa* sum *persequi inter aquas* eos *expulsos patriâ et toto mari me objicere* iis *exulibus. Vires cœli et maris consumptæ* sunt *contra Trojanos. Quid profuerunt mihi Syrtes, aut Scylla, aut magna Charybdis? teguntur alveo desiderato Tybridis, tuti à mari atque à me. Mars potuit evertere crudelem nationem Lapitharum: ipse pater Deorum permisit furori Dianæ veterem Calydona: quam tantam* pœnam *sceleris merentibus Lapithis aut Calydone? Sed ego, magna uxor Jovis, quæ potui nihil omittere intentatum, quæ converti me in omnia, superor ab Æneâ. Quid si mea divinitas non est satis potens; non sanè dubitabo invocare quicquid usquam est: si non possum flectere superos, commovebo inferos. Sit* ita, *non permittetur* mihi *arcere eos ab regno Latini; et Lavinia fatis destinatur Æneæ uxor certissima: sed licet differre, et adhibere moras tantis rebus;*

## NOTÆ.

286. *Inachiis Argis.*] De *Argis*, urbe Peloponnesi, Junoni charâ, Æn. 1. 15. 284. *Inachii* dicuntur, vel ab Inacho Argivorum rege; vel ab Inacho fluvio: qui prope urbem fluit; ex Strab. l. 8. De *Pachyno*, promontorio Siciliæ meridionali, *Capo Passaro*, Æn. 3. 699.

294. *Fata Phrygum.*] De *fatis*, Æn. 1. 239. De *Phrygiâ*, ibid. 381. De *Sigeo* Troadis promontorio, ibid. 6. 500. De *numine*, ibid. 1. 133. De *Teucris*, ibid. 235.

302. *Quid Syrtes, &c.*] In Libyco mari vadosi sinus, Æn. 1. 111. De *Scyllâ* scopulo, et *Charybdi* voragine in freto Siculo, ibid. 3. 420.

304. *Mars perdere gentem Lapithûm, &c.*] Pirithous Lapitharum rex, de quo Æn. 6. 601. 617. ad suas cum Hippodame nuptias cùm Centauros Deosque omnes, uno excepto Marte invitâsset: Mars utramque gentem Lapithas et Centauros, clade utrimque maximâ inter pocula commisit. Ita Servius, quem sequuntur cæteri interpretes. De *Lapithis*, et *Centauris*, Thessaliæ gentibus, Geor. 2. 456. et 3. 38.

306. *Calydona Dianæ, &c.*] Œneus Calydonis rex, in Ætoliâ circa ostia Eveni fluvii: cùm Diis omnibus, exceptâ Dianâ, primitias frugum obtulisset; irata Dea aprum immisit, à quo vastatus est latè ager Calydonius, donec à Meleagro Œnei filio fera occideretur, Ovid. Met. 8. 273.

312. *Acheronta.*] Numina inferorum, ubi *Acheron* fluvius, Æn. 6. 323.

315. *At trahere, &c.*] Quomodo Dii fatis obstare possent, diximus, Æn. 1. 239.

At licet amborum populos exscindere regum.
Hâc gener atque socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo:
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantùm
Cisseïs prægnans ignes enixa jugales:
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
  Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit.
Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam: ne noster honos, infractave cedat
Fama loco; neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,

*sed licet evertere populos utriusque regis. Gener et socer faciant* fœdus *hoc præmio suorum. Puella,* habebis *pro dote sanguinem Trojanum et Rutulum: et Bellona destinatur tibi pronuba. Nec solùm* Hecuba filia *Cissei gravida peperit faces conjugales: Veneri etiam suus filius erit idem, et alter Paris, et fax iterum perniciosa contra Trojam recidivam. Postquam protulit hæc verba, descendit tremenda* in *terras. Excitat ex domo dirarum sororum et infernis umbris Alecto luctuosam; cui bella tristia, et iræ, et insidiæ, et crimina perniciosa* sunt *cordi. Ipse etiam pater Pluton aversatur* hoc *monstrum, aversantur sorores infernæ: tot convertit se in species, tam crudeles sunt figuræ* ejus, *tot dira producit serpentes. Juno animat eam his verbis, et loquitur talia: O virgo filia Noctis, concede mihi hunc laborem proprium, hoc officium: ne nostra gloria, vel fama victa, cedat locum: et ne Trojani possint circumvenire Latinum* prætextu *conjugii, et invadere regionem Italiam. Tu potes commovere in pugnas fratres conjunctissimos, et turbare odiis familias: tu immittere domibus verbera et mortiferas tædas: tibi* sunt *mille species et*

## NOTÆ.

317. *Mercede suorum.*] Damno populorum; quæ *merces* ironicè dicitur. Ita Cicero Tuscul. 3. 12. *Nam istuc, nihil dolere, non sine magnâ mercede contingit, immanitatis in animâ, stuporis in corpore.*

319. *Bellona—pronuba.*] *Bellona,* Dea bellorum præses, Martis soror, quæ eidem ad bellum eunti currum et equos parat: Græcis dicta *Enyo. Pronubæ,* mulieres dicebantur, quæ nuptias conciliabant, eaque administrabant, quæ pertinebant ad nuptias, et nuptam in lecto collocabant: eas oportebat uni viro nuptas fuisse, ad bonum omen.

320. *Cisseïs prægnans, ignes, &c.*] Hecuba Priami uxor, Cisseï Thraciæ regis filia, antequam pareret Parin, visa est sibi facem utero gestare, Æn. 1. 27. *Ignes enixa jugales,* intellige Parin ipsum, vel incendium Trojæ, quod illius partûs et conjugii fructus fuit: dicitur enim *jugale* quicquid ad conjugium pertinet: et conjugium ipsum, *jugum,* Æn. 4. 59.

321. *Idem Veneri partus, &c.*] Æneas, Veneris filius, erit alter Paris, altera ruina Trojæ, quam à se excitatam in Italiâ iterum perdet.

322. *Recidiva Pergama.*] Explicant plerique *repullulantia, reparata,* ego simpliciter *iterum cadentia,* ut Æn. 4. 344. Qui enim deducunt à *cædo* (et arbores quæ cæsæ et recisæ repullulant) non advertunt obstare mensuram syllabæ secundæ brevem: unde meliùs à *cado,* quàm à *cædo* derivatur. *Pergama,* arces Trojanæ urbis, Æn. 1. 466.

324. *Alecto, &c.*] De hâc Furiâ, aliisque duabus, Geor. 3. 552. Æn. 6. 572. De *Plutone,* Geor. 4. 467.

331. *Virgo sata Nocte.*] *Virginem* vocat Furiam. Vel simpliciter, pro puellâ: quomodo Pasiphaë dicitur *virgo,* Ecl. 6. 52. Vel peculiari Furiarum nomine: quæ sic dicuntur, quia severæ et in puniendo incorruptæ: unde Ajax flagellifer apud Sophoclem, v. 847. vocat eas ἀεὶ παρθένους, *semper virgines.* Noctis et Acherontis erant filiæ.

337. *Tibi nomina mille.*] Vel intelligit mille pestes, Furiarum quasi famulas, quæ passim in earum comitatu ponuntur à poëtis, distinctæ variis nominibus: ut sunt Luctus, Pavor, Fames, Discordia, &c. Vel intelligit *causas nocendi:* frequenter enim *nomen* pro *causâ* sumitur: unde passim *quo nomine,* pro *quâ de causâ.*

Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrûm, Turnique hymenæis,
Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic Dea cœruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem:
Vipeream inspirans animam: fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam;
Molliùs, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super natâ lacrymans, Phrygiisque hymenæis:
Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret, natæque, tuique?
Nec matris miseret: quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abductâ virgine prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externâ petitur de gente Latinis

*mille artes nocendi: concita animum fertilem, disturba pacem confectam, semina causas belli:* fac ut *juventus velit arma, simulque petat, et corripiat* ea. *Posteà Alecto imbuta venenis Medusæis, primò adit Latium et altam domum regis Laurentis, et obsidet portas quietas Amatæ: quam fœminea solicitudo et ira cruciabat, flagrantem ob adventum Trojanorum, et nuptias Turni. Dea injicit ei colubrum unum è capillis cœruleis, et submittit in sinum usque ad profundum cor; ut acta in furorem* per *id monstrum evertat totam familiam. Ille lapsus inter vestes et pectus leve, serpit nullo tactu, et subrepit furenti infundens halitum vipereum: magnus* ille *coluber fit aureus torques* circa *collum, fit tænia longæ vittæ, et implicat capillos, et lubricus vagatur* per *membra. Et* quidem *dum prima pestis submissa humido veneno movet sensus, et immiscet flammas ossibus, et nondum animus excepit incendium toto pectore;* tum *locuta est tranquilliùs et solitâ consuetudine matrum, flens multùm ob filiam et nuptias Trojanus: O pater, an Lavinia datur ducenda Trojanis? nec miseret te, et filiæ, et tui? nec miseret* te *matris, quam perfidus* ille *prædo deseret primo vento, abiens mari, abreptâ virgine? Nonne pastor Phrygius sic intravit Spartam,* et sic *abstulit Helenam Ledæ filiam in urbem Trojanam? Quid* erit *tua sacra fides, quid antiquum studium tuorum, et dextra toties data cognato Turno? Si quæritur Latinis gener è gente alienâ,*

## NOTÆ.

341. *Gorgoneis venenis.*] Quia Medusa una è Gorgonibus, Æn. 2. 616. caput habuit serpentibus horridum: quod à se abscissum Perseus cùm per Africam circumferret, stillantes inde in terram sanguinis guttæ totidem in angues venenatos mutatæ sunt, unde multitudo tanta venenorum et serpentium in Africâ. Ovid. Metam. 4. 620. et Apollonius, l. 4. 1514. De *Latio*, suprà, v. 44. De *Laurente* regione, v. 63. De *tyranni* nomine, v. 266. De *Teucris*, Æn. 1. 235. De *Hymenæo*, nuptiarum præside, Geor. 3. 60.

350. *Attactu nullo.*] Sensibili, quem Amata perciperet.

352. *Tænia vittæ.*] *Tænia*, extrema pars *vittæ:* promiscuè vulgò sumuntur. De sacro *vittarum* usu, Æn. 2. 133.

361. *Aquilone.*] Vento septentrionali, Ecl. 7. 51. Hìc pro quolibet vento.

363. *At non sic Phrygiâ, &c.*] Legitur *Annon?* per simplicem interrogationem. Et *at non?* per interrogationem ironiæ conjunctam. *Pastor*, Paris qui primò pastor fuit, Æn. 1. 27. *Phrygius*, Trojanus è Phrygiâ, ibid. 2. 381. *Lacedæmona*, Spartam in Peloponneso, ibid. 2. 577. De *Helenæ ortu* ex Ledâ, et raptu, ibid. 1. 650. et 6. 511.

366. *Consanguineo Turno.*] Matrem habebat Veniliam, sororem Amatæ.

367. *Si gener, &c.*] Eludit oraculum Fauni, de quo suprà, v. 81. probatque illud in Turnum cadere: tum quia Rutuli non parebant Latinis, et sic externi poterant dici, quamvis vicini: tum quia è Græcis Argivis ortus erat Turnus: Æneas contrà è Dardano Italo.

Idque sedet, Faunique premunt te jussà parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor; et sic dicere Divos.
Et Turno, si prima domûs repetatur origo,
Inachusque Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contrà stare videt; penitúsque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum verò infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum
Intenti ludo exercent. Ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur, populosque feroces.
Quin etiam in sylvis, simulato numine Bacchi,
Majus adorsa nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat: et natam frondosis montibus abdit,
Quò thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur:

*et id statutum est, et mandata patris Fauni urgent te; certè existimo alienam regionem* eam *omnem, quæ non subdita dominationi nostræ separatur à* nobis: *et* existimo *sic Deos loqui. Præterea si requiratur prima origo familiæ* Turni: *patres Turni sunt Inachus et Acrisius, et media Græcia. Postquam frustrà aggressa his verbis Latinum, cernit* eum *contrà persistere:* et postquam *furiosum venenum colubri intimè lapsum* est *in viscera, et penetrat* eam *totam; tunc verò misera, commota magnis monstris, sævit ultra modum furiosa per vastam urbem: quemadmodum aliquando turbo cursitans sub torto flagello, quem pueri vocantes ludo agitant in magnum orbem circa atria spatiosa. Ille impulsus flagello vagatur sinuosis spatiis: turba ignara obstupescit, et agmen impube miratur buxum versatile: ictus adjiciunt vim* buxo. Regina *non lentior* quàm *ille, cursu, vagatur per medias urbes et populos furentes. Imò præterea, ausa grandius crimen et orsa majorem furorem, abit in sylvas,* sub *fictâ religione Bacchi, et occultat filiam* in *montibus umbrosis: ut auferat* hoc *conjugium Trojanis*, aut *retardet nuptias,*

## NOTÆ

372. *Inachus Acrisiusque, &c.*] *Inachus* Argivorum rex fuit, qui nomen fluvio ibidem dedit. *Acrisius* ex ejus fuit posteris: pater *Danaës*, quam cùm audisset pariturам esse filium, à quo ipse foret occidendus, turre virginem inclusit. Hæc illic vitiata à Jove, sub aurei imbris specie per tegulas delapso, peperit Perseum. Ideò inclusa cum puero in arcâ ab Acrisio, et in mare projecta, allapsa est secundùm Græcos scriptores, ad insulam Seriphum, unam è Cycladibus in Ægeo mari; ibique à Polydecte suscepta est; secundùm Latinos ad litus Apuliæ, ubi Pilumno regi, Turni avo, nupsit, et *Ardeam* condidit in Rutulorum finibus: Pilumnus Daunum, Daunus Turnum ex Veniliâ Amatæ sorore genuit.

*Mediæque Mycenæ.*] *Argos* et *Mycenæ*, vicinæ Peloponnesi urbes, ita ut commune Junonis templum haberent, inter utramque positum, ex Strab. l. 8. uni eidemque principi parebat tota illa ditio, Acrisii tempore; nec distinctum Mycenis regnum constitutum est, nisi sub Pelopis posteris, ut notat ibidem Strabo. Quare ob viciniam et indistinctum diu imperium, *Argos* et *Mycenæ* promiscuè pro uno eodemque regno, ac ferè loco, habentur à poëtis, imprimisque à Virgilio. Hæc sufficiant testimonia, pauca è multis, Æn. 2. 178. Sinon à Calchante admonitos ait fuisse Græcos, exscindi Trojam non posse: *omina ni repetant Argis*, id est, nisi Argos redeant; statimque refert eos, Calchantis admonitu: *patrias vento petiisse Mycenas.* Ergo Mycenæ et Argos pro eâdem urbe usurpatæ. Item Æn. 6. 838. sic ait de duce Romano: *Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas*, id est, Argivorum regnum eruet. Constat enim ex Strabonis loco citato, *Mycenas* non à Romanis, sed ab ipsis Argivis esse erutas, ita ut suo tempore ne vestigium quidem earum reperiretur. Itaque hìc, *mediæque Mycenæ*, significat *mediam Græciam*, *mediam Peloponnesum*: partem pro toto, locum certum pro incerto.

377. *Lymphata.*] Furiosa. Vel, à *Nymphis lympharum* præsidibus, quæ eos, à quibus erant conspectæ, in furorem agebant: ita ferè Festus: Vel, quòd in rabiem acti, *lympham*, id est, *aquam*, timeant: ita Isidorus.

381. *Buxum.*] *Buxus* arbor est: *buxum*, lignum arboris, *buis*, BOX, ex quo fit *turbo*, lusorium instrumentum versatile, Gall. *sabot*, A TOP.

385. *Bacchi, &c.*] De eo, deque *thyrsis*, hastis pampino vestitis, Ecl. 5. 29. De *Bacchis*, mulieribus eidem sacris, quarum furorem simulabat Amata, Æn. 4. 301. De vociferatione Bacchicâ *Evoë*, ibid. 6. 517. De *choro* seu saltatione mulierum circa Deorum simulacra, ibid. 4. 62. De verbo *lustro*, pro *circumeo*, ibid. 1. 608.

Evoë Bacche fremens, solum te virgine dignum
Vociferans. Etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem,
Fama volat: furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit nova quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla comasque:
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: torvumque repentè
Clamat: Io matres, audite, ubi quæque, Latinæ.
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet:
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
Talem inter sylvas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.
  Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protinùs hinc fuscis tristis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneïs Danaë fundâsse colonis,
Præcipiti delata Noto: locus Ardua quondam
Dictus avis, et nunc magnum manet Ardea nomen.
Sed fortuna fuit. Tectis hìc Turnus in altis
Jam mediam nigrâ carpebat nocte quietem.

*fremens Evoë Bacche: clamans te unum dignum esse puellâ,* ô Bacche. *Et verò rumor spargitur, puellam gestare pro te thyrsos teneros, circuire choris tuam* imaginem, *alere comam dicatam tibi: et eadem cupiditas impellit simul omnes matres inflammatas furiis* in *pectore, ad quærendas domos novas. Reliquerunt domos: præbent ventis colla et capillos: aliæ autem implent aërem tremulis clamoribus, et indutæ pellibus gestant hastas* ornatas *pampino. Ipsa* regina *in medio furiosa tenet pinum flammantem, et canit nuptias filiæ* suæ *et Turni, volvens oculos sanguinolentos, et subitò clamat immaniter: Io matres Latinæ, audite omnes ubicunque* estis: *si quis amor restat piis animis erga miseram Amatam, si sollicitat* vos *cura auctoritatis maternæ, resolvite tænias capillorum, celebrate mecum orgia. Sic undique per sylvas, per deserta ferarum, Alecto impellit reginam furiis Bacchi. Postquam Dea funesta visa est* sibi *satis stimulavisse primas iras, et turbâsse omnem familiam atque consilium Latini: statim aufertur nigris alis inde ad muros Rutuli audacis: quam urbem Danaë dicitur condidisse civibus Acrisoneïs,* huc *advecta celeri vento: locus* ille *appellatus* est *olim à majoribus Ardua, et nunc nomen insigne restat Ardea. Sed casus* ita *tulit. Illic Turnus tenebrosâ nocte jam capiebat medium somnum in sublimi domo.*

## NOTÆ.

391. *Tibi pascere crinem.*] Mos apud Græcos Romanos, Barbaros, capillos Diis sacrare: idque fiebat duobus modis, vel eos fluentes et incæduos alendo; vel detondendo, et templis appendendo, aut mortuorum tumulis injiciendo. Contendit tamen Cerdanus semper sacratos fuisse per tonsuram, nec solitos ali, nisi ut posteà secarentur.

397. *Pinum sustinet.*] Facem nuptialem, quæ frequenter è pinu, Ecl. 8. 29. Faces eas non tantùm à pueris, sed à matre etiam latas, præcipuè apud Græcos, probat Cerdanus, ex Euripide et Apollonio.

400. *Io.*] Vox est omnes propè affectus exprimens, dolorem, gaudium, &c. ἰώ. De *orgiis*, Bacchi sacris, Æn. 4. 301.

403. *Solvite crinales vittas.*] Quæ virginum et matronarum capillos coërcebant, non meretricum. Unde Ovid. de Arte, l. 1. 30. *Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.* Eas resolvere, furoris et inverecundiæ nota fuit, Baccharumque mos.

410. *Acrisioneïs colonis, &c.*] Quod fabulæ de *arcâ* Danaës effutiunt, ut suprà narravimus, v. 372. hoc videtur hìc Virgilius de *navi* interpretari, quâ, cum Argivis aliquot, fugam Danaë in Italiam ceperit: quò allapsa, favente vento meridionali *Noto*, condidit ibidem Ardeam, in gratiam *colonorum* Argivorum, quos advexerat secum è regno *Acrisii* patris sui. *Ardea* urbs fuit regia Rutulorum, in finibus Latii, mare Tyrrhenum versùs, ad orientem Laurenti; nunc vicus nomen retinens. Nomen, vel ab *Ardeâ* ave, cujus ex augurio condita est, teste Hygino apud Senecam, quem qui sequuntur explicant hìc vocem *avis*, de *volucri*, videturque Ovid. Met. 14. 574. allusisse ad illam urbis originem, cùm eandem ab Æneâ excisam et in *Ardeam* avem mutatam fingit. Vel potiùs, dicta est ab *arduo* situ; unde sic legimus, duce Servio, et MSS. apud Pierium compluribus: *locus Ardua quondam dictus avis,* id est, *majoribus.*

413. *Fortuna fuit, &c.*] Vel ad superiora refertur: *Fortuna casusque fuit, ut nomen urbi tamdiu remanserit, tot aliis urbium nominibus aut mutatis aut sepultis.* Vel ad subsequentia:

Alecto torvam faciem et furialia membra
Exuit: in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos
Cum vittâ crines: tum ramum innectit olivæ.
Fit Calybe, Junonis anus, templique sacerdos:
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassùm fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres:
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies: tege pace Latinos.
Hæc adeò tibi me, placidâ cùm nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Lætus in arma para: et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre, duces, pictasque exure carinas.
Cœlestûm vis magna jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium, et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hìc juvenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Tybridis alveo,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostrî.
Sed te victa situ, verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet; et arma
Regum inter, falsâ vatem formidine ludit.
Cura tibi, Divûm effigies et templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus,
Diriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,

*Alecto deponit sævum vultum, et membra furiosa: mutat se in speciem vetulæ, et sulcat rugis frontem fœdam: assumit capillos albos cum tæniâ: tum implicat* iis *coronam olivæ. Fit Calybe, vetula Junonis, et sacerdos* ejus *templi: et exhibet se juveni præ oculis cum iis verbis: Turne, an feres tot labores abire frustrà, et tua regna transmitti Trojanis advenis? Rex abnuit tibi matrimonium et præmia parata sanguine, et hæres peregrinus quæritur ad regnum. I modò, illuse, expone te inutilibus periculis: i, supera Tuscos exercitus, protege pace Latinos. Ipsa autem omnipotens* Juno *filia Saturni palam jussit me dicere hæc tibi, dum dormis tranquillâ nocte. Age igitur, et lætus cura juventutem armari et emitti portis ad bellum: et succende duces Phrygios, qui sederunt ad pulchrum fluvium, et pictas naves. Magna potestas Deorum* hoc *imperat. Ipse rex Latinus, nisi consentit conficere matrimonium, et stare promissis, sentiat et experiatur denique Turnum in bello. Tum juvenis ridens vatem, ita vicissim ore reponit verba: Non, ut putas, nuncius* ille *fugit meas aures, classem ingressam esse fluvium Tybrim: ne mihi finge tantas* causas *timendi, regina Juno non est oblita nostri. Sed, ô mater, senectus fracta annis et imbecilla ad* cognoscendam *veritatem frustrà agitat te curis, et decipit vatem falso timore super bellis regum. Cura* sit *tibi custodire simulacra et templa Deorum: viri, quibus bella debent esse curæ, administrent bella. Alecto erupit in furorem talibus verbis. At repentinus tremor invadit membra juvenis loquentis: oculi cohorruerunt: tot colubris sibilat furia,*

## NOTÆ.

*Fortuna casusque fuit, quòd Turnus tum dormiebat, &c.*

418. *Cum vittâ crines, &c.*] *Calyben*, poëta sacerdotem fingit templi Junonii, quod Ardeæ fuisse indicat: unde favor Junonis in Turnum. *Vittas* illa sive *infulam* sacerdotalem gerebat, Æn. 2. 133. *Innectit ramum olivæ*, in coronam infulæ superpositam.

426. *Tyrrhenas, i, sterne acies.*] Adversùs quos Latinis bellum gerentibus opem Turnus sæpe tulerat. De *iis*, Æn. 2. 781. De *Junone*, Saturni filiâ, ibid. 1. 23. De *Phrygiis*, Trojanis, Æn. 1. 381.

440. *Victa situ, verique effœta.*] *Situs*, squalor est ex vetustate contractus, Æn. 6. 462. *Effœta* dicitur mulier quæ cessavit fœtus emittere et parere: unde *veri effœta*, erit, quæ cessavit vera dicere et cognoscere: quales vetulæ, quæ falsa sæpe pro veris accipiunt.

447. *Erinnys sibilat hydris.*] *Erinnys*, commune Furiarum nomen, Æn. 2. 337. *Hydrus*, vel *hydra*: propriè serpentis genus in aquis degens, ab ὕδωρ, *aqua*.

Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina, cunctantem et quærentem dicere plura
Repulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rapidoque hæc addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsâ formidine ludit.
Respice ad hæc; adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu, letumque gero.
 Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rupit pavor: ossaque et artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli,
Ira supèr. Magno veluti cùm flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantque æstu latices: furit intus aquæ vis,
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis:
Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem, pollutâ pace, Latinum
Indicit primis juvenum: et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, Divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet, atque juventæ;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
 Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis:
Arte novâ speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iülus.
Hìc subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima malorum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat formâ præstanti et cornibus ingens:
Tyrrheidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et latè custodia credita campi.

tam horrendum vultus ejus exhibet se. Tum Alecto contorquens oculos ignitos, repulit morantem et parantem loqui plura, et extulit duos colubros, et sonuit flagello, et adjecit hæc ore furioso: Ecce ego sum illa obruta annis, quam senectus imbecilla ad cognoscendum verum decipit falso metu inter bella regum. Attende ad ista: venio è domo sororum funestarum: fero in manibus bella et mortem. Sic locuta torquet tædam in juvenem, et figit sub pectore faces fumantes nigrâ luce. Magnus timor abstulit illi somnum: et sudor profusus toto corpore rigavit et ossa et membra. Ille furens poscit arma, quærit arma per lectum et domum. Fervet cupido armorum, et vesana rabies belli, et prætereà ira. Sicut quando flamma excitata è virgis supponitur magno crepitu lateribus ollæ æreæ spumantis, et undæ ardore subsiliunt: tum violentia aquæ furit intus, et fluvius fumidus altè exundat spumis; nec jam unda continet se, vapor niger surgit in aërem. Itaque ruptâ pace, imperat præcipuis juvenum iter ad regem: et jubet arma instrui, suos Italiam tueri, et pellere hostem ultra terminos regionis: ait se satis esse contra utrosque, et Latinos et Trojanos. Postquam protulit hæc verba, et invocavit Deos ad vota sua audienda; Rutuli mutuo incitant se ad bellum. Hunc incitat eximia species pulchritudinis et juventutis regis sui; illum regis ejus majores, illum manus ejus clara factis. Dum Turnus implet Rutulos audaciâ animosâ, Alecto Stygiis alis immittit se in Trojanos: intuita per novam fraudem locum in litore, ubi formosus Ascanius persequebatur feras insidiis et cursu. Hìc puella Cocytia immittit canibus furorem repentinum, et percellit nares odore cognito, ut agiles insequerentur cervum: quod fuit primum caput calamitatum, et inflammavit ad bellum animos rusticos. Cervus erat eximiâ specie, et altis cornibus: quem filii Tyrrhei alebant abstractum ab uberibus matris, et ipse pater Tyrrheus, cui subditi erant armenta regis, et commissa erat latè cura agrorum.

## NOTÆ.

470. *Venire.*] Esse. Sic Geor. 1. 22. *An Deus immensi venias maris.* De *Teucris*, Æn. 1. 235. De *Styge* et *Cocyto*, ibid. 6. 323.

485. *Tyrrheusque pater.*] Hunc fuisse Latino pecoris custodem ait Dionys. Halic. et ad eum deinde, mortuo Æneâ, fugisse Laviniam, ut diximus, Æn. 6. 763.

Assuetum imperiis soror omni Sylvia curâ
Mollibus intexens ornabat cornua sertis:
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis: rursúsque ad limina nota
Ipse domum serâ quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iüli
Commovêre canes: fluvio cùm fortè secundo
Deflueret, ripâque æstus viridante levaret.
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti Deus abfuit, actaque multo
Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis: questuque, cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne replevit.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera sylvis)
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut fortè coactis
Scindebat, raptâ spirans immanè securi.
At sæva è speculis tempus Dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit stabuli, et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: quâ protinùs omne
Contremuit nemus, et sylvæ intonuere profundæ.
Audiit et Triviæ longè lacus, audiit amnis
Sulphureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini.
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Tum verò ad vocem celeres, quà buccina signum

*Sylvia soror* eorum *omni studio decorabat* illum *docilem imperio, cingens* ei *cornua floribus teneris: et pectebat cervum, et lavabat in puris fontibus. Ille patiens* tangi *manu, et assuetus mensæ domini, vagabatur per sylvas, et posteà referebat se ipse ad domum cognitam, quamvis provectâ nocte. Canes furiosæ venantis Ascanii excitaverunt illum procul errantem; cùm fortè enatâsset prono fluvio, et leniret calorem in herbosâ ripâ. Ipse quoque Ascanius, inflammatus cupiditate pulchræ laudis, curvato* arcu *corneo intendit sagittam: nec defuit Alecto manui incertæ, et* sagitta *arundinea impulsa magno stridore transit per uterum et per ilia cervi. At cervus vulneratus fugit in notam domum, et gemens intravit stabulum, et sanguinolentus ac similis petenti o*pem, *implevit questu totam domum. Sylvia soror feriens humeros manibus, prima petit opem, et inclamat duros rusticos. Illi repentini adveniunt: nam furia exasperans* eos *clam latet in sylvis: hic armatus titione præusto, hic nodis gravis fustis: furor convertit* in *arma quicquid obvium est unicuique quærenti* arma. *Tyrrheus, cùm fortè finderet adactis cuneis quercum fissilem in quatuor* partes, *horrendùm iratus, correptâ securi convocat multitudinem. At crudelis Furia nacta è speculis tempus nocendi, conscendit altum culmen stabuli, et de supremo vertice canit signum pastorale, et curvo cornu contendit vocem infernam: quâ statim omnis sylva intremuit, et intimæ arbores sonuere. Audiit etiam procul lacus Dianæ, audiit fluvius Nar albus aquâ sulphureâ, et fontes Velini: et matres timidæ presserunt pueros ad ubera. Tunc autem agricolæ indociles correptis armis undique accurrunt prompti ad vocem, quà*

## NOTÆ.

489. *Ferum.*] Naturâ ferum animal, cultu mansuetum. Sic equum appellavit, Æn. 2. 51. *Inque feri curvam compagibus alvum.*

498. *Deus.*] *Alecto;* nam *Deus* etiam genere communi, de fœminâ dicitur, Æn. 2. 632.

499. *Ilia.*] Partes imi ventris circa summas coxas.

509. *Quadrifidam quercum.*] Fissilem in quatuor partes, id est, in multas partes: numerus certus pro incerto.

514. *Tartaream vocem.*] *Tartarus,* profundus inferorum locus, Æn. 6. 134.

516. *Triviæ lacus, &c.*] Lacus Dianæ Aricinæ, juxta Ariciam urbem, tribus circiter leucis Laurento dissitus, ad septentrionem, nunc *lago di nemo. Trivia* Dianæ nomen à triviis ubi colebatur, Æn. 4. 511.

517. *Sulphureâ Nar albus aquâ.*] *Nar,* nunc *Nera,* fluvius Umbriam Sabinumque agrum disterminans, et influens in Tybrim. Nomen à Sabinâ voce *Nar,* quæ sulphur significat, ob vim odoremque aquarum.

*Fontesque Velini.*] Lacus *Velinus,* ab ἕλος, *palus;* nunc *lago di pie di Luco,* ab oppido vicino: in Sabinorum finibus exonerans se in Narem fluvium.

Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: necnon et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies: non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque latè
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessitâ, et lucem sub nubila jactant.
Fluctus utì primo cœpit cùm albescere vento:
Paulatim sese tollit mare, et altiùs undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hìc juvenis primam ante aciem stridente sagittâ,
Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almon
Sternitur: hæsit enim sub gutture vulnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circà: seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert, justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis.
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur:
Promissi Dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primæ commisit funera pugnæ;
Deserit Hesperiam, et cœli convexa per auras,
Junonem victrix affatur voce superbâ:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coëant, et fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros;

*dirum cornu impulit sonum; et juventus etiam Trojana castris patentibus immittit subsidium Ascanio. Ordinaverunt agmina: non jam pugnatur prœlio rustico, fustibus duris, aut palis præustis: sed dimicant gladiis dubiis, et rigescit nigra seges strictorum ensium; et arma ærea, sole percussa, emicant et emittunt splendorem ad nubes. Ut quando fluctus cœpit albescere primo vento:* tunc *mare tollit se sensim, et erigit undas altiùs, deinde surgit in aërem ex intimo fundo. Hìc Almon juvenis, qui maximus erat filiorum Tyrrhei, prosternitur sagittâ sonante ante primum agmen: nam plaga hæsit sub jugulo et sanguine obstruxit viam liquidæ vocis et levem spiritum. Multa corpora hominum* sternuntur *circa* illum: imprimis *senex Galesus, dum exhibet se conciliatorem pacis, qui unus* omnium *fuit olim æquissimus, et ditissimus agrorum Italicorum. Quinque greges ovium, et quinque armenta redibant illi, et scindebat terram centum aratris. At dum ea fiunt per agros Marte* adhuc *æquali: Furia compos facta promissi, postquam inchoavit bellum sanguine, et incepit cædem primi prœlii; relinquit Italiam, et vecta per spatia cœli, victrix alloquitur verbis superbis Junonem: Ecce dissentio conflata est tibi per bellum triste: nunc jube* ut *conveniant in societatem, et faciant pacem. Siquidem perfudi Trojanos Italico sanguine;*

## NOTÆ.

537. *Ausoniis arvis.*] Italicis, v. *54*.

538. *Quina redibant.*] E pastu in stabula.

540. *Æquo Marte.*] Antequam Latinorum præcipui occisi essent, dum adhuc æqua utrimque esset fortuna prælii. Sic Donatus: quem malo sequi, quàm Servium, qui explicat *aperto Marte:* aut Ascensium, qui interpretatur *æquo et plano campo.* De *Marte*, Æn. *9. 12.*

541. *Promissi Dea facta potens.*] Compos facta rei, quam Junoni effecturam se promiserat.

542. *Imbuit.*] *Tinxit, perfudit:* metaphoricè: *incepit, instituit:* per translationem à *lanis, vasculis,* quæ primùm liquore aliquo perfunduntur; vel à primis infantûm potionibus, quas puerilis vocis imitatione *buas* ab antiquis dictas esse, Nonnius ex Catone et Varrone testatur. Si igitur hìc sumatur propriâ significatione, sensus erit: *Tinxit sanguine bellum,* id est, *bellica arma:* ut mox v. *554*. *Sanguis novus imbuit arma.* Si sumatur metaphoricè, sensus erit: *Incepit bellum sanguine;* quo more dixit Propertius, l. 4. 10. *5.* *Imbuis exemplum primæ, tu Romule, palmæ:* id est, *incipis, instituis, das exemplum.* De *Hesperiâ*, Italiâ, Æn. 1. *530*.

543. *Convexa per auras.*] *Convecta.* Sic Geor. 4. *293*. *Usque coloratis amnis devexus ab Indis:* id est, *devectus.*

546. *Dic in amicitiam, &c.*] Fac, si potes, ut in amicitiam redeant. Et est ironica Furiæ jactatio, quasi dicat: Eas ego turbas excitavi, quas nec tu ipsa Juno componere possis. *Ausonio sanguine,* v. *54*.

547. *Quandoquidem, &c.*] Cæteri conjungunt cum superioribus: ego subsequentibus adjicio, hoc sensu: Quandoquidem tam feliciter Trojanos Rutulis commisi; permitte mihi ut alias etiam gentes huic bello admisceam. De *Marte*, Ecl. *9. 12.* De *Hymenæo*, Geor. *3. 60*. De *Venere*, Æn. 1. *256*. De *Olympo*, Ecl. *5. 56*. De *Cocyto*, Æn. *6. 523*.

Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant: spargam arma per agros.
Tum contrà Juno: Terrorum et fraudis abundè est:
Stant belli causæ: pugnatur cominùs armis.
Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia et tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super æthereas errare licentiùs auras
Haud Pater ipse velit summi regnator Olympi.
Cede locis: ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces:
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus, Italiæ in medio sub montibus altis,
Nobilis, et famâ multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vortice torrens.
Hìc specus horrendum, et sævi spiracula Ditis
Monstrantur: ruptoque ingens Acheronte vorago,
Pestiferas aperit fauces: queis condita Erinnys,
Invisum numen, terras cœlumque levabat.
Nec minùs intereà extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus: cæsosque reportant,
Almonem puerum, fœdatique ora Galesi:
Implorantque Deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest; medioque in crimine, cædis et ignis
Terrorem ingeminat; Teucros in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.

*prætereà hoc adjiciam illis* rebus, *si tua voluntas mihi nota* fiat: *incitabo rumoribus vicinas urbes ad bellum, et inflammabo animos furiosâ cupiditate Martis, ut undecunque accurrant* ad *subsidium: diffundam prælia per campos. Tunc Juno vicissim ait: Satis est terroris et doli: manent causæ belli: certatur cominùs armis: sanguis novus tinxit arma, quæ casus prima obtulit. Eximia soboles Veneris, et ipse rex Latinus peragant talia conjugia et tales nuptias. Ipse Pater rector supremi cœli nollet te vagari liberiùs super spatia cœlestia. Recede* ex his *locis: si aliquod discrimen superest in hoc negotio, ego ipsa regam* illud. *Saturni filia protulerat talia verba: Furia verò explicat alas sonantes colubris, et adit regionem Cocyti, relinquens* loca *alta* et *superna. Est locus in medio Italiæ, sub altis montibus, insignis et celebratus famâ in regionibus plurimis,* nempe *valles Amsancti. Latus sylvæ, nigrum spissis foliis, premit utrinque hunc* locum; *et* in *medio* ejus *torrens tumultuosus edit strepitum saxis erumpente vortice. Ostenduntur hìc antrum horribile, et ostia sævi Plutonis: et magna vorago apertis inferis pandit aditus pestiferos: quibus abscondita Furia, odiosa Dea, liberabat cœlum et terras. Intereà filia Saturni non segniùs addit bello manum ultimam. Omnis multitudo pastorum recurrit è prælio in urbem: et referunt occisos Almonem puerum et caput Galesi cæsi, et invocant Deos et precantur Latinum. Turnus adest, et in medio cadaverum auget timorem cædis et incendii:* aitque *Trojanos admitti in regna, gentem Phrygiam associari, se ejici domo. Tunc* illi, *quorum matres percitæ Baccho percurrunt sylvas inaccessas* cum *choreis, conveniunt undique congregati, et exercent bellum: neque enim levis est auctoritas Amatæ.*

## NOTÆ.

555. *Amsancti valles, &c.*] In Hirpinis, qui Apuliam ab oriente, Campaniam ab occidente habent: medio ferè spatio, inter mare superum sive Hadriaticum, et inferum sive Tyrrhenum est vallis, in quâ lacus *Amsanctus*, nunc *Mufiti*, à Mephitis templo quod ibi olim fuit, ut diximus suprà, v. 83. aquis nigris, et odore teterrimis, in medii lacûs ad viri proceritatem ingenti fragore ebullientibus. Unum ex ostiis inferorum Itali credidere, et inde *Amsanctus* dictus est, id est, *circùm sacer*: *ambi* enim vel *ambo*, veteribus fuit, *circùm*, ἀμφὶ. *Ditis*, Plutonis, Geor. 4. 467. *Acheronte*, Æn. 6. 323. *Erynnys*, Furia, ibid. 2. 337.

575. *Fœdati.*] Vulnerati, cæsi. Vide Æn. 2. 55. *Ferro Argolicas fœdare latebras.*

577. *Crimine.*] Cæsis cadaveribus, quorum cædem Turnus crimini vertebat Trojanis. De *Teucris*, Æn. 1. 235. De *Phrygiâ*, ibid. 381. De *Baccho* ejusque *thiasis*, seu choreis, Ecl. 5. 29.

Ilicèt infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata Deûm, perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet: scopuli nequicquam et spumea circùm
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.
Verùm ubi nulla datur cæcum exsuperare potestas
Consilium, et sævæ nutu Junonis eunt res;
Multa Deos, aurasque pater testatus inanes:
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procellâ.
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri! te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque Deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus,
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
  Mos erat Hesperio in Latio, quem protinùs urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima movent in prælia Martem:
Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisve, Arabisve parant; seu tendere ad Indos,

*Statim omnes, iratis Diis, flagitant dirum bellum, contra auspicia, contra voluntatem Deorum. Certatim cingunt domum regis Latini: ille obsistit, velut rupes maris immobilis: veluti rupes maris, magnâ tempestate instante; quæ multis fluctibus circùm sonantibus sustentat se mole suâ: frustrà scopuli et saxa spumantia circumstrepunt, et alga impacta impellitur lateri. Sed quandoquidem nulla affertur facultas evertendi insanum consilium, et res fiunt ad arbitrium duræ Junonis; pater sæpiùs attestatus Deos et aërem vacuum ait: Heu! vincimur fatis, raptamur tempestate. O miseri,* vos *ipsi persolvetis has pœnas sacrilego sanguine. O Turne, spectabit te crimen et tristis pœna: et tardioribus precibus implorabis Deos. Nam quies et mihi parata, et omnis portus est in conspectu:* tantùm *privabor morte felici. Nec plura locutus, clausit se domo, et deposuit regimen rerum. Erat consuetudo in Latio Italico, quam urbes Albanæ solemnem perpetuò servaverunt:* quam *nunc Romani potentissimi orbis servant, quando concitant Martem in prima certamina: seu parant inferre manu triste bellum Getis, aut Hyrcanis, aut Arabibus; seu proficisci contra Indos,*

## NOTÆ.

598. *Nam mihi, &c.*] Nam mihi nihil timeo, cùm sit in propinquo portus mortis; cujus non amittam quietem, sed tantùm honores fortassè, et pompam funebrem; captâ et vastatâ à Trojanis urbe meâ.

601. *Hesperio in Latio, &c.*] De *Hesperiâ*, Italiâ, Æn. 1. 530. De *Latio*, suprà, 54. De *Albâ*, Ascanii regiâ urbe, Æn. 1. 271. et 8. 48.

604. *Sive Getis, &c.*] Populis Daciæ, Thracum vicinis: circa ostia Danubii, Geor. 2. 115. De his triumphaverat paulò ante hæc Virgilii tempora M. Licinius Crassus Proconsul, Augusti auspiciis, anno U. C. 726.

605. *Hyrcanisve, Arabisve, &c.*] *Hyrcania:* olim Parthiæ pars, Æn. 4. 367. Huic nullum privatim bellum à Romanis illatum est: sed Parthis, quorum imperio continebatur *Arabiâ;* cujus populi *Arabes*, vel *Arabi:* ingens Asiæ quasi peninsula: Syriæ, Mesopotamiæ, et Parthorum imperio contermina, Geor. 2. 115. Hanc penetrare et subigere tentavit Augustus anno 730. duce expeditionis Ælio Gallo, juxta Strabonem; non Ælio Largo, ut mendosè legitur apud Dionem; neque Cornelio Gallo, de quo Ecl. 10. ut malè Casaubonum in Strabonis l. 17. commentari ostendit Valesius in Ammianum.

*Tendere ad Indos, Auroramque, &c.*] Constat ex Dione, Indos pacem sanxisse cum Augusto, et ad eum dona advexisse, cùm Sami hyemaret, sub finem anni 734. aut initium sequentis: cùm Augustus in urbem rediret ex Asiâ et Syriâ, ubi multa composuerat. Constat, Phraatem regem Parthorum, veritum ne bello ab Augusto peteretur, eidem in Syriâ versanti signa captivosque remisisse, quotquot Crassi Antoniique cladibus Parthi ceperant; idque accidisse circa æstatem anni 734. At cùm hæc propiùs accedant ad mortem Virgilii, quæ anno 735. contigit: non dubito quin Virgilius, non quidem de hâc ipsâ signorum receptione, et itinere Augusti: sed de ejus apparatu explicandus sit: quæ omnia contigere circa annum 732. Nam, ut habet Dio, Augustus itineri se dedit, antequam inirent magistratum consules anni 733. Idem signa et captivos à Parthis repetiit sub finem anni 731. Quo fortè tempore etiam legatos ab Indis de pace accepit: siquidem ait Dio, eos pacem per legatos priùs petîsse quàm eam Sami conficerent. Atque hinc Virgilius, qui hæc Romæ tum videbat, ad bellum tendere existimavit, cùm tamen deinde pace perfecta sint. De *Indis*, Geor. 1. 57. De *Aurorâ*, Geor. 1. 144. De *Parthis*, Ecl. 1. 63.

Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,
Religione sacræ et sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ;
Ipse, Quirinali trabeâ cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina consul;
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cætera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, et cæcis se condidit umbris.
Tum regina Deûm, cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis antè.
Pars, pedes ire parat campis; pars, arduus altis
Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt:
Pars leves clypeos et spicula lucida tergunt
Arvinâ pingui, subiguntque in cote secures:
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeò magnæ positis incudibus urbes

*et persequi Auroræ* populos, *et repetere signa à Parthis. Sunt duæ portæ belli, appellant eas hoc nomine, venerabiles religione et metu crudelis Martis: centum vectes ærei, et æternæ vires ferri claudunt* eas: *et Janus custos non recedit à portis. Quando stat senatoribus certum consilium belli; ipse Consul, notabilis trabeâ Romuleâ et cinctu Gabino, aperit illas* et *stridentes* earum *cardines; ipse inclamat bellum: tum reliqua juventus imitatur* eum, *et æreæ tubæ respondent concentu rauco. Tunc quoque Latinus cogebatur indicere bellum Trojanis illo ritu, et aperire funestas portas.* Sed *pater abstinuit à tactu* portarum, *et abhorrens fugit turpe ministerium, et abscondit se in obscuris tenebris. Tunc regina Deorum* filia *Saturni, delapsa è cœlo, ipsa percussit manu portas obsistentes, et emoto cardine fregit postes belli ferratos. Italia, priùs quieta et non turbata,* nunc *flagrat. Hi partim volunt ire pedites per agros: Partim sæviunt sublimes et* excitantes *pulverem altis equis: omnes quærunt arma; partim purgant arvinâ pingui scuta polita et spicula splendida, et acuunt secures in cote: et placet portare vexilla, et audire sonitum tubarum. Itaque quinque magnæ urbes defixis incudibus*

NOTÆ.

607. *Sunt geminæ, &c.*] Virgilius utitur anticipatione. Templum enim Jani ad bellum aperiri, non nisi à Numâ, secundo Romanorum rege, institutum est. Cætera pete ex Æn. 1. 294.

609. *Vectes.*] *Vectis*, instrumentum in modum trabis aut pali crassioris, quo vel januæ adversùs vim muniuntur, vel promoventur impelluntur que moles onerum, vel diruuntur muri: à *vehendo* dictum: idque ex ære, ferro, ligno.

610. *Custos limine Janus.*] Vel quia statua ejus erat in limine bifrons: vel quia præerat omnibus januis, quæ ab ipso sic dictæ sunt. Præerat enim omnibus initiis domorum, quæ *januæ* sunt: anni, qui mensis *Januarius*, &c. Primus rex fuit et antiquissimus Italiæ, qui Saturnum hospitio excepit. Hunc aliqui Noë, aliqui Japhet Noë filium putant. Vini usum in Italiam invexit, arasque, et templa, et portarum ac clavium usum. Ab aliis primus dicitur Deorum. *Bifrons* pingitur, vel quia cum Saturno regnum partitus est, et maximâ conjunctione cum eodem vixit: vel quòd ob summam prudentiam, præterita sciret, futura provideret: vel quòd Italiæ gentes à feris moribus ad mansuetiores traduxerit, quæ duplex vita duplici vultu notatur: vel quòd Græcos origine, ut quidam volunt, linguâ duplici loqueretur.

612. *Quirinali trabeâ, cinctuque Gabino, &c.*] De *trabeâ*, quæ *Quirinalis* ab inventore *Romulo* dicta est, suprà, v. 188. *Cinctus Gabinus* fuit, cùm togæ lacinia, quæ sinistro brachio vulgò imponebatur, inde subducta, in tergum ita rejiciebatur, ut contracta retraheretur ad pectus, atque ita in nodum necteretur: qui nodus sive cinctus, togam contrahebat, breviorem que et strictiorem reddebat. Ita Ferrarius, qui de re vestiariâ quàm accuratissimè scripsit. Nomen et originem derivat Servius à Gabiis, Latii urbe: ubi cùm cives sacris operarentur togati, subitò ingruentibus hostibus, cùm non esset spatium arma sumendi, sic succinctis contractisque togis ad pugnam exierunt. Hoc ritu Consul bella indicebat, duces et imperatores spolia hostium cremabant, sacra sæpe bello faciebant, devovebant se, &c.

621. *Cardine verso, &c.*] De *cardine* portarum, Æn. 1. 448. De *postibus*, ibid. 2. 442. De *Ausoniâ*, Italiâ, suprà, v. 54.

627. *Arvinâ pingui, &c.*] Est sevum, sive pinguedo illa, quæ inter carnem et cutem animalium est. *Cos*, fœminini generis, lapis est quo cultri acuuntur.

Tela novant: Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, et turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum crates: alii thoracas ahenos,
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses:
Classica jamque sonant: it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad juga cogit equos, clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.
  Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete:
Qui bello exciti reges: quæ quemque secutæ
Complêrint campos acies: quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
  Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxtà Lausus: quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni:
Lausus equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllinâ nequicquam ex urbe secutos

*recudunt tela: Atina potens, et Tibur excelsum,* et *Ardea, et Crustumerium, et Antemnæ turritæ. Cavant tutas galeas capitum, et texunt è salice crates clypeorum: alii excudunt loricas æreas vel politas ocreas argento flexili. Illuc abiit studium vomeris et falcis, illuc omnis cura aratri: recoquunt patrios gladios* in *fornacibus: et jam buccinæ sonant: datur symbolum signum belli. Hic festinus extrahit galeam è tecto: ille jungit ad currum equos frementes, instruiturque clypeo et loricâ* cum *triplici licio auri, et armatur fideli gladio. Nunc, ô Musæ, aperite Helicona; et suggerite* mihi *cantus* istos: *quinam reges excitati* fuerint *ad bellum; quinam exercitus secuti unumquemque operuerint campos; quibus hominibus abundaverit jam tunc tellus Italica nutrix* mea, *quibus bellis flagraverit. Nam* vos, *Divæ, meministis, et potestis narrare* illa: *vix levis rumor famæ pervenit ad nos. Primus Mezentius contemptor Deorum asper incipit bellum è Tyrrhenâ regione, et instruit exercitum. Lausus filius huic propè* adest: *quo nemo alter fuit formosior, excepto corpore Laurentis Turni. Lausus* ille, *domitor equorum, et victor ferarum, ducit mille viros frustrà secutos* ipsum *ex urbe Agyllinâ:*

## NOTÆ.

630. *Atina, &c.*] Urbs in septentrionali regione Volscorum, in Apennini jugo, nunc adhuc nomen retinens. *Tibur*, nunc *Tivoli*, in septentrionali parte veteris Latii, prope cataractam Anienis fluvii è rupibus præcipitantis: *superbum* dicitur: vel ob illas rupes, propter quas *supinum* dicitur ab Horatio, Od. l. 3. 4. 23. et *altum* à Martiali, Epig. l. 7. 12. vel ob superbiam, quâ cum Romanis jam potentissimis ausi sunt bellum gerere, anno U. C. circiter 400.

631. *Ardea, &c.*] *Ardea*, Rutulorum caput, suprà, v. 410. *Crustumerium* vel *Crustumeria*, non longè ab urbe Româ: in illo Sabinæ regionis angulo, quem Anio in Tiberim procurrens efficit: nunc fortè *Marcigliano vecchio*. *Antemnæ*, vel *Antemna*, nunc dirutum oppidum, ad confluentem Anienis in Tiberim: sed in Latio, non in Sabinis: ideò sic dictum, quòd *ante amnes* positum sit.

633. *Umbonum crates.*] Scutorum fulcra è salice, quæ deinde corio vestiebant. *Umbo*, media pars est scuti eminentior, Æn. 2. 546.

637. *Classica, &c.*] *Tubæ:* sic dictæ, quod iis multitudo *calaretur*, id est, *vocaretur*, sive ad bellum, sive ad concionem: unde et *classes* dictæ sunt, tum exercitus, non tantùm navales, sed etiam terrestres; tum civium partes ad censum distributæ. *Tuba* autem propriè recta fuit, à *tubo* sive canali dicta. *Cornu*, omnino flexum, à *boum* cornibus: ex quibus factum est priusquàm ære conflaretur, unde dicta est *buccina*. *Lituus* paulùm incurvus, figuræ inter tubam et cornu mediæ.

*Tessera.*] Propriè figura est, sex constans æquis lateribus, omni ex parte quadrata: lusoriis talis, quales hodie habemus, non absimilis: nomen à *τέσσαρα, quatuor.* Varios habuit usus, præcipuè in bello: ubi significabat signum illud, quod ab imperatoribus ad tribunos, à tribunis ad centuriones, et per eos ad alios deinde milites pertinebat: vel ut milites invicem se cognoscerent, vel ut iis imperatorum mandata innotescerent. Aliquando inscripta fuit, aliquando vocalis: ut frequenter sub Cæsare *Venus genitrix*, sub Mario *Lar Deus*, sub Syllâ *Apollo Delphicus*.

639. *Ad juga cogit equos.*] Tunc enim viri principes è curru pugnabant. De *loricâ auro trilice*, Æn. 3. 467.

641. *Helicona, Deæ, &c.*] *Deæ*, Musæ, Ecl. 3. 60. *Helicon*, mons Bœotiæ, Musis sacer, Parnasso vicinus.

647. *Tyrrhenis ab oris, &c.*] De *Tyrrhenâ* regione, sive *Tusciâ*, et *Etruriâ*, Æn. 2. 781. De *Mezentio*, ibid. 8. 481. De *Laurente Turno*, suprà, v. 63.

652. *Agyllinâ nequicquam ex urbe, &c.*

Mille viros: dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palmâ per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clypeoque, insigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram:
Collis Aventini sylvâ quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit auras,
Mixta Deo mulier: postquam Laurentia victor,
Geryone extincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.
Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum setâ, cum dentibus albis,
Indutus capiti: sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

*dignus qui felicior esset paterno regno, et cui Mezentius non fuisset pater. Post hos formosus Aventinus, genitus formoso Hercule, ostentat per campos currum illustrem victoriâ et equos victores: et profert* in *scuto insigne patris:* nempe *centum serpentes, et Hydram circumdatam serpentibus. Rhea sacerdos, mulier conjuncta Deo, protulit illum in auras lucis furtim in sylvâ collis Aventini: postquam Hercules victor ab occiso Geryone pervenit in regionem Laurentem, et lavit vaccas Hispanas in fluvio Tusco.* Milites ejus *præferunt manu ad pugnam pila et duros dolones: et certant acumine tereti, et veru Sabello. Ipse pedes, quassans pellem ingentem leonis, impexam horribilibus pilis, cum dentibus candidis, et cinctus eâ* circa *caput: sic intrabat domum regiam terribilis, et opertus circa humeros indumento Herculeo.*

## NOTÆ.

*Agylla*, urbs Etruriæ ferè in confinio Latii, leucâ paulò plùs unâ distans à litore, à Pelasgis è Thessaliâ profectis condita et appellata: à Tyrrhenis verò è Lydiâ oriundis capta, et *Cære* dicta: nunc *Cerveteri*, regia Mezentii: unde expulsus à suis, cum reliquiis fidelium sibi subditorum Turno se conjunxerat. *Nequicquam:* cùm et Mezentius et Lausus et Turnus hoc bello morituri essent.

657. *Insigne paternum, Centum angues, &c.*] Insigne ad memoriam paternæ victoriæ compositum: scilicet, debellatæ hydræ, in angues innumeros pullulantes, Æn. 8. 300.

659. *Collis Aventini, &c.*] Unius è collibus, quibus insidet Roma, nunc *Monte di S. Sabina.* Ambiguum relinquit Virgilius an colli nomen ab illo Herculis filio, an illi potiùs à colle nomen fuerit. Cùm autem *Rheam sacerdotem* appellat, Herculi in sylvis furtivo amore conjunctam; præludit ad *Rheam Sylviam* Vestalem, quæ deinde circa hunc eundem locum, ex Marte Romulum concepit, Æn. 1. 274.

662. *Geryone extincto Tirynthius, &c.*] *Geryon, Geryonis:* vel *Geryones, Geryonæ:* vel *Geryoneus, Geryonei:* quia Græcè dicitur, Γερυὼν, Γερυόνης, Γερυονεὺς. Rex fuit Hispaniæ: qui tria dicitur habuisse corpora, quòd tribus etiam insulis Hispaniæ adjacentibus imperaret, Balearicæ majori, minori, et Ebusæ: vel quòd tres essent fratres amore conjunctissimi, quibus devictis, Hercules eorum armenta diripuerit, et secum in Italiam advexerit. *Tirynthius,* nomen Herculis: *Tiryns,* urbs fuit Argis vicina, ubi nitritus est Hercules. De *Laurentibus arvis,* suprà, v. 63.

663. *Tyrrheno in flumine, &c.*] *Tyberi,* qui Tyrrhenos seu Etruriam à Latio dividit: unde dicitur quoque, Æn. 2. 781. *Lydius,* à Tyrrheno Lydo, qui regnum ibi constituit. *Iberia,* nomen Hispaniæ, ab Ibero fluvio, qui nunc est *Ebro.*

664. *Pila—dolones, &c.*] Milites Aventinæ regionis armat poëta, I. *Pilis:* quæ propria deinde fuerunt tela Romanorum, hastilia manum implentia, septem circiter pedes longa, quorum tertia pars in ferreum mucronem hamatum abibat. II. *Dolonibus:* contis ingentibus ligneis; quibus vel præfixum erat ferrum ita breve, ut vix appareret: vel ferrum ipsum latebat intra lignum, indeque cùm erat opus evibrabatur: ideò nomen habent à *dolo.* III. *Verutis,* quæ vocat *veru Sabellum* et *teretem mucronem:* quæ in eo tantùm videntur à pilis diversa fuisse, quòd ferrum tenuius haberent, pilâ latius. Porrò *veru Sabellum* et *teres mucro,* non sunt diversa: sed res eadem per disjunctionem expressa, ut Geor. 2. 192. *Pateris libamus et auro.*

665. *Sabello.*] Vel *Sabino,* vel *Samnitico.* Hoc enim nomen utrique genti commune fuisse ostendit Cluverius passim in antiquâ Italiâ: quòd utrique communis origo esset: nempe ab *Ausonibus,* qui deinde *Opici* sive *Osci,* tum *Sabelli:* deinde in plures divisi partes, *Samnites* ad ortum, *Sabini* ad occasum dicti sunt. Et situs quidem Sabinorum, qui Romæ et Aventino colli propiores fuerunt, probat hìc *Sabellum* de *Sabinis* debere intelligi. Intelligit tamen Lipsius de *Samnitibus;* quia *Samnitum* nomen à telo deducit Festus, quod σαυνίον Græci dicunt, quâ voce vertit semper Dionysius *verutum* Livii. Hæreo tamen in primâ sententiâ.

669. *Herculeo amictu.*] Hercules enim indutus vulgò fuit pelle Nemeæi leonis, à se occisi

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur.
Ceu duo nubigenæ cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. Hunc legio latè comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt: quos, dives Anagnia, pascis;
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clypei currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros

*Posteà duo fratres relinquunt muros Tiburtinos, populum appellatum nomine Tiburti fratris* eorum: nempe *Catillus et generosus Coras, juvenes Argivi; et inter media arma incedunt ante primum agmen. Quemadmodum duo Centauri nubium filii, cùm descendunt è summo cacumine montis, deserentes celeri cursu Omolen et Othryn nivosum:* tum *sylva præbet* illis *currentibus latum spatium, et arbusculæ cedunt magno fragore. Neque abfuit Cæculus, conditor urbis Prænestinæ, quem regem omnia sæcula putaverunt natum Vulcano inter pecudes agrestes, et repertum in ignibus. Multitudo rusticana latè cingit ipsum: et homines qui habitant Præneste excelsum, et qui campos Gabinæ Junonis, et frigidum Anienem, et rupes Hernicas irriguas rivis: quos alis, opulenta Anagnia, quos* tu, *ô pater Amasene. Arma non* sunt *illis omnibus, nec sonant* iis *scuta aut currus: maxima pars fundit glandes plumbi lividi: pars præfert manu duo spicula, et habet* ad *tegumentum capitis pileos fulvos de pelle lupi:*

NOTÆ.

670. *Tiburtia, &c.*] De *Tibure*, urbe, v. 630.

672. *Argiva juventus.*] *Coras, Tiburs, Tiburtus* vel *Tiburnus*, et *Catillus*, primâ brevi apud Statium, longâ apud Virgilium, seu *Catilus*, quo dactylo usus est Horatius; filii fuere Amphiarai, Argivi juxta multos: conditores Tiburis et aliarum in Italiâ urbium, quò venerunt post prodigialem ad Thebas necem patris, de quâ Æn. 6. 445. Sextius apud Solinum hos tres Amphiarai nepotes facit, et Catilli filios. Cato ibidem, Catillum Tiburis conditorem, non Argivum, sed Arcadem censet, classis Evandri præfectum.

674. *Nubigenæ—Centauri.*] Superiore parte humanâ, inferiore equinâ: Ixione et nube geniti, Thessaliæ populi, Geor. 3. 38. Æn. 6. 286.

675. *Omolen, Othrynque.*] Montes Thessaliæ. De *virgultis*, Geor. 2. 21.

678. *Prænestinæ, &c.*] *Præneste*, antiqui Latii urbs ad orientem Romæ, nunc *Palestrina*. Hanc à Præneste Ulyssis nepote conditam aliqui aiunt: Virgilius et alii quidam à Cæculo, quem è Digitiorum fratrum sorore conceptum narrant, cùm eam Vulcanus sub scintillæ specie vitiâsset: et à matre abjectum juxta templum Jovis, ad ignem repertum esse, cùm ei fumus oculos aliquantulùm læsisset, unde Cæculus appellatus est. Hæc è Solino et Servio fabula concinnata. Suspicor tamen hunc Cæculum non fundatorem propriè urbis Prænestinæ dici, sed tantùm instauratorem. Causam suspicandi videbimus, Æn 8. 561. Hujus amplissima ditio hìc describitur, ab urbe Prænestinâ ad Circæum ferè montem, longo circuitu Laurentes ac Rutulos amplexa. De *Vulcano*, ignis præside, Geor. 1. 295. De *legione*, quæ impropriè sumitur pro quovis agmine, Geor. 2. 280.

682. *Gabinæ Junonis, &c.*] Enumerat populos sub Cæculi signis militantes, I. Igitur *Prænestinos*. II. *Gabios*, urbem ubi religiosè Juno colebatur, de quâ Æn. 6. 773. III. *Anienem, Anio, Anien*, vel *Anienus*, fluvius est disterminans vetus Latium à Sabinis, deinde in Tyberim influens: hodie dicitur *Teverone:* habebatque, fontes in finibus septentrionalibus Hernicorum. IV. *Hernica saxa, &c.* *Hernici*, populi fuerunt novi Latii ad orientem, inter Æquos, Marsos, et Volscos: Sabini fuisse generis vulgò putantur, siquidem ait Servius *herna* Sabinis dici *saxa*, unde genti nomen. Horum caput *Anagnia.* Horum fines ad Meridiem ferè attingit fons *Amaseni* fluvii, nunc *Toppia :* qui inde per Pomptinas paludes, circa Circæum promontorium in mare Tyrrhenum evolvitur.

686. *Glandes Liventis plumbi, &c.*] Armat poëta milites Cæculi. I. *Fundâ* et *glandibus plumbeis*. II. *Spiculis* duobus, id est, meo judicio, hastilibus minoribus ac tenuioribus, quorum crassities unius digiti, ferrum pedale, lignum tripedale: quæ inter arma velitum describit Lipsius. III. *Galeris*, à lupinâ pelle, id est, pileis turbinatis et in acumen desinentibus. IV. *Perone*, hoc est, calceamento rustico è crudo corio, ad tutelam dextri pedis, cùm sinister nudus esset; qui mos Ætolorum fuit: unde Macrobius Hernicos non è Sabinis, sed è Pelasgis oriundos putat, per quos hunc morem Ætolicum acceperint.

Tegmen habet capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Jampridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cùm sese è pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos: sonat amnis, et Asia longè
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar;
Claudia nunc à quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

*relinquunt plantas sinistri pedis nudas, calceus crudi* corii *operit alteras. At Messapus, domitor equorum, soboles Neptuni, quem nemini licitum erat occidere nec igne nec ferro, repentè concitat ad pugnas subditos dudum otiosos ac turmas desuetas bello, et resumit arma. Hi duces* Messapi regunt *exercitus Fescenninos et justos Faliscos. Hi incolunt rupes Soractis, et campos Flavinios, et lacum Ciminum cum monte, et sylvas Capenas. Incedebant digesti ordine, et celebrabant regem* suum. *Quemadmodum aliquando candentes cycni in serenis nubibus, cùm referunt se è pastu, et emittunt numerosam vocem per colla oblonga; tum resonat amnis et palus Asia procul repercussa. Nec ullus existimaret strui armatum exercitum ex tantâ multitudine, sed aëriam nubem raucarum avium impelli ex alto mari ad litora. Ecce Clausus, ex antiquo sanguine Sabinorum, ducens magnam turbam, et ipse instar magnæ turbæ:* is *à quo nunc et tribus et gens Claudia propagatur per Latium, ex quo* tempore *Roma ex parte concessa est Sabinis.*

## NOTÆ.

691. *Messapus, &c.*] Græcus ex Anthedoniâ, Bœotiæ regione, ubi Messapio monti nomen dedit; postmodùm profectus in Italiam, occupavit extremam ejus peninsulam ad orientem, quæ Messapia ab eo, deinde Calabria vocata est. Dicitur *Neptunia proles*, ob navigandi peritiam; *equûm domitor*, quia equus Neptuno sacer est, Geor. 1. 14. Huic tamen regnum Virgilius à Calabriâ longè diversum attribuit, nempe in orientali Etruriæ parte, ad septentrionem Romæ.

695. *Fescenninas acies, &c.*] Sub Messapo erant. I. *Fescennia*, sive *Fescennium*, oppidum Etruriæ paulò infra confluentem Naris in Tyberim: unde orta est licentia nuptialium carminum, quæ *Fescennina* dicta sunt: nunc quibusdam dicitur *Galese*. II. *Falisci:* populi paulò infra Fescennium: quorum urbs *Falerii*, quæ *Faliscum* aliquando appellatur. *Æquos* dixit, quia legum duodecim tabularum aliqua supplementa Romani ab iis acceperant. Ita Servius. III. *Soracte:* mons in agro Falisco: nunc *monte di S. Silvestro*. Dixit *arces* pro *rupibus* illius montis; ut Geor. 4. 461. *Flerunt Rhodopeïæ arces.* IV. *Flavinia arva;* vel urbs, vel ager, præterquam Virgilii et Silii versibus ignotus. V. *Ciminus:* mons et lacus cum *Ciminiâ* sylvâ, ad occidentem in Etruriam interior subit. Suspicatur Cluverius montem eum esse, qui modò nuncupatur *di Viterbo;* lacum, *di Ronciglione*. VI. *Capena:* urbs cum luco et templo Feroniæ ad ripam Tyberis, inter agrum Faliscum et Veientem fuit, nunc *Canepina*. De *cycnorum* cantu, Ecl. 8. 55. De *Asiâ* palude in Lydiâ, Geor. 1. 383.

706. *Sabinorum, &c.*] *Sabini*, orti juxtà aliquos ex Lacedæmoniis: juxta diligentissimum scriptorum Cluverium, ex Opicis et Ausonibus indigenis Campaniæ habitatoribus eam habuerunt Italiæ partem, quæ est ad septentrionem Latii; inter fluvios Narem, Tyberim, Anienem: et montem Apenninum; nunc regio retinet ferè nomen estque sub ditione Pontificiâ.

707. *Clausus.*] *Atta Clausus*, post exactos reges, cum totâ familiâ et quinque millibus clientûm et amicorum, è Sabinorum urbe Regillo, Romam transmigravit: utque ad formam Romanam nomen aptaret suum, Appius Claudius dici voluit. Ideò in patriciorum numerum admissus est: ager ei trans Anienem fluvium attributus: et cùm Romulus populum Romanum in tres partes distribuisset, quas ideò dixerat *tribus*, nimirum *Tatiensem, Rhamnensem* et *Lucerensem;* fuerunt à posteris aliæ complures additæ, inter quas *Claudia* tribus. At hic Clausus, de quo Virgilius, è majoribus illius Claudii fuisse fingitur. De voce *instar*, Æn. 6. 865. De *Latio*, suprà, v. 54.

709. *In partem data Roma Sabinis.*] Bis id contigit. Primo post prælia pro raptis Sabinis Romanos inter ac Sabinos diu commissa: quæ sic composita sunt, ut Romulus et Tatius communiter regnum administrarent, Sabini Romam commigrarent è Curibus suis; et Roma quidem

Unà ingens Amiterna cohors, priscique Quirites:
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini;
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque et flumen Himellæ.
Qui Tyberim, Fabarimque bibunt: quos frigida misit
Nursia, et Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.
Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hybernis conditur undis:
Vel quàm Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis:
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris: et quos de collibus altis

*Simul magna cohors Amiterna, et antiqui Cures: omnis multitudo Ereti, et Mutuscæ oliviferæ: qui occupant urbem Nomentum, et roseos campos Velini* lacûs: *qui rupes horridas Tetricæ, et montem Severum, et Casperiam, et Forulos, et fluvium Himellam; qui potant Fabarim et Tyberim: quos Nursia nivosa mittit, et classes Hortinæ, et gentes Latinæ: et quos Allia, nomen funestum, dividens interfluit.* Tam multi, *quàm multi fluctus agitantur* in *mari Africano, quando asper Orion occidit in aquas hybernas: vel quàm densæ aristæ coquuntur Sole novo, aut in agris Hermi, aut* in *arvis flaventibus Lyciæ. Clypei resonant, et terra tremit commota pulsu pedum. Hinc Halesus Agamemnonius, hostis Trojanæ gentis, alligat equos currui, et adducit Turno mille bellicosos populos. Adsunt, qui findunt rastris Massicum fœcundum vino: et quos*

## NOTÆ.

Romuli servaret nomen, Romani verò Quirites à Curibus, Sabinorum urbe, dicerentur. Secundò id contigit in Clauso; qui, ut diximus, post expulsos reges admissus est: et de hâc secundâ admissione poëtam puto explicandum.

710. *Amiterna cohors, &c.*] Loca enumerantur varia Sabinorum. I. *Amiternum,* urbs in latere orientali regionis illius et Apennini jugis, nunc excisa, prope oppidulum *S. Vittorino.* II. *Prisci Quirites.* Non Romani, sed Curenses ex urbe Curibus, unde Romani Quirites dicti sunt: in parte regionis planè oppositâ et occidentali: nunc *Vescovio di Sabina.* III. *Fretum,* vicus in angulo meridionali, ferè ad confluentem Alliæ et Tyberis, nunc *monte rotundo.* IV. *Nomentum,* Ereto vicinum ad orientem, nunc *Lamentano.* V. *Mutuscæ,* aliter *Trebula,* vicus in septentrionali parte, ultra paludem Reatinam, nunc *monte Leone.* VI. *Rosea rura Velini,* pars agri Reatini, sic à Plinio, Varrone, Festo appellata, à *rore,* qui fertilissimum tractum illum efficit: circa *Velinum* fluvium, nunc *Velino;* et *Velinum* lacum, nunc *lago di pie di Luco.* VII. *Tetrica* et *Severus,* montes incerti sitûs; à Blondo circa fontem Fabaris fluvii collocantur, in parte occidentali; hìc *monte Negro,* ille *monte di S. Giovanni:* à Cluverio, in angulo septentrionali circa Nursiam urbem, ubi *la Grotta di Sibylla.* VIII. *Casperia,* paulò supra Cures, oppidum, nunc *Aspera.* IX. *Foruli,* vicus in rupe circa Amiternum, excisus. X. *Himella* fluvius prope Casperiam nascens, in Tyberim infra Cures delabitur; nunc *Aia.* XI. De *Tybri,* Æn. 8. 330. XII. *Fabaris,* vel *Farfarus,* in orientalem Tyberis ripam influens, nunc *Farfa.* XIII. *Nursia,* ultima Sabinarum urbium ad septentrionem, inter Apennini pruinas, quare *frigida* appellatur; nunc *Norcia.* XIV. *Hortanum* vel *Horta,* urbs apud confluentes Naris ac Tyberis, in Etruriâ quidem, sed Sabinis contermina: nunc *Orta. Classes,* exercitum terrestrem interpretor, non navalem, ut diximus suprà, v. 367. XV. *Latini,* qui Sabinis contermini sunt ad meridiem, suprà, v. 54. XVI. *Allia,* fluvius in orientalem Tyberis ripam irrumpens, paulò infra Eretum; ubi Romani à Gallis Senonensibus graviter deinde cæsi sunt, nunc *rio di Mosso.*

718. *Libyco,——marmore, &c.*] Æn. 1. 158. *Orion,* astrum formidabile, non tantùm ortu, ut diximus, Æn. 1. 535. sed etiam occasu hyberno. De *Orione,* Æn. 3. 517.

720. *Quam Sole novo, &c.*] Multi codices scribunt *quum:* ubi suspicor, legendum *quàm, quàm densæ;* ut sit sanior sensus hujus secundæ comparationis. Per *Solem novum,* non *ver;* sed æstatem primam intelligit, quâ maturescunt aristæ. *Hermus,* Lydiæ fluvius, regionis feracissimæ, Geor. 2. 137. *Lycia,* ferax item frumenti, meridionalis Asiæ minoris regio, Æn. 4. 143.

723. *Agamemnonius, &c.*] Agamemnonis filius aliquis nothus: qui horrore paternæ cædis, de quâ Æn. 3. 54. in Italiam fugiens, dicitur ab Ovidio et Solino Faliscorum urbem condidisse. Quibus tamen non assentitur Virgilius, qui longè aliâ in parte regnum ejus constituit, nempe circa Campaniam, quæ est ad orientem Latii, habetque ad orientem Picentinos et Hirpinos, ad septentrionem Samnium, ad meridiem mare.

726. *Massica qui, &c.*] Campaniæ gentes et

Aurunci misêre patres; Sidicinaque juxta
Æquora: quique Cales linquunt: amnisque vadosi
Accola Vulturni: pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello:
Lævas cetra tegit: falcati cominùs enses.
  Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Œbale: quem generâsse Telon Sebethide Nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas cùm regna teneret
Jam senior: patriis sed non et filius arvis
Contentus, latè jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, et quæ rigat æquora Sarnus;
Quique Rufas, Batulumque tenent, atque arva Celennæ;
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere cateias;

*Aurunci patres miserunt è montibus excelsis: et qui* sunt *prope mare Sidicinum: et qui proficiscuntur Calibus: et accola Vulturni fluminis vadosi; et similiter durus Saticulus, et agmen Oscorum. Arma sunt illis aclides teretes; sed mos est eas alligare loro flexili: cetra protegit sinistras manus: curvi gladii* sunt illis ad pugnandum *cominùs. Neque tu omitteris non memoratus versibus nostris, ô Œbale: quem Telon dicitur genuisse è Nymphâ Sebethide, cùm jam senex obtineret Capreas, regnum Teleboarum: at verò filius non contentus paternâ regione, jam tum latè occupat imperio gentes Sarrastes, et campos quos Sarnus perluit; et qui habitant Rufas, et Batulum, et agros Celennæ; et quos muri Abellæ fructiferæ despiciunt: solent vibrare catejas more Teutonico,*

NOTÆ.

loca præcipua. I. *Massicus mons*, ad mare, in confinio novi Latii, ad occidentem agri Falerni, tractus totus vino percelebris: nunc *monte di Dragone.* De *Baccho*, Ecl. 5. 69. De *rastris*, Geor. 1. 160. II. *Aurunci*, reliquiæ Opicorum sive Ausonum in Italiâ, qui inter Campaniam et Volscos consederunt, suprà, v. 54. III. *Sidicini*, pars eorundem Opicorum alia, quæ in mediterraneis Auruncorum finibus consedit, circa Teanum urbem, et juxta Virgilium etiam ad litus aliquantùm pertinuit. IV. *Cales*, plurali numero, oppidum supra Massicum montem Campaniæ: nunc *Calvi.* V. *Vulturnus* etiamnum retinens nomen, fluvius Campaniæ ipsam à Samnio magnâ parte disterminans, et ad meridiem agri Falerni in mare influens. VI. *Saticula*, vel *Satricula*, urbs ad orientem Vulturni et Capuæ, nunc *Caserta.* VII. *Osci:* nomen diminutum ab *Opicis*, gente Ausoniâ, et hujus regionis indigenâ.

730. *Teretes aclides, &c.*] Arma Campanorum. I. *Aclides teretes:* id est, vel exigua missilia, quod censent aliqui, quia plures ab eodem gestantur apud Valerium: vel clavæ breves, eminentibus hinc inde acuminibus asperæ, loro sive flagello alligatæ, ut post impactum vulnus revocari possent. Nomen: vel quasi ἀκίδες ab ἀκὶς, *acumen;* vel quasi ἀγκυλίδες ab ἀγκύλη, quæ jaculi species fuit ejusmodi loro alligati. II. *Cetra*, scutum loreum, Afris Hispanisque, familiare: vocem putat Maurorum Vossius. III. *Ensis*, in falcis modum curvatus: *harpen* appellat Ovidius, tribuitque Perseo, ab ἅρπη, *falx.*

734. *Sebethide Nymphâ.*] Filiâ *Sebethi*, ad Neapolim *fluvii, fiume della Maddelena.*

735. *Teleboûm Capreas, &c.*] *Capreæ*, plurali numero, insula est contra Surrentinum promontorium, deliciæ olim Tiberii Cæsaris, nunc *Capri:* quam tenuerunt Teleboæ, ex Acarnaniâ, Epiri regione, profecti.

738. *Sarrastes, &c.*] Parebant Œbalo populi circa Surrentinum promontorium: nempe Campani orientales, Hirpini, et Picentini. I. *Sarnus* fluvius loca tractûs illius alluit, nunc *Sarno:* fluens per Campaniam, ex Hirpinorum finibus, in illud sinûs Neapolitani latus. quod Surrentino promontorio terminatur. Hujus accolas vocat *Sarrastes.* II. *Rufæ*, vel *Rufræ*, vel *Rufrium*, nunc *Ruvo:* urbs ad orientem remotior, in extremis Hirpinis Lucaniam versùs. III. *Batulum* et *Celenna:* urbes ignoti sitûs. IV. *Abella* non *Bella*, ut malè habent quidam codices: nunc *Avella:* urbs ad septentrionem Sarni; in angulo Campaniæ Samnitibus et Hirpinis confini: excelso situ, quare *despectare* subjectos populos videtur; ferax nucum, quæ inde *avellanæ* dictæ sunt, quas non *mala* quidem, sed *poma* appellat Plinius l. 15. 22.

741. *Teutonico, &c.*] Arma populorum illorum. I. *Cateja*, quæ ab Aventino tormenti genus fuisse dicitur, unde torquebantur saxa; meliùs ab Isidoro, telum quod propter gravitatem non longè evolabat, sed vi maximâ perfringebat. Hæc Gallorum erat propria, *Teutonumque:* qui Germaniæ erant populi, circa Cimbricam Chersonesum, ubi nunc *Dania.* II. *Galea* è cortice suberis, qui levissimus et spississimus est, *liège*, CORK. III. *Pelta ærata*, quæ breve scutum fuit, in modum Lunæ mediæ, vel hederacei folii: eaque vel tota ærea; vel æreâ laminâ protecta. IV. *Ensis æreus.*

Tegmina queis capitum raptus de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misere in prælia Nursæ,
Ufens, insignem famâ et felicibus armis:
Horrida præcipuè cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Quin et Marrubiâ venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus olivâ,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, et Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Ægeriæ lucis humentia circum

*quibus cortices detracti è subere* sunt *galeæ capitum, et* quibus *splendent æreæ peltæ, splendent gladii ærei. Te quoque, ô Ufens, montosæ Nursæ miserunt ad bellum, illustrem famâ et pugnis felicibus: te* inquam, *cui præsertim* paret *Æquicola, natio aspera, et assueta frequenti venationi sylvarum* in *durâ terrâ;* hi *armati colunt terram, et semper placet* eis *congerere novas prædas, ac vivere latrociniis. Præterea venit quoque Umbro generosissimus, missu regis Archippi, sacerdos ex Marrubiâ natione, ornatus super cassidem foliis oleæ felicis: qui solebat cantu et tactu infundere soporem generi viperarum, et hydris noxiè halantibus; et mitigabat furorem* earum, *et sonabat arte morsus. Sed non potuit sanare vulnus Trojani teli: neque carmina soporifera, et gramina collecta in Marsis montibus, profuerunt ei contra plagas. Te sylvæ Angitiæ, te Fucinus aquis pellucidis, te puri lacus luxerunt. Veniebat quoque Virbius, soboles Hippolyti clarissima bello: quem mater Aricia misit illustrem, educatum* in *sylvis Egeriæ, juxta litus humidum,*

## NOTÆ.

744. *Et te montosæ, &c.*] *Æqui*, vel *Æquicoli*, seu *Æquiculi*, quam hic *Æquicolam gentem* appellat Virgilius: fuere ad orientem superioris partis antiqui Latii; à fontibus Anienis, ferè ad usque Tibur: nunc pars est Campaniæ Romanæ: ibi urbs olim fuit *Nursæ*, jam ignoti sitûs. De *venatu* pro *venatui*, Ecl. 5. 29.

750. *Marrubiâ, &c.*] *Marsi:* ad orientem ac septentrionem Æquorum, inter continua Apennini juga: gens orta, vel juxta Plinium, Gellium, Solinum, è Circes filio; à quo vim adversùs venena et serpentes dicitur accepisse: vel è Sabinis, quod propter linguæ communionem Cluverio magis placet: vel juxta alios, à Marsiâ rege Lydorum. Loca Marsorum præcipua fuerunt, I. *Archippe*, urbs olim, quæ hiatu terræ hausta et in Fucinum lacum dissoluta est: quo ex nomine Virgilius Archippi regis nomen finxit. II. *Marrubium*, vel *Marruvium*, regionis caput, in ejus meridianis finibus, infra lacum Fucinum, juxta fontes Liris fluvii; ea nunc *Morea* dicitur. III. *Lucus* sive *nemus Angitiæ:* quæ fuit juxta Solinum soror Circes, venitque cum eâ in Italiam, et vicina Fucino lacui occupavit. Lucus hic ad occidentem lacûs situs fuit: hodie oppidum *Luca*. IV. *Fucinus*, lacus ferè in mediâ regione, propiùs tamen ad meridiem descendens: nunc *lago Fucino;* vel à vicino oppido, *lago di Celano*. De *Hydris*, suprà, v. 447. De *Dardaniâ*, Trojanâ, Æn. 1. 235.

761. *Hippolyti proles, &c.*] *Hippolytus*, Thesei Athenarum regis filius, à novercâ Phædrâ frustrà interpellatus de stupro, ideóque ab eâdem de vi in se paratâ falsò delatus ad patrem; cùm ad litus maris currum ageret, devotus à patre, equis subito marini monstri incursu efferatis raptatus ac discerptus est. Diana ejus cultu et castitate commota, per Æsculapium, Phœbi et Coronidis filium, revocavit eum in vitam, commendavitque ipsum Egeriæ Nymphæ Aricini nemoris: ubi inter minores Divos cultus fuit, appellatusque Virbius, quòd inter *viros bis* fuerat. Fingitur à Virgilio filium habuisse sibi cognominem, qui Turni auxilio venerat.

762. *Mater Aricia.*] Vel est, *Aricia*, urbs antiqua Latii, tribus circiter leucis Laurento dissita ad septentrionem, nunc *la Riccia:* quæ *mater* dicitur, quomodo Italia, Geor. 2. 173. *magna parens frugum, magna virûm.* Vel *Aricia* quædam Nympha, quam videtur fingere Virgilius amatam ab Hippolyto Virbio, matremque secundi hujus Virbii: quæ Ariciæ urbi nomen dederit; ut Virbius vicino Ariciæ colli, cujus Persius et Cornutus meminerunt.

763. *Egeriæ lucis, &c.*] Circa Ariciam nemus ingens fuit, dictum Dianæ, vel Egeriæ; ubi nunc

*ubi* est *ara Dianæ pinguis, et placida. Quippe* ex *famâ narrant Hippolytum, resuscitatum herbis medicinalibus et amore Dianæ, iterum venisse sub astra cœlestia, et sub aërem superiorem cœli; postquam obiisset fraude novercæ, et solvisset sanguine pœnas patri, discerptus* ab *equis efferatis. Tunc Pater omnipotens, ægrè ferens ullum hominem emergere ex infernis tenebris ad lucem vitæ, ipse demisit fulmine ad aquas infernas filium Apollinis, inventorem talis medicinæ et artis. Sed alma Diana abscondit Hippolytum arcanis locis, et dimisit* ad *Egeriam Nympham et* ad *sylvam: ut illic solus in sylvis Italicis, incognitus duceret vitam, et illic diceretur Virbius, mutato nomine. Unde etiam equi corneis ungulis expelluntur à templo et sylvis dicatis Dianæ; quia territi monstris marinis abjecerunt in litore currum et juvenem.*

Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt famâ Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriasque explêrit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursùs
Ætherea, et superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis, et amore Dianæ.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et Nymphæ Ægeriæ nemorique relegat:
Solus ubi in sylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam Triviæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quòd litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.

## NOTÆ.

oppidum *Nemo:* ita templum Dianæ Scythicæ vel Tauricæ; et lacus Dianæ Aricianæ, nunc *lago di Nemo.* Lacus multis impletur fontibus, quorum præcipuus fons *Egeriæ* dictus est. Hanc Nympham Numa Pompilius, Romanorum rex secundus, sibi esse conjugem fingebat; ab eâque legum instituta se accipere. Eandem fingit Ovidius, ex morte Numæ nimiùm dolentem, Dianæ miseratione in fontem illum conversam fuisse.

*Humentia circum litora.*] Ita è Romano codice, apud Pierium, emendandum duximus: cùm vulgata lectio, *Hymettia,* careat sensu. Nam *Hymettes,* mons apibus et melle celebris, in Atticâ est, et primam habet syllabam brevem; neque ullum in eo Italiæ tractu nominis hujus vestigium esse, Gifanius, Pimpontius, Nascimbænus sentiunt.

764. *Placabilis ara Dianæ.*] In Tauricâ Chersoneso colebatur Diana sanguine exterorum hominum quotquot illuc appellebant. Diana Iphigeniam Agamemnonis filiam, è sacrificio subductam, et illuc ex Aulide translatam sibi in sacerdotem consecraverat, Æn. 2. 116. Orestes Agamemnonis filius, ad ulciscendam necem patris, matrem Clytæmnestram interfecerat, Æn. 3. 331. Ideò Furiis agitatus, inter cætera piacula, jussus dicitur in Tauricam abire Chersonesum, indeque Dianæ simulacrum eripere. Eò igitur cum amico Pylade profectus, jussus regis Thoantis tantùm non immolatus est: sed agnitus à sorore clam cum eâ Dianæ simulacrum abduxit: et, ut est magna fabularum varietas, Mycenas illud transtulit, juxta Hyginum: Athenas, juxta Euripedem: juxta Latinos plerosque Græcorum æmulos, Ariciam. Suspicatur Cluverius hanc religionem ab Italis per Pelasgos et Arcadas esse acceptam. Constat verò victimas humanas his omnibus locis esse mactatas ad memoriam Taurici sacrificii, non tantâ tamen apud Aricinos immanitate. Neque enim illic omnes exteri immolabantur; sed servus aliquis fugitivus, in illo nemore tamdiu sacerdotio fungebatur sub *regis nemorensis* nomine, donec ab alio fugitivo provocatus ad certamen, ab eo occideretur. Unde *placabilis* ara illa dicitur à Virgilio; et à Valerio Argonaut. 2. 304. *soli non mitis Aricia regi.* Perstabat adhuc illa religio Caligulæ tempore: cujus in vitâ, Suetonius, c. 35. *Nemorensi regi, quòd multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.*

769. *Pæoniis herbis, &c.*] Herbis medicis: *Pæon* enim, etsi certum medici nomen inducitur ab Homero, Iliad. 5. 899. et alibi: videtur tamen commune medicorum rerumque medicarum fuisse nomen, ab Apolline medicorum Deo deductum, qui *Pæan* ipse dictus est: quâ de causâ, diximus Æn. 6. 657.

773. *Phœbigenam, &c.*] *Æsculapium,* Phœbo et Coronide genitum, Phlegyæ Lapitharum regis filiâ, Æn. 6. 618. Hic Æsculapius cùm arte medendi insignis, non unum Hippolytum, sed alios complures ad vitam revocâsset, fulmine adactus est ad inferos à Jove: Apollo Cyclopas, fabricatores fulminis, sagittis confixit: Jupiter Apollinem ob eam cædem cœlo expulit, coëgitque mortali regi servire, Geor. 3. 2. De *Styge,* Æn. 6. 323. De *Triviâ,* Dianâ, quæ colebatur in triviis, ibid. 4. 511.

Filius ardentes haud seciùs æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, et toto vertice suprà est;
Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes:
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
(Argumentum ingens) et custos virginis Argus,
Cœlatâque amnem fundens pater Inachus urnâ.
Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densantur campis, Argivaque pubes,

*Filius* ejus Virbii *nihilominùs impellebat ardentes equos in planitie campi, et curru ibat ad bella. Ipse Turnus egregio corpore incedit inter primos, gestans arma, et supereminet toto capite. Huic cassis excelsa, cristata tribus jubis, sustinet Chimæram, emittentem gutture flammas Ætneas; tantò magis illa fremens et minax diris flammis, quantò magis sæviunt prælia fuso sanguine. At Io, ex auro, cornibus erectis, jam aperta pilis, jam bos, ornabat politum clypeum* Turni *(argumentum illustre) et Argus custos puellæ, et Inachus* ejus *pater emittens fluvium* ex *urnâ cœlatâ. Nubes peditum sequitur* Turnum, *et agmina scutata congregantur totis campis, et juventus Græca,*

## NOTÆ.

781. *Haud seciùs, &c.*] Nihilominus, non segniùs: etsi pater Hippolytus ab equis laceratus fuisset, suprà, v. 761. De voce *seciùs*, Geor. 2. 277. De *Chimærâ*, Æn. 6. 288. De *Ætnæis ignibus*, qui pro quibuslibet hìc sumuntur, ibid. 3. 578. De *jubis equinis* in apice galeæ, ibid. 3. 468.

789. *Io, &c.*] Inachus Argivorum rex, fluvio ibidem nomen dedit: unde pro fluvio ipse sumitur à poëtis. Hujus fluvii filia *Io* cùm amaretur à Jove; ab eodem, ne à Junone agnosceretur, in juvencam est conversa. Juno juvencam à Jove petiit, acceptamque dedit custodiendam pastori, cui centum erant oculi, nomen Argus. Is à Mercurio sopitus fistulæ cantu, et obtruncatus est. Juno pastoris oculos pavoni imposuit suo, juvencam furore perculit: quæ in Ægyptum usque fugiens, ibi tandem à Jove pristinæ reddita est formæ: nupsitque Osiridi regi, et ab Ægyptiis sub Isidis nomine culta est. Hanc fabulam imposuit Turnus clypeo, quia originem ab Inacho ducere gloriabatur, suprà, v. 372.

794. *Argivaque pubes, &c.*] Populos enumerat, qui ducem Turnum sequebantur, non quòd omnes ei subditi, sed quòd ei milites mitterent suos. I. *Argivi:* haud dubiè ipsi *Ardeæ* incolæ, ex Danaë Argivâ orti, v. 372. unde *Acrisoneï* vocati sunt, v. 410. II. *Aurunci* reliquiæ Ausonum, inter Volscos et Campanos considentes, v. 54. Hos tamen aliis etiam locis sparsos fuisse videbitur, Æn. 11. 316. III. *Rutuli:* populi Latinis consanguinitate quidem et connubiis ac vicinitati conjuncti; sed Turno tamen, non Latino subditi: quorum præcipua sedes; ab oriente, Antio Volscorum oppido maritimo; ab occidente, Numicio amne; à meridie, Lanuvio Latinorum urbe, continebatur. IV. *Sicani:* vel fuerunt certæ cujusdam urbis in Latio populi, siquidem eos Plinius l. 3. 5. numerat inter quinquaginta tres Latii populos qui suo tempore sine vestigiis interierant. Vel reliquiæ Siculorum, quos omnino primos Italiæ incolas contendit fuisse Cluverius ex Dionysio: qui deinde ab Aboriginibus et Pelasgis è Græciâ profectis pulsi, in *Sicaniam* insulam fugerunt, eamque suo ducisque sui nomine *Siciliam* appellaverunt: unde Siculi, quotquot erant in Italiâ superstites, ex sociorum suorum victoriâ, Sicani etiam sunt dicti. V. *Sacrani:* quorum originem Cluverius, ex Festo, Servio, ac Dionysio ita concinnat; ut velit partem fuisse Pelasgorum et Aboriginum, qui post pulsos à se Siculos vicissim à Sabinis ex meridie ingruentibus, pulsi sint Reate oppido, ultra Anienem fluvium, et sedes circa locum, ubi nunc est Roma, quæsiverint; unde, quia Reate *sacra* Cybeles magno erant in honore, *Sacrani* appellati sint. VI. *Labici, Labicani* vel *Lavicani:* quorum urbs *Labicum*, nunc *Zagaruolo*, in septentrionali veteris Latii parte supra Tusculum. VII. *Accolæ Tyberis*, de quo Æn. 8. 330. De *saltibus*, pro sylvis, Ecl. 6. 55. VIII. *Accolæ Numicii*, fluvii, de quo suprà, v. 150. IX. *Circæi*, incolæ Circæi montis et promontorii, quo Latium vetus ad orientem terminatur; mons hodie *Circello*, Æn. 3. 386. X. *Anxur*, neutro masculinoque genere: ubi Jupiter ab urbe dictus *Anxur* aut *Anxurus*, singulari cultu colebatur: non puer et imberbis, ut somniant post Servium grammatici: sed promissa barbâ, ut constat ex nummo apud Constant. Landum cum inscriptione: JOVIS AXUR. Nugantur iidem Grammatici, cum nomen illud Græcum volunt, quasi *ἄνευ ξυροῦ, sine novaculâ:* ait enim Plinius, l. 3 5. nomen esse à Volscâ linguâ repetitum. Urbs posteà à Græcis propter sitûs asperitatem, dicta est Τραχίνη, *Trachine*, à τραχὺς, *asper:* indeque *Taracina*, vel *Terracina*, nunc *Terracine*, ad orientem Circæi montis, apud Volscos. XI. *Feroniæ* lucus, cum fonte ac Templo, fuit inter Circæos et Terracinam. Quænam autem hæc fuerit Dea, am-

*et turmæ Auruncæ, et Rutuli, et antiqui Sicani, et agmina Sacrana, et Labicani picti* secundùm *clypeos: qui colunt tuas sylvas, O Tybri, et Sacram ripam Numici; et scindunt vomere colles Rutulos, et montem Circæum: quibus agris imperat Jupiter Anxurus, et Feronia gaudens sylvâ virente: quâ porrigitur nigra palus Pomptina, et* quâ *frigidus Ufens pandit* sibi *viam per profundas valles, et mergitur in mare. Præter illos Camilla venit è natione Volscâ, ducens turmam equitum et catervas fulgentes æreis* armis, *bellicosa* puella: *non illa* quidem *puella assueta* secundùm *fœmineas manus colo et calathis Minervæ; sed* assueta *tolerare difficiles pugnas, et præcurrere ventos cursu pedum. Illa vel volâsset per summas herbas segetis non tangendo, nec fregisset currendo teneros calamos; vel habuisset iter per medium mare, sustentata undis tumidis, nec madefecisset aquis teneros pedes. Omnis juventus egressa domibus et agris, et turba matrum admiratur illam et aspicit incedentem: attendens stupentibus animis; quomodo regalis ornatus tegat*

Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tyberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant; Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum: queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco:
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volscâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes ære catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ
Fœmineas assueta manus; sed prælia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina: nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter: celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro

## NOTÆ.

bigitur. Aiunt plerique Junonem esse: aliter tamen videtur, cùm Feroniam Virgilius, Herili Prænestini regis matrem faciat, Æn. 8. 564. quod in Junonem cadere non potest, quæ nullos nisi ex Jove liberos suscepit. Narrat Dionysius, Lacedæmoniorum numen fuisse: qui illuc appulsi Lycurgi temporibus, *Feroniæ* Deæ locum dicaverint, quòd eos feliciter mari *ferri* contigerat. Innuit tamen idem l. 3. Latinorum et Sabinorum numen esse, quod Græci suâ linguâ vertunt, ἀνθιφόρον, *floriferam;* alii φιλοστέφανον, *amantem coronarum;* alii aliter: quæ omnia Deam florum aut hortorum fuisse significant. XII. *Saturæ palus:* quæ et Pometina, inde et *Pomptina* et *Pontina* dicta est, maritimam ferè omnem Volscorum regionem prætexens, longitudine leucarum circiter duodecim: à loco quem vocabant olim *Tres Tabernas;* nunc *Cisterna,* ad usque *Terracinam:* quæ pars ejus extrema ad orientem, eadem latissima erat: duobus fluviis ibi restagnantibus, *Amaseno,* nunc *Toppia,* et *Ufente,* nunc *Aufente,* à quo palus ipsa etiamnum appellatur *l'Aufente palude.* Unde porrò *Pomptina* dicta sit, patet: nempe ab urbe Volscorum *Suessa Pometia,* mediterraneâ illâ quidem, sed cujus ager ad mare pertinens abibat in has paludes. Unde autem *Saturæ* nomen acceperit, non ita liquet. Ego sic statuo: Virgilium voluisse utrumque Pomptinæ paludis terminum hìc significare: ab oriente quidem *Ufentem* fluvium: ab occidente verò fluvium *Asturam,* ejusdem nunc nominis. Quippe huc *Asturam.* Strabo Στύραν, Festus *Sturam,* vetus codex apud Sigonium in librum octavum Livii, *Saturam* vocat. Hoc autem fluvio definitam ab occidente fuisse paludem, nec ipse negabit Cluverius: siquidem initium paludis petit à *Tribus Tabernis,* et agro *Suessæ Pometiæ:* quæ urbs utraque ad *Asturam* fluvium sita erat. Hujus paludis spatio tres et viginti urbes olim fuisse tradit Plinius: per mediam Appius aggere viam stravit, suo appellatam nomine: siccare conati sunt variis temporibus Cornelius Cethegus, Augustus, et Theodoricus.

803. *Volscâ de gente Camilla.*] *Volsci,* gens bellicosa, Rutulos et Latinos, ab occidente; Auruncos et Campanos ab oriente: Hernicos et Æquos à septentrione attingens: incerti generis, sed linguæ à Latinâ diversæ ac sibi propriæ. E mediterraneis hujus regionis urbibus milites advexisse puto Camillam, cùm maritimæ ferè Turnum sequerentur. Hujus Camillæ casus et origo narrantur, Æn. 11. 535.

804. *Florentes ære catervas.*] *Ornatas, fulgentes:* metaphora, de quâ, Geor. 2. 6. De *calathis,* canistris, ubi fila et lanæ et alia reponuntur, Ecl. 2. 46. Minervæ tribuuntur, quia lanificii textiliumque operum habetur præses, Æn. 5. 284.

814. *Ostro velet honos, &c.*] *Purpurâ* ex ostreæ sive muricis sanguine expressâ, G. 2. 506. *Lyciam pharetram* tribuit, pro quâlibet insigni pha-

Velet honos leves humeros; ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixâ cuspide myrtum.

*purpurâ nitidos humeros quomodo fibula colligat crinem auro; quomodo ipsa ferat Lyciam pharetram, et myrtum pastoralem armatam cuspide.*

NOTÆ.

retrâ: quia sagittandi arte Lycii nobiles. De illâ Asiæ minoris meridianâ regione, Æn. 4. 143. *Myrtum*, hastilibus ob ligni firmitatem aptam arborem fuisse, jam notavit Virgilius, Geor. 2. 447, *Pastoralem* appellat, quia vitâ sylvestri ac pastorali instituta à Metabo fuerat Camilla, ut videbitur, Æn. 11. 569.

---

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER VIII.

---

## ARGUMENTUM.

*TURNUS Venulum ad Diomeden mittit, ut eum ad belli societatem alliciat. Æneas Tyberini fluvii monitu, iter eodem consilio suscipit ad Evandrum: qui ex Arcadiâ profugus in Palatino monte consederat. Evander, sacris Herculis tum intentus, Æneam iisdem adhibet: eorum originem edocet, victoriam scilicet Herculis de Caco, regionis illius insigni olim prædone. Tum Æneam quadringentorum equitum subsidio juvat: iisdem Pallantem filium præficit: Æneam ad Tyrrhenos, expulso Mezentio, regem poscentes, cum certâ regni auxiliique spe dimittit. Æneas postridie, parte alterâ copiarum secundo flumine ad suos remissâ, cum alterâ, Tyrrhenos adit. Interim Venus arma Æneæ suo defert, à Vulcano fabricata: clypeum imprimis, in quo Æneas res præclarè olim gerendas à Romanis posteris mirâ arte cœlatas admiratur. Præcipuus eo in opere locus est Augusto; cujus egregiam de Antonio et Cleopatrâ Ægypti reginâ victoriam, triplicemque triumphum diligentiùs poëta describit.*

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce

INTERPRETATIO.

*Postquam Turnus sustulit ex arce Laurenti vexillum belli,*

NOTÆ.

1. *Belli signum.*] Virgilius loquitur hìc ex more Romanorum, apud quos triplex erat militiæ genus. *Sacramentum*, cùm milites jurabant, se non nisi confectis militiæ temporibus, sive stipendiis, ex reipublicæ exercitu discessuros. *Conjuratio*, cùm in subito tumultu dux cui singulos sacramento adigere non vacabat, è Capitolio duplex attollebat vexillum: roseum unum quò pedites: cœruleum, quò equites conveniebant: simulque jurabant omnes. *Evocatio*, cùm diversi diversas

Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acres concussit equos, utque impulit arma;
Extemplò turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera. Ductores primi, Messapus, et Ufens,
Contemptorque Deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem:
Qui petat auxilium: et Latio consistere Teucros,
Advectum Æneam classi, victosque Penates
Inferre, et fatis regem se dicere posci,
Edoceat; multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, et latè Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis; quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat; manifestiùs ipsi,
Quàm Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut, aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat latè loca: jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Nox erat, et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat;
Cùm pater in ripâ gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci, fluvio Tyberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:

*et tubæ sonuerunt rauco strepitu; et postquam excitavit generosos equos, et postquam commovit arma; statim animi turbati* fuerunt: *simul totum Latium conspirat* in *tumultu subito, et juventus ferox furit. Præcipui duces Messapus, et Ufens, et Mezentius contemptor Deorum, colligunt undecunque subsidia, et spoliant agricolis arva spatiosa. Venulus mittitur etiam ad urbem magni Diomedis, ut poscat opem; et doceat* Diomedem *Trojanos stare* in *Latio, Æneam navibus appulsum* esse, *et inducere Deos* suos *victos* à Græcis, *et dicere se vocari fatis* in *regnum, et plurimas nationes sociare se* huic *homini Trojano, et* ejus *nomen latè spargi* in *Latio: et* addat, *cognosci* ab *ipso* Diomede *clariùs, quàm à rege Turno, aut à rege Latino, quid* Æneas *machinetur his consiliis, quem optet exitum certaminis, si fortuna* ipsi *faveat. Talia* fiunt *per Latium: quæ omnia cernens Trojanus heros, agitatur magnis fluctibus curarum; et modò huc, modò illuc distrahit mentem vagam, et differt in partes diversas, et volvit per omnia. Veluti quando lux tremula,* emissa *à Sole aut specie rutilantis Lunæ, resiliens è vasis æreis pervagatur latè cuncta loca: et jam attollitur in aërem, et perstringit laquearia supremi tecti. Nox erat, et profundus somnus tenebat animalia lassa et genus volucrum ac pecorum per omnes terras: quando pater Æneas, solicitus animo* ob *difficile bellum, decubuit in ripâ et sub axe frigidi aëris, et permisit corpori tardam quietem. Ipse Tyberinus senex, Deus regionis, flumine amœno, visus est erigere se inter populeas arbores: linum subtile tegebat eum viridi veste, et opaca arundo inumbrabat capillos. Tunc* cœpit *alloqui* Æneam, *et auferre solicitudinem his verbis:*

## NOTÆ.

in partes ad cogendos exercitus mittebantur. Ita ferè Servius. *Vexillum* autem Romanis fuit *velum* minus, quadratum, ex hastâ suspensum. De *Laurento urbe;* quam Turnus, adnitente Amatâ, habenis rerum à Latino relictis, belli sedem fecerat, Æn. 7. 63. De *cornibus, tubis,* Æn. 7. 637.

3. *Concussit equos, &c.*] Excitavit equos sonitu cornuum: milites impulsu armorum, id est, allisis ad clypeos hastis: cujus moris innumera sunt apud auctores vestigia. De *Latio,* Æn. 7. 54. De *Messapo,* ibid. 691 De *Ufente,* ibid. 744. De *Mezentio,* ibid. 647

9. *Diomedis ad urbem, &c.*] *Arpos* vel *Argyripam,* urbem in Apuliâ Dauniâ, conditam à Diomede. De *eâ,* deque *Diomede,* Æn. 11. 243. De *Teucris,* Æn. 1. 239. De *Penatibus* Æneæ, Trojâ advectis, Æn. 2. 717.

18. *Laomedontius heros.*] Æneas, ex eâdem, quâ Laomedon, rex Trojanus, familiâ, Geor. 3. 35. De *laquearibus,* interstitiis trabium, Æn. 1. 735.

28. *Ætheris axe.*] Sub aperto aëre, Æn. 9. 512. De *Tyberino,* infrà, v. 330. De *carbaso,* lini specie, Æn. 4. 417. De *Pergamis,* arce Trojæ, ibid. 1. 466. De *Laurente,* agro, ibid. 7. 63. De *Penatibus,* ibid. 2. 717.

O sate gente Deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis:
Hìc tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates:
Neu belli terrere minis, tumor omnis et iræ
Concessere Deûm.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum;
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis,
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc, quâ ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegêre locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine, Pallanteüm.
Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latinâ:
Hos castris adhibe socios, et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge, age, nate Deâ: primisque cadentibus astris
Junoni fer ritè preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis: mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Cœruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis:
Hìc mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
 Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,

*O nate* ex *familiâ Deorum qui reducis ad nos urbem Trojanam ex hostibus, et tueris Pergama perpetua: exspectate in terrâ Laurente et campis Latinis: hìc sedes certa est tibi, certi Penates, ne cesses* ab incepto: *néve terrearis comminatione belli: omnis indignatio et iræ Deorum cessaverunt. Et ne existimes somnum suggere* tibi *hæc inania; mox magna sus, à te inventa sub ilicibus litoreis,* quæ *pepererit fœtus triginta porcellorum, jacebit humi strata: alba* ipsa *et porcelli albi circa mammas. Hic erit locus urbis, hæc certa quies à laboribus, ex quo* præsagio, *annis triginta recurrentibus, Ascanius fundabit Albam urbem nobili nomine. Non prædico tibi dubia. Jam attende, dicam* tibi *paucis* verbis, *quomodo conficias quod imminet,* ad obtinendam *victoriam. Arcades, gens orta â Pallante, qui secuti* sunt *socii Evandrum regem et vexilla* ejus, *elegerunt sedem his regionibus, et fundaverunt in montibus urbem Pallanteum è nomine Pallantis proavi* Evandri. *Hi semper bellum gerunt cum populo Latino. Hos adjunge socios exercitui* tuo, *et alliga* tibi *per fœdus. Ego ipse ducam te* per *ripas* meas *et rectum fluvium, ut sublevatus vincas* facilè *remis fluvium adversùs* te fluentem. *Age, surge, fili Veneris: et primis stellis occidentibus, offer religiosè preces Junoni, et placa submissis votis iram et minas* ejus; *exhibebis honorem mihi,* quando eris *victor. Ego sum* ille, *quem vides lambentem ripas tumidis aquis, et dividentem agros fertiles, Tybris cœruleus, fluvius acceptissimus diis. Hìc mihi* est *ampla domus, fons erumpit apud altas urbes.* Sic *locutus est fluvius; deinde mersit se profundis aquis,*

## NOTÆ.

97. *Revehis nobis.*] Gens enim Trojana per Dardanum ex Italiâ olim profecta erat, Æn. 3. 167.

48. *Albam, &c.*] Cognomento *longam*, ob situm; inter lacum et montem inde Albanum appellatum: Româ dissitam quindecim circiter millibus ad orientem. Hæc ab Ascanio condita: postquam annos triginta Lavinii regnatum esset: ex augurio repertæ albæ suis, cum triginta porcellis, ut habent Romani scriptores. At anni illi triginta de quibus Tyberinus loquitur, non ab hoc ipso Æneæ adventu numerandi sunt: sed ab urbe Lavinio conditâ; aut potiùs, ab ipsâ Æneæ morte, qui tres annos regnavit, ut dictum est Æn. 1. 266.

51. *Arcades, &c.*] *Arcadia*, regio est Peloponnesi media, Ecl. 4. 58. Hinc profectus est Evander: vel ob occisum ex errore patrem, ut narrat Servius; vel ad educendam coloniam, ut vult Pausanias in Arcadicis: conseditque juxtà Tyberim in monte et oppidulo, quod vocavit *Palantium, Pallanteüm, Palatium:* vel ab urbe Arcadiæ Pallantio, unde profecti fuerant, juxtà Pausaniam, Dionysium, et Livium; vel à Pallante Arcadiæ rege, proavo suo, juxtà Virgilium. Matrem habuit, juxta Solinum, *Nicostratam*, quæ ob fatidica carmina *Carmentis* à Latinis dicta est; patrem, juxtà plerosque, Mercurium. Condita deinde Roma est in eo monte qui *Palatinus* dictus est, nunc *Palazzo maggiore*, seu *Palatino.*

57. *Recto flumine.*] Absque errore, expedito itinere.

59. *Cadentibus astris.*] Decedentibus, sub primam diei lucem, Æn. 4. 81.

63. *Pinguia culta.*] Loca culta et pinguia, Geor. 1. 153.

65. *Magna domus.*] Præter allatam interpretationem, affertur hæc alia, sed durior: *Hìc mihi*

Ima petens: nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, et ætherei spectans orientia Solis
Lumina, ritè cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est,
Tuque, ô Tybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Ænean, et tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum:
Adsis ô tantùm, et propiùs tua numina firmes.
Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat: socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum:
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Tybris eâ fluvium, quàm longa est, nocte tumentem
Leniit: et tacitâ refluens ita substitit undâ,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ,
Miratur nemus insuetum, fulgentia longè
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque secant placido æquore sylvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cùm muros, arcemque procul, et rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo

*descendens* ad *intima; nox et somnus deseruit Æneam. Surgit, et aspiciens surgentem lucem cœlestis Solis, hausit religiosè cavis manibus aquam de fluvio, et emisit ad cœlum talia verba: Nymphæ, Nymphæ Laurentes, à quibus est origo fluviorum: et tu, ô Tybri pater, cum tuo sacro fluvio, admittite Æneam, et denique protegite à periculis. Quocunque fonte* tua *aqua detinet te, miserescentem calamitatum nostrarum; quâcunque regione erumpis formosissimus; semper decoraberis cultu meo, semper muneribus meis, ô* tu qui es *amnis cornutus, rex aquarum Italicarum. Succurre tantummodo, et præsenti* auxilio *confirma vim tuorum* promissorum. *Sic loquitur, et elegit duas naves è classe, et accommodat* ad *remigandum: simul accingit socios armis. Ecce autem prodigium repentinum et admirandum visu; sus alba ejusdem coloris ac fœtus albus, jacuit per sylvam, et cernitur in viride litore: quam adeò pius Æneas tibi immolat, tibi ô maxima Juno, offerens* tibi *sacrificia, et constituit ante altaria cum turbâ* porcellorum. *Tybris* per *eam noctem, quàm longa fuit, sedavit flumen* suum *inflatum: et retrò fluens stetit fluctibus sic tranquillis, ut æquaret planitiem aquarum in modum mollis stagni et quietæ paludis,* ita *ut labor abesset in remigando. Igitur rumore prospero deproperant iter susceptum. Abies oblita* pice *decurrit fluctibus: et aquæ mirantur, sylva inassueta* his spectaculis *miratur, clypeos hominum procul splendentes et pictas naves vehi flumine. Illi remigando traducunt noctem et diem, et prætervehuntur longos circuitus et inumbrantur diversis arboribus, et trajiciunt virides sylvas tranquillo flumine. Sol ardens pervenerat* ad *medium spatium cœli, cùm longè aspiciunt muros, et arcem, et pauca culmina domorum, quæ Romana magnitudo nunc extulit* ad *cœlum;*

## NOTÆ.

*magna domus exit:* assurgit paulatim, lapsu temporis, id est, fundabitur, erigetur. Et Romam innuit, quæ his in regionibus ædificanda erat, caput reliquarum urbium futura. De *fonte Tybris,* infrà, v. 330.

69. *Undam de flumine.*] Ad lavandas purgandasque manus ante preces: qui mos multis exemplis ab interpretibus firmatur, Æn. 2. 719.

71. *Genus amnibus, &c.*] Nymphæ, aquarum et fontium quorumlibet præsides: quorum ex colluvie fiunt augenturque fluvii. De *Laurente regione,* Æn. 7. 63.

77. *Corniger Hesperidum, &c.*] *Rex* Italicarum aquarum; non magnitudine suâ, qui honos Eridano tribui debet, et verò tribuitur Geor. 1. 482. sed ob futuram magnitudinem reginæ urbis Romæ, quam præterfluit. Deinde potest Æneas hunc ei honorem habere: cùm nondum Eridanum, aut majorem ullum in Italiâ fluvium viderit. De *cornibus fluviorum,* Geor. 4. 371. De *Hesperiâ,* Italiâ, Æn. 1. 530. De *biremibus,* Æn. 5. 119.

90. *Rumore secundo.*] Sparso inter milites, de successu itineris benè ominantes. De *Abiete, sapin,* A FIR-TREE, arbore quæ hìc pro nave sumitur Geor. 2. 68.

Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ocyùs advertunt proras, urbique propinquant.
Fortè die solemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno Divisque ferebat,
Ante urbem, in luco. Pallas huic filius unà,
Unà omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Thura dabant: tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas vidêre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse,
Et procul è tumulo: Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab altâ,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egêre superbo.
Evandrum petimus: ferte hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere, ô quicunque es, ait, corámque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui, Danaûm quòd ductor et Arcas,
Quódque à stirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et sancta oracula Divûm,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, et fatis egêre volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis et auctor

*tunc Evander possidebat rem angustam. Statim appellunt* illuc *naves, et accedunt* ad *urbem. Fortè illo die rex Arcadius* Evander *offerebat solemne sacrificium magno filio Amphitryonis, et Diis, ante urbem in sylvâ. Simul Pallas filius* Evandri, *simul præcipui omnes juvenum, et senatus inops, offerebant thura huic* Deo: *et sanguis calidus fumabat ante altaria. Quando conspexerunt altas naves, et* viros *appelli inter umbrosam sylvam, et incurvari in remos tranquillos: terrentur aspectu inopino, et omnes surgunt relictis mensis: quos audax Pallas prohibet abrumpere ceremonias, et ipse correptâ hastâ currit obviam, et eminùs exclamat è tumulo: O juvenes, quæ causa impulit vos explorare iter incognitum? quò itis? qui* estis secundùm *genus? unde* estis secundùm *patriam? an pacem huc portatis, an bellum? Tunc pater Æneas sic loquitur è summâ puppe, et præfert manu ramum oleæ pacificæ: Cernis Trojanos et arma infensa Latinis, quos profugos Latini expulerunt bello feroci. Adimus Evandrum: referte* illi *ista, et dicite venisse electos principes Trojæ, implorantes societatem armorum. Pallas obstupuit attonitus tanto nomine: Exi, ait, ô* tu *quisquis es, et affare præsens parentem meum, et ingredere domos nostras* ut *hospes. Simul accepit* eum *manu, et perstitit amplectens dexteram. Progredientes intrant sylvam, et recedunt à fluvio. Tunc Æneas alloquitur regem amico sermone: Optime Græcorum, cui fortuna voluit me supplicare, et proferre ramos ornatos tæniis: equidem non metui quòd esses* dux *Græcorum, et Arcas, et quòd ab origine cognatus duobus Atrei filiis. Sed pietas mea, et sacra monita Deorum, ut majores* nostri *consanguinei,* et *fama tua sparsa per terras, sociaverunt me tibi, et* auctoritate *fatorum impulerunt me* jam *volentem. Dardanus, primus parens et fundator urbis Trojanæ;*

NOTÆ.

103. *Amphitryoniadæ.*] Herculi, infrà, v. 288.

105. *Senatus.*] Concilium senum: quod deinde à Romulo et Romanis vocatum est *senatus.*

110. *Mensis.*] Ubi vescebantur sacris carnibus: et pars hæc erat sacrificii. De *sacrificiis non interrumpendis,* Æn. 3. 405. De *Olivæ ramo tæniis ornato, ad pacem petendam,* ibid. 7. 237. De *Dardaniis* ducibus, ibid. 1. 235. De *Penatibus,* pro domo, ibid. 2. 717.

129. *Danaûm quòd, &c.*] De *Danais,* Græcis, Æn. 1. 30 De *Arcadiâ,* Ecl. 4. 58. De *Atridis,* Atrei filiis, Agamemnone, Æn. 3. 54. et Menelao, Æn. 2. 264. His quomodo conjunctus esset Evander, variè exponit Servius: multi repetunt ex Atlante, cujus septem filiæ fuerunt: quarum ex unâ et Jove Tantalus Atrei avus prognatus est; ex aliâ, nempe Maiâ, Mercurius pater Evandri.

131. *Mea me virtus, &c.*] Conscientia virtutis meæ, quâ nihil mihi videbar commisisse, quod odio tuo dignum esset.

134. *Dardanus, &c.*] De *Dardani origine,*

Electrâ, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, æthereos humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus: non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumque
Objeci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitùs sua sub juga mittant;
Et mare, quod suprà, teneant, quodque alluit infrà.
Accipe, daque fidem: sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata juventus.
 Dixerat Æneas: ille os oculosque loquentis
Jamdudum, et totum lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisæ magni vultumque recordor!
Nam memini Hesiones visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinùs Arcadiæ gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram.
Accessi, et cupidus Pheneï sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,

*natus, quemadmodum Græci testantur, Electrâ* filiâ *Atlantis; appulsus* est ad *Teucros. Maximus Atlas, qui portat humeris orbes cœlestes, genuit Electram. Mercurius parens est vester, quem candida Maia peperit conceptum* in *frigido cacumine Cyllenes. At, si aliquam damus* fidem iis quæ *audivimus, Atlas, idem Atlas qui portat astra cœli, genuit Maiam. Ita gens utriusque dividit se ab eodem sanguine. Confisus his* rebus, *non adhibui cum calliditate legationes et prima experimenta tuæ* voluntatis: *ego memet exposui, et accessi supplex ad domum* tuam. *Eadem natio Rutula, quæ te* persequitur *bello inhumano, nos etiam persequitur: si nos ejiciat; nihil putat defuturum, quominùs subjiciat sub ditionem suam omnem omninò Italiam; et occupet mare quod allambit* eam *suprà, et quod infrà. Accipe, et præbe fidem: sunt nobis corpora robusta* ad *bellum, sunt animi, et juvenes insignes rebus* gestis. *Æneas* sic *dixerat: Evander jamdiu circumspiciebat oculis vultum et oculos et omne corpus dicentis. Tunc ita respondet pauca: O generosissime Trojanorum, quàm libenter agnosco te et accipio! quàm* benè *reminiscor sermonem et vocem et speciem magni patris* tui *Anchisæ! Nam memini Priamum, filium Laomedontis, invisentem regnum sororis* suæ *Hesiones,* et *euntem Salamina, continuo* itinere *perlustrâsse frigidam regionem Arcadiæ. Tunc prima juventus tegebat mihi malas lanugine; et admirabar principes Trojanos, et admirabar ipsum Laomedontis filium: sed Anchises incedebat sublimior omnibus. Animus fervebat mihi juvenili desiderio alloquendi hominem, et sociandi dextram dextræ. Audivi* eum, *et cupidus deduxi eum ad urbem Pheneum. Ille abiens donavit mihi illustrem pharetram, et sagittas Lycias, et chlamydem intextam auro,*

NOTÆ.

Æn. 3. 167. De *Atlante,* ibid. 4. 247. De *Electrâ,* et *Maiâ,* et *Pleiadibus* sororibus, Geor. 1. 138. De *Mercurio,* et *Cyllene* monte Arcadiæ, Æn. 1. 297.

138. *Vobis Mercurius pater est.*] Vel *vobis Arcadibus;* quia natus ille in Arcadiâ. Vel *vobis Evandro et Pallanti;* diximus enim, v. 51. Mercurium habitum esse patrem Evandri.

146. *Daunia.*] *Rutula,* à Dauno rege, patre Turni, Æn. 7. 794. De *Hesperiâ,* ibid. 1. 530.

149. *Et mare, quod, &c.*] *Superum,* sive Hadriaticum, ad septentrionem Italiæ: *inferum,* sive Tyrrhenum, ad meridiem.

157. *Hesiones, &c.*] *Hesione,* Laomedontis filia, uxor Telamonis *Salaminis* insulæ regis, inter Peloponnesum et Atticam, Æn. 3. 476. De *Arcadiâ,* Ecl. 4. 58.

*Visentem regna sororis Priamum.*] Alii non visentem animi causâ; sed captivum illuc abductum à Telamone sororis marito aiunt: ut jam dictum, Æn. 3. 476. De *Laomedonte* Priami patre, Geor. 1. 502.

165. *Pheneï.*] *Pheneum,* vel *Pheneus,* Arcadiæ, urbs et lacus, apud Cyllenen montem. De *Lyciâ* regione, cujus commendabantur sagittæ et pharetræ, Æn. 4. 143. De *Chlamyde, casâque,* A LOOSE GOWN, OF COAT, ibid. 3. 484.

Frænaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo et quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra:
Et lux cùm primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Intereà sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis.
Hæc ubi dicta: dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Præcipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
Postquam exempta fames, et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc solemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio veterumve ignara Deorum
Imposuit: sævis, hospes Trojane, perîclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primùm saxis suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hìc spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Cæde tepebat humus; foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.

*et fræna duo aurea, quæ meus* filius *Pallas modò habet. Itaque hæc etiam dextra, quam rogatis, jam à me sociata est fœdere* vobiscum: *et quando primùm dies crastina se referret terris, remittam vos refectos subsidio, et adjuvabo viribus* meis. *Interim, quandoquidem accessistis huc* ut *amici, perficite benevoli nobiscum hæc annua sacrificia, quæ non licet differre, et jam inde assuescite epulis sociorum. Postquam hæc dicta* fuerunt: *imperat cibos et pocula subducta referri, et ipse constituit homines in herbidâ sede: et admittit principem Æneam in torum et pellem setosi leonis, et inducit in solium* ex *acere. Tunc juvenes electi et sacerdos aræ certatim portant viscera tosta taurorum, et accumulant in calathis munera confecti panis, et proferunt vinum. Æneas, et simul Trojana juventus, comedit dorsum longi bovis et viscera piacularia. Postquam fames ablata fuit, et cupido comedendi satiata: rex Evander dixit: Non superstitio falsa, et inscia deorum antiquorum, indixit nobis has ceremonias, has epulas ex consuetudine, hæc altaria tanti Dei: exequimur istud, ô hospes Trojane, erepti è gravibus periculis; et renovamus meritum cultum. Considera nunc primò hanc rupem sustentatam saxis: quemadmodum moles longè disruptæ, et domus* in *monte stat vacua, et saxa accumulaverunt magnam ruinam. Hìc fuit caverna subducta* in *longam profunditatem: quam dira species Caci semihominis occupabat, inviam luci Solis: et terra semper* illic *calida* erat *stragibus novis: et capita hominum fixa ad crudeles portas pendebant liventia tristi sanie.*

## NOTÆ.

175. *Sublata——pocula.*] Metu navium adventantium. De *toris*, herbeis sedilibus, *Æn.* 3. 224. *Acerno*, ex acere arbore, *érable*, MAPLE-TREE. De more *sedendi* ad mensas, ibid. 1. 698. De *assis*, et *elixis* carnibus, ibid. 1. 211. De *Cerere*, pro pane, ibid. 1. 177. De *Baccho*, pro vino, Ecl. 5. 69.

183. *Perpetui tergo bovis, &c.*] Boves constat integros ad ignem et epulas apponi solitos apud veteres: et apud Homerum aliosque apponi præcipuè viris principibus *dorsum*, illudque διηνεκὲς, *longum, continuum, porrectum:* quod hìc *perpetuum* dicitur. *Exta lustralia:* quæ religiosè comesa, *lustrare*, id est, purgare putabantur, Æn. 3. 279. De *extis*, ibid. 4. 64.

185. *Evandrus.*] Græca forma, Ἔυανδρος, Latina, *Evander*.

187 *Veterum ignara Deorum.*] Non colimus Herculem, recentiorem Deum, contemptu antiquiorum et majorum Deorum, quales Jupiter, Apollo, &c.

194. *Semihominis Caci, &c.*] Mediâ parte fera, mediâ homo fuisse dicitur: nihil tamen ei affingit Virgilius ex ferâ, præter villosum pectus, infrà, v. 266. Huic Propertius tribuit tria capita, l. 4. 9. Livius pastorem ait fuisse, ferocem viribus. Nomen à κακὸς, *malus*. De *Geryone tergemino*, ejusque bobus ab Hercule direptis, Æn. 7. 662. De *Alcide*, nomine Herculis, infrà, v. 288.

*Semihominis, &c.*] Sic restituit N. Heinsius ex MSS. *Facies Caci tenebat:* id est, *Cacus tenebat.* Sic, Æn. 5. 91. *Ignoti nova forma viri —manus ad litora tendit.* Id est, *vir ignotus manus tendit.*

Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magnâ se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque Dei. Nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus,
Alcides aderat: taurosque hàc victor agebat
Ingentes: vallemque boves amnemque tenebant.
At furis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intentatum scelerisve dolive fuisset:
Quatuor à stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem formâ superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Caudâ in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
  Intereà cùm jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet:
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hìc verò Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur, et aërii cursu petit ardua montis.
Tum primùm nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit; ruptisque immane catenis
Dejecit saxum, ferro quod et arte paternâ
Pendebat; fultosque emuniit objice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans, hùc ora ferebat et illùc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus irâ
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.
  Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,

*Vulcanus erat parens hujus monstri:* monstrum *eructans ore nigros ignes Vulcani, efferebat se vastâ mole. Tandem tempus attulit nobis cupientibus opem et præsentiam Dei. Nam venit Hercules, illustris vindex, insignis morte et spoliis Geryonis tricorporis: et victor pellebat* per *hanc* regionem *tauros magnos: et boves implebant vallem et fluvium. Sed animus latronis Caci concitatus, ne superesset quicquam criminis aut fraudis, quod non auderet aut tentaret, abducit à stabulis quatuor tauros eximio corpore, totidem vaccas pulchriore specie. Et ne aliqua vestigia restarent ex ungulis rectis: hos abductos caudâ in cavernam, et raptos aversis signis viæ, abscondebat vastâ rupe. Nulla signa ducebant ad cavernam* eum *qui quæsivisset. Interim cùm Hercules educeret* è *stabulis armenta jam saturata, et præpararet discessum: boves* in *egressu* cœperunt *boare, et tota sylva* cœpit *repleri questibus, et colles* cœperunt *deseri* cum *clamore. Una vaccarum remisit clamorem, et sub cavernâ spatiosâ reboavit, et inclusa frustravit spem Caci. Tunc autem Herculi dolor inflammatus* est in *iras nigrâ bile: sumit manu arma, et truncum gravem nodis, et currendo contendit* ad *alta spatia montis. Tunc primò nostri* homines *aspexerunt Cacum metuentem et visu turbatum. Statim fugit celerior Euro, et currit* ad *cavernam: metus adjunxerat pennas pedibus. Postquam clausit se; et fractis vinculis demisit saxum ingens, quod pendebat ferro et arte patris* Vulcani; *et munivit portam defensam* hoc *obstaculo: ecce Hercules adest furiosus animo, et considerans omnem aditum, immittit oculos huc et illuc, stridens dentibus. Ter ardens furore circuit totum montem Aventinum; ter invadit frustrà saxeas portas; ter sedit lassus* in *valle. Erat rupes acuta, saxis undequaque accisis, erecta è dorso cavernæ; visu excelsissima,*

NOTÆ.

205. *Furis.*] Alibi *furiis;* sed ex veteribus codicibus ita emendavimus, duce Pierio.

219. *Atro felle dolor.*] *Felle,* pro *bile:* in quâ videtur poëta iracundiam ponere.

220. *Arma—nodisque gravatum Robur.*] Vel eandem rem dixit, *clavam, quæ ipsius erant arma:* vel *alia arma præter clavam,* nempe sagittas; quia, v. 249. *desuper Alcides telis premit.* De *robore,* gravi ligno, Geor. 1. 162. De *Euro,* vento orientali, Geor. 1. 371.

226. *Arte paternâ.*] Cyclopes enim, ministri Vulcani, artem reperisse dicuntur muniendarum urbium, Æn. 6. 630. *Tirynthius,* nomen Herculis, ibid. 7. 662. *Aventinus* mons, ibid. 7. 657. Dixitque *montem Aventini,* quâ formâ *urbem Patavi.* ibid. 1. 247.

Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus: inde repentè
Impulit, impulsu quo maximus insonat æther:
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus, et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbrosæ penitùs patuere cavernæ.
Non secùs ac si quâ penitùs vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, Diis invisa: supérque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperatâ deprensum in luce repentè,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli est)
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit: involvitque domum caligine cæcâ,
Prospectum eripiens oculis: glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis: seque ipse per ignem
Præcipiti jecit saltu, quà plurimus undam
Fumus agit, nebulâque ingens specus æstuat atrâ.
Hìc Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit, in nodum complexus: et angit inhærens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplò foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur; pedibusque informe cadaver
Protrahitur: nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavêre diem, primusque Potitius auctor,

*latebra accommoda nidis avium funestarum. Cùm* illa *jugo curva penderet in fluvium* sibi *sinistrum:* Hercules *commovit illam et abrupit erutum intimis radicibus, connixus* ab *dextrâ* parte *in* partem *oppositam: deinde statim pepulit, quo pulsu magnum cœlum sonuit: ripæ dissiluerunt, et fluvius territus retrogressus est. At spelunca et magna aula Caci apparuit detecta, et antra tenebrosa intimè aperta sunt. Non aliter quàm si terra per vim intimè diffracta aperiat domos infernas, aperiat regna pallida, inaspecta* à Diis, *et* si *immanis vorago desuper aspiciatur; et umbræ tremant luce infusâ. Itaque Hercules desuper urget jaculis* Cacum *subitò interceptum in lumine inopino, et clausum* in *rupe cavâ, et vociferantem insueto* modo: *et adhibet cuncta arma, et opprimit ramis et magnis lapidibus. Ille verò (nam nullum jam restat effugium discriminis) emittit gutture magnum fumum, res miranda dictu, et implet totam speluncam obscuris tenebris, auferens visum oculis: et colligit sub speluncâ noctem fumidam, mistis tenebris* cum *flammâ. Hercules* præ *irâ non toleravit* hoc: *et ipse immisit se præcipiti saltu per flammas, quâ* parte *multus fumus impellit se* in *undam, et magna spelunca exhalat nigram nubem. Tum apprehendit Cacum evomentem in tenebris inutiles ignes, comprimens* eum *in nodum: et incumbens stringit oculos extrusos, et jugulum aridum* sine *sanguine. Statim aperitur nigra spelunca portis fractis: et exponuntur luci vaccæ abductæ et prædæ ablatæ cum perjurio: et fœdum cadaver raptatur pedibus: animi nequeunt satiari spectando oculos horribiles, et faciem, et pectus semiferi* Caci *hispidum pilis, et ignes extinctos in gutture. Ab illo tempore solemnis est gloria* Herculis: *et posteri gaudentes coluerunt* hunc *diem: et primus institutor Potitius,*

## NOTÆ.

235. *Dirarum volucrum.*] Bubonum, corvorum, &c.

236. *Lævum.*] *Aventinus,* nunc *monte di S. Sabina,* Tyberim habet ad occidentem, quam Virgilius sinistram montis partem appellat. Hercules igitur stabat ad orientem illius rupis, quæ erat in monte: siquidem *dexter in adversum.* De *sinistrâ* et *dextrâ,* Ecl. 9. 15. De *Barathro,* Æn. 3. 421. De *Manibus,* Geor. 4. 469. Æn. 6. 743. De verbo *rudere,* Geor. 3. 374.

250. *Molaribus.*] Saxis grandibus, quæ molarum instar essent.

257. *Undam fumus agit.*] Vaporem, in modum undæ erumpentem, Geor. 2. 462.

263. *Abjuratæque rapinæ.*] Juxta Servium, *per vim retentæ:* juxta Gentilem, *emptæ absque persoluto pretio:* juxta Germanum et alios, quibus assentior, *quas quis habere se negat cum juramento et perjurio.*

269. *Potitius, &c.*] Livius, l. 1. ait post cædem Caci, tùm primùm bove eximiâ de grege captâ sacrum Herculi factum: *adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca incolebant. Fortè*

Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit; quæ maxima semper
Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.
Quare agite, ô juvenes, tantarum in munere laudum,
Cingite fronde comas, et pocula pôrgite dextris:
Communemque vocate Deum, et date vina volentes.
Dixerat, Herculeâ bicolor cùm populus umbrâ
Velavitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocyùs omnes
In mensam læti libant, Divosque precantur.
Devexo intereà propior fit vesper Olympo:
Jamque sacerdotes, primusque Potitius, ibant
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus; ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercæ

*et familia Pinaria, ministra Herculei sacrificii, collocavit hanc aram in hâc sylvâ: quæ* ara *semper dicetur à nobis maxima, et quæ semper erit maxima. Agite igitur, ô juvenes: in celebratione tantæ virtutis, coronate capillos foliis, et proferte manibus pocula, et invocate Deum communem, et offerte ei vina libenti* animo. Sic *dixerat; cùm populus* arbor *gemini coloris et texit capillos* omnium *umbrâ Herculeâ, et pependit implicata frondibus: et sacrum poculum replevit dextram* manum. *Statim omnes hilares projiciunt vinum in mensam, et orant Deos. Interim occiduo cœlo vesper fit vicinior: et jam sacerdotes, et primus Potitius, incedebant cincti pellibus juxta consuetudinem, et portabant faces. Renovant convivium, et portant jucunda munera mensæ secundæ, et operiunt altaria patinis plenis. Tunc Salii circa aras flammantes accedant inter cantus, coronati* circa *capita ramis populeis. Hic* est *chorus juvenum, ille senum: qui cantu memorant laudes et gesta Herculis: quemadmodum stringens occiderit manu prima monstra novercæ,*

## NOTÆ.

***ita evenit, ut Potitii ad tempus præstò essent, iisque exta apponerentur: Pinarii extis adesis ad cæteram venirent dapem. Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus vescerentur. Potitii, ab Evandro edocti, antistites sacri ejus per multas ætates fuerunt: donec tradito servis publicis solemni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum in pœnam interiit.*** Quod excidium Potitiæ familiæ contigit sub Appio Claudio Censore, anno U. C. 442. Pinariam durasse ad usque Maximini tempora censet Cerdanus; sed fallitur, siquidem ex hoc loco patet jam Livii ætate excisam fuisse. *Potitios* inde dictos quidam putant, quòd extis *potirentur: Pinarios* à πεῖνα, *fames.* Sed nugari mihi videntur.

271. *Aram——quæ maxima, &c.*] Apud Livium l. 1. sic Evander Herculem alloquitur: *Jove nate Hercules, salve: te mihi mater, veridica interpres Deûm, aucturum cœlestium numerum cecinit, tibique aram hìc dicatam iri, quam opulentissima olim in terris gens maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextrâ Hercules datâ: accipere se omen, impleturumque fata, arâ conditâ, atque dicatâ, ait.* Aram illam in foro boario Romæ perstitisse memorat Ovid. Fast. 1. 585. Erat autem forum boarium inter montes, Aventinum, Palatinum, et Capitolinum.

275. *Communem Deum.*] Dii *communes* vocantur: qui coluntur ab omnibus populis propter communem utilitatem: sic Mars propter bellum, Mercurius propter artes, Hercules propter debellata ubique monstra. Et singulariter Hercules: qui Arcadibus, Italis, ac Trojanis perinde venerandus erat. De *populo,* arbore viridi et pallidâ, Herculi sacrâ, *peuplier,* POPLAR-TREE, Æn. 7. 61.

278. *Scyphus, &c.*] Græca vox, σκύφος, vas amplum. Herculi præcipuè addictum; ut *cantharus* Baccho, ex Macrob. De *libatione in mensam,* Æn. 1. 736.

282. *Pellibus in morem cincti.*] Vel in morem pastoritiæ vitæ, et Panos Arcadum Dei: vel potiùs in morem Herculis, qui leonis pelle indutus erat. De *instauratione* et renovatione epularum per *secundas mensas,* ubi poma, bellaria, melleæ placentæ, Æn. 1. 723.

284. *Lancibus.*] *Lanx,* patina est, à *latitudine* dicta.

285. *Salii.*] Primò instituti à Numâ, duodecim numero, è patricio genere: duplicati deinde à Tullo Hostilio: armati saltabant ad tibiæ modulos: concussis hastâ brevibus scutis, quæ ancilia vocabant. Nomen à *saliendo:* unde, licet à Numâ instituti sint, et in honorem Martis; tamen apud Evandrum in honorem Herculis inducuntur à Virgilio, qui vim nominis, non rationem temporis spectavit.

288. *Ut prima novercæ, &c.*] *Hercules* Jovis filius et Alcmenæ, quæ Amphitryonis Thebani uxor erat, Junonis novercæ odio multis laboribus expositus est: unde cùm *Alcides* vocaretur, ab *Alceo* Amphitryonis patre; vocatus est Ἡρακλῆς, *Hercules,* ab Ἥρα, *Juno,* et κλέος, *gloria.* Præcipui ejus labores hìc recensentur. I. Cùm esset in cunis, immissos à Junone angues duos elisit. II. Trojam cepit sub Laomedonte, ob negatam sibi mercedem liberatæ à

Monstra manu, geminosque premens eliserit angues;
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque, Œchaliamque: ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres,
Hylæumque, Pholumque manu; tu Cressia mactas
Prodigia, et vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus: te janitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turbâ capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis:
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant! super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo;

*et duos serpentes; quemadmodum idem everterit bello illustres urbes, et Trojam et Œchaliam: quemadmodum toleraverit labores mille asperos, sub rege Eurytheo, per potestatem Junonis infensæ. Tu, ô* heros *insuperabilis, occidis manu filios nubis bino corpore, et Hylæum, et Pholum, et monstra Cretica, et immanem leonem sub rupe Nemeæ. Flumina Stygia te timuerunt: te janitor inferorum, jacens* in *antro sanguinolento super ossa semivorata. Nec te species ullæ* terruerunt: *non terruit ipse Typhoëus, sublimis, intendens arma: non hydra Lernæa* magnâ *multitudine capitum circumcinxit te inopem consilii. Salve, vera progenies Jovis, adjuncte Diis* quasi *honor* eorum; *veni pede prospero et* ad *nos* et *ad tua sacrificia propitius. Memorant talia cantibus: super cætera addunt cavernam Caci et ipsum exhalantem flammas. Tota sylva resonat strepitu, et colles resiliunt. Deinde absolutis ceremoniis divinis, omnes redeunt ad urbem. Rex obrutus senio incedebat,*

## NOTÆ.

ceto Hesiones, Geor. 1. 502. Æn. 3. 476. III. Cùm Eurytus Œchaliæ rex, in Thessaliâ, Iolen filiam ipsi promisisset uxorem, et posteà denegâsset: urbem diruit. IV. Antequam nati essent Hercules, et Eurystheus Mycenarum rex: cùm esset in fatis, hunc alteri serviturum, qui posterior natus est; effecit Juno, ut Hercules posterior nasceretur: quare subditus Eurystheo, ab eodem ad laboriosissimas expeditiones missus est: Juno hìc *iniqua* dicitur, non quidem *injusta*, quod in hymno impium fuisset; sed *infesta, infensa. Fata* sumuntur hìc pro *auctoritate* et *voluntate* Junonis: sic ait ipsa Juno, Æn. 7. 293. *Fatis contraria nostris fata Phrygum.* V. Cùm hospitio benignè exceptus esset à Pholo Centauro: et Centauri alii ad vini Herculi appositi odorem hostiliter incurrissent; dicitur eos sagittis confixisse. Virgilius tamen Pholum, non ut hospitem, sed ut hostem ejus memorat. *Bimembres* fingebantur Centauri; superiore parte humanâ, inferiore equinâ, Æn. 6. 286. *Nubigenæ,* quia nube ex Ixione geniti, Geor. 3. 38. VI. Taurum agros Cretensium populantem non occidit quidem, sed ad Eurystheum adduxit. Hunc aiunt quidam immissum à Neptuno, quem Minos Cretæ rex offenderat: alii taurum, fuisse, qui Europam Minoïs matrem in Cretam transtulerat: alii taurum, cujus amore insanierat Pasiphaë Minoïs uxor, Æn. 6. 24. VII. Leonem, in sylvâ Nemeâ, prope Cleonas Argiæ urbem in Peloponneso, cùm neque sagittis neque impactâ clavâ occidere posset, unguibus apprehensum dissecuit: ejusque pellem, quòd non esset ferro penetrabilis, in vestem sibi assumpsit. VIII. Per Tænari promontorii antrum ingressus ad inferos, Cerberum canem, ad solium Plutonis metu fugientem, inde pertraxit ad Eurystheum, et reducere jussus est, Æn. 6. 395. De *Stygiis aquis,* et *Orco,* Æn. 6. 323. IX. Diis magno præsidio fuit contra Gigantes cœlum aggressos: quorum inter præcipuos fuit Typhoeus, de quo Geor. 1. 279. Æn. 9. 716. Ita Apollodorus. Unde patet vanitas fabularum; quæ eundem Herculem circa Eurysthei Theseique tempora florentem jam inde à Gigantei belli ætate fuisse inter Deos docent. X. Hydram, serpentem in aquis et terrâ vivacem, cui nomen ab ὕδωρ, *aqua,* in Lernâ palude degentem, Mycenas inter et Argos; capitibus septem, aut, juxta alios, quinquaginta terribilem; quorum quoties unum abscissum erat, toties alia duplicato numero pullulabant, admoto ad singula vulnera igni tandem interfecit. XI. Cùm Deïanira ejus uxor suspectos haberet ejus in Iolen amores, misit ad eum vestem Nessi Centauri infectam sanguine, cui vim inesse audiverat ad amorem excitandum: quam ille cùm induisset, indeque sparso per membra incendio, vim doloris pati non posset, excitatâ et succensâ pyrâ, in Œtâ monte Thessaliæ, in eam immisit sese; et sic expurgatus omni contagie mortali, transiisse ad Deos creditus est.

302. *Dexter.*] *Propitius:* de hâc voce in bonam partem, Ecl. 1. 16.

307. *Obsitus ævo.*] Plautus in Menæchmis, Act. v. 2. 4. *Consitus sum senectute:* id est *plenus annis:* quia agri *consiti* sive *obsiti* frugibus, *pleni* sunt frugibus. Ita plerique omnes. Ego

Et comitem Æneam juxtà natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Æneas, capiturque locis, et singula lætus
Exquiritque auditque virûm monimenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis et duro robore nata:
Queis neque mos, neque cultus erat; nec jungere tauros,
Aut componere opes norânt, aut parcere parto;
Sed rami, atque asper victû venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea, quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula; sic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausoniæ, et gentes venêre Sicanæ:

*et ambulans habebat prope* se *Æneam comitem et filium* suum, *et solabatur* laborem *itineris multiplici colloquio. Æneas admiratur, et emittit leves oculos circa omnia, et delectatur* aspectu *locorum, et gaudens petit discitque singula vestigia veterum hominum. Tunc rex Evander, fundator arcis, quæ* deinde fuit *Romana,* ait: *Fauni et Nymphæ, natæ in illis locis, occupabant has sylvas: et natio hominum orta truncis et duris arboribus: quibus neque consuetudines, neque cultus erant: nec sciebant alligare tauros* jugo, *aut colligere divitias, aut moderatè uti* rebus *partis: sed arbores, et venatus durus victu nutriebat* eos. *Saturnus primus venit ab Olympo cœlesti, fugiens arma Jovis, et profugus erepto imperio. Hic congregavit gentem immansuetam et diffusam* per *montes excelsos, et imposuit* ei *leges: et voluit appellari Latium, quòd tutò occultatus fuisset in hâc regione. Aurea ætas, de quâ loquuntur, fuit sub illo rege: ita continebat populos in tranquillâ pace, donec subrepsit sensim sæculum pejus et alterius coloris, et furor belli, et cupiditas possidendi. Tunc venerunt turmæ Ausoniæ, et nationes Siculæ:*

## NOTÆ.

explico *sparsis senectute,* sive *canis:* quia, quæ *seruntur, sparguntur:* et jam dixit Virgilius, Æn. 5. 416. *Temporibus geminis canebat sparsa senectus:* et sanè sic explicandus est Lucretius l. 2. 210. *Sol etiam summo de vertice dissipat omnem ardorem in pratis, et lumine conserit arva:* id est, *lumine spargit arva:* et in Ter. Eun. pannis *annisque* obsitum, nostræ explicationi favet.

313. *Romanæ conditor arcis.*] Conditor oppiduli in Palatino monte, ut diximus, v. 51. cujus in ruinis Romulus deinde prima Romanæ urbis initia constituit, loco quadratam in formam munito. Livius, Plutarchus, Festus, &c.

314. *Indigenæ Fauni, &c.*] Videtur hìc per *Indigenas* intelligere *Aborigines populos,* eosque primos statuere Italiæ incolas, ut diximus, Æn. 7. 181. et ita censet Justinus. Quanquam probabilius putat Cluverius primos fuisse Siculos; Aborigines verò Siculis posteriores, et aliunde advectos, nempe ex Arcadiâ; unde sacra eò intulerint Panos et Fauni, qui ab Arcadibus pastoritiæ vitæ deditis colebantur. De *Faunis,* Ecl. 6. 27. De *Nymphis,* Ecl. 2. 46.

315. *Robore nata.*] Cùm enim in cavis arborum truncis primò habitarent, inde nati putabantur. De *robore,* ligno, Geor. 1. 161.

319. *Primus ab, &c.*] *Saturnus* Cretensis rex à Jove filio primùm liberatus è manibus Titanum, qui eum, ortâ de regnandi jure controversiâ, carcere incluserant: monente oraculo, ut à filio sibi caveret; cùm eidem strueret insidias, occupatus à filio et è regno ejectus, navi in Italiam venit: ibique exceptus à Jano antiquissimo rege, populos cum eo composuit legibus: unde propter castitatem è cœlo venisse creditus est, et aureum nomen suo seculo fecit. *Latium* Italiam appellavit, quòd in eâ contra filii insidias latuisset. Primus venisse in Italiam ex aliis regionibus dicitur à Virgilio, qui putat Janum ei Aborigines fuisse primos loci indigenas, à quibus Saturnus exceptus est. De *Latio,* Æn. 7. 54. De *Olympo* monte, pro cœlo, Ecl. 5. 56.

326. *Decolor ætas.*] *Argentea,* ab *aureo* colore deficiens: tum *ærea* et *ferrea,* Geor. 1. 125.

328. *Ausoniæ, &c.*] Et hinc patet, inter Italiæ populos non eum à Virgilio temporis ordinem statui, qui à scriptoribus reliquis statuitur: quanquam fateor confusa admodùm hìc esse omnia, nec sibi constare scriptores. Diximus enim *Siculos,* qui et *Sicani* deinde dicti sunt, primos fuisse Latii et Sabinæ regionis incolas, eosque indigenas Æn. 7. 794. *Ausones* verò, primos item et indigenas habitatores Italiæ, fretum versùs Siculum, Æn. 7. 54. Virgilius verò censet utrosque esse

Sæpiùs et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Tybris;
A quo pòst Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patriâ, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis: matrisque egêre tremenda
Carmentis Nymphæ monita, et Deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus, monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ; cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, et nobile Pallanteüm.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Retulit, et gelidâ monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Necnon et sacri monstrat nemus Argileti:

*et Saturnia regio sæpe mutavit nomen. Tunc* venerunt *reges et Tybris ferox vasto corpore, à quo deinde* nos *Itali appellavimus flumen nomine Tybrim: et vetus Albula perdidit proprium nomen. Fortuna omnipotens et fatum inevitabile constituerunt his* in *sedibus me ejectum è patriâ, et quærentem ultima* spatia *maris: et terrifica vaticinia Carmentis Nymphæ matris* meæ, *et Deus Apollo suasor, duxerunt* me. *Vix ea prolata* fuerunt: *deinde progrediens, ostendit et aram, et portam Carmentalem,* quod *nomen* est *Romanum, quam narrant* esse *antiquum honorem Carmentis, vatis aperientis fata: quæ prima prædixit, Romanos illustres evasuros, et Pallanteüm celebre* fore. *Posteà* ostendit *magnam sylvam, quam Romulus* deinde *convertit* in *asylum; et ostendit Lupercal sub frigidâ rupe, appellatum ex cultu Arcadico Panos Lycæi. Præterea ostendit quoque sacram sylvam Argileti,*

## NOTÆ.

advenas, Saturno posteriores. Tum hìc alter etiam notatur Virgilii error: quòd Saturni ætatem ab Evandri Latinique temporibus hìc longè removet; cum effluxisse ab eo videatur ætatum quadruplex mutatio, aureæ, argenteæ, æreæ, ferreæ: tamen, Æn. 7. 47. Saturnum Latini proavum facit.

330. *Asperque immani corpore Tybris, &c.*] Rex Tuscorum, qui occisus juxta fluvium Albulam, huic nomen reliquit suum. Ita Festus et alii. Livius tamen et Ovidius hoc nomen repetunt à Tyberino Albanorum rege, qui eo demersus est. Oritur in Apennini jugis, in septentrionali Etruriæ parte, juxta Umbros; dividitque totam Etruriam, seu Tusciam, ad orientem ab Umbris, Sabinis, et Latio: unde quia Tuscis maximè objicitur, dicitur à poëtis *Tuscus amnis,* potiùs quàm *Sabinus* aut *Latinus.* Evolvitur in mare Tuscum sive Tyrrhenum duobus ostiis: ad orientale ostium, urbs est *Ostia:* prope occidentale, urbs *Portus.*

336. *Carmentis, &c.*] Seu *Carmentæ,* matris Evandri; quæ Græcis dicta *Themis,* juxta Dionys. aut *Nicostrata,* juxta Solinum: Latinis dicta est *Carmenta,* quia futura *carmine* evulgabat. De *Apolline* vaticiniorum præside, Ecl. 3. 104.

337. *Progressus.*] Ex ripâ orientali Tyberis et radicibus Aventini, progressus ad septentrionem, quo loco spectabat Aventinum ad meridiem, Capitolinum ad septentrionem, Palatinum ad orientem: ibidemque forum fuit deinde boarium, ubi ara Herculis maxima.

*Aram.*] Vel *Maximam* Herculis, suprà, v. 271. Vel aram ipsius *Carmentæ.* juxta Carmentalem portam, sub Capitolino monte; de quâ Dionysius, l. 1. *Romano nomine* dictam ait Carmentalem: Carmenta enim nomen Latinum est. *Cecinit Æneadas magnos:* quia inter alia, Romanos cecinit gentem fore opulentissimam, suprà, v. 271. De *Pallanteo,* seu Palatino monte, v. 51.

342. *Asylum.*] Locum à Romulo constitutum inter querceta duo, Capitolinumque et Palatinum; quò quicunque confugerent è vicinis urbibus, salvi ac securi essent: quâ arte novam urbem suam frequentem effecit. De *asylo,* Æn. 2. 761.

343. *Lupercal.*] Locum in Palatino monte, ubi Arcades Evandro auctore templum exstruxerant Pani Arcadiæ Deo. Illic quotannis ludicrum celebrabatur, juvenibus passim discurrentibus nudis, cum scuticis è caprinâ pelle, quibus obvios quosque cædebant: mulieres præcipuè, quæ se his verberibus ad partum juvari existimabant: *Luperci* ipsi dicebantur. *Lupercal,* nomen deductum à *lupâ,* seu *Lycæo* monte Arcadiæ, ubi Pan colebatur: est enim λύκος, *lupus.* Unde quidam Romulum putant hujus ludi auctorem esse, quòd eo in loco à *lupâ* nutritus fuisset. *Parrhasia* dicta est Arcadia, ab Arcadiæ regione et oppido ejus nominis: cujus conditor fuit Parrhasius Lycaonis filius, juxta Steph. De *Pane* Deo, Æn. 2. 21.

345. *Nemus Argileti.*] Locus pariter inter Aventinum et Capitolinum, circa forum boarium; quæ pars erat Argei campi. Nomen juxta Varronem, vel ab argillosâ hujus loci terrâ; vel ab *Argo,* quem ait Fabius Pictor fuisse hospitem Evandri: aiuntque passim interpretes hunc ob affectati regni suspicionem, ab Arcadibus occisum

Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
 Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci, jam tum sylvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
(Quis Deus, incertum est) habitat Deus. Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem: cùm sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nimbosque cieret.
Hæc duo prætereà disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
 Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri: passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit: stratisque locavit,
Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ.
 Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,

*et attestatur locum ipsum, et narrat mortem hospitis Argi. Inde ducit* eum *ad locum Tarpeium et Capitolia,* quæ *jam aurea* sunt, *quondam* erant *aspera dumis incultis. Jam tunc* horrida *sanctitas* hujus *loci terrefaciebat trepidos rusticos, jam tunc metuebant sylvam et rupem. Deus, ait, tenet hanc sylvam, hunc collem cacumine sylvoso: dubium est quis* sit ille *Deus. Arcades putant se vidisse* illic *ipsum Jovem: cùm sæpe quateret dextrâ* manu *obscuram ægida, et commoveret nubes. Cernis prætereà has urbes duas eversis muris, reliquias et vestigia antiquorum hominum. Janus pater fundavit hanc arcem, Saturnus istam: huic nomen fuit Janiculum, isti Saturnia. Talibus inter se colloquiis accedebant ad domum inopis Evandri: et passim spectabant armenta boare in foro* deinde dicto *Romano, et magnificis Carinis. Postquam perventum est* ad *domum, ait* Evander: *Hercules victor intravit has portas, hæc aula excepit eum. O hospes, aude despicere divitias, et ostende te quoque parem Deo, et accede non offensus rebus inopibus.* Sic *locutus est, et induxit magnum Æneam sub culmina parvi tecti, et constituit in lectis* eum, *sustentatum frondibus et pelle ursæ Libycæ. Nox venit, et ambit terram alis obscuris. Sed Venus genitrix* Æneæ, *non frustrà territa animo,*

## NOTÆ.

fuisse, inscio Evandro, qui eum hoc loco sepultum præcipuis honoribus affecerit: quare *testatur locum* Evander; id est, locum attestatur, et quasi adjurat, se violati hospitii reum non esse. Alii nomen deducunt ab Argivis Herculis comitibus.

347. *Tarpeiam sedem, &c.*] Montem dictum primò *Saturnium*, ob Saturniam urbem in eo conditam à Jano, ad memoriam suæ cum Saturno societatis: deinde appellatum *Tarpeium;* denique *Capitolium*, ab humano capite ibidem invento, cùm templi fundamenta Tarquinius Priscus jaceret. Ibi magnus honos habitus deinceps Capitolino Jovi, cujus futuri cultûs quædam quasi semina spargit hìc Virgilius.

354. *Ægida.*] Clypeum Jupiter sibi finxisse dicitur ex pelle Amaltheæ capræ, nutricis suæ, Geor. 4. 151. est autem *αἴξ, capra.* Sic vocat Homerus, non Jovis tantùm, sed et Minervæ etiam et Apollinis clypeum; Virgilius item tribuit Minervæ, infrà, v. 435.

358. *Janiculum, &c.*] Montes Tybri interfluente discreti: *Janiculum* quidem ad occidentalem ripam: *Saturnius*, sive Capitolinus, ad orientalem: non tamen omnino adversi, nam Capitolinus ad septentrionem magis recedit. In utroque gemina olim urbs fuerat. De Jano Æn. 7. 610. De *Saturno*, suprà, v. 319.

361. *Romanoque foro, &c.*] Deflexo ad orientem itinere, inter Capitolinum et Aventinum: spatium invisunt illud, ubi deinceps fuit *forum maximum Romanum*, civilibus negotiis tractandis constitutum. Incipiebat autem à radicibus orientalibus Capitolini: ac deinde ad latus item orientale Aventini excurrebat: quâ in ultimâ parte propiùs attingebat locum, qui *Carinæ* dictæ deinde sunt *lautæ*, ob magnificentiam et lautitiam ædificiorum, in quibus domus fuit Pompeii. Nominis ratio non affertur alia tolerabilis; nisi quòd locus in modum carinæ curvus, ac longus esset. De *Alcide* suprà, v. 288. De *ursâ Libystide*, seu *Libycâ*, Æn. 5. 37.

370. *At Venus, &c.*] Expressus est hic locus ad imitationem Homeri: apud quem Thetis à Vulcano petit arma pro Achille filio, Iliad. 18. 369. Virgilius quidem hìc Homero superior est dignitate sententiarum: videtur tamen parùm prudenter ab eo factum, ut legitimum virum deprecetur Venus pro Æneâ; quem adulterio ex

Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur: thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum aspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges,
Debita, casurasque inimicis ignibus arces;
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ; nec te, charissime conjux,
Incassúmve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc, Jovis imperiis, Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjux.
Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me excidiumque meorum.
Dixerat, et niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet: ille repentè
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit:
Non secùs atque olim tonitru cùm rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis, et formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid causas petis ex alto? fiducia cessit
Quò tibi, Diva, mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec Pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est:
Quicquid in arte meâ possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,

*et commota minis Laurentum et asperâ seditione, alloquitur Vulcanum, et orditur* hæc verba *in aureo lecto mariti, et verbis immittit ei divinum amorem: Dum reges Græci evertebant armis Trojam* sibi *destinatam, et arces perituras flammis hostilibus; nullum subsidium, nec arma artis et operis tui imploravi* à te *pro miseris Trojanis: nec volui adhibere frustrà te et tuam operam, ô dulcissime marite; quanquam et debebam multa filiis Priami, et sæpe deploraveram asperam calamitatem Æneæ. Nunc* ille *jussu Jovis stetit in regione Rutulorum. Itaque accedo ipsa supplex: et peto arma à te, Deo mihi venerando: mater* pro *filio. Te filia Nerei, te conjux Tithoni potuit expugnare fletu. Considera, quæ gentes conveniant: quæ urbes clausis portis acuant gladios, in me, et ruinam meorum.* Sic *locuta est Dea, et candidis brachiis ambiit hinc atque hinc dulci amplexu tardum* Vulcanum: *ille subitò suscepit ignem consuetum, et notus ardor penetravit medullas et irrepsit in ossa liquefacta. Non aliter atque cùm aliquando hiatus flammeus, apertus fulgenti fulmine, rutilus pervolitat nubes. Uxor* id *animadvertit, gaudens fraudibus, et sciens* vim *pulchritudinis* suæ. *Tunc pater* Vulcanus *sic loquitur captus amore perpetuo: Cur causas repetis è longinquo? quò abiit à te confidentia in me, ô Dea? tunc etiam fuisset mihi facile arma dare Trojanis, si* tunc *par voluntas fuisset tibi. Neque Jupiter omnipotens, neque fata prohibebant Trojam persistere, et Priamum vivere ad decem alios annos. Et jam, si vis pugnare, et si hoc tibi est consilium: possum* tibi *polliceri, quodcunque* est *studii in arte mea, quodcunque potest fabricari ferro et electro liquente,*

## NOTÆ.

Anchisâ susceperat: seque adeò genitricem ejus esse glorietur: *Arma rogo, genitrix nato.* Excusat eum tamen, tum meretricia impudentia, cujus exemplum in Venere exhibet; tum vis muliebrium blanditiarum apud senes, qualis Vulcanus. De *Venere,* Æn. 1. 256. De *Vulcano,* Geor. 1. 295. De *Laurentibus,* Æn. 7. 63. Porrò *thalamus* ille et aula Vulcani, ubi hoc habetur colloquium, in cœlo esse fingitur: siquidem, v. 423. Vulcanus è cœlo descendit in officinam suam, ad arma fabricanda, circa Liparen insulam. In quo peccavit Homerus, qui aulam et officinam Vulcani simul in cœlo constituit.

374. *Argolici, &c.*] De *Argis,* urbe regiâ Agamemnonis, Æn. 1. 284. De *Pergamis,* arce Trojæ, Æn. 1. 466.

379. *Priami—natis.*] Paridi, à quo pulchritudinis præmium tulerat, pomum aureum, Æn. 1. 27. De *situ Rutulorum,* Æn. 7. 795.

383. *Filia, Nerei, &c.*] *Thetis,* de quâ, Ecl. 4. 32. pro filio Achille arma à Vulcano impetravit. *Aurora,* Tithoni uxor, pro Memnone filio, ad Trojanum bellum proficiscente. De *Aurorâ,* Geor. 1. 249. De *Tithono,* Æn. 4. 585. De *Memnone,* Æn. 1. 489.

398. *Nec fata vetabant Stare, &c.*] Fata à Diis non immutari sed differri censebantur posse, Æn. 1. 239. De *Teucris,* Æn. 1. 235.

402. *Potest electro.*] Quidam antiqui codices habent, *potestur electro.* Et est quidem *potestur* Lucretiana et Pecuviana vox: sed prima syllaba in *electro* longa est, tum naturâ suâ, ἤλεκτρον;

Quantùm ignes animæque valent: absiste, precando,
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus: placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum: cùm fœmina, primum
Cui tolerare colo vitam tenuique Minervâ,
Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secùs ignipotens, nec tempore segnior illo,
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.
Hùc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte politâ
Fulmen erat, toto Genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras, pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ

*quantum possunt flammæ et flatus: desine orando diffidere tuæ auctoritati. Locutus ea verba, tulit ei cupidos amplexus, et jacens in sinu uxoris quæsivit per* totum *corpus tranquillum somnum. Deinde, postquam prima quies abrupisset somnum, medio spatio noctis jam lapsæ: quando mulier cui præcipuum* est *sustentare vitam colo et exiguâ arte, excitat ignem co-opertum et cinerem superadditum* igni, *adjiciens noctem labori, et occupat famulas longo penso ad lucernas; ut queat tenere pudicum lectum mariti, et alere parvos liberos. Non aliter præses ignis* Vulcanus, *nec tardior, surgit illo tempore è molli lecto ad laborem fabrilem. Prope latus Siculum et Liparen Æoliam assurgit insula, alta fumantibus scopulis: sub quâ* insulâ *speluncæ et cavernæ Ætneæ resonant, excavatæ ignibus Cyclopum; et magni ictus auditi ex incudibus emittunt plangorem, et strident* in *cavernis massæ Chalybum, et flamma exspirat è fornacibus: sedes* est *Vulcani, et terra nomine Vulcania. Tunc Vulcanus ab alto cœlo descendit illuc. Cyclopes exercebant* artem *ferrariam sub immensâ cavernâ, et Brontes, et Steropes, et Pyracmon nudus corpore. Erat illis inter manus fulmen inchoatum,* ex his *quæ pater* Jupiter *multa torquet è cœlo: jam parte* aliquâ *perfectâ, pars restabat imperfecta. Adjecerant* ei *tres radios pluviæ, tres nubis aquosæ,*

## NOTÆ.

tum usu Virgilii, *sudent electro myricæ*, Ecl. 8. 54. Nec obstat versus è Ceiri repetitus, qui à Jos. Scaligero non legitimus putatur. *Electrum* hìc non *succinum* est, ut illud alterum Eclogæ 8. sed aurum, quintâ argenti portione mixtum; sive ex naturâ, sive ex arte temperies illa sit. De eo Plinius, l. 33. 4. Nomen ob fulgorem, à Sole, qui Græcis poëtis vocatur ἠλέκτωρ.

404. *Indubitare.*] *Dubitare.* Et hìc auget particula *in*, ut in voce *infractus, incanus:* pro *fractus, canus.*

409. *Tenuique Minervâ.*] *Tenui arte*, ut enim Minerva texturæ, lanificio, et ejusmodi artibus præest, ita pro iis ipsis sumitur; quemadmodum Vulcanus pro igne, Bacchus pro vino. De *Minervâ*, Æn. 2. 31.

412. *Castum ut servare cubile, &c.*] Ut otia vitet, infesta pudicitiæ.

416. *Insula Sicanium, &c.*] Ad latus septentrionale Siciliæ, non longè à promontorio Peloro et Italiâ, sunt insulæ septem, *Æoliæ* seu *Vulcaniæ* dictæ: maxima earum *Lipara*, hodie *Lipari;* inter quam et Siciliam est *Hiera*, id est, *sacra*, quia Vulcano dicata: unde hodieque dicitur *Volcano*, quam hìc describit Virgilius. Ex hâc præcipuè ignes erumpunt: quod inde fit, ut ait Solinus, c. 12. *quia ipsæ insulæ, naturâ soli igneâ, per occulta commercia, aut mutuantur Ætnæ incendia, aut subministrant.* Totum enim illud Italiæ inferioris et Siciliæ solum, ut alibi monuimus, subterraneis motibus cavum, et sulphure succensum est. De *iis insulis*, Æn. 1. 52. De *Sicaniâ*, Siciliâ, Æn. 3. 687. De *Ætnâ*, monte ignivomo Siciliæ, ibid. 571. De *Cyclopibus*, ibid. 569.

421. *Stricturæ Chalybum.*] *Stricturæ:* ferrum, ut è fodinis extrahitur: in massas quasi ferreas constrictum ac stipatum. *Chalybes,* populi vel Ponti, vel Hispaniæ, ferrariis fodinis et operibus insignes, Geor. 1. 58.

425. *Brontesque, &c.*] Nomina Cyclopum, è Græcis poëtis repetita. Brontes, à βροντή, *tonitru:* Steropes, à στεροπή, *fulgur:* Pyracmon, à πῦρ, *ignis*, et ἄκμων, *incus.*

429. *Tres imbris torti radios, &c.*] Fulmina in antiquis marmoribus duodecim radiis effin-

Addiderant, rutili tres ignis et alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte aliâ Marti currumque rotasque volucres.
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes:
Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes, et huc advertite mentem,
Arma acri facienda viro: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ:
Præcipitate moras. Nec plura effatus: at illi
Ocyùs incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit æs rivis, aurique metallum:
Vulnificusque chalybs vastâ fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt: alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multâ vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicâque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab lævâ pantheræ terga retorquens.

*tres flammæ refulgentis et venti velocis. Nunc miscebant operi fulgura terrentia, et fragorem, et timorem, et iras* cum *igne persequente.* Ex *aliâ parte deproperabant Marti currum et rotas celeres, quibus ille commovet homines, quibus urbes: et certatim ornabant squamis et auro ægida horribilem, clypeum Palladis iratæ, et serpentes implicatos, et ipsam Medusam in pectore Deæ torquentem oculos* post *abscissum collum. O Cyclopes Ætnæi, ait* Vulcanus, *auferte hæc omnia, et deponite laborem inchoatum, et huc intendite animum. Arma* sunt *fabricanda forti viro: nunc opus est robore, nunc promptis manibus, nunc omni arte præcipuâ: accelerate moras. Nec plura locutus est. Illi autem omnes statim adnixi* sunt, *et pariter diviserunt laborem: æs et metallum auri fluit* in *rivos, et chalybs vulnificus liquitur in amplâ fornace. Componunt magnum clypeum,* sufficientem *solum adversùs cuncta arma Latinorum; et connectunt septem textus* rotundos *textibus: alii excipiunt et emittunt ventos follibus plenis vento: alii mergunt aquis æra stridula; caverna sonat incudibus* in *eâ defixis. Illi inter se erigunt brachia multo conatu per ordinem, et forcipe mordaci vertunt massam. Dum pater Lemnius urget hæc in regionibus Æoliis, lux alma et cantus matutini avium sub tectis excitant Evandrum ex abjecto cubili. Senex surgit, et induitur tunicâ* circa *membra, et circumligat plantis calceamenta pedum Tusca: deinde accingit lateri et humeris gladium Arcadium, revocans* in dextram *pelles pantheræ pendentes à sinistrâ.*

NOTÆ.

guntur, in circulum dispositis: non rectis illis quidem, sed varios in angulos inflexis, qui trifidam in cuspidem singuli desinunt. Talis est forma Virgiliani hujus fulminis, de quâ sic ferè Cerdanus: Solent torqueri fulmina, vel *grandinante cœlo*, vel *ruentibus magnis pluviis*, vel *aëre fulguribus æstuante*, vel *ventis flantibus*. Grandinem intelligo, per *imbrem tortum:* pluviam immensam, per *aquosam nubem:* æstuantem aërem, per *ignem:* flatus ventorum per *Austrum:* hic enim ventus præ cæteris frequens tempestatibus est, ut diximus, Ecl. 2. 58. De *Marte*, Ecl. 9. 12. De *ægide*, clypeo Palladis, suprà, v. 354. De *Pallade*, Æn. 1. 39.

436. *Squamis auroque, &c.*] Disjunctio pro *squamis aureis*, Geor. 2. 192. *Pateris libamus et auro*, pro, *pateris aureis*. Significat clypeum Palladis squamoso corio serpentis et auro tectum fuisse: ipsum verò Gorgonis, id est Medusæ, caput anguiferum; non in clypeo, ut alias, sed in anteriore loricæ parte ad pectus affixum. De *Gorgone* et *Palladis clypeo*, Æn. 2. 616.

446. *Chalybs.*] Genus ferri densissimi ac durissimi, *acier*, STEEL: à populis hujus nominis, de quibus suprà, v. 421.

453. *In numerum.*] Eo ordine, qui numerosum quendam ictuum concentum referat.

454. *Pater Lemnius.*] *Vulcanus:* qui à Junone matre, propter deformitatem, è cœlo dejectus est in insulam Lemnum, nunc *Stalimene*, in Ægæo mari: ubi à Græcis dictus est officinam suam exercere, ob frequentia ibidem fulmina, Geor. 1. 295. De *insulis Æoliis*, suprà, v. 416.

458. *Tyrrhena pedum vincula.*] Calceamenta Tyrrheno more: quorum solea lignea erat, quatuor digitorum latitudine, lora autem inaurata:

Necnon et gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris heros:
Nec minùs Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc Tusco claudimur amni;
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Jungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat: fatis huc te poscentibus affers.
  Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? Dii capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus! et sanie taboque fluentes
Complexu in misero, longâ sic morte necabat.
At fessi tandem cives, infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsumque, domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes, Rutulorum elapsus in agros

*Prætereà duo etiam canes custodes exeunt ex altâ portâ, et sequuntur passus domini.* Sic *ibat heros ad cubiculum et penetrale Æneæ, memor verborum et promissi officii. Nec minùs mane experrectus Æneas ferebat se* ad eum. *Pallas filius aderat comes illi* Evandro, *Achates huic* Æneæ. Cùm *occurrissent, sociant dextras* manus, *et sedent in mediâ domo, denique utuntur libero colloquio. Rex primus hæc* dicit: *Maxime dux Trojanorum, quo salvo nunquam sanè existimabo regnum vel res Trojæ eversas: sunt nobis parvæ vires ad subsidium belli, pro tantâ dignitate: hinc coërcemur fluvio Etrusco: inde Rutulus urget* nos, *et sonat armis circa mœnia* nostra. *Ast ego meditor sociare tibi magnas nationes; et castra è regno divite: sors insperata ostendit* tibi *hanc* viam *salutis:* et *confers te huc fatis vocantibus. Non longè hinc habitatur sedes urbis Agyllinæ, structa lapidibus antiquis; quâ* parte *colonia Lydia, insignis bello, stetit olim in montibus Tuscis. Hanc* urbem, per *multos annos vigentem, Mezentius rex deinceps gubernavit, severo imperio et duris armis. Quid* prodesset *narrare immanes strages? quid crudelia facinora tyranni? Dii rependant* ista *capiti et familiæ ipsius. Immò etiam alligabat corpora mortua* corporibus *vivis, committens et manus manibus et vultus vultibus,* ô *speciem supplicii! et sic occidebat lentâ nece* homines *diffluentes tabo et sanie in* hoc *miserando nexu. Sed cives denique pertæsi, obsident armati sævientem inaudito* modo, *et ipsum, et* ipsius *domum: jugulant* ejus *socios, immittunt flammas ad tecta. Ille elapsus inter strages* cœpit *fugere in regionem Rutulorum,*

## NOTÆ.

ex Polluce, l. 7. 22. Et notandum calceamenta veterum, ut ex antiquis statuis constat, ferè soleas fuisse: non latis integumentis desuper, sed vinculis tantùm lorisque aptas pedibus. De *Tyrrhenis,* vicinis tunc Evandro populis, mox, v. 479.

459. *Tegeæum ensem.*] *Arcadicum; à Tegeâ* urbe Arcadiæ, ubi Pan colebatur.

460. *Pantheræ.*] Fera est, maculosâ pelle, cujus mas est *pardus:* à πᾶν, *omne,* et θὴρ, *fera.*

472. *Pro nomine tanto, &c.*] Pro dignitate Trojani nominis: pro tantâ causâ, id est tanto bello: *nomen* enim sæpe pro *causâ* sumitur. De *Tusco* amne, *Tybri,* suprà, v. 330. De *Rutulis,* Æn. 7. 795.

479. *Urbis Agyllinæ sedes, &c.*] Urbs erat Etruriæ, à Lydis dicta deinde *Cære,* hodie *Cerveteri,* Æn. 7. 652. Aiunt Etruscos, sive indigenas, sive aliunde advectos, eam Italiæ regionem, quæ est ad occidentem Tybris, incoluisse: hinc à Pelasgis ex Æmoniâ, quæ deinde Thessalia dicta est, profectis, bello petitos: qui post Agyllinam ibi conditam, à Tyrrhenis è Lydiâ profectis expulsi sunt. Hi, sive Etrusci, sive Tyrrheni, etiam *Tusci* vocati sunt; à θύω, *sacrifico:* ob religionis ceremonias, quæ apud eos vigebant imprimis in urbe *Cære,* quam vocat Livius l. 7. *sacrarium populi Romani, diversorium sacerdotum, ac receptaculum sacrorum:* ab hâc religiones Deorum dictæ sunt *ceremoniæ.* Hinc multi scribunt *Thusci;* multi tamen *Tusci,* Græcis auctoribus, à quibus vocantur Τούσκοι. *Etruscorum* nomen unde ortum sit, ignoratur.

Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis,
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre jubent. Retinet longævus aruspex,
Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm: quos justus in hostem
Fert dolor, et meritâ accendit Mezentius irâ:
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divûm.
Ipse oratores ad me, regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon:
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu seclisque effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer ni mixtus matre Sabellâ
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt;
Ingredere, ô Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam. Sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat: primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Æneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant:
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque improvisò vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit: et ruere omnia visa repentè,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem, cœli in regione serenâ,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.

*et protegi armis Turni* excipientis eum *hospitio. Itaque tota Tuscia rebellavit legitimo furore, repetunt præsenti bello regem ad pœnam. Ego, ô Ænea, dabo te ducem his millibus: naves enim* eorum *congregatæ toto litore fremunt, et volunt inferre signa. Senior aruspex cohibet* eos, *edicens* hæc *oracula; O juventus lectissima Lydiæ, flos et robur antiquorum hominum: quos indignatio legitima impellit adversùs hostem, et* quos *Mezentius inflammat justo furore; nemini Italo licet subdere tantam nationem: eligite duces exteros. Tunc exercitus Tyrrhenus territus oraculo Deorum, stetit in his arvis. Ipse Tarchon misit ad me legatos, et coronam cum sceptro, et addicit* has *notas regni:* rogans *ut veniam in castra, et accipiam regnum Tyrrhenum. At senectus pigra frigore, et exhausta annis, et robur lentum ad fortia* consilia, *aufert mihi regnum. Impellerem* ad id *filium, nisi junctus* cum *matre Sabellâ, ex eâ deduceret partem patriæ. Tu, cujus et annis et patriæ oraculum favet, quem Dii vocant, intra* in regnum, *ô dux generosissime Trojanorum et Italorum. Præterea sociabo tibi hunc Pallantem,* qui est *spes et solamen nostrum. Assuescat sub te institutore pati militiam, et durum laborem belli,* et *contemplari gesta tua: et miretur te à tenerâ ætate. Tradam huic ducentos equites Arcadas, selectam vim juventutis: et Pallas* tradet *tibi totidem sua nomine. Vix ea locutus erat, et Æneas filius Anchisæ et fidelis Achates tenebant vultum defixum, et meditabantur plurima difficilia cum suâ tristi mente; nisi Venus misisset signum è cœlo patente. Quippe fulgur intortum è cœlo inopinatè erupit cum strepitu: et statim omnia visa* sunt *tremere, et sonus buccinæ Tyrrhenæ sonare per aërem. Aspiciunt sursùm: et rursùs magnus fragor tonat: cernunt arma fulgere, et commota resonare inter nubes,* tempore *sereno, in parte cœli tranquillâ.*

## NOTÆ.

498. *Aruspex.*] Qui exta *conspicit Arvigæ,* vel *arugæ:* est autem *arviga,* hostia: ab ἄριχα, *aries.* Ita Vossius. Quâ in arte singularis fuit Etruscorum vatum peritia. De *Mæoniâ,* Lydiâ, Æn. 4. 216.

506. *Tarchon.*] Nomen apud Tyrrhenos insigne. Fuerat enim alter ejus nominis præfectus *Tyrrheni* regis, qui eo usus est ad condendas in eâ regione urbes duodecim. ex Strabone.

510. *Matre Sabellâ.*] Vel *Sabino,* vel *Samnitico* genere; hoc enim nomen inter utramque gentem ambiguum est: et Sabellam gentem Italiæ indigenam fuisse, non exterum, probat hic locus. Vide Æn. 7. 665. De *Cythereâ,* Venere, ibid. 1. 257.

526. *Tyrrhenusque tubæ mugire, &c.*] *Tyrrhenus clangor* tubæ dicitur: quia Tyrrheni cornua et tubas dicuntur invenisse, ab Athenæo, l. 4. Indicatque sonus ille Tyrrhenus, Æneam à Tyrrhenis ad regnum vocari.

Obstupuere animis alii: sed Troïus heros
Agnovit sonitum, et Divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne verò, hospes, ne quære profectò
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram Diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras
Laturum auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis; quàm multa sub undas
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volves,
Tybri pater! poscant acies, et fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto:
Et primùm Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat: hesternumque Larem, parvosque Penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes:
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Posthinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit; pars cætera pronâ
Fertur aquâ, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subitò vulgata per urbem,
Ocyùs ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiúsque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lacrymans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Jupiter annos!
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsâ

Cæteri territi sunt animo: sed princeps Trojanus cognovit sonum, et promissa Deæ matris. Tunc ait: Ne autem tu qui me excipis hospitio, ne sanè petas à me qualem exitum prodigia ista prædicant: ego vocor è cœlo ad bellum. Dea mater monuit se daturam hoc indicium, si bellum immineret; et se allaturam per aërem armaturam Vulcani manu factam ad auxilium meum. Heu! quàm magnæ strages imminent Laurentibus miseris. O Turne, quale supplicium persolves mihi! O pater Tyberine, quàm multos clypeos, et cassides, et robusta cadavera impelles inter aquas tuas! nunc Latini petant bellum, et violent fœdera. Postquam protulit hæc verba, erigit se è solio sublimi: et primò succendit igne Herculis aras ubi ignis erat fere extinctus: et hilaris it ad Larem, quem ab hesternâ die noverat, et ad exiguos Penates: immolat juxta consuetudinem oves electas: simul Evander, simul juventus Trojana. Deinde Æneas incedit ad naves, et redit ad socios: è quorum numero eligit insigniores virtute qui comitentur se ad bellum; pars reliqua navigat pronis undis, et lenta descendit secundo flumine, reditura ad Ascanium nuncia patris, et rerum ab eo gestarum. Equi dantur Trojanis euntibus in regionem Etruscam: adducunt ad Æneam equum extra sortem aliorum, quem tegit flava pellis leonis resplendens unguibus auratis. Statim rumor spargitur emissus per urbem exiguam, equites ire celeriter ad arcem regis Etrusci. Matres præ timore renovant preces, et metus accedit propè ad periculum, et jam species belli videtur major. Tunc pater Evander amplexus dextram Æneæ abeuntis, inhærit illi flens insatiabiliter, et profert talia: O utinam Jupiter reddat mihi annos elapsos: et me talem efficiat, qualis eram, quando juxta ipsam urbem Præneste delevi primum

## NOTÆ.

537. *Laurentibus, &c.*] Latini regis populis, Æn. 7. 63. De *Turno*, ibid. 56. De *Tybri*, suprà, v. 330.

540. *Fœdera rumpant.*] Nam Latinus Æneam in socium et generum admiserat, Æn. 7. 260.

542. *Herculeis, &c.*] Non mihi videntur in lucum rediisse, ubi hesternâ die sacra Herculi fecerant: sed aras domesticas, in quibus ignis sopitus erat, excitâsse primis ex hesterno sacrificio asservatis: non enim ignem sacrum nisi ex sacro licebat accendere, ex Phædro, l. 4. f. 10. vel novos ignes domi accenderunt in honorem Herculis. *Hesternum Larem* interpretor: vel qui pridie cultus ab iis fuerat, antequam decumberent: vel potiùs, quem Æneas, novus hospes, ab hesternâ duntaxat die noverat, et colendum susceperat. De *Laribus* et *Penatibus*, Æn. 2. 717. De *eorum cultu*, Æn. 3. 177. De *ovibus bidentibus*, Æn. 4. 57.

561. *Præneste, &c.*] Æn. 7. 678. fundatorem Prænestinæ urbis appellavit Cæculum, qui erat hoc ipso bello in auxiliis Turni, proindeque firmæ adhuc ætatis. Quomodo igitur ab Evandro, nunc sene, tunc juvene occidi potuit Herilus sub ipsâ Præneste? Nisi dicatur Præneste jam urbis formam habuisse tempore Herili, qui regnâsse ibi-

Stravi, scutorumque incendi victor acervos:
Et regem hâc Herilum dextrâ sub Tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimus Mezentius unquam,
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduâsset civibus urbem.
At vos, ô superi, et Divûm tu maxime rector
Jupiter, Arcadii quæso miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant;
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;
Nunc, ô, nunc liceat crudelem abrumpere vitam:
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri;
Dum te, chare puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Jamque adeò exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos et fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis.
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem, et fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, quà proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,

*exercitum, et victor combussi congeriem clypeorum, et hâc manu misi ad inferos regem Herilum: cui nascenti genitrix Feronia dederat tres animas, et tria arma tractanda,* res *terribilis dictu: occidendus erat triplici morte: tamen hæc dextera eripuit illi omnes animas, et spoliavit* illum *totidem armis. Ego nunc nullatenus distraherer à jucundo amplexu tuo, ô fili: nec unquam vicinus Mezentius, illudens huic* meo *capiti, intulisset ense tot crudeles neces,* nec *privâsset urbem tam multis incolis. Sed vos, ô Dii, et tu Jupiter maxime rex Deorum, oro, miserescite regis Arcadis, et exaudite preces paternas. Si vestra potestas, si fata relinquunt mihi Pallanta salvum; si vivo visurus eum, et rediturus in commune* cum eo: *peto vitam: paratus ero tolerare quemlibet laborem. Si verò intentas* mihi *eventum aliquem asperum, ô fortuna; ô jamjam liceat finire molestam vitam: dum sollicitudo* est adhuc *anceps, et spes futuri dubia; dum te habeo* in *complexu,* ô *dilecte fili, unicum et ultimum gaudium meum: ne nuncius tristior lædat aures* meas. *Pater emittebat hæc verba* in *ultimo discessu: ministri reportabant in aulam* eum *defectum* animo. *At equites jam egressi* erant *portis patentibus; in primis Æneas et fidelis Achates: deinde alii principes Trojæ: ipse Pallas in mediâ turmâ, spectabilis chlamyde, et armis versicoloribus. Qualis* est *Lucifer, quem Venus amat præ cæteris ignibus siderum, quando madens aquis Oceani erigit sacrum vultum* in *cœlo, et dissipat noctem. Matres timidæ sunt in muris, et visu sequuntur nubem pulverulentam, et turmas rutilantes æreis* armis. *Illi armati incedunt inter vepres, quà proximus est terminus viarum: clamor surgit, et collecto agmine ungulæ* equorum *feriunt pulverulentos campos strepitu quadrupedante. Est magna sylva, prope frigidum flumen Cæretanæ* urbis,

NOTÆ.

dem videtur: munitiones verò à Cæculo accepisse. *Præneste* modò neutrius, modo fœminini est generis. *Herilus* hic tricorpor, ad similitudinem Geryonis, fingitur, Æn. 7. 662. *Feronia,* Dea, Herili mater, ibid. 7. 800. *Arcadius rex,* Evander, suprà, v. 51.

588. *Chlamyde.*] De eâ militari veste, *casaque,* A LOOSE GOWN OR COAT, Æn. 3. 484. De *Lucifero,* stellâ Veneris, quæ mane ante solis ortum ultima videtur in cœlo, unde præire solem dicitur, Ecl. 6. 86.

596. *Quadrupedante putrem, &c.*] *Putrem,* in pulverem facilè solubilem. *Quadrupedante sonitu:* quasi numeroso quadrupedum equorum incessu.

597. *Cæritis amnem, &c.*] *Sylva* in litore

Religione patrum latè sacer: undique colles
Inclusere cavi, et nigrâ nemus abiete cingunt.
Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos,
Arvorum pecorisque Deo, lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus æthereos inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reductâ
Ut procul egelido secretum flumine vidit;
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultrò:
En perfecta mei promissâ conjugis arte
Munera: ne mox, aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversâ posuit radiantia quercu.
Ille Deæ donis et tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit;
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cùm cœrula nubes
Solis inardescit radiis, longéque refulget.
Tum leves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius ævi,
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ

*latè sacra veneratione majorum: colles curvi, circumdant undequaque et cingunt sylvam abietibus umbrosis. Fama narrat, antiquos Pelasgos, qui primi occupaverunt olim regionem Latinam, dicavisse sylvam et diem* certum *Sylvano, Deo agrorum et pecudum. Non longè hinc Tarcho et Tyrrheni habebant castra, secura* ob naturam locorum: *et totus exercitus* eorum *poterat jam aspici* ab *Æneâ ex edito colle, et fixerat* tentoria *in patentibus campis. Æneas pater, et juventus electa* ad *bellum descendunt illuc, et fatigati reficiunt equos et corpora. At Venus, alba Dea, erat* illic, *portans munera per nubes aërias: et ut eminùs aspexit filium remotum à frigido fluvio in valle separatâ, allocuta est* eum *talibus verbis, et se ultrò exhibuit: Ecce dona fabricata* per *artem mariti mei,* quam tibi *promiseram: ne deinceps, ô fili, timeas vocare ad pugnam, sive Laurentes gloriosos, sive ferocem Turnum.* Sic *dixit Venus, et venit in amplexum filii, et deposuit arma fulgentia sub quercu oppositâ. Ille Æneas gaudens muneribus Deæ, et tanto honore, non potest satiari, et mittit oculos per singulas* partes, *et stupet: et sumit in manus et brachia, cassidem horrendam cristis, et ejicientem ignes, et gladium mortiferum et loricam rigidam ære, cruentam, amplam;* talem, *qualis* est *nubes cœrulea, quando accenditur radiis Solis, et resplendet procul: deinde ocreas politas electro et auro repurgato, et hastam, et fabricam inenarrabilem clypei. Vulcanus, non imperitus vaticiniorum, nec inscius futuri sæculi, expresserat* in *illo* clypeo *res Italas et victorias Romanorum:* expresserat *illic totam seriem familiæ*

## NOTÆ.

maris, prope amnem exiguum, *Cæretanum* olim, nunc *Vacina* dictum: ad orientem urbis *Cæritis,* quæ est *Cære,* de quâ suprà, v. 479. Hujus incolæ *Cærites;* mediâ syllabâ brevi; vel *Cæretes,* mediâ longâ, dicuntur, Æn. 10. 183. De *abiete* arbore, *sapin,* THE FIR-TREE, passim in Georg. De *Sylvano,* Ecl. 10. 24. De *Pelasgis,* suprà, v. 479.

602. *Qui primi, &c.*] Tamen post *Siculos* indigena, et advenas *Œnotros* seu *Aborigenes* venêre *Pelasgi:* deinde *Tyrrheni,* posteà *Arcades,* tum *Trojani.* Hic ordo è Dionysio Halicarn. repetitur. *Tendebat in arvis.* Castra metabatur, figebat tentoria: ut Æn. 2. 29. *Hìc sævus tendebat Achilles.*

610. *Egelido.*] Ambiguam hujus vocis esse potestatem existimat Scaliger. Poët. l. 6. 7. et modò negare, ut in *epodis,* Geor. 2. 78. modò augere, ut in *edurus,* Geor. 4. 145. Igitur *egelidus* modò est *tepidus,* modò *frigidus.* Cerdanus contendit semper esse *tepidum:* affertque è Catullo *egelidos tepores,* è Columellâ *egelidum ver, &c.* sed afferimus etiam è Virgilio *egelidum flumen,* ex Ausonio *egelidum Istrum, egelidam Mosellam,* id est, *frigidam:* quis enim unquam fluvios vocavit *tepidos?* De *Laurentibus,* Æn. 7. 63. De *Cythereâ,* Æn. 1. 257.

620. *Cristis galeam, &c.*] *Cristis,* id est, pennis avium, aut jubis equinis, igneo colore tinctis, è cono seu apice galeæ, in modum flammarum erumpentibus, Æn. 3. 468. De *electro,* suprà, v. 402.

625. *Clypei textum.*] Quia è multis coriis, aut laminis compacti erant clypei.

Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem'
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere linguâ.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis
Addiderat: subitóque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Pôst iidem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant: et cæsâ jungebant fœdera porcâ.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres: pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

*orituræ ab Ascanio, et bella gesta per ordinem. Expresserat quoque lupam enixam jacere in virenti cavernâ Martis; duos infantes* huic *alludere pendulos ad mammas, et interritos sugere altricem; illam reflexam collo tereti adblandiri* iis *alternis, et formare membra* eorum *linguâ. Nec longè inde apposuerat Romam, et Sabinas raptas absque exemplo* in *cœtu caveæ,* dum *agerentur magni* ludi *Circenses: et statim novum bellum oriri* inter *Romanos, et senem Tatium, et Cures austeros. Posteà iidem reges, relicto prælio, erant ante altaria Jovis, armati et ferentes pateras: et sanciebant inter se pacem ictâ porcâ. Non longè hinc quadrigæ concitatæ in oppositas* partes *dilacerabant Metium: tu verò, Albane,* debuisses *stare pactis: et Tullus per sylvam trahebat viscera hominis* illius *perjuri: et sentes stillabant tincti sanguine. Præterea Porsenna jubebat* Romanos *admittere Tarquinium expulsum, et cingebat urbem magnâ obsidione. Romani currebant ad arma pro libertate. Videres illum* Porsennam *similem irato, et similem minanti:* ideò *quia Cocles audebat diruere pontem, et Clœlia trajiciebat flumen catenis fractis.*

## NOTÆ.

629. *Stirpis ab Ascanio, &c.*] De *Ascanii stirpe,* Æn. 6. 763. et sequent. De *lupâ,* Romuli et Remi, Martis filiorum, altrice, ibid. 1. 274.

635. *Raptas sine more Sabinas, &c.*] Romulus, cùm, urbe conditâ, deesse suis civibus fœminas videret: ludos indixit, qui *Consuales* tum, deinde *Circenses* dicti sunt. De *iis,* et *caveâ,* Æn. 5. 388. Ad eos cùm convenissent vicini, præcipuè ex urbe Sabinorum *Curibus;* eorum fœminæ raptæ sunt à Romanis. Hinc bellum grave inter utramque gentem: quod inter Tatium Sabinorum regem et Romulum denique compositum est; eâ lege, ut pars Sabinorum Romanam in urbem Curibus commigrarent, in eâ Tatius ac Romulus regnarent; urbs quidem à Romulo *Roma,* populus à Curibus *Curites* seu *Quirites* dicerentur. De *Curibus,* Æn. 6. 809.

641. *Cæsâ porcâ.*] Hanc formulam jungendi fœderis affert Livius, l. 1. quam tamen Hostilio Tullo, tertio Romanorum rege, antiquiorem fuisse innuit. Fecialis, minister sanciendi fœderis, sic aiebat: *Si prior defecerit publico consilios, dolo malo; tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam. Id ubi dixit, porcum silice percussit.* Inde fœdus *ictum* dici solet.

642. *Metium in diversa, &c.*] Cùm Tullus Hostilius, tertius Romanorum rex, Albanos imperio suo subdidisset; susceptoque adversùs Fidenates bello, Metius Suffetius Albanorum dictator Romanos in pugnâ deseruisset; Tullus victor eum duobus curribus per quadrigas in diversa raptis illigari ac discerpi jussit; Albanam urbem dirui, cives Romam traduci.

646. *Tarquinium, &c.*] Tarquinius Superbus, rex septimus, ob sua filiique scelera pulsus est, Bruto et Collatino ducibus: Porsenna rex Etruscorum eos reducere aggressus, Janiculum, partem urbis ad occidentalem Tyberis ripam, eidem ponte junctam Sublicio, occupavit.

650. *Cocles.*] Etruscis in orientalem urbis partem irrumpere parantibus: Horatius Cocles, qui fortè positus in statione Sublicii pontis fuerat, solus iis obstitit in ipso pontis aditu, dum Romani à tergo pontem interrumperent. Quo diruto, armatus in Tyberim desiluit, et multis super incidentibus telis, tranavit salvus ad suos.

651. *Clœlia.*] Cùm de pacis conditionibus ageretur, datæque essent Porsennæ regi puellæ ob-

In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat:
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hìc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hìc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo

*In supremâ* parte clypei *Manlius, defensor arcis Tarpeiæ, erat ante templum, et servabat altum Capitolium; et domus* adhuc *nova rigescebat paleis Romuli. Et illic anser* ex *argento, volans* in *aureis porticibus, monebat* cantu *Gallos accedere ad portas: Galli accedebant per sentes, et* jam *occupabant arcem, tuti tenebris, et munere noctis caliginosæ. Illis* erat *aurea coma, et vestimentum aureum: splendebant sagis virgatis: prætereà colla candida cingebantur aureis* monilibus: *unusquisque librat manu duo gæsa Alpina, tecti clypeis longis* secundùm *corpora. Inde sculpserat Salios saltantes, et Lupercos nudos, et acumina* pileorum *lanea, et scutula emissa è cœlo:*

## NOTÆ.

sides, ut exercitum è Janiculo deduceret: Clœlia virgo, una ex obsidibus, frustrata lavandi prætextu custodes suos, eorum equis conscensis, cum cæteris virginibus tranavit Tyberim: et repetita à rege, eidemque reddita, iterum ab eo propter virtutis miraculum libera dimissa est cum iis obsidibus, quas voluit ipsa eligere. Hanc equestri statuâ Romani donaverunt.

652. *Tarpeiæ Manlius, &c.*] Anno U. C. 364. Galli Senones, Brenno duce, cùm, fusis ad Alliam fluvium Romanis captâque urbe Româ, Capitolium obsiderent: et noctu in muros per præcipitia adreperent: anseres, Junoni sacri, quibus in summâ fame obsessi pepercerant, clangore suo milites excitavere: hi Gallos repulerunt Marco Manlio duce, qui triennio antè consulatum gesserat. Galli deinde, post septem mensium obsidionem, pacem ingenti auri pondere cùm pacti essent, à M. Camillo Dictatore superveniente cæsi sunt, et urbe pulsi. De *Tarpeio*, seu *Capitolino* monte, ubi arx et templum Jovis, suprà, v. 347.

654. *Romuleoque recens, &c.*] Casa Romuli multiplex fuit, in Palatino monte una, ut monet Dion. l. 2. altera in Capitolino: eaque ut ferebant mores temporis, stramento et paleis tecta: quæ Ovidii, Senecæ, ac Vitruvii tempore adhuc supererat, et ad monumentum priscæ frugalitatis colebatur. Ovid. Fast. 3. 183. Senec. Controv. 9. et Vitruv. l. 2. c. 1. *Recens*, dicitur ratione sculpturæ; quia cùm recens à Vulcano sculpta esset, et ex auro effıcta, videbatur fulgore suo referre rutilum quemdam horrorem recentium palearum, quibus tegebatur.

659. *Aurea cæsaries, &c.*] Habitus et arma Gallorum. I. *Aurea coma:* discribuntur enim à Livio et aliis comæ Gallorum promissæ et rutilatæ, seu flavæ. II. *Lactea colla:* candido etiam colore insignes fuisse prædicantur, unde et nomen habuisse à *γάλα, lac.* III. *Aurea vestis,* quam hìc multi sumunt pro *barbâ*, quia Lucretius, l. 5. 672. dixit, *impubem molli pubescere veste.* Potest tamen intelligi de veste interiore, cui sagula superinducta essent. IV. *Sagula.* Fuerunt *chlamys, sagum, paludamentum*, ejusdem propè formæ vestes exteriores, breviores, apertæ, fibulâ circa dextrum humerum annexæ: sed *paludamentum* proprium imperatorum, et longius; *sagum et chlamys*, militum, et brevius. Quidam volunt, *saga*, vel *sagula* Gallorum, habuisse manicas, et fibulatas fuisse vestes; sed instar tunicæ inductas, apertas tamen ante pectus. *Virgata sagula* dicuntur; id est, virgis sive segmentis distincta versicoloribus, et in longum variâ serie porrectis. V. *Torques* aurei, è collo penduli; quos apud Gallos in usu etiam militari fuisse, patet ex Manlio Torquato, qui nomen hoc obtinuit ob detractum in pugnâ Gallorum duci torquem, Æn. 6. 825. VI. *Gæsa;* hastæ longiores, sed leves et exiles, quæ binæ unâ manu ferri poterant. *Alpina* dicuntur: vel quia è ligno Alpinarum arborum: vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes habitabant. VII. *Scuta longa*, non clypei: *clypeus* enim rotundus est: *scutum* longius multò quàm latius.

664. *Lanigerosque, &c.*] De *Saliis*, suprà, v. 285. de *Lupercis*, v. 343. Sacerdotes porrò, præcipuè flamines, pileos gestabant oblongos, quorum ex fastigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata: quòd si per æstatem gestare pileum molestius ducerent, filo illo caput circuibant, quod nefas esset eos nudo esse capite; hinc *Flamines* dicti; quasi *Filamines;* et lana illa, *apex*, ab *apo*, quod est ab *ἅπτω, ligo.*

*Lapsa ancilia, &c.*] Scuta brevia, quasi *amcisa*, id est, *circumcisa*, quòd ovali figurâ essent absque angulis. Ovid. Fast. 3. 377. *Atque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est: Quemque notes oculis, angulus omnis abest.* Horum unum, regnante Numâ, decidisse dicitur è cœlo: et edita vox, omnium potentissimam fore

Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas: et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem:
Secretosque pios, his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant cœrula cano:
Et circùm argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populoque Penatibus, et magnis Dîs,
Stans celsâ in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte aliâ, ventis et Dîs Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens: cui, belli insigne superbum,

*ibant ad sacrificia per urbem pudicæ matronæ in vehiculis pensilibus. Procul hinc adjicit quoque infernas plagas, profundos aditus Plutonis: et supplicia criminum: et te, ô Catilina, suspensum* ex *imminente scopulo, et metuentem vultus Furiarum: et pios segregatos* ab impiis, *et Catonem his dicentem jus. Inter hæc apparebat latè ex auro species inflati maris, at* aquæ *cœruleæ spumabant fluctu albo: et delphines circùm lucidi argento agitabant in orbem mare caudis, et scindebant fluctus. In medio* mari *videre erat classes æratis* proris, *certamina Actiaca: et aspexisses totum Leucaten fervescere pugnâ ordinatâ et undas resplendere argento. Hinc* erat *Augustus Cæsar ducens ad pugnam Italos, cum senatoribus, et populo,* et *Penatibus, et magnis Diis, erectus in puppe sublimi: cui caput lætum emittit geminas flammas, et paterna stella apparet* in *capite. Aliâ parte* erat *Agrippa, Diis et ventis propitiis, sublimis, impellens aciem: cui caput*

## NOTÆ.

civitatem, quamdiu id in eâ mansisset. Ideò Mamurius Veturius auctor fuit, ut ejusdem modi fierent plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. Quod factum est, omniaque in sacrario Martis reposita, sub custodiâ Saliorum: qui certis diebus efferebant ea pulsabantque per urbem, ac deinde recondebant. Ovid. loco citato, &c.

666. *Pilentis matres, &c.*] Cùm Camillus aurum Apollini Delphico vovisset, bello Veienti, nec auri satis reperiretur: matronæ nobiles aurum illud ex muliebri mundo contulerunt: ob eamque munificentiam, is honor iis est habitus, ut *pilento* ad sacra ludosque veherentur. Ita Livius, ann. circiter U. C. 362. De *pilenti*, vehiculi formâ, nihil reperio.

667. *Tartareas sedes, &c.*] De *Tartaro*, Æn. 6. 134. De *Dite*, Plutone, Geor. 4. 467. De *ostiis* inferorum, Æn. 6. 237.

668. *Catilina.*] *L. Sergius Catilina*, patriciâ familiâ vir, cùm bis in petitione consulatûs repulsam tulisset; de cæde consulum et senatûs, de incendendâ urbe, opprimendâque republicâ conjuravit cum nobilissimis aliis compluribus viris: deprehensus à M. Tullio Cicerone tum consule, urbe excedere coactus est: ejus socii P. Lentulus et C. Cethegus prætores in carcere præfocati sunt; ipse commissâ in agro Pistoriensi pugnâ victus et interfectus est, duce C. Antonio, Ciceronis collegâ, anno U. C. 691. De *Furiis*, Geor. 3. 552.

670. *Catonem, &c.*] Non majorem, sed minorem: siquidem Catilinæ et eorum temporum hic mentionem facit, quæ propiùs attigit minor Cato. De utroque, Æn. 6. 841. Hunc præficit juri dicundo apud pios homines in Elysiis campis, ob severam virtutem: non ut eum irrideat, quasi hostem Julii Cæsaris, ut argutatur Cerdanus, aliique.

673. *Delphines, &c.*] De *Delphinibus*, Æn. 3. 427. De *Actio* promontorio Epiri, et *victoriâ* ibidem ab Augusto relatâ, ibid. v. 270. 280. De *Leucate*, ibidem monte et insulâ, v. 274. De *Augusto*, Octaviani cognomine, Æn. 6. 792. De *Penatibus*, ibid. 2. 717. De *magnis Diis*, ibid. 3. 12.

680. *Tempora flammas vomunt.*] Aliqui referunt ad galeam, cujus conus cristas habebat flammivomas, ut, v. 620. Alii ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum. Alii ad Augusti oculos, quos acres imprimis et igneos fuisse testatur Suetonius.

681. *Patrium vertice sidus.*] Stella Julii Cæsaris: quæ, quia ejus in morte effulserat, pro eo habita est, ideò ejus simulacris in capite imposita, Ecl. 9. 46.

682. *Agrippa.*] *M. Agrippa*, omnium Augusti operum ac victoriarum administer, præcipuè Actiaco bello. Ter consul fuit, consors Tribunitiæ potestatis cum Augusto, gener ejusdem, et adoptione filius. Obiit anno U. C. 724.

Tempora navali fulgent rostrata coronâ.
Hinc ope barbaricâ variisque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis et litore rubro
Ægyptum viresque Orientis, et ultima secum
Bactra vehit: sequiturque, nefas! Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis, rostrisque tridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tantâ mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur: arva novâ Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Necdum etiam geminos à tergo respicit angues.
Omnigenûmque Deûm monstra, et latrator Anubis,

*radiat rostratum navali coronâ,* quod est *nobile monumentum victoriæ. Inde Antonius victor diversis bellis, et auxilio barbarorum, adducit secum Ægyptum, et robora Orientis, et extrema Bactra, ab* usque *gentibus Auroræ, et mari rubro: et* proh *scelus! uxor Egyptia sequitur* ipsum. *Omnes* videntur *simul irrumpere, et totum mare spumare commotum remis revolutis, et rostris trifidis. Procedunt mari: diceres Cycladas erutas fluitare mari, aut excelsos montes congredi* cum *montibus: tanta* est *moles turritarum puppium* unde *homines imminent. Projicitur manu ignis* in *stupâ, et spiculis volucre ferrum: campi Neptuni rubescunt novâ strage. In medio regina* Cleopatra *revocat acies patrio sistro: et nondum adhuc spectat à tergo serpentes duos. Et portenta Deorum omnis generis, et latrator Anubis,*

## NOTÆ.

684. ***Rostrata coronâ, &c.***] Corona navalis aurea, in speciem rostrorum navalium conformata, data raro: primùm à Pompeio Magno M. Varroni, bellis piraticis: secundo ab Augusto M. Agrippæ, bellis Siculis adversùs Sextum Pompeium, quæ ille confecit extremâ ad fretum Siculum pugnâ, anno U. C. 718. Plin. l. 16. 4.

686. *Victor ab Auroræ, &c.*] *M. Antonius,* omnium Julii Cæsaris expeditionum socius, ejusdem in dictaturâ magister equitum, consul anno U. C. 710. quo Cæsar occisus est; ac deinceps triumvir cum Octaviano ac Lepido: multa eo in magistratu crudeliter egit; Brutum et Cassium conjunctis cum Octaviano copiis vicit, mox ad bellum Parthicum, et administrandum orientem profectus, Parthos quidem vicit per Ventidium, qui anno 716. de illis triumphavit: sed ipse ab iisdem affectus variis cladibus, in Ægyptum secessit, amore Cleopatræ, Egypti reginæ: quam cùm orbis terrarum reginam constituere meditaretur, hostis à senatu judicatus, victus est ab Octaviano apud Actium Epiri promontorium, anno U. C. 723. sequente anno captâ ab eodem Octaviano Alexandriâ, sibi ipse mortem intulit: Cleopatra, cùm Octavianum irretire amore suo non potuisset, verita ne in triumphum duceretur, aspidis inter ficus delitescentis punctu sibi mortem accersivit. *Auroræ populos* vocat orientales. *Litus rubrum,* accolas maris rubri: quod Arabiam ad occidentem et meridiem alluit; et in sinum influens, Asiam ab Africâ separat, Ægyptumque prætexit ab oriente. *Bactra, -orum,* urbs est præcipua Bactrianæ regionis, inter Parthiam ab occidente, Indiam ab oriente, Sogdianam à septentrione, Asiam à meridie. Ex iis omnibus regionibus auxilia secum habuit Antonius.

690. ***Rostrisque tridentibus.***] Ita legendum esse diximus, et explicuimus, Æn. 5. 143.

692. *Cycladas.*] Naves Antonii, magnitudine conspicuas, comparat cum insulis maris Ægæi *Cycladibus,* de quibus Æn. 3. 74. Cùm autem dicat, *montes concurrere montibus altos:* innuit utriusque exercitûs naves mole ac turribus fuisse insignes: at præcipuam fuisse Antonianarum molem consentiunt historici. De *Neptuno,* Æn. 1. 125.

696. *Patrio—sistro.*] *Sistrum,* æreum crepitaculum, Ægyptiorum proprium, instar reticuli quo pilæ per ludum impelluntur, hoc ferè modo compactum erat: ærea lamina in ovalem figuram inflexa desinebat in manubrium: hanc laminam tres quatuorve fidiculæ, item æreæ, hinc inde trajiciebant, laxis foraminibus insertæ; ita ut, quoties sistrum manubrio commovebatur, fidicularum capita crebro affrictu ad laminam allisa tinnitum ederent. Sistri usus præcipuus erat in sacris Isidis, Ægyptiæ Deæ, cujus simulacra sistrum aliquando manu præferebant. Nomen à σείω, *quatio.* Atque ejus quidem crepitaculi sonum levem fuisse necesse est, neque satis canorum aut gravem, ut naves à prælio revocare posset; quare hoc à Virgilio dictum puto per ironiam, ut est à Propertio quoque de Cleopatrâ dictum, l. 3. 9. 41.

*Ausa Jovi magno latrantem opponere Anubin,*
*Et Tyberim Nili cogere ferre minas,*
*Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.*

698. *Omnigenûmque Deûm, &c.*] Cicero de Nat. l. 3. 39. *Omne ferè genus bestiarum Ægyptii consecrârunt.* Plutarchus numerat *felem, gryphem:* Plinius, *scarabæos:* Prudentius, *simiam:* alii, alias. Præcipua tamen eorum numina *Osiris* rex, ejusque uxor *Isis:* et *Anubis* eorum vel filius, vel miles, vel satelles: ideò ca-

Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cœlatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
Et scissâ gaudens vadit Discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter cædes, pallentem morte futurâ,
Fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri:
Contrà autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et totâ veste vocantem
Cœruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Dîs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.

*ferunt arma adversùs Neptunum et Venerem, et adversùs Minervam: Mars exsculptus ferro sævit in medio prælio, et funestæ Furiæ ex aëre, et Discordia incedit gaudens lacerâ pallâ, quam Bellona sequitur cum flagro cruentato. Actiacus Apollo videns ista tendebat arcum ex alto: hoc metu tota Ægyptus, et Indi, omnis Arabs, omnes Sabæi convertebant dorsum. Ipsa regina videbatur præbere vela ventis invocatis, et quamprimùm laxare funes* navium *solutos. Vulcanus fecerat illam inter strages, pallidam nece imminente, provehi fluctibus, et Iapyge* vento: *ex adverso autem Nilum dolentem magno corpore, et aperientem plexus* suos, *et totâ veste* expassâ *invitantem victos in sinum* suum *cœruleum, et fluenta latebrosa. Sed Cæsar ingressus Romanos muros triplici triumpho, referebat Diis votum perenne,* nempe *trecenta templa ingentia per totam urbem.*

## NOTÆ.

nino capite depictus; quia vel regem fide custodiebat: vel venator erat; vel ejus, quasi canis indagantis, operâ Isis usa est in investigandis mariti membris, à Typhone fratre discerptis. Vide Vossium de Idol. l. 1. 27. De *Neptuno,* Æn. 1. 125. De *Venere,* ibid. 260. De *Minervâ,* ibid. 2. 31. De *Mavorte,* Marte, ibid. 9. 12.

701. *Ex æthere Diræ.*] *Furiæ,* de quibus, Æn. 6. 572. *Ex æthere:* tum quia volantes illic exsculptæ erant: tum quia apud superos præsertim dicuntur *diræ,* ibid. 3. 211.

702. *Scissâ Discordia pallâ.*] Ut ipso habitu vim exprimat suam, quâ dividit animos, fœdera disrumpit, &c. De *Bellonâ,* Martis sorore, Æn. 7. 319. De *Apolline,* cui sacrum erat *Actium* promontorium, ibid. 3. 275. De *pallâ,* pallio muliebri, ibid. 1. 648.

705. *Indi, &c.*] Vel veri *Indi* Asiæ: siquidem posuit *Bactrianos* in auxiliis Antonii. Vel *Æthiopes,* Ægyptiis vicini, quos ab veteribus *Indos* etiam dictos esse ostendimus, Geor. 2. 171. *Arabes,* ad orientem Ægypti. *Sabæi,* Arabes ad meridiem Arabiæ Felicis, Geor. 1. 57.

710. *Iapyge.*] Vento, qui ab Apuliâ, Italiæ maximè orientali parte, flat rectà in orientem, ideóque in Ægyptum. Dicitur *Iapyx* ab ipsâ Apuliâ, quæ sic priùs dicta fuit ab Iapyge, filio, iuxta Plinium, Dædali; juxta Liberalem, Lycaonis. De *Nilo,* Ægypti fluvio, Geor. 4. 287.

714. *Triplici——triumpho.*] Cæsar Octavianus, devictis imperii sui æmulis, tribus continuis diebus Romæ triumphavit, anno U. C. 725. Primo quidem die, de Salassis Alpinis populis Dalmatis, Illyris, Pannoniis: quos statim post oppressum Sext. Pompeium vicerat annis 719, et 720. partim per legatos, partim per se ipsum; præcipuè Dalmatas, quo bello vulneratus fuerat. Altero die, de Cleopatrâ, apud Actium in Epiri litore, superatâ, deque Macedoniâ, anno U. C. 723. mense Septembri. Tertio de Ægypto, post necem Antonii et Cleopatræ, captamque Alexandriam; subactâ, anno U. C. 724. mense Sextili: unde Octavianus posteà, idemque mensis, Augusti nomine insigniti sunt, anno 727. Januar. mense.

715. *Dîs Italis votum immortale, &c.*] *Trecenta,* id est, multa templa quæ belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit, immortalia pietatis suæ monumenta. Ita enim Dio, l. 51. de iis quæ ab eo statim post triumphos edita sunt: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε τό τε Ἀθήναιον, καὶ, &c. *Deinde verò perfecit Minervæ templum —— et curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit: in eâque collocavit simulacrum victoriæ —— Tarento advectum, et spoliis Ægyptiis decoratum, Julii quoque herois sacrarium multis in eo suspensis donariis ex prædâ Ægyptiacâ exornavit. Multa etiam Jovi Capitolino, Junonique et Minervæ consecravit; cùm ex Senatusconsulto, omnia priùs eorum in templis suspensa ornamenta, tanquam contaminata, essent detracta.* De ludis et sacrificiis publicis, ejus in honorem, et Romæ et alibi institutis, multa addit De *delubris,* Æn. 2. 225.

Lætitiâ, ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hìc Nomadum genus, et discinctos Mulciber Afros,
Hìc Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ, et pontem indignatus Araxes.

*Viæ resonabant gaudio, et ludis ac plausu: chorus matronarum* erat *in omnibus templis, et altaria* in *omnibus; ante altaria mactati juvenci tegebant terram. Ipse* Augustus *sedens in niveâ portâ candidi Apollinis, considerat munera populorum et accommodat* ea *ad postes: nationes subactæ progrediuntur longâ serie, tam diversæ sermone, quàm more vestium et armis. Hìc Vulcanus sculpserat nationes Nomadum, et Afros discinctos: hìc Lelegas, et Caras, et Gelonos sagittis armatos. Euphrates fluebat jam mitior fluctibus, et Morini ultimi hominum, et Rhenus bicornis, et Dahæ* anteà *invicti, et Araxes impatiens pontis.*

NOTÆ.

720. *Candentis limine Phœbi.*] Templo Apollinis, quod jamdiu inchoatum in Palatio, tandem cum bibliothecâ dedicavit, anno U. C. 726. Nondum igitur perfectum erat triumphi tempore; sed poëta ob vicinitatem temporum utrumque conjungit. *Candentis Phœbi:* è candido marmore Pari insulæ: nam Plinius, l. 36. 5. ait Augustum in Palatinâ æde Apollinis posuisse signa, Bupali et Anthermi, Chiorum fratrum, opere perfecta: qui candido tantùm ac Pario marmore utebantur.

721. *Dona recognoscit populorum, &c.*] *Coronas aureas,* quas victoribus Romanis imperatoribus et sociæ et vectigales provinciæ gratulationis ergô mittebant; non verò victæ gentes ad redimendam vitam, ut fabulatur Servius. Tales juxta Livium Quinctius Flamininus prætulit in triumpho centum quatuordecim: Scipio Asiaticus ducentas triginta quatuor: Julius Cæsar juxta Appianum bis mille octingentas viginti duas. Coronarum loco pecunia deinceps ab imperatoribus exacta est, quod *aurum coronarium* dicebatur. Talem exegit Cæsar ab ipsâ urbe Româ, cùm ex Asiâ victo Pharnace rediisset: ex Dione, l. 42. Plerumque offerebantur deinde coronæ illæ Diis, præcipuè Jovi Capitolino: Cæsar suas post triumphum vendidit, confectamque inde pecuniam militibus distribuit. Octavianus, juxta Dionem, ex Italiæ civitatibus noluit accipere: alias, quas à sociis accepit, postibus templorum videtur appendisse, juxta Virgilium.

724. *Hìc Nomadum genus.*] Triumphos Octaviani describit, quâ in pompâ subactarum gentium captivi duces currum subsequebantur. I. *Nomadæ,* vel *Numidæ:* Africana gens, ad occidentem Carthaginis, quorum caput *Cirta,* nunc *Constantine:* ob pastoralem vitam ita dicti à νομὴ, *pastus.* II. *Afri discincti:* id est, vel *ignavi,* et labori minimè assueti; quia qui se ad opus parant, accingunt vestem altiùs: vel reverâ *fluentibus vestibus induti:* hunc enim fuisse habitum Afrorum innuit Milphio Plauti, sic Pœnum alloquens in Pœnulo Act. 5. sc. 2. v. 48. *Tu qui zonam non habes, quid in hanc venistis urbem, aut quid quæritis!* III. *Geloni:* populi, vel Scythiæ, vel Thraciæ, Geor. 1. 115. IV. *Lelegas:* vagi Asiæ minoris populi, qui ab Homero ad meridiem Æolidis circa sinum Adramyttenum collocantur: ab aliis cum Caribus confunduntur, aut eis ut socii permiscentur. V. *Cares,* regionem occupant Asiæ, ad meridem Ioniæ, ad occidentem Lyciæ, ad septentrionem Doridis, nunc *Aidinelli.* VI. *Morini* populi in eâ parte Belgicæ Galliæ quæ proximè ad Britanniam Magnam accedit, et ad fretum quo Britannicus oceanus cum Germanico committitur: unde *extremi dicuntur* in eâ parte: horum caput fuit Tarvanna, *Térouanne,* nunc diruta, in Picardiæ et Artesiæ confinio. De Morinis triumphavit Caius Carinus, eodem anno ac die quo primum triumphum duxit Octavianus. VII. *Daæ,* vel *Dahæ:* Scythicum genus dicuntur à Stephano: et à Pomponio Melâ collocantur in Asiâ; non longè à Scythis, circa Oxum fluvium: inter Bactrianos et Sogdianos: quod si ita est, fuerunt illi inter Augusti captivos cum Bactrianis Antonii sociis. VIII. *Euphrates,* fluvius Armeniam et Mesopotamiam alluens: de eo Geor. 1. 509. Quid apud illum gesserit Octavianus, Geor. 4. 561. IX. *Rhenus bicornis,* de eo Ecl. 10. 47. Hunc belli causâ trajecisse secundus Romanorum Agrippa dicitur à Dione, et triumphum tamen neglexisse, anno U. C. 717. X. *Araxes,* ex Armeniæ montibus per Mediam in mare Caspium influens, placido primùm fluxu; sed ubi in asperiora devenit, ingenti impetu ac fragore: ut habet Pomponius Mela, l. 3. 5. De ejus pontibus ita Servius: *Quem pontibus nixus est Xerxes conscendere: vel cui Alexander magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt: quem posteà Augustus firmiore ponte ligavit.* At de ponte quidem Alexandri loquitur Isidorus, l. 13. 21.

724. *Mulciber.*] Vulcanus, ita dictus à *mulcendo* ac temperando ferro.

Talia, per clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur: rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque et fata nepotum.

Æneas *admiratur in clypeo Vulcani talia munera matris* suæ: *et lætatur specie rerum* quas *ignorat, imponens humero et gloriam et famam posterorum.*

NOTÆ.

730. *Ignarus.*] Quamvis enim his imaginibus delectabatur, tamen quid illæ repræsentarent cognoscere non poterat.

---

## P. VIRGILII MARONIS

# Æ N E I D O S

## LIBER IX.

---

### ARGUMENTUM.

*ÆNEAS conquirendis auxiliis apud Arcadas ac Tuscos occupato, Turnus admonetur à Junone per Iridem, ut in castrensia novæ Trojæ munimenta impetum faciat. Trojanis ex Æneæ præscripto non egredientibus ad pugnam, Turnus eorum naves, oppidi lateri admotas, parat incendere; sed illæ, cùm ex Idææ sylvæ materiâ fabricatæ olim fuissent, Idææ matris beneficio mutantur marinas in Nymphas: tum nocte imminente, circa oppidum excubiæ disponuntur. Interim Trojani, de revocando per nuncios Æneâ soliciti, dum inter se consultant, Nisus et Euryalus, par nobile amicorum, ultrò suscipiunt hanc provinciam: laudati ab Ascanio, dimissique, cædem Rutulorum noctu magnam faciunt: eorumque spoliis induti dum pergunt porrò, à Latinis equitibus obviis occiduntur: capita hastis affixa, et in castris erecta agnoscuntur procul à Trojanis, et ingentem in oppido luctum excitant, præsertim matris Euryali. Turnus oppugnationem mane instaurat. Ascanius Numanum insolentiùs illudentem, emissâ è muris sagittâ configit. Quo successu elati Pandarus et Bitias portas recludunt, et Rutulos subeuntes magnâ strage propellunt. Turnus facto impetu tandem irrumpit, sed clausis portis, hostium multitudine circumventus, paulatim recedit in eam oppidi partem quam Tyberis alluebat; et, ut erat armatus, in flumen desiliens ad suos natatu revertitur.*

ATQUE ea diversâ penitùs dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno

INTERPRETATIO.

*Ac dum ista fiunt* in *regione longè remotâ, Juno filia Saturni misit è cœlo Irim*

NOTÆ.

1. *Diversâ parte.*] In Etruriâ, apud urbem Cære, Æn. 8. 479. De *Iride, Thaumantis filiâ*, Æn. 4. 700.

Audacem ad Turnum. Luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti Divûm permittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.
Æneas, urbe, et sociis, et classe relictâ,
Sceptra Palatini sedemque petivit Evandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes:
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus:
Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra.
Dixit, et in cœlum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fugâ secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repentè
Tempestas? medium video discedere cœlum,
Palantesque polo stellas: sequar omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus, ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans: oneravitque æthera votis.
Jamque omnis càmpis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictaï vestis, et auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrheidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice suprà est.
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus

*ad audacem Turnum. Turnus fortè quiescebat tunc apud sylvam Pilumni abavi,* in *valle sacrâ. Ad quem filia Thaumantis ita locuta est ore roseo: Turne, ecce tempus revolutum exhibuit sponte* id, *quod nullus Deorum auderet polliceri* tibi *cupienti. Æneas, relictâ urbe et sociis et navibus, adivit regnum et regionem Evandri Palatini. Nec* id *satis* est; *ivit ad ultimas urbes Corythi; et armat multitudinem Tyrrhenorum, rusticos congregatos. Quid deliberas? jam tempus* est *vocare equites et currus. Amputa omnem moram, et invade castra territa.* Sic *locuta* est, *et alis æqualibus extulit se ad cœlum, et* in *fugâ signavit magnum arcum sub nubibus. Juvenis* Turnus *agnovit eam, et porrexit ambas palmas ad astra, et prosecutus est abeuntem talibus verbis: O Iri, ornamentum aëris: quis misit te lapsam è nubibus* ad *me in terras? unde subitò hæc facies* cœli *tam splendida? cerno medium cœlum hiare, et sidera errantes cœlo. Parebo tantis monitis, quicumque* Deorum *hortaris me ad bellum. Atque ita locutus, progressus* est *ad fluvium, et extulit è superficie fluvii aquam, multa petens* à *Diis: et replevit cœlum votis. Et jam totus exercitus procedebat agris patentibus, frequens equis, abundans vestibus versicoloribus et auro. Messapus regit prima agmina, filii Tyrrhei ultima: Turnus rex excurrit* in *medio exercitu, attollens arma, et excedit* alios *toto capite. Veluti profundus Ganges crescens cum silentio septem*

## NOTÆ.

3. *Parentis Pilumni.*] At Pilumnus dicitur Æn. 10. 76. Turni *avus;* ibid. 619. Turni *quartus pater*, id est, *abavus*. Igitur vel *parens* sumitur hìc generatim, quomodo dicimus, *parentes majoresque*, quocunque gradu distent à nobis: vel, ut ait Servius, *Pilumnus* commune fuit familiæ cognomen, à primo Pilumno derivatum in posteros, ut Cæsarum à primo Cæsare. Sto in primâ sententiâ: quia solus Pilumnus, caput gentis, Deus habitus est, ut locis illis videbimus; ideóque luco seu sylvâ sacrâ donatus.

4. *Sedebat.*] Vel *feriabatur* ad ejus tumulum: scripsit enim Cicero, De Leg. l. 2. 55. *Danicalibus feriis resideri mortuos.* Ita Turnebus. Vel simpliciter *otiabatur.* Ita Donatus. Vel *deliberabat* secum de rerum suarum statu.

9. *Palatini, &c.*] De *Evandro, Palatini* montis incolâ, Æn. 8. 51. In eo monte deinde structa est Roma, in eo Romulus unam è pluribus suis habuit domum, Cæsar quoque Octavianus habuit suam: unde imperatorum ædes, ubicunque essent, *palatia* vocata sunt.

10. *Corythi, &c.*] Urbs est Tusciæ, à Corytho rege fundata, nunc *Cortona*, Æn. 3. 170. De *Lydis*, Tusciæ colonis, ibid. 2. 781. De Lydiâ, ibid. 8. 479.

13. *Castra.*] Novam Trojam, tumultuario opere munitam ab Æneâ, ad ostium orientale Tyberis, Æn. 7. 157.

23. *Hausit de gurgite lymphas.*] Ut lotis manibus puriùs precaretur. Sic Æneas, Æn. 8. 69. De genitivo *pictaï*, ibid. 3. 354. De *Messapo*, ibid. 7. 691. De *Tyrrheo*, et ejus filiis, ibid. 483.

30. *Ceu septem surgens, &c.*] *Ganges*, fluvius mediam Indiam intersecans, ac duas in partes dividens: influens in Oceanum meridionalem uno quidem ostio: sed cui tam multæ objacent insulæ, ut ostium illud insulis intercisum, multiplex dici possit. Nili modo exundare certis temporibus dicitur apud Solinum, c. 55. De *Nilo*, ejus-

Per tacitum Ganges: aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hìc subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversâ conclamat mole Caïcus:
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atrâ?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest, eja. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas: Si qua intereà fortuna fuisset;
Ne struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modò et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat;
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis expectant turribus hostem.
  Turnus, ut antevolans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus; et urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristâque tegit galea aurea rubrâ.
Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hostem?
En! ait: et jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ: et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono. Teucrûm mirantur inertia corda:
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros; sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
  Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super mediâ: tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et improbus irâ
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi

*fluviis placidis: aut* veluti *Nilus fœcundis aquis, quando refluit* ex *agris, et jam inclusit se* suo *alveo. Tunc Trojani procul vident nimbum repentinum colligi* ex *obscuro pulvere, et caliginem induci in agros. Primus Caïcus vociferatur ex aggere opposito: O cives! quantus globus nigræ caliginis accedit* ad nos? *afferte arma celeres, date spicula, conscendite mœnia: hostis instat, agite. Omnes Trojani* cum *magnâ vociferatione includunt se intra portas, et replent munimenta. Quippe Æneas peritissimus militaris* rei *sic abiens jusserat: Si casûs aliquis* ejusmodi *contingeret, interim* dum aberat; *ne auderent ordinare exercitum, néve committere in campum; tantummodo tuerentur castra et muros defensos munimentis. Itaque, licèt pudor et furor hortentur* eos *conserere manus: tamen opponunt portas, et exsequuntur mandata Æneæ, et armati exspectant hostem in mediis turribus. Turnus, cùm antè currens prægressus esset lentiorem turmam, stipatus viginti equitibus electis; ita accessit ad urbem inexspectatus: Thracius equus maculosus albo fert eum, et cassis aurea inumbrat cristis rubris. O juvenes, inquit, quis erit vestrûm, qui primus in hostem* irruet *mecum? ecce! Sic* ait, *et evibrans jaculum projicit in aërem,* quasi *initium prælii: et altus immittit sese in campum* junctum urbi. *Socii succedunt* ei cum *clamore, et sequuntur ululatu terribili. Mirantur desides animos Trojanorum: homines* illos *non exhibere se in æquam planitiem, non inferre arma opposita; sed insidere castris.* Turnus *iratus huc et illuc circuit equo muros, et vestigat ingressum per* loca *inaccessa. Et veluti quando lupus sub mediam noctem insidians ovili pleno, frendet prope septa, passus ventos et pluvias:* tunc *agni securi sub matribus emittunt balatum: ille* verò *acer et percitus irâ furit adversùs absentes: furor edendi*

## NOTÆ.

que septem ostiis, et beneficâ exundatione. Geor. 4. 287. Comparat igitur Virgilius Turni exercitum è multis Italiæ populis, qui priùs dispersi per agros vagabantur, nunc in unum collecti instructâ acie incedunt non sine majestate et silentio, cum his duobus fluviis, non exundantibus quidem, sed post exundationem è campis in alveum refluentibus. Quidam voces illas, *septem surgens sedatis amnibus:* non de septem ostiis, quibus Ganges descendit potiùs in mare, quàm *surgit;* sed meliùs explicant de fluviis compluribus, qui in eam influunt, et quorum societate intumescit ac verè *surgit;* quo sensu *septem,* erit pro incerto quolibet numero, qui sæpe à poëtis per *septenum* aut *centenum* exprimitur.

49. *Thracius.*] De *equo* ejusdem modi, Æn. 5. 566. De *Thraciâ* equorum ferace, ibid. 3. 14. De *cristis galearum,* ibid. 3. 468.

56. *Æquo campo.*] Vel *plano:* vel potiùs, *ubi pari periculo, pari pugnæ modo,* decertare possent. De verbo *lustro,* pro *circumeo,* Æn. 1. 608.

60. *Caulas.*] *Caula,* stabulum ovium, è Græco αὐλή.

63. *In absentes.*] In agnos à seipso per septa disjunctos.

Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
Ignescunt iræ, et duris dolor ossibus ardet:
Quâ tentet ratione aditus; et quâ via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circùm et fluvialibus undis,
Invadit: sociosque incendia poscit ovantes:
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum verò incumbunt: urget præsentia Turni,
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis Deus, ô Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite: prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primùm Phrygiâ formabat in Idâ
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat:
Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua chara parens domito te poscit Olympo.
Pinea sylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summâ, quo sacra ferebant,
Nigranti piceâ trabibusque obscurus acernis.
Has ego Dardanio juveni, cùm classis egeret,
Læta dedi: nunc solicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem:
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contrà, torquet qui sidera mundi:
O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?
Mortalíne manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas? Cui tanta Deo permissa potestas?
Imò, ubi defunctæ finem portusque tenebunt

*auctus ex longo* tempore, *et guttur sitiens sanguinis vexat* eum. *Non aliter furor inflammatur Rutulo, consideranti muros et castra, et indignatio augescit in ossibus duris: quomodo quærat ingressum: et quâ* parte *via* aliqua *extrahat* ex *aggere Trojanos inclusos, et inducat* eos *in planitiem. Impugnat classem circùm defensam munimentis, et aquis fluvialibus, quæ latebat admota lateri castrorum: et vocat ad incendium socios gaudentes, et* ipse *ardens armat manum pinu flammanti. Tunc autem dant se* operi: *præsentia Turni incitat* eos, *omnis juventus armatur nigris facibus. Rapuerunt* titiones *è focis: tæda fumifera emittit ad sidera lucem piceam, et ignis mixtam favillam. O Musæ, quis Deus adduxit à Trojanis incendia tam crudelia? quis depulit tantas flammas à navibus? dicite* hoc: *antiqua* est *certitudo* hujus *facti, tamen fama* ejus est *æterna. Tempore quo Æneas primùm struebat naves in Idâ* monte *Phrygiæ, et parabat* se *ad eundum* in *extrema* spatia *maris: ipsa Berecynthia mater Deorum dicitur allocuta magnum Jovem his verbis: O fili, concede* matri *precanti, quod dilecta mater tua petit* à *te* post *cœlum subactum. Sylva pinea chara per multos annos fuit mihi, lucus in supremo vertice, umbrosis piceis opacus et truncis acernis: quem* in locum *inferebant sacrificia. Ego læta concessi has* arbores *Trojano juveni, quando indigebat navibus: nunc metus anxius habet me solicitam. Expelle timores* meos, *et permitte matrem hoc posse precibus* suis: *ne* naves illæ *deficiant, fractæ ullâ navigatione aut vi ventorum: prosit* ipsis, eas *natas* esse *in montibus nostris. Filius, qui volvit astra mundi* respondet *illi ex adverso: O mater! quò vertis fata, aut quid rogas his* verbis? *an naves fabricatæ manu mortali obtinebunt jus immortalitatis? et Æneas securus adibit pericula dubia? cui Deo concessa* est *tanta facultas?* ego *potiùs quondam, postquam functæ* iis periculis *attigerint terminos et portus Italos:*

NOTÆ.

68. *In æquor.*] In campum, Æn. 2. 780.

70. *Aggeribus, &c.*] Situm describit novæ Trojæ, Æn. 7. 157. De *aggere*, infrà, v. 142.

75. *Focos.*] Quos excitaverant, ad accendendas arbores pinguis naturæ; quales sunt pinus, tæda, Eclog. 7. 49. Tamen tæda pro quâlibet face sumi potest. De *Vulcano* pro igne, Geor. 1. 295.

79. *Prisca fides, sed, &c.*] Etsi factum ob vetustatem multis subobscurum sit; fama tamen ejus non periit, sed vigebit semper. De *Idâ*, Troadis monte, Æn. 2. 801. De *navibus Æneæ*, ibidem structis ad fugam, ibid. 3. 6. De *Berecynthiâ*, Cybele, ibid. 6. 784. De *arce*, pro montis cacumine, Geor. 4. 461. *Picea*, arbor resinam ferens, Geor. 2. 257. *Trabes acernæ*, ex acere arbore, *érable*, MAPLE.

Ausonios: olim quæcunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva;
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse Deas: qualis Nereïa Doto,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum, Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atrâque voragine ripas,
Annuit: et totum nutu tremefecit Olympum.
  Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita complêrant: cùm Turni injuria matrem
Admonuit sacris ratibus depellere tædas.
Hìc primùm nova lux oculis effulsit, et ingens
Visus ab Aurorâ cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Néve armate manus: maria antè exurere Turno
Quàm sacras dabitur pinus: Vos, ite solutæ,
Ite, Deæ pelagi: genitrix jubet. Et sua quæque
Continuò puppes abrumpunt vincula ripis:
Delphinûmque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur,
Quot priùs æratæ steterant ad litora proræ.
Obstupuere animis Rutuli: conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tyberinus ab alto.
  At non audaci cessit fiducia Turno;
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò:
Trojanos hæc monstra petunt: his Jupiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, neque ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,

*quæcunque evitaverit fluctus, et tulerit principem Trojanum* ad *campos Laurentes:* huic *auferam speciem mortalem, et imperabo* has *esse Deas vasti maris: qualis Doto filia Nerei, et Galatea scindunt pectore mare spumosum.* Sic *locutus erat, et id voluit* esse *certum, per fluvios fratris inferni, per ripas fluentes pice et nigro vortice: et commovit nutu totum cœlum. Ergo promissa dies advenerat, et Parcæ consummaverant tempus constitutum: quando impugnatio Turni movit matrem* Berecynthiam, ut *averteret faces à navibus* sibi *sacris. Tunc primùm novum lumen illuxit oculis* Trojanorum, *et magna nubes visa* est *ab oriente trajicere cœlum, et* simul *chori Idæi: deinde vox terribilis emittitur per aërem, et implet turmas Trojanorum ac Rutulorum: O Trojani, ne properate tueri meas naves, et ne armate manus* vestras: *priùs permittetur Turno succendere mare, quàm pinus* mihi *dicatas. Vos ite liberæ, ite Nymphæ maris: mater* Deorum *id imperat. Et statim singulæ naves abscindunt suos funes è litoribus; et more delphinorum mersis rostris quærunt profundum mare. Deinde (prodigium admirabile) referunt se totidem vultus puellares, et currunt mari; quot æratæ naves anteà hæserant ad litora. Rutuli animo horruerunt: ipse Messapus territus* est *equis commotis: fluvius quoque Tyberinus sistit raucum immurmurans, et refert cursum à mari. Non tamen repressa est confidentia Turni audacis. Ultrò excitat verbis animos* suorum, *et ultrò* eos *objurgat: Hæc prodigia spectant Trojanos: ipse Jupiter aufert illis subsidium consuetum:* naves *non exspectant arma nec incendia Rutulorum. Itaque mare jam impenetrabile* est *Trojanis, nec ulla spes fugiendi* superest ipsis: *pars altera mundi ablata est* ipsis: *terra verò* est *in potestate nostrâ: tam multa* sunt *millia nationum Italarum* quæ *inferunt* iis *bellum. Nullatenus terrent me fatalia*

## NOTÆ.

99. *Ausonios, &c.*] Æn. 7. 54. *Dardanium ducem,* Æn. 1. 235. *Laurentia arva,* ibid. 7. 63. *Doto, Galatea:* Nymphæ marinæ, Nerei filiæ: Ecl. 7. 37. De *Styge* fluvio, et cur Dii *per Styga jurare* soleant, Geor. 3. 551. De *Olympo,* Ecl. 5. 56. De *Parcis,* Æn. 1. 22.

112. *Idæique chori.*] *Corybantes, Curetes, Dactyli,* Cybeles ministri: qui cymbalis æreis eâ in nube circa Cybelem perstrepebant, Æn. 3. 111

114. *Ne trepidate.*] Vox illa non semper metum solum significat; sed festinationem ac tumultuationem; ut patet ex Geor. 4. 69. De *Delphinibus,* Æn. 5. 594. De *proris navium æratis,* ibid. 3. 143. De *Tyberino,* Deo fluvii, ibid. 8. 31.

130. *Rutulos.*] Æn. 7. 794. De *Teucris,* ibid. 1. 235.

131. *Rerum pars altera.*] Inferioris orbis, qui ex aquâ et terrâ conglobatur.

Si qua Phryges præ se jactant, responsa Deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigere quòd arva
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt et mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge præreptâ. Nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est? peccare fuisset
Antè satis, penitùs modò non genus omne perosos
Fœmineum. Quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos: an non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu, considere in ignes?
Sed vos, ô lecti: Ferro quis scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protinùs omnes
Etrusci socios: tenebras et inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæcâ condemur in alvo.
Luce palam certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasgâ
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei:
Quod superest, læti benè gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.
  Intereà vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,

*oracula Deorum, si Trojani prædicant aliqua pro se: satisfactum est fatis et Veneri, ex quo Trojani attigerunt agros fœcundæ Italiæ: sunt quoque mihi fata mea adversùs* illa nempe *evertere bello gentem impiam,* si quidem *erepta* est mihi *sponsa. Nec ista indignatio movet solos filios Atrei, aut licitum est solis Mycenis sumere arma. At* nonne *satis est* iis *semel periisse? satis esset, non adhuc omnino abhorrentibus à muliebri genere, peccâsse priùs.* Illi, *quibus hæc tutela aggeris interjecti, et fossæ* nos *remorantes,* quæ *parùm disterminant* eos *à morte, augent audaciam: nonne viderunt muros Trojæ, structos manu Neptuni, collabi in flammas? at vos, ô selecti* socii, dicite: *Quis parat evertere ferro vallum, et quis impugnat mecum castra timida? non est opus mihi contra Trojanos armis Vulcani, non mille navibus: statim adjungant se* illis *omnes Tusci socios: ne metuant noctem, et ignavum furtum Palladii, occisis custodibus supremæ arcis: nec occultabimur in obscuro utero equi. Ratum est cingere muros ignibus palam* de *die. Faciam ne existiment sibi negotium esse cum juventute Pelasgâ et Achivis, quos Hector protrâxit* usque *ad decimum annum. Jam verò, siquidem optima pars diei lapsa est: quod restat, ô viri, re feliciter inchoatâ, reficite hilares corpora, et parati exspectate prælium. Interim committitur Messapo cura collocandi ad portas stationes vigilum, et circumdandi munimenta ignibus. Quatuordecim Rutuli electi* sunt *qui observent muros cum militibus:*

## NOTÆ.

134. *Phryges.*] Trojani, qui per contemptum sic appellabantur, ob Phrygum mollitiem, Æn. 1. 381.

138. *Atridas.*] Atrei, Mycenarum regis filios: *Agamemnona,* Æn. 3. 54. et *Menelaum,* ibid. 2. 264. Qui ob raptam à Paride Trojano Helenam, Menelai conjugem, Græciam universam in Trojanos concitârunt. De *Mycenis,* Peloponnesi urbe, ibid. 1. 284.

140. *Sed periisse semel, &c.*] Concisa admodum sententia, ideoque subobscura: quæ juxta traditam interpretationem sic fusiùs explicari potest. *Nonne sufficit ipsis jam semel periisse propter amorem fœminarum?* certè quicunque alii nondum odissent penitùs omne genus fœmineum; iis satis fuisset peccare priùs: id est, *satis esset peccâsse priùs;* sive satis esset memoriâ prioris peccati et pœnæ, ut ab amore fœminarum averterentur: non iterùm idem peccarent, et novam sibi perniciem accerserent.

142. *Valli.*] Dicitur *vallum* et *vallus. Vallum,* munimentum est; ex aggestâ terrâ, quæ propriè *agger* dicitur; et sudibus, sive palis, qui propriè dicuntur *valli,* quibus terra aggesta cohibetur. De *Trojæ muris à Neptuno fabricatis,* Æn. 2. 619.

148. *Armis Vulcani.*] Duo videtur dicere; et se non egere armis à Vulcano fabricatis, qualia Achilles habuit, Æn. 8. 383. nec se usurum proprio ense, quem habuit ipse Turnus, à Vulcano item conflatum, ibid. 12. 90. De *mille carinis,* Græcorum ad Trojam, ibid. 2. 198. De *Etruscis,* ibid. 8. 479. De *nocturno furto Palladii* Trojani, facto ab Ulysse et Diomede, ibid. 2. 166. De *equo Trojano,* et Græcis eo inclusis, ibid. 2. 260. De *Danais,* ibid. 8. 30. De *Pelasgis,* Thessalis, ibid. 628. De *Hectore,* Priami filio, ibid. v. 487.

Delecti: ast illos centeni quemque sequuntur,
Purpurei cristis juvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super è vallo prospectant Troës, et armis
Alta tenent; necnon trepidi formidine portas
Explorant, pontesque et propugnacula jungunt:
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis:
Et juxtà comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadûm, Trojana nec induit arma;
Ora puer primâ signans intonsa juventâ.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Dii-ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placidâ contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno vinoque soluti
Procubuere: silent latè loca. Percipe porrò
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Æneam acciri omnes, populusque, patresque,
Exposcunt: mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt: (nam mihi facti

*illos verò singulos sequuntur centum juvenes purpurati cristis et fulgentes auro. Divagantur, et succedunt* sibi *invicem, et projecti in gramina vacant compotationi, et exhauriunt pocula ærea. Micant ignes: vigiles transigunt noctem insomnem ludendo. Trojani prospiciunt ista desuper ex aggeribus, et servant armis summas* partes murorum: *præthereà pavidi metu circumspiciunt portas, et firmant pontes ac propugnacula:* habent *arma expedita. Urgent Mnestheus et ardens Serestus: quos pater Æneas, si res adversæ aliquando* id *exigerent, jusserat esse moderatores juvenum et administros rerum. Quodlibet agmen, per sortem* exponens *se periculo, excubat per muros, et variat vices,* secundùm id *quod unicuique* contigit *servandum. Nisus, filius Hyrtaci, ardentissimus* in *bello, quem Ida venatrix dederat Æneæ comitem, promptum jaculo et sagittis levibus, erat custos portæ: propè* erat *Euryalus, quo nullus alius Trojanorum formosior fuit, nec tulit arma Trojana; puer notans vultum imberbem primâ juventute. Erat illis amor mutuus, et simul* solebant *currere ad pugnam: tunc etiam servabant portam communibus excubiis. Nisus dixit: Euryale, an Dii immittunt animis hunc ardorem? an sua cupido ardens fit unicuique Deus? jamdiu animus suggerit mihi aggredi, aut certamen, aut aliquid magnum; nec contentus est* hoc *otio tranquillo. Vides, quæ confidentia rerum occupet Rutulos: ignes rari splendent; jacuerunt labefacti somno et vino: loca* omnia *undique silent. Adverte porrò quid mediter, et quod consilium suboriatur animo* meo. *Omnes, et plebs, et proceres, petunt revocari Æneam: et mitti homines, qui referant certa* de eo. *Si pollicentur* se daturos *tibi* ea *quæ peto (nam gloria facti sufficit mihi)*

## NOTÆ.

165. *Crateras.*] De iis poculis, Ecl. 5. 68.

170. *Pontes et propugnacula.*] Pontes, et scalas, quibus turres et munimenta inter se committebantur, ut possent obsessi discurrere. De *legione,* Geor. 2. 279.

177. *Ida Venatrix.*] Vel mater Nisi nomine *Ida;* vel mons *Ida,* Æn. 2. 801. quæ dicitur *venatrix,* quia venatoribus frequens: ut Geor. 3. 44. *Domitrix Epidaurus equorum.*

181. *Primâ juventâ.*] *Lanugine,* quæ primæ juventutis indicium est.

185. *An sua cuique, &c.*] An verò unusquisque, id quod valdè vult, divino impulsu se sibi fingit velle?

191. *Quid dubitem.*] *Quid mediter, quid deliberem facere;* omnis enim deliberatio cum dubitatione conjuncta est.

194. *Si tibi, quæ posco, promittunt.*] Hic torquent se interpretes levi de causâ. Sensus est: *Si tibi tribuunt mercedem, quam sum petiturus;* idque ait, ex amicorum ingenio, qui sibi unis periculosa, amicis commoda quærunt. Hoc manifestum est ex iis quæ sequuntur: *nam mihi facti fama sat est.* Opponit enim famam commodis. De *Pallanteâ urbe,* Evandri regiâ, Æn. 8. 51.

Fama sat est,) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et mœnia Pallantea.
  Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:
Me-ne igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi,
Magnanimum Ænean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemptor; et istum
Qui vitâ benè credat emi, quò tendis, honorem.
  Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas: non; ita me referat tibi magnus ovantem
Jupiter, aut quicunque oculis hæc aspicit æquis.
Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)
Si quis in adversum rapiat casusve Deusve,
Te superesse velim: tua vitâ dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugnâ, pretiove redemptum,
Mandet humo solitâ; aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris:
Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa,
Prosequitur; magni nec mœnia curat Acestæ.
  Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit:
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat: illi
Succedunt, servantque vices: statione relictâ
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
  Cætera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas, et corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, et delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant:
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes,

*videor posse invenire juxta illum collem iter ad urbem et munimenta Pallantei. Euryalus stupefactus est, percitus magnâ cupiditate gloriæ* talis: *simul alloquitur ferventem amicum his* verbis: *An ergo, Nise, renuis me admittere socium* in *tantis rebus? an dimittam te solum in tantum periculum? Opheltes pater* meus *assuetus armis, non sic instituit me, educatum inter motus Græcorum et bella Trojæ; nec feci tecum talia,* ex quo *sequor generosum Æneam et fortunam ultimam. Est sanè, est animus hic* meus *negligens vitæ; et qui putet istam gloriam,* ad *quam aspiras, benè comparari* dispendio *vitæ. Nisus* respondet *ad ista: Sanè nihil tale timebam de te, nec licebat timere: non* sanè: *sic magnus Jupiter, aut quisquis Deus considerat justis oculis hæc* nostra, *reducat me tibi victorem;* ut verum dico. *At si aliqua (cujusmodi prævides plurima in tali periculo) si aliqua, aut fortuna, aut Deus, deducat me in* aliquam *calamitatem: optarem te restare, tua ætas dignior* est *vitâ. Sit* aliquis, *qui* de *more committat terræ me, subductum è prælio, aut redemptum pecuniâ: aut, si aliqua fortuna id prohibeat,* sit aliquis, qui *persolvat* mihi *absenti justa, et ornet* me *tumulo. Ne verò sim auctor tanti luctûs infelici matri* tuæ; *quæ audax è plurimis matribus sola sequitur te, ô puer; nec curat urbem magni Acestæ. Ille verò respondet: Frustrà colligis falsos prætextus: nec meum consilium jam mutatum movetur loco* suo: *properemus. Simul expergefacit excubitores: illi succedunt, et tuentur* portas *ordine* suo. *Ipse* Euryalus *relictis excubiis, incedit comes Niso, et adeunt regem. Animalia reliqua per omnes regiones solvebant somno curas et animos immemores laborum. Primi duces Trojanorum et juvenes lecti habebant deliberationem de maximis negotiis regni: quid agerent, aut quis jam iret nuncius* ad *Æneam. Stant nixi longis hastis, et tenentes clypeos,*

## NOTÆ.

202. *Argolicum.*] Græcum, ab urbe *Argis*, Æn. 1. 284.

207. *De te nil tale verebar.*] Nil tale de te timebam, quale suspicaris: nempe ne timidus esses, cùm inter bella natus et educatus sis, &c.

213. *Raptum pugnâ, &c.*] Sic Antigone cadaver Polynicis fratris è pugnæ campo clam eripuit. Et Priamus cadaver Hectoris filii magnis muneribus ab Achille redemit ad sepulturam.

215. *Absenti ferat, &c.*] Si cadaver meum haberi non possit, saltem honorarium mihi sepulchrum struat, Æn. 3. 304. *inferatque* sepulchro dona, quæ ideo *inferiæ* dicuntur: aquam, lac, mel, vinum, sanguinem, et aliquando etiam exsectos capillos, Æn. 3. 62.

218. *Mœnia Acestæ.*] Urbem apud Siculos conditam Trojanis mulieribus, et regi Siciliæ Acestæ commendatam, Æn. 5. 755.

Castrorum et campi medio. Tum Nisus, et unà
Euryalus, confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iülus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tunc sic Hyrtacides: Audite, ô mentibus æquis
Æneadæ: néve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque sepulti
Conticuere: locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. Si fortunâ permittitis uti:
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hìc cum spoliis, ingenti cæde peractâ,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu assiduo, et totum cognovimus amnem.
Hìc annis gravis atque animi maturus Alethes:
Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos juvenum et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et vultum lacrymis atque ora rigabat.
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primùm
Dî moresque dabunt vestri: tum cætera reddet
Actutùm pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immò ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracique Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Obtestor: quæcunque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis: revocate parentem,
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devictâ genitor quæ cepit Arisbâ:

in *medio castrorum et campi. Tunc subitò Nisus et Euryalus simul rogant admitti: rem* esse *magnam, et fore utilitatem* in *morâ. Iülus primus excepit festinantes, et imperavit Nisum loqui. Tunc sic* ait *filius Hyrtaci. O Trojani, audite animis benevolis: et ne ista, quæ proponimus, æstimentur ex ætate nostrâ. Rutuli, obruti somno et vino siluerunt: vidimus ipsi locum occultæ* fugæ, *qui apertus est juxta bivium portæ, quæ vicina* est *mari. Ignes rari, et niger fumus tollitur ad astra. Si sinatis* nos *uti* hâc *fortunâ: videbitis Æneam, quæsitum* à nobis *ad urbem Pallanteum, hìc præsentem fore cum spoliis, patratâ magnâ strage. Nec via* illa *nos decipiet euntes: consideravimus frequenti venatione vicinam* illam *urbem inter valles opacas, et exploravimus totum fluvium. Tunc Alethes gravis ætate et prudens mente* ait: *O Dii patrii, quorum sub potestate Troja est, non tamen vultis evertere penitùs Trojanos, quandoquidem dedistis* illis *tales animos juvenum, et tam firma corda. Sic loquens, amplectebatur manus et humeros utriusque, et irrorabat os et faciem fletu. O viri, quam mercedem, quam dignam* mercedem *putem posse retribui vobis pro talibus cœptis? primò Dii et virtus vestra reddent vobis pulcherrimam: deinde pius Æneas statim retribuet reliquam: et Ascanius* adhuc *vigens ætate, nunquam* futurus *immemor tanti officii. Ego verò, addit Ascanius, cujus unica salus est* in *patre revocato, vos precor, ô Nise, per magnos Penates, et per Larem Assaraci, et per adyta candida Vestæ: quæcunque est mihi felicitas et fiducia,* hanc *depono in sinus vestros: revocate patrem* meum, *reddite* mihi *præsentiam* ejus: *nihil funestum* erit *illo recuperato. Donabo* vobis *duo pocula conflata argento et insculpta signis, quæ pater cepit captâ Arisbâ:*

## NOTÆ.

232. *Pretiumque moræ fore.*] Se quidem interrumpere consilia, quæ tum habebantur, iisque moram afferre; sed utilitatem aliquam in hâc morâ esse futuram.

233. *Trepidos.*] Festinantes, suprà, v. 114. De *Rutulis*, Æn. 7. 749. De *Pallanteâ urbe*, ibid. 8. 51.

244. *Primam sub vallibus urbem.*] Vicinas urbis Pallanteæ valles, qui primi sunt urbis veluti aditus: urbs enim ipsa erat in monte. De *Teucris*, Æn. 1. 235.

254. *Dî moresque, &c.*] Nam virtus et rectè factorum conscientia sibi ipsa præmium est, Æn. 1. 603.

258. *Penates, Assaracique, &c.*] *Penates*, et *Lar*, Dii domestici. *Vesta*, Dea igni inexstincto præsidens. *Assaracus* familiæ caput, Trois filius; Æneæ proavus, Æn. 1. 284. Hunc versum jam explanavimus, Æn. 5. 744.

264. *Arisbâ.*] Urbe Troadis, à Trojanis expugnatâ paulò ante bellum Græcum, circa Abydum et Lampsacum, Propontidem versùs, ex Strabone, lib. 13.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si verò capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori, et prædæ ducere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis,
Aureus? ipsum illum clypeum cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Prætereà bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma:
Insuper, id campi quod rex habet ipse Latinus.
Te verò mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, et comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantùm fortuna secunda,
Haud adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genitrix Priami de gente vetustâ
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc, ignaram hujus quodcunque pericli est,
Inque salutatam linquo: Nox, et tua testis
Dextera, quòd nequeam lacrymas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnes. Perculsâ mente dederunt
Dardanidæ lacrymas; ante omnes pulcher Iülus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genitrix, nomenque Creüsæ
Solum defuerit? nec partum gratia talem
Parva manet; casus factum quicunque sequetur.
Per caput hoc juro, per quod pater antè solebat:

*et duos tripodas, duo magna talenta auri: magnum craterem, quem Dido Sidonia dedit* mihi. *Si autem acciderit* mihi *victori domare Italiam, et consequi regnum, et trahere sortem spoliorum: vidisti, quo equo et quibus in armis Turnus ibat aureus? ego eximam è sortitione illum eundem clypeum, et cristas rubras,* quæ *jam nunc* est *tua merces, ô Nise. Insuper pater* meus *donabit duodecim electa corpora matrum* captivarum, *et captivos* totidem *et iis omnibus arma propria: prætereà, quicquid agrorum possidet ipse rex Latinus. Te autem, ô venerande juvenis, cui ætas mea succedit spatio viciniore, jam excipio* te *toto sinu, et adjungo socium in omnes eventus. Nullus honos acquiretur meis rebus sine te, sive faciam pacem, sive bella: committam tibi supremam* curam *agendi et dicendi. Ad quem Euryalus respondet talia: Me nulla dies ostendet degenerem à tam audacibus cœptis: tantummodò contingat* mihi *sors prospera, non funesta. At peto à te* rem *unam magis* quàm *cætera munera: est mihi mater ex antiquâ stirpe Priami, quam, nec Trojana tellus, nec urbs regis Acestæ, impedivit infelicem,* quò minùs *abiret mecum. Ego desero nunc illam, insciam hujus discriminis qualecunque est, et insalutatam: testor Noctem et dexteram tuam, quòd non possum tolerare fletus matris. Sed tu, precor, solare egentem, et subveni derelictæ: permitte me exportare* hinc *hanc spem de te: curram audacior in omnia pericula. Trojani commotis mentibus effuderunt lachrymas; præ cæteris formosus Ascanius, et specimen charitatis* erga *parentes perculit ejus animum. Deinde ita loquitur: Promitto omnia digna magnis tuis inceptis: quippe illa mihi erit mater, et nomen Creüsæ tantummodò deerit: nec levis favor debetur* ipsi, quòd pepererit *talem* filium; *quicunque eventus sequatur* hoc *factum. Juro per hoc caput* meum, *per quod pater meus consueverat* jurare:

NOTÆ.

265. *Tripodas, &c.*] De iis et eorum usu apud antiquos, Æn. 5. 110. De *talentis aureis,* Æn. 5. 112. De *cratere,* Ecl. 5. 68. De *Sidoniâ Didone,* Æn. 1. 446.

274. *Id campi quod, &c.*] Non totum quidem Latini regnum: sed agros qui erant in privatis Latini bonis: quales, honoris causâ, respublica regibus dabat. Sic agrum deinde habuit Tarquinius superbus Romæ in Campo Martio.

283. *Haud adversa.*] Ita reponimus ex Heinsio; sensu facili: cùm anteà legeretur, *aut adversa;* nullo, aut perquàm obscuro sensu. De *urbe Acestæ,* in Siciliâ, Æn. 5. 755.

297. *Creüsæ.*] Matris Ascanii, de quâ, Æn. 2. 772.

300. *Per quod pater, &c.*] Caput intelligit suum, quod ut sibi carissimum attestari solebat Æneas *antè,* id est, vel *olim,* Trojæ, cùm Ascanius puer esset: vel *priusquam* abiret ad Evandrum. Caput enim quasi sacrum reverebantur veteres; unde per illud jurabant.

Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illacrymans: humero simul exuit ensem
Auratum, mirâ quem fecerat arte Lycaon
Gnossius, atque habilem vaginâ aptârat eburnâ.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Alethes.
Protinùs armati incedunt, quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis: necnon et pulcher Iülus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
  Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt: multis tamen antè futuri
Exitio. Passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos litore currus,
Inter lora rotasque, viros: simul arma jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextrâ: nunc ipsa vocat res.
Hâc iter est: tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, et consule longè.
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit: simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Exstructus, toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres juxtà famulos temerè inter tela jacentes,
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra torique madent: necnon Lamyrumque Lamumque
Et juvenem Serranum; illâ qui plurima nocte

eadem illa *quæ promitto tibi redeunti et* post *rem feliciter* gestam; *eadem illa servabuntur tuæ matri et familiæ. Sic dixit plorans: et simul extrahit ex humeris gladium auratum, quem Lycaon Gnossius fecerat mirâ industriâ, et incluserat accommodum* in *vaginâ eburneâ. Mnestheus donat Niso vellus et spolium hispidi leonis: fidelis Alethes mutat* cum eo *cassidem. Continuò progrediuntur armati: quos abeuntes omnis turba procerum et juvenum et senum comitatur votis* usque *ad portas: prætereà etiam formosus Ascanius,* præ se *ferens animum et solicitudinem virilem ante ætatem, dabat* ipsis *mandata plurima perferenda ad patrem: sed venti dissipant omnia, et spargunt* illa *inania per nubes. Egressi transiliunt fossas, et per tenebras noctis tendunt* ad *castra hostilia; priùs tamen futuri exitio plurimis. Aspiciunt corpora projecta promiscuè inter gramina* per *somnum et vinum: currus erectos in litore: homines inter habenas et rotas; arma simul jacere, simul vina. Filius Hyrtaci primus sic ore dixit: Euryale, tentandum* est aliquid *manu: jam res ipsa* nos *invitat. Iter* nostrum est *per hanc* partem: *tu observa, ne ulla turma possit assurgere* contra *nos à tergo, et provide procul. Ego vastabo ista* loca, *et ducam te* per *spatiosam viam. Sic loquitur, et cohibet vocem:* et *continuò invadit ense gloriosum Rhamnetem, qui fortè exhalabat somnum toto pectore, suffultus altis stragulis: idem rex et augur dilectissimus Turno; sed non potuit avertere mortem divinatione. Opprimit prope* illum *tres ministros promiscuè stratos inter arma, et armigerum Remi, et aurigam, reperiens* eum *sub ipsis equis, et abscindit gladio colla pendula. Deinde amputat caput* Remo *ipsi domino* eorum, *et linquit truncum* ejus *singultantem sanguine: terra calefacta et lecti inficiuntur nigro sanguine. Prætereà opprimit Lamyrum, et Lamum, et juvenem Serranum; qui formosus vultu*

NOTÆ.

304. *Lycaon Gnossius.*] Artifex nobilis ex urbe *Gnosso* in Cretâ insulâ: ubi arma singulari arte fabricabantur, Æn. 3. 104.

313. *Nubibus irrita.*] Innuit ipsos esse morituros, antequam ad Æneam perveniant.

315. *Antè.*] Vel, *antequam ipsi moriantur,* quod subobscurè tantùm significat. Vel, *antequam ad castra hostium perveniant:* et sic dicendum, inter urbem et castra spatium fuisse, ubi discurrebant illi, qui propiùs admoti muris à Turno fuerant, et jam vino sepulti in gramine decubuerant.

327. *Rex idem.*] Præludit ad morem Romanum, qui post exactos reges inductus est: ut è patriciis eligeretur *sacrorum rex,* vel *rex sacrificulus:* subditus tamen is erat pontifici summo, et ab auguribus et pontificibus eligebatur. Talis Rhamnes augur mihi videtur fuisse.

328. *Augurio.*] De hâc arte divinandi, Æn. 2. 703. *Pestem,* rem quamcunque exitialem: hìc *mortem,* alibi *incendium,* ibid. 5. 685.

335. *Plurima——Luserat.*] *Plurimùm:* neutrum plurale, pro adverbio. Sic Geor. 4. 122. *Sera comantem Narcissum;* id est, *serò.*

Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra Deo victus: felix, si protinùs illum
Æquâsset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans,
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incensus et ipse
Perfurit: ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Hebesumque subit, Rhœtumque Abarimque
Ignaros: Rhœtum vigilantem et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui cominùs ensem
Condidit assurgenti, et multâ morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta
Vina refert moriens: hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, et religatos ritè videbat
Carpere gramen equos: breviter cùm talia Nisus,
(Sensit enim nimiâ cæde atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula: Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cùm jungeret absens,
Cædicus: ille suo moriens dat habere nepoti:
Post mortem bello Rutuli pugnâque potiti:
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.

*luserat multùm* per *hanc noctem*, et *stertebat solutus membris* ob *multum Bacchum: fortunatus, si continuò adæquâsset ludum illum nocti, et produxisset* usque *ad diem. Quemadmodum leo jejunus, tumultuans in ovilibus plenis, devorat et lacerat pecudes teneras et silentes* præ *timore, et frendet gutture sanguinolento, nam immoderata fames impellit. Non minor* est *strages* edita ab *Euryalo: ipse quoque inflammatus sævit, et aggreditur in medio multum vulgus sine honore, et Fadum, et Hebesum, et Rhœtum, et Abarim, improvidos: Rhœtum expergefactum et aspicientem omnia, sed* qui *timens occultabat se post amplum poculum: cui assurgenti abscondit propiùs totum gladium* in *pectore objecto, et retraxit* eum post *certam mortem. Ille* Rhœtus *ejicit animam sanguineam, et moriens reddit vinum confusum cum sanguine. Hìc* Euryalus *ardens continuat* cædem. *Et jam pergebat ad socios Messapi ubi spectabat ignem ultimum extingui, et equos solutos de more pascere herbam: quando Nisus dixit breviter talia* verba, *quippe animadvertit* se et socium *rapi nimiâ cupiditate stragis: Desinamus, nam dies non commodus* nobis *imminet. Satis pœnarum sumptum est: via aperta* est *inter hostes. Linquunt plurima arma hominum ornata solido argento, et pocula, et pretiosos tapetas. Euryalus* rapit *Rhamnetis phaleras, et balteum aureum clavis: quæ munera Cædicus opulentissimus miserat quondam Remulo Tiburtino, cùm absens* vellet *eum sociare hospitio: ille* Remulus *moriens dedit possidenda nepoti suo:* sed *post* Remuli *mortem, Rutuli obtinuerunt* ea tempore *belli, per pugnam.* Euryalus *rapit hæc, et frustrà accommodat robustis humeris* suis.

## NOTÆ.

337. *Membra Deo victus.*] *Somno,* ut vult Cerdanus: ut ego arbitror, *Baccho:* quem jam *Deum* simpliciter nuncupavit, Æn. 1. 636. *Munera lætitiamque Dei. Protinùs,* continuo lapsu, atque ordine, ibid. 3. 416.

339. *Turbans.*] Tumultuans, sic Æn. 6. 800. *Turbant trepida ostia Nili.*

348. *Multâ morte recepit.*] Vel eduxit *multo cruore* stillantem: vel non eduxit nisi post *certam mortem.*

349. *Purpuream animam.*] Homerus, Iliad. 5. 83. πορφύρεος θάνατος, *purpurea mors.* Locutio repetita ex veterum quorundam opinione: qui præcipuam animæ sedem statuebant in sanguine, animamque esse ipsum sanguinem etiam nonnulli putabant.

350. *Furto fervidus instat.*] *Furtum* vocat, vel spoliationem cadaverum et armorum direptionem; vel cædem ipsam furtim et tacitè editam; *furtum* quippe est quicquid occultè patratur, Æn. 6. 568.

359. *Phaleras—et aurea bullis Cingula.*] *Phaleræ,* ornamenta equorum, Æn. 5. 310. ibid. 7. 278. *Cingula,* balteus, quem vocat Varro *cingulum è corio bullatum:* et Virgilius, ibid. 12. 942. de balteo Pallantis ait: *notis fulserunt cingula bullis. Bullæ* verò erant clavorum aureorum quædam capita cingulis affixa: ob similitudinem ita dicta à *bullis,* quæ in aquis *ebullientibus* excitantur. Non absimile fuit ornamentum aureum, pueris nobilibus appendi solitum è collo, *bulla* item nuncupatum.

361. *Hospitio cùm jungeret absens.*] Veteres hospitii jura mutuis muneribus colebant, absentes præsentesve. De *cristis galearum,* Æn. 3. 468.

364. *Nequicquam.*] Quia mox occidendus erat, et hæc ipsa spolia amissurus.

Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Intereà præmissi equites ex urbe Latinâ,
Cætera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, muroque subibant;
Cùm procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbrâ
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temerè est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State, viri: quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quóve tenetis iter? Nihil illi tendere contrà;
Sed celerare fugam in sylvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque aditum custode coronant.
Sylva fuit latè dumis atque ilice nigrâ
Horrida, quam densi complêrant undique sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Impediunt, fallique timor regione viarum.
Nisus abit: jamque imprudens evaserat hostes,
Atque locos, qui pòst Albæ de nomine dicti
Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustrà absentem respexit amicum:
Euryale infelix, quâ te regione reliqui?
Quáve sequar? rursùs perplexum iter omne revolvens
Fallacis sylvæ, simul et vestigia retrò
Observata legit, dumisque silentibus errat:

*Tum imponit* capiti *galeam Messapi commodam et insignem cristis. Exeunt è castris, et petunt secura* loca. *Interim equites trecenti, omnes scutati, duce Volscente, incedebant, et portabant responsa regi Turno, præmissi ex urbe Laurente, dum reliqua legio manet parata* in *agris* Laurentibus. *Et jam attingebant castra, et accedebant* ad *munimenta* castrensia: *cùm vident eminùs hos* juvenes *divertentes ad sinistram viam: et in umbrâ noctis sublucente cassis* Messapi *prodidit Euryalum incautum, et emicuit objecta radiis* Lunæ: *Volscens è turmâ exclamat: Non falsò visum est* nobis: *sistite, viri: quæ causa est* vobis *eundi? et quinam estis* ita *armati? et quò habetis iter? Illi nihil* voluerunt *respondere adversùm; sed* cœperunt *properare fugam per sylvas, et committere se tenebris. Equites opponunt se hinc et inde ad transversa* itinera *cognita* sibi, *et circumdant custodibus omnes ingressus. Fuit* illic *sylva aspera dumis et ilicibus opacis, quam spissæ vepres undique implebant: paucæ viæ deducebant* ad eam *per secretos tramites. Opacitas ramorum et spolia gravia retardant Euryalum, et metus aberrandi à* recto *spatio itineris. Nisus effugit: et non providens* amico *jam elapsus* erat *ab hostibus: et ex agris, qui deinde vocati* sunt *Albani, de nomine Albæ: tunc rex Latinus collocabat* illic *stabula sublimia. Postquam constitit, et frustrà respectavit amicum absentem,* ait: *O miser Euryale, quo loco deserui te? aut quà quæram* te? *iterum remetiens vias omnes dubias sylvæ dolosæ, simul et revolvit vestigia retrò quæsita, et vagatur* inter *dumos tacitos:*

## NOTÆ.

367. *Ex urbe Latinâ.*] *Laurento, Æn.* 7. 63

368. *Cætera legio.*] *Pedites.* Nam in legione Romanâ communiùs trecenti fuere equites, pedites vulgò quater mille: licèt auctior aliquando fuerit numerus. Igitur mittebatur ab Amatâ Laurenti reginâ, legio ad Turnum, duce Volscente: sed equitatus, utpote expeditior, præmissus fuerat; peditatus adhuc in campis circa Laurentum, utpote tardior, morabatur.

370. *Scutati omnes.*] *Scutum* enim oblongum, non rotundus *clypeus,* in usu fuit Romanorum equitum. Vide Lipsium. De *formâ scuti, Æn.* 8. 659.

372. *Lævo flectentes limite.*] Ad septentrionem; quem juvenes habebant ad lævam, Volscens cum equitibus ad dextram.

381. *Ilice nigrâ.*] *Ilex,* arbor glandifera, *yeuse,* HOLM-OAK.

387. *Locos.*] Qui rescribunt ex fide aliquot codicum, *lacus;* ii minimè videntur ad locum et tempus attendere. Nam *Pallanteum,* ubi nunc *Roma,* quinque admodùm leucis nostris Gallicis ab urbe *Ostiâ* dissitum erat, ubi tum *Troja nova. Lacus* autem *Albanus,* de quo *Æn.* 8. 48. ad orientem utriusque urbis longè recedebat, hinc à Pallanteo quatuor leucis, inde item quatuor à Trojâ novâ disjunctus: atque hæc de loco. Jam quantum ad tempus: Nisus et Euryalus circa mediam noctem, eamque æstivam, urbe exierant; ut patet ex militum ludo, somno, ignibus exstinctis: noctis partem aliquam in procerum concilio ac deliberatione traduxerant; aliquam item in cæde peragendâ. Quì fieri igitur potest, ut Nisus fugâ elapsus sit à Trojâ novâ ad Albanum lacum, quæ quatuor leucæ sunt; item ab Albano lacu ad ultima castrorum loca, amici quærendi causâ, redierit, quæ quatuor aliæ sunt leucæ: easque leucas octo intra brevissimum æstivæ noctis mediæ

Audit equos, audit strepitus, et signa sequentûm.
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Pervenit: ac videt Euryalum; quem jam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, et conantem plurima frustrà.
Quid faciat? quâ vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
  Ocyùs adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos.
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit; si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
  Dixerat; et toto connixus corpore ferrum
Conjicit: hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille, vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summâ telum librabat ab aure;
Dum trepidant: it hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quò se ardens immittere possit:
Tu tamen intereâ calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit. Simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tunc verò exterritus, amens,
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Ampliùs, aut tantum potuit perferre dolorem:
  Me, me: adsum qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste, nec ausus,

*audit equos, audit sonitus, et tubas persequentium. Nec longum tempus* abiit *illo intervallo, quando clamor attingit aures: et cernit Euryalum; quem omnis turma repentino strepitu ac sonitu jam trahit, interceptum errore loci et noctis, et incassùm agitantem multa. Quid agat? quo robore, quibus armis audeat liberare juvenem? an moriturus immittat se in medios hostes, et acceleret per plagas necem gloriosam? Statim librans hastile brachio contracto, respectans Lunam sublimem, his verbis orat* eam: *Tu Dea, tu propitia fave meo conatui: ô Latonia, gloria siderum, et tutatrix sylvarum. Si pater meus Hyrtacus obtulit unquam pro me tuis altaribus aliqua munera; si ipse meis venationibus accumulavi aliqua, aut appendi è fornice, aut affixi ad culmina* tibi *consecrata: permitte me dissipare hanc turmam, et dirige per aërem* hoc *hastile. Sic locutus* fuerat: *et adnitens toto corpore evibrat ferrum: hastile volans dividit caliginem noctis, et pervadit in dorsum Sulmonis oppositi, et illic rumpitur, et trajicit præcordia rupto ligno. Sternitur ille, emittens è pectore fluvium calentem, frigescens, et succutit uterum longis singultibus. Circumspectant in diversas* partes. *Ille ferventior hoc* successu *ecce intorquebat à supremâ auris* parte *hastile aliud. Dum* illi *tumultuantur: hastile stridens incidit* in *Tagum per tempora gemina, et calefactum stetit* in *cerebro transfosso. Volscens asper furit, nec videt uspiam libratorem teli, nec quò fervidus possit inferre se: At tu, ait, dabis mihi sanguine calido pœnas* debitas *ab utroque* vestrûm. *Simul educto gladio irruebat in Euryalum. Tunc autem Nisus territus, extra mentem* positus, *vociferatur; nec ulterius potuit occultare se umbris, aut pati tantum dolorem: Me, me* rapite: *adsum qui* id *commisi: vertite in me arma, O Rutuli, omnis dolus meus* est: *iste nihil ausus* est,

## NOTÆ.

spatium perfecerit? Quo fit ut legam *locos*, non *lacus:* eosque explicem de parte aliquâ agri Albani, qui tum fortè eò usque pertinebat; quam partem fugâ jam prætergressus fuerat Nisus.

405. *Latonia.*] *Luna, Diana,* à Latonâ matre, Geor. 3. 6.

408. *Tholo.*] Media ac suprema pars est tecti, in formam scuti brevis, in quâ trabes coëunt: unde est quasi fornicis, ut aiunt, clavis.

413. *Præcordia.*] Græcis διάφραγμα, membranæ sunt *prætensæ cordi:* suprà sunt, cor et pulmones; infrà, jecur et lien. *Ilia,* partes sunt imi ventris, circa summas coxas.

427. *Me, me: adsum, &c.*] Abrupta ex animi perturbatione sententia. *Me, me, occidite, &c. Rutulos,* promiscuè pro hostibus appellat, quanquam hi erant Latini. De *Rutulis,* Æn. 7. 794.

Nec potuit: cœlum hoc et conscia sidera testor:
Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit.
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluviâ cùm fortè gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur:
Quem circum glomerati hostes hinc cominùs atque hinc
Proturbant: instat non segniùs, ac rotat ensem
Fulmineum: donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidâque ibi demùm morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitolî immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores prædâ Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimem flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primis unâ tot cæde peremptis,
Sarranoque, Numâque: ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidâque recentem
Cæde locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras

*aut potuit* facere: *attestor hoc cœlum, et astra quæ id sciunt: tantummodo nimis amavit amicum miserum. Proferebat talia dicta: sed gladius* totâ *vi immissus transfodit costas, et perfringit pectus candidum. Euryalus sternitur morte, et sanguis fluit per formosa membra, et collum inflexum pendet in humeros. Quemadmodum, quando flos purpureus proscissus aratro languet moriens: aut* quemadmodum *papavera fesso collo inflectunt caput, quando forte obruuntur imbre. At Nisus irrumpit per medios hostes, et inter omnes unum quærit Volscentem, defigit* oculos *in uno Volscente: circa quem* Nisum *hostes collecti cominùs eum premunt hinc atque hinc:* ille *non inertiùs premit* eos, *et contorquet gladium fulminantem; donec immisit eum in ore opposito* ducis *Rutuli vociferantis, et moriens eripuit vitam hosti. Tum transfixus jecit se super amicum mortuum, et illic tandem quievit dulci nece. Ambo felices! si mei versus valent aliquid, nulla dies vos unquam subtrahet tempori memori: dum gens Æneæ habitabit immotam rupem Capitolii, et fundator Romæ tenebit imperium* orbis. *Rutuli victores adepti prædam et spolia, plorantes reportabant in castra Volscentem mortuum. Nec levior* erat *dolor in castris, Rhamnete invento mortuo, et tot proceribus unâ nocte interfectis, et Serrano, et Numâ; concursus* fit *ad ipsa cadavera, et* ad *homines semimortuos, et ad locum tepefactum recenti strage, et ad rivos infectos spumoso sanguine. Recognoscunt inter se prædam, et fulgentem cassidem Messapi, et phaleras recuperatas multo labore. Et jam prima*

## NOTÆ.

448. *Domûs Æneæ Capitolî, &c.*] *Roma,* urbs ab Æneæ posteris fundata, in Palatino monte primùm: deinceps ad alios producta montes sex, præcipuè Capitolinum, Palatino vicinum à septentrione: ubi arx et templum Jovis. Aliqui *domum Æneæ* explicant de ipsâ *domo Augusti,* qui cum totâ gente Juliâ ex Æneâ oriebatur; at illa non in Capitolio, sed in Palatino monte sita erat, ut et Julii Cæsaris domus. Adde quòd *domus Æneæ,* jam pro Romanâ gente accepta est, Æn. 3. 97. *Immobile saxum* vocat, alluditque ad æternitatem Romani imperii: quam à Tarquinii Prisci temporibus certam Romani existimabant: cùm enim is ad exstruendum Jovis Capitolini templum, Deos omnes alia in urbis loca transferri juberet: *Juventus et Terminus* ex omnibus Diis cedere loco noluerunt: unde ductum est omen, fore ut urbis termini nunquam loco moverentur, nec unquam juvenilis vigor illi deesset.

449. *Pater Romanus.*] Vel *Augustus,* vel *Senatus Romanus.* Vel potiùs, *Romulus,* gentis Romanæ conditor et pater.

457. *Agnoscunt spolia, &c.*] Quæ Rutulis eripuerant Nisus et Euryalus; et quæ iterum ex iis Volscentis equites receperant. De iis, v. 359. et sequentibus. De *Tithono, Auroræ conjuge,* Æn. 4. 585.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam Sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat, æratasque acies in prælia cogit
Quisque suas, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis, visu miserabile, in hastis
Præfigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistrâ
Opposuere aciem, nam dextera cingitur amni:
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis
Stant mœsti: simul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
 Intereà pavidam volitans pennata per urbem
Nuncia Fama ruit, matrisque adlabitur aures
Euryali: ac subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et fœmineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor: cœlum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, aspicio? túne illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremùm miseræ data copia matri?
Heu! terrâ ignotâ, canibus data præda Latinis
Alitibusque, jaces! nec te tua funera mater

*Aurora deserens lectum croceum Tithoni, collustrabat terras novâ luce: Sole jam inducto, rebus jam detectis* per *lucem, Turnus ipse cinctus armis excitat homines ad arma: et unusquisque* dux *colligit ad pugnam agmina sua* tecta *ære, et stimulant furorem multiplici rumore. Prætereà,* res *visu terribilis, figunt in hastis sublatis capita Nisi et Euryali, et prosequuntur multis vociferationibus. Æneadæ firmi in lævâ parte murorum objecere exercitum, nam* pars *dextra munitur fluvio; et tuentur magnas fossas, et tristes stant* in *excelsis turribus: simul spectabant capita juvenum præfixa, nimis cognita miseris, et stillantia nigrâ sanie. Interim Fama alata, volans per urbem territam, nuncia irrumpit, et pervenit* ad *aures matris Euryali; et calor subitò deseruit ossa miseræ; radii dejecti* sunt *è manibus et telæ dilapsæ: misera* illa *præcipitat, et* cum *vociferatione muliebri lacerata* secundùm *capillos, insana vadit cursu* ad *muros et primas turmas: non illa attendens homines, non illa discrimen et arma: deinde replet cœlum querelis: An ego te talem video, ô Euryale? an tu* es *ille* futurus *solatium ultimum meæ senectutis!* an *potuisti deserere me solam, ô inhumane? neque concessa* est *matri infelici facultas ultimò alloquendi te, missum in tanta discrimina? heu! jaces* in *tellure incognitâ, præda objecta canibus Latinis et avibus. Nec ego mater protuli te* ante ædes, *ut* curatrix *tui funeris:*

NOTÆ.

468. *Sinistrâ.*] *Orientali,* quæ Laurentum spectabat.

472. *Tabo.*] Putri sanguine, Geor. 3. 481. De *Famâ,* Æn. 4. 174.

476. *Radii, &c.*] *Instrumenta textoria,* Æn. 3. 483. *Pensa,* telæ: quæ priùs involutæ, jam eâ surgente revolvuntur. De *penso,* Geor. 1. 390.

478. *Muros amens, &c.*] Non tamen excedit urbe: sed è muris, ad conspectum suffixi capitis, has in querelas erumpit.

484. *Affari extremùm.*] Romani mortuos statim post obitum inclamabant: tum post funus, ter dicto *vale* relinquebant. Æn. 2. 644. ibid. 6. 218.

486. *Tua funera mater Produxi, &c.*] I. Jul. Scaliger, Pomponium secutus, mutilam vult esse orationem, ob vim doloris: explicatque, *nec te mater peperi* ad *hæc tua funera.* II. Jos. Scaliger, non multùm dissentiens à Servio vult, *funeras* esse mulieres, quæ curam suscipiebant funeris, ut sunt mater, soror: easque distingui à *præficis,* quæ conductæ pretio præficiebantur ancillis ad lamentandum: quod *præficarum* fictus, *funerarum* verus esset ac sincerus dolor. Eóque derivat illud Ennii epitaphium apud Cicer. *Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletum faxit; cur? volito vivus per ora virûm.* Sed admodum dubia hæc lectio est, cùm vulgò legatur, *funera fletu, funere fletum, &c.* III. Suspicatur Merula legendum, *tua funera mater proluxi,* quæ vox apud Festum reperitur: ex quo tertia concinnari potest opinio: *nec te tua funera mater proluxi,* id est, *nec te et tuam mortem proluxi.* Et verò tales erant funebres ceremoniæ: lugebatur et conclamabatur mortuus, claudebantur ipsi oculi, lavabatur, vestibus pretiosissimis tegebatur, efferebatur in feretro ad januam domûs; ibique cùm prostitisset aliquandiu, facie et pedibus in publicum versis, ad rogum deducebatur; quæ

Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, et telâ curas solabar aniles.
Quò sequar? aut quæ nunc artus avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terrâque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas: in me omnia tela
Conjicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu, magne pater Divûm, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus et Actor,
Ilionei monitu et multùm lacrymantis Iüli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
  At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant actâ pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum:
Quærunt pars aditum, et scalis ascendere muros;
Quâ rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contrà
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si quà
Possent tectam aciem perrumpere: cùm tamen omnes
Ferre libet subter densâ testudine casus.
Nec jam sufficiunt: nam quâ globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque
Quæ stravit Rutulos latè, armorumque resolvit
Tegmina: nec curant cæco contendere Marte
Ampliùs audaces Rutuli; sed pellere vallo
Missilibus certant.

*aut clausi oculos: aut lavi plagas, abscondens* cadaver *veste, quam festinans tibi accelerabam noctuque diuque, et leniebam* textu *telæ molestias senectutis. Quò ibo? aut quæ terra nunc retinet artus, et obscissa membra, et cadaver laniatum? hoc* caput *repræsentas mihi de te, ô fili? hoc secuta sum et terrâ et mari? Transfodite me, ô Rutuli, si aliqua est* vobis *pietas: contorquete in me omnia spicula: me primam interficite ferro. Vel tu, magne parens Deorum, miseresce, et fulmine tuo demitte ad inferos hoc* meum *caput* tibi *odiosum; si non possum aliter finire duram vitam. Animi commoti* sunt *hoc luctu, et tristia suspiria mittuntur ab omnibus: vires languent tardæ ad pugnam. Idæus et Actor excipiunt illam excitantem fletus* inter milites, *et in manibus referunt in domum* ipsius, *monitu Ilionei et Iüli plurimùm plorantis. At tuba procul excitavit ære rauco formidabilem sonum: succedit clamor, et cœlum reboat. Volsci approperant simul admotâ testudine, et aggrediuntur cumulare fossas, et eruere aggerem: pars vestigat ingressum, et superare scalis muros, quâ exercitus rarus est, et* quâ *multitudo passim erat non tam densa militibus. Contrà Trojani* incipiunt *projicere omnes species armorum, et dispellere* eos *longis lignis, consueti propugnare mœnia bello diuturno. Dejiciebant etiam lapides perniciosi ponderis,* tentantes *an possent aliquâ* parte *perfringere agmen tectum* clypeis: *tamen intereà* Rutuli *gaudent sustinere casus omnes sub spissâ testudine. Deinde non* possunt *sustinere: nam quâ* parte *magnus globus appropinquat, Teucri advolvunt et impellunt vastum saxum, quod latè oppressit Rutulos et separavit tegmina clypeorum: nec ulterius Rutuli ardentes volunt certare obscuro certamine* testudinis; *sed conantur dimovere jaculis* Trojanos ex *aggere.*

## NOTÆ.

maximâ ex parte explicuimus, Æn. 6. 215. et sequentibus.

487. *Produxi.*] Juxta primam explicationem superiorum vocum significat, *peperi*. Juxta secundam, *proposui ad januam domûs;* quod Dio et Græci alii vocant προτίθεσθαι. Juxta tertiam *proluxi* legendum est.

491. *Funus lacerum.*] Haud dubiè *cadaver.* Sic Propert. l. 1. 17. 8. *Hæccine parva meum funus arena teget.* De *Tartaro,* imis inferis Æn. 6. 134.

505. *Testudine, &c.*] Milites erant densati in globum, consertis supra capita clypeis, ut sic ad muros tutiùs accederent: De *eâ testudine,* Æn. 2. 441. De *Volscis,* ibid. 7. 803. De *vallo,* suprà, v. 142. De *contis,* Æn. 5. 208.

516. *Ruuntque.*] Impellunt, projiciunt; Æn. 1. 35. *Spumas salis ære ruebant.*

518. *Cæco Marte.*] Quia latebant sub testudine, tecti et inumbrati clypeis.

Parte aliâ horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.
Vos, ô Calliope, precor, aspirate canenti
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli:
Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summâque evertere opum vi
Certabant: Troës contrà defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri: quæ plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustráque malorum
Velle fugam: dum se glomerant, retróque residunt
In partem, quæ peste caret; tum pondere turris
Procubuit subitò, et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secutâ,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis:

*Aliâ ex parte Mezentius terribilis visu librabat pinum Tyrrhenam, et injicit fumidas tædas. At Messapus, subactor equorum, filius Neptuni, diruit palos* aggeris, *et petit scalas ad muros* scandendos. *Vos, ô* Musæ et præcipuè *Calliope, oro, docete cantantem: quas cædes, quas neces Turnus tunc ibi intulerit: quem hominem unusquisque miserit* ad *inferos: et explicate mecum totum ambitum* hujus *belli; nam* vos, *Deæ, et recordamini, et potestis narrare. Turris stabat alta suspicientibus et tabulatis sublimibus, commodo situ: quam Itali omnes conabantur occupare totis viribus, et diruere totâ vi potentiæ* suæ: *contrà Trojani* conabantur *propugnare lapidibus, et vibrare sagittas crebras per opertas fenestras. Turnus primus immisit tædam flammantem, et affixit lateri* turris *ignem; qui auctus vento invasit asseres, et adhæsit fulcris absumptis.* Trojani *turbati* cœperunt *intus tumultuari, et incassùm quærere effugium è periculo: dum colligunt se, et retrò recedunt in spatium quod vacabat igne: tum repentè turris cecidit, et totum cœlum sonat strepitu. Cadunt semimortui in terram, vastâ mole superincidente, et confossi propriis armis, et trajecti duro ligno* per *pectora. Vix solus Helenor et Lycus evaserunt: quorum natu major* erat *Helenor, quem serva Lycimnia clam pepererat regi Lydio, et miserat ad Trojam, bello* ipsi *prohibito;*

## NOTÆ.

522. *Etruscam Pinum et ——— ignes.*] Vel ignitam facem è pinu, pingui arbore; vel manu alterâ facem, alterâ hastam pineam. De *Mezentio* Etruscorum rege, fusè Evander, Æn. 8. 481. De *Etruscâ* gente, ibidem in notis. De *Messapo*, ibid. 7. 691. De *vallo*, munimento ex palis et aggestâ terrâ, suprà, v. 142.

525. *Vos, ô Calliope.*] Musas omnes invocat, sed præcipuè *Calliopen*, heroici carminis præsidem, de quâ, Ecl. 4. 57. Numerum singularem cum plurali sic conjunxit Tibull. l. 3. 6. 55. *Nobis inimica merenti.* Et Catull. Epig. 108. 5. *Insperanti ipsa refers te nobis.* De *Orco*, Plutone, Geor. 1. 277.

528. *Oras belli.*] Enniana vox. *Oræ* sunt extremæ partes vestium: quæ quia in ambitum excurrunt, hìc sumuntur pro toto circuitu, ambitu, ac serie belli.

530. *Pontibus.*] Turres multis contabulationibus erigebantur, è quarum infimis ascensus erat ad summas: hæc ipsa tabulata, vel eorum scalæ, *pontes* hìc dicuntur, ut fortè etiam suprà, v. 170.

532. *Opum vi.*] Enniana locutio, pro, *omni industriâ, virtute, instrumentis.*

535. *Lampada.*] *Lampades* hìc appellantur ignita quæcunque missilia, ex stupâ, pice et resinâ: quæ compacta simul, et mucronibus uncisque et hamis ferreis armata, ut ligneis præsertim munimentis adhærerent, vel manu, vel aliquando etiam machinis intorquebantur. Varia eorum erat ad libitum figura. De *postibus*, propriè fulcris arrectariisque portarum, Æn. 2. 442. De *peste*, pro igne, suprà, v. 328.

546. *Mæonio regi.*] Regi Mæonum, qui deinde Lydi dicti sunt, et ab Homero numerantur inter Trojanorum auxilia, utpote Phrygiæ contermini, Æn. 2. 216.

547. *Vetitis armis.*] Vel contra jussa Deorum

Ense levis nudo, parmâque inglorius albâ.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit;
Hinc acies, atque hinc acies astare Latinas:
Ut fera, quæ densâ venantûm septa coronâ
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes,
Irruit; et, quà tela videt densissima, tendit.
At pedibus longè melior Lycus, inter et hostes,
Inter et arma fugâ muros tenet; altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperâsti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, et magnâ muri cum parte revellit.
Qualis ubi, aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur: invadunt, et fossas aggere complent:
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis,
Lucetium, portæ subeuntem, ignesque ferentem;
Emathiona Liger, Chorinæum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longè fallente sagittâ:
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Cloniumque, Dioxippum, Promulumque,
Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idam;
Privernum Capys: hunc primò levis hasta Themillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,

erat *levis ense stricto, et ignobilis scuto albo. Atque ille, cùm agnovit se in mediis millibus Turni, agmina Latina circumsistere hinc et inde; quemadmodum fera, quæ cincta multitudine spissâ venatorum sævit adversùs arma, et non ignara immittit sese* in *mortem, et saltu ruit supra hostilia: non aliter juvenis irrumpit moriturus in medios hostes, et incurrit quà cernit arma spississima. At Lycus multò velocior pedibus, et inter hostes, et inter arma occupat fugâ muros: et conatur arripere manu sublimes pinnas, et apprehendere manus sociorum. Quem Turnus victor, persecutus simul cursu et jaculo, objurgat his* verbis: *Stulte, an sperâsti te posse evitare manus meas? simul apprehendit ipsum pendentem, et excutit cum magnâ parte muri. Qualis armiger Jovis, quando evolans* in *altum abripuit unguibus falcatis, aut leporem, aut cycnum nitido corpore: aut* quando *lupus, sacer Marti, subtraxit è caulis agnum quæsitum à matre multis balatibus. Undique clamor surgit: aggrediuntur, et cumulant fossas* terrâ *aggestâ: alii torquent tædas flammantes ad culmina: Ilioneus lapide et magno fragmine rupis opprimit Lucetium, appropinquantem portæ et conjicientem ignes: Liger Emathiona, Asylas Chorinæum: alter peritus jaculandi, alter* mittendi *sagittas procul decipientes. Cæneus* occidit *Ortygium, Turnus victorem Cæneum: Turnus Ityn, et Clonium, Dioxippum et Promulum, et Sagarim, et Idam stantem ante summas turres: Capys Privernum: hunc hasta Themillæ primò leviter vulneraverat: ille abjecto clypeo tulit inconsultus manum ad plagam; ergo sagitta pennis appulsa est,*

## NOTÆ.

et fati, Trojanis contrarii. Vel contra morem Romanorum: ad quem alludit hìc poëta, quasi Trojanorum etiam fuisset. Nefas enim fuit Romæ servos militiæ nomen dare, nisi servitute solutos: quod non nisi periculosis reipublicæ temporibus permittebatur.

548. *Ense levis nudo, parmâque, &c.*] Omnino eum depingit, quales Romanorum deinde fuerunt *velites*, sic à *velocitate* dicti. Horum arma; *parma* brevis, rotundusque clypeus et undique *par: gladius* et leves aliquot *hastulæ*. Eligebantur è junioribus et pauperibus, juxta Polyb. Porrò cùm vulgò viri principes, aut familiæ suæ, aut factorum suorum insignia præferrent descripta in clypeis: ut Turnus *Inachum*, Æn. 7. 790. Aventinus, *Hydram Herculis*, ibid. 657. Helenor iste nudum clypeum gestat: tum quia juvenis nihil tum patrare laude dignum potuit: tum quia furtivo concubitu ex servâ editus, paternam originem jactare prohibetur, habeturque ideò quasi servilis generis.

553. *Venabula.*] Hastæ sunt venatoriæ, breves, lato ferro, Æn. 4. 131.

564. *Jovis Armiger.*] Aquila, fulminis ministra, Æn. 5. 255. De *tædis*, arbore et face, Ecl. 7. 49.

Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Iberâ,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Simethia circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, positis Mezentius armis,
Ipse ter adductâ circum caput egit habenâ:
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.
Tum primùm bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, antè feras solitus terrere fugaces,
Ascanius: fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat:
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, et ingenti sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hìc Atridæ: nec fandi fictor Ulysses.

*et manus affixa* est *lateri sinistra, et occulta intus penetravit mortifero ictu* pulmones, *quibus respirat anima. Filius Arcentis stabat* indutus *pulchris armis,* habens *chlamydem variatam acu, et splendens purpurâ Ibericâ, formosus vultu: quem pater Arcens miserat Æneæ, educatum* in *sylvâ Martis, circa Simethum fluvium, ubi* est *opima et benigna ara Palici. Mezentius depositis armis impulit ipse stridentem fundam, loro ter rotato circa caput: et discidit calefacto plumbo medium caput oppositi* juvenis, *et prostravit* eum *in vastâ arenâ. Ascanius, priùs assuetus terrere feras fugientes, fertur tum primò evibrâsse velocem sagittam* in *bello, et stravisse manu robustum Numanum, cui cognomen erat Remulo: et* qui *nuper conjugio copulatus duxerat minorem sororem Turni. Ille ante prima agmina inclamans digna et indigna dictu, et inflatus corda* ob *novam potentiam, incedebat, et jactabat se magno clamore: Non pudet* vos *rursùs claudi aggeribus et obsidione, ô Phryges bis capti, et opponere muros morti? ecce* illos, *qui bello petunt sibi conjugia nostra! quis Deus, quæ insania vos impulit* in *Italiam? non hìc* sunt *filii Atrei, nec Ulysses* vanus *artifex verborum:*

## NOTÆ.

582. ***Pictus acu chlamyden,** &c.*] *Chlamys,* militaris vestis, *casaque,* A LOOSE GOWN OR COAT, Æn. 4. 137. *Ferrugo,* color est politi ferri, in nigrum tendens, *brunissure,* BURNISHED, Ecl. 2. 18. Talis memoratur fuisse color purpuræ Ibericæ nigricantis. *Iberia* verò, hìc sumitur à quibusdam pro regione Asiaticâ, inter Pontum Euxinum, et mare Caspium, quæ nunc Georgiæ pars est, dicta *Gurgistan;* cujus coloni in Europam profecti nomen dederint Ibero, Hispaniæ flumini, et Hispaniam ipsam tenuerint. Ab aliis sumitur probabiliùs pro ipsâ Hispaniâ, cùm idem color à quibusdam dicatur Bæticus: à Bæti fluvio Hispaniæ, *Guadalquivir:* et minium, apud Hispanos præcipuæ laudis olim ex Plinio fuerit; ut nunc quoque rubeus ille color nigro suffultus, quem vocant *morado.*

584. *Simethia circum, &c.*] *Simethus,* Siciliæ fluvius; in orientale ejusdem latus infra Catanam defluens: nunc juxta Cluverium, *la Jaretta.* Tamen, juxta Virgilium, videtur is esse qui nunc nomen habet à *Sancto Paulo,* paulò inferiùs fluens: nam non longè ab ejus fontibus visuntur adhuc ruinæ templi Palicorum, et eorundem lacus, qui lacus Fazelli tempore *Naphthia* vocabatur, in multas scaturigines erumpens aquæ sulphureæ; quæ falsò jurantes enecabat, ut fusè narrat ex auctoribus Græcis Macrobius, Saturn. 5. 19.

585. *Pinguis ubi et placabilis, &c.*] *Palici* fratres fuerunt, Jovis filii, et Thaliæ Nymphæ, Vulcani filiæ; quæ gravida cùm Junonem timeret, dicitur à Jove terræ hiatu occultata: ubi nati infantes, indeque egressi, *Palici* dicti sunt, à πάλιν ἱκέσθαι, *iterum venire.* Horum oraculo, Siculi in sterilitate admoniti dicuntur, ut cuidam heroi sacra facerent: quæ res cùm prosperè successisset, ad eorum aram dona multa congesserunt, ut refert ex Xenagorâ Macrobius. Hinc ara illa dicitur à Virgilio *pinguis.* Addit Diodorus l. 11. asylum illic esse fugitivorum servorum cùm à dominis inclementiùs haberentur: indeque nefas esse eos abduci, nisi securitatis datâ fide, quam violare nemo audeat. Hinc, ut mihi videtur, ara eadem dicitur *placabilis.* De *Martis luco,* nullum alibi reperi mentionem.

588. *Liquefacto plumbo.*] Lucret. 6. 177. *Plumbea verò glans etiam longo cursu volvendo liquescit,* id est, calefit et mollescit.

Durum à stirpe genus. Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.
Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant;
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versâque juvencûm
Terga fatigamus hastâ. Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galeâ premimus; semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges! ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

sed *gens fortis ab ipsâ origine. Portamus statim ad flumina natos, et induramus acerbo gelu et aquis. Pueri indulgent venatui, et percurrunt sylvas: ludus* eorum *est domare equos, et jacere sagittas* arcu *corneo. Juventus autem patiens laboris, et contenta tenui* victu, *aut exercet terram rastris, aut impugnat urbes bello. Omnis ætas traducitur in armis; et impellimus dorsa juvencorum* arantium *hastâ inversâ. Nec senectus lenta minuit robur animi, aut pellit vigorem. Tegimus casside capillos albos; et semper nos delectat colligere novas prædas, et vivere* rebus *raptis. Vobis vestimentum tinctum* est *croco et micanti purpurâ:* vobis *inertia* est in *deliciis: placet vacare choreis: et tunicæ* vestræ *habent manicas et mitræ ligamina. O verè Phrygiæ, neque enim estis Phryges! ite per excelsa Dindyma, ubi tibia emittit sonum imparem,* vobis *assuetis* huic sono.

## NOTÆ.

596. *Novo regno.*] Affinitate regiâ. Græci enim, quorum imitatores Latini, regum filios, fratresque et affines, appellabant reges: ut observat Germanus, probatque multis.

599. *Bis capti Phryges.*] *Phryges,* molles: ad contemptum sic vocat Trojanos. *Bis capti:* ab Hercule et à Græcis, Æn. 3. 476. Vel potius à Græcis, cùm Troja incensa est: et jam à Latinis, in hâc novâ Trojâ. De *Phrygiâ,* Æn. 1. 381. De *Phrygum mollitie,* Æn. 4. 216. De *Atrei filiis* Agamemnone et Menelao, ibid. 2. 264. ibid. 3. 54. De *Ulysse versuto,* ibid. 2. 7.

605. *Venatu.*] Dativo contracto, pro *venatui,* Ecl. 5. 29.

609. *Versâque juvencûm, &c.*] Aramus armati; nec stimulis aut flagris; sed extremâ hastæ parte boves arantes incessimus.

614. *Croco.*] *Crocus* flos, *saffran,* SAFFRON, cujus colore infecta vestis, *crocota* et *crocotula* dicebatur; infectores, *crocotarii:* muliebris et mollis ornatus. De *murice,* ostreâ, unde purpura exprimitur, Geor. 2. 506.

616. *Tunicæ manicas, et, &c.*] Tunica vestis virorum interior, χιτὼν Græcis: cui respondet mulierum *stola:* utraque cincta. Huic viri Græci *pallium* apertum ac fluens; Romani *togam* clausam superinjiciebant; mulieres *pallam,* pallio Græco aperto non absimilem. *Tunica* à superiore parte omnino absque manicis olim fuit, ita ut humeros hinc inde nudaret; ab inferiore, ad genua defluebat, dicebaturque *exomis:* mox ad usque cubitum, et paulò infra genua pertinuit, dicebaturque *colobium;* et hic mos diu duravit Romæ, exomide servis solis relictâ: deinde crescente luxu, ad primores usque manus digitosque provecta est, et ad talos promissa; quod mollitiei fuit, et à Cicerone vitio vertitur Catilinæ sociis, quia muliebris stolæ species hæc erat. Tunicæ illæ *manicatæ* à Cicerone vocantur: à Senecâ et Plauto *manuleatæ:* à Scipione apud Gellium *chiridotæ.* Tales Trojanis hìc Numanus exprobrat. Mediis etiam temporibus tunica duplex ferebatur: altera communis; altera intima, quæ et *interula* sive *subucula.* De *mitris, pileis,* earumque *redimiculis,* Æn. 4. 216.

618. *Dindyma, &c.*] Phrygia universa sacra fuit Cybelæ, matri Deorum. In eâ montes *Dindymus, Berecynthus,* et *Ida. Dindymus* sic dictus quòd sit διδυμὸς, *geminus,* sive *gemello vertice,* plur. *Dindyma.* Hinc Cybele dicta *Dindymene* et *Berecynthia,* et *Idæa* mater. De *eâ,* Æn. 3. 111. De *Idâ,* ibid. 2. 801.

*Biforem dat tibia, &c.*] *Tibia* musicum instrumentum, flatu personum: sic dicta: quia è gruum, hinnulorum, aliorumque animalium cavis tibiis primò formata est; inde è buxo atque ebore. Olim pauca habuit foramina: unde duæ simul inflabantur, mutabanturque pro modorum varietate. Quæ dexterâ oris parte inflabatur, unicum habebat foramen, ac proinde graviorem sonum; quæ sinistrâ oris parte, duo habebat foramina, sonumque acutiorem; et hic erat modus *Phrygius,* cùm tibiæ sic adhibebantur *impares,* quia modus ille ex gravi et acutò temperatus erat. Cùm autem *Dorius* modus multò esset gravior, duabus dextris canebatur, id est, duabus tibiis *paribus,* unico foramine. Cùm *Lydius* esset acutior, duabus sinistris fiebat; id est duabus tibiis paribus, duplici foramine. Hi enim erant præcipui tres modi: quibus affines alii; *Sarranus,* id est, *Tyrius:* ab urbe *Tyro,* quæ *Sar* dicta est, Geor. 2. 506. affinis Lydio. Fuit et *Æolius, &c.* Hinc patet tibias *pares* esse vel Lydias, vel Dorias: *impares,* semper *Phrygias.* Quare Servius benè ex-

Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris
Idææ: sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius: nervoque obversus equino
Contendit telum: diversaque brachia ducens
Constitit, antè Jovem supplex per vota precatus:
Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona,
Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
Audiit, et cœli Genitor de parte serenâ
Intonuit lævum. Sonat unà letifer arcus,
Et fugit horrendùm stridens elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantùm Ascanius: Teucri clamore sequuntur,
Lætitiâque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Æthereâ tum fortè plagâ crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens: atque his victorem affatur Iülum:
Macte novâ virtute, puer: sic itur ad astra,
Dîs genite, et geniture Deos: jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident:
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus, ab alto

*Tympana et* tibia *Berecynthia buxea matris Idææ vos invitant: relinquite arma viris, et abstinete ferro. Ascanius non passus est spargentem verbis talia, et loquentem indigna: et oppositus adduxit sagittam nervo equino: et distrahens brachia sejuncta, stetit, priùs supplex obsecrans Jovem per* hæc *vota: Jupiter omnipotens, fave inceptis audacibus. Ego ducam tibi ad tuum templum munera solemnia, et ponam ante altaria juvencum capite deaurato, candidum, et tollentem caput æqualiter cum matre* suâ: *qui jam incurrat cornu, et dissipet arenam pedibus. Audivit Pater, et è sudâ regione cœli tonuit* ad *sinistram. Simul mortifer arcus sonat, et sagitta missa volat stridens terribiliter, et pervenit ad caput Remuli, et perfodit cuspide cava tempora. I, irride virtutem jactabundis vocibus. Phryges bis capti reddunt hæc responsa Rutulis. Ascanius* dixit *hæc solùm. Trojani applaudunt clamore, et gestiunt gaudio, et extollunt ad cælum virtutem* ejus. *Tum fortè Apollo conatus in aëris spatii desuper, spectabat exercitum Italicum et urbem* Trojanorum, *insidens nimbo: et alloquitur his* verbis *Ascanium victorem: Cresce, ô puer, tali virtute: sic tenditur ad sidera, orte à Diis, et producture Deos: cuncta bella per fatum oritura quiescent meritò sub posteritate Assaraci: neque Troja te comprehendit. Simul locutus ista librat*

## NOTÆ.

plicuit hìc *biforem*, imparem, dissimilem. Hæc è Salmasio in Solinum.

619. *Tympana.*] Ex Isidoro. *Tympanum est pellis, vel corium, ligno extensum:* pulsabatur apud veteres manibus ac digitis: à *τύπτειν, verberare.* Hæc, ut et *cymbala*, ærea et cava, à *κύμβος, cavitas*, adhibebantur ad sacra Cybeles, de quibus Lucret. l. 2. 618. *Tympana tensa tonant palmis, et cymbala circum Concava, raucisonoque minantur cornua cantu, Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.*

622. *Nervo equino.*] Nervos arcuum ex equorum setis fieri solitos, testatur Hesychius.

624. *Antè Jovem.*] Versis oculis in aërem superiorem, sive ætherem, qui *Jupiter* est, Geor. 2. 325.

631. *Intonuit lævum.*] Bonum omen. Ecl. 1. 16.

639. *Ausonias acies.*] *Italas*, Æn. 7. 54. *Urbem:* novam Trojam, ibid. 7. 157.

641. *Macte.*] *Mactus*, quasi *mauctus*, id est, *magis auctus.* Sic herba adulta dicta est à Catone *macta*, quia *aucta:* hostiæ quoque *mactæ*, quia molâ, vino, thure spargebantur, et quasi cumulabantur *augebanturque* ante sacrificium; unde *mactare* pro *cædere*, dictum fuit. Diis ipsis in sacrificiis acclamabant: *Macte hocce vino inferio esto, macte hâcce dape esto*, quia sacrificiis augeri eorum felicitatem putabant. Cicero dixit, Nonnio teste, *mactare aliquem honoribus;* Plautus, *mactare infortunio.* Hæc ferè ex Vossio: qui addit, hâc formulâ vocativum *macte* adhiberi pro nominativo *mactus*, more Attico; quemadmodum apud Tibullum, l. 1. 7. 53. *Si venias hodierne:* apud Persium, Sat. 3. 28. *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis.* Est et apud Plin. l. 2. 12. plurali numero: *macti ingenio este, cœli interpretes.*

642. *Dîs genite, &c.*] Genitus *Venere* per Æneam, *Jove* per Dardanum: geniturus *Julium* et *Octavianum* Cæsares: qui divinis honoribus afficiendi erant. De *Assaraco*, à quo ortus Æneas, Æn. 1. 284.

644. *Nec te Troja capit.*] Sic Philippus Ma-

Æthere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit: formâ tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger antè fuit, fidusque ad limina custos:
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque, coloremque
Et crines albos, et sæva sonoribus arma;
Atque his ardentem dictis affatur Iülum:
Sit satis, Æneide, telis impunè Numanum
Oppetiîsse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis.
Cætera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo,
Mortales medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
  Agnovere Deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fugâ sensere sonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis ac numine Phœbi
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursùs
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acres arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hœdis
Verberat imber humum: quàm multâ grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Jupiter horridus Austris
Torquet aquosam hyemem, et cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,

*se à summo aëre, dissecat aërem spirabilem, et tendit ad Ascanium: tum mutatur specie vultûs in Buten senem. Hic priùs fuerat Anchisæ Trojano armiger, et fidelis satelles ad portam: tunc pater* Æneas *adjunxerat* hunc *Ascanio comitem. Apollo incedebat similis* huic *seni* per *omnia, et vocem, et colorem, et capillos canos, et arma sono aspera. Atque alloquitur acrem Ascanium his verbis: Fili Æneæ, sufficiat* tibi *Numanum occubuisse sagittâ tuâ absque* tuo *damno: magnus Apollo dedit tibi hunc primum honorem, et non invidet æquali* gloriæ *armorum. Cæterùm abstine pugnâ, ô puer. Apollo ita locutus fugit* in *medio colloquio visus humanos, et longè ab oculis abiit in levem aërem. Principes Trojani cognoverunt Deum, et sagittas divinas, et audiverunt pharetram sonantem dum abiret. Itaque* per *monita et auctoritatem Phœbi retinent Ascanium incensum ad pugnam: ipsi iterum redeunt ad prælia, et exponunt vitam manifestis periculis. Clamor spargitur per aggeres totis mœnibus. Adducunt fortes arcus, et librant* hastas *amentatas. Terra omnis tegitur spiculis: prætereà clypei et cavæ cassides reddunt sonum allisu* spiculorum: *oritur crudele prælium. Quanta* est *pluvia,* quæ *per Hœdos pluviales orta ab occidente percutit terram: quàm crebrâ grandine nubes ruunt in mare, quando Jupiter asper Austris emittit cœlo tempestatem pluviosam, et solvit cavas nubes. Pandarus et Bitias, geniti Alcanore Idæo,*

## NOTÆ.

cedoniæ rex ad Alexandrum, apud Plutarchum: *Quære tibi regnum par, non enim te capit Macedonia.* De novâ Trojâ intellige, Æn. 7. 157.

647. *Dardanio Anchisæ.*] Versus spondaicus, cum hiatu diphthongi longæ, more Græcorum.

653. *Æneide.*] Vocativus patronymicus, ab *Æneides.*

655. *Paribus armis.*] Nam Apollo puer sagittis serpentem Pythona confixit, ut matrem defenderet, quemadmodum Ascanius hìc Numanum, ut patriam ulciscatur, Æn. 3. 75.

660. *Pharetramque fugâ sensere, &c.*] Præter signa divinæ præsentiæ quæ diximus, Æn. 1. 402. hoc addit aliud: nempe, sonitum quemdam pharetræ et sagittarum auditum in aëre, postquam ex oculis Apollo jam evanuisset. Talis est Apollinis sonus Iliad. 1. 46. De nomine *Apollinis,* Ecl. 3. 104. De nomine *Phœbi,* ibid. 62.

665. *Amenta.*] Hastas, quæ circa medium *amento,* id est, loro, alligatæ erant: quo implicata manus, æquabili quasi impetu certiùs hastam librabat. *Amentum,* ab *ἄπτω, ligo:* unde etiam *apes* et *examen apum;* ut diximus, Ecl. 7. 13.

668. *Hœdis.*] Stellis duabus astri, cui nomen *Erichthonius* vel *Auriga,* infra ejus humerum: quarum ortus et occasus procellosus habetur. De *Austro,* pluvio, item vento meridionali, Ecl. 2. 58.

672. *Idæo, &c.*] In Idâ monte Troadis: ubi Cybele colebatur; ac ipse etiam Jupiter: qui ideo passim dicitur ab Homero *Ἴδηθεν μεδέων, ab Idâ imperans,* Iliad. 3. 276, &c. *Hiera,* Ἱερὰ, nomen

Quos Jovis eduxit luco sylvestris Hiera,
Abietibus juvenes patriis et montibus æquos:
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, ultróque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus, dextrâ ac lævâ, pro turribus astant,
Armati ferro, et cristis capita alta corusci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesin seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut vidêre patentes:
Continuò Quercens, et pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, et Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedêre,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ:
Et jam collecti Troës glomerantur eódem,
Et conferre manum et procurrere longiùs audent.
  Ductori Turno diversâ in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius: hostem
Fervere cæde novâ, et portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus irâ
Dardaniam ruit ad portam, fratresque superbos.
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebanâ de matre nothum Sarpedonis alti,

*quos Hiera sylvestris educavit in sylvâ Jovis, juvenes æquales abietibus et montibus patriæ* suæ, *aperiunt portam, quæ credita* erat ipsis *jussu regis, confisi armis, et ultrò alliciunt hostem in muros. Ipsi intus stant ante turres* ad *dextram et sinistram, induti ferro, et rutilantes cristis* supra *capita sublimia. Quales duæ quercus aëriæ tolluntur circa fluvios liquidos, aut* in *ripis Eridani, aut juxta gratum Athesin, et erigunt* ad *cælum capita incædua, et motant altum cacumen. Rutuli cùm viderunt ingressum apertum, irruunt. Statim Quercens, et Equiculus spectabilis armis, et Tmarus temerarius animo, et Hæmon Martius, vel repulsi objecere terga totis turmis* hostium, *vel amiserunt vitam in ipso aditu portæ. Tunc furor magis accenditur* in *animis infensis; et jam Trojani densantur congregati* in *eum* locum, *et audent conserere manus, et progredi longiùs. Nuncius fertur regi Turno, sævienti aliâ in parte, et turbanti hostes: hostem animari recenti strage, et offerre portas apertas. Relinquit inceptum* opus, *et accensus ingenti furore currit ad portam Trojanam et fratres superbos. Et intorto telo dejicit primum Antiphaten, filium spurium magni Sarpedonis ex matre Thebanâ, nam is se primus offerebat:*

## NOTÆ.

matris: quia tamen secundam naturâ brevem habet, suspicatur Turnebus *hyæna* legendum esse: quæ fera est, à quâ Pandarum et Bitian educatos putat, ut Romulum à lupâ.

674. *Abietibus.*] *Abies*, arbor, *sapin*, FIR. Quatuor syllabæ breves, in dactylum compressæ.

679. *Liquentia, &c.*] Ita passim optimi quique codices: aliqui tamen *Liquetia;* quod quidam avidè arripiunt post Servium. Et est *Liquetia;* vel potiùs, ut apud Plinium legitur, *Liquentia*, fluvius Venetorum, in superiorem sinûs Hadriatici partem influens, nunc *Livenza.* At præter rationes ab Erythræo contra Servii curiosiorem interpretationem allatas; contrà facit, quòd dicitur *Liquentia, Liquentiæ.* Unde puto Virgilium simpliciùs de *liquentibus*, id est; *liquidis* fluviis, explicandum esse: ait enim, Geor. 4. 442. *fluviumque liquentem.* Et *liquens*, primam habet, modò brevem, modò longam.

680. *Padi, &c.*] *Padus*, sive *Eridanus, le Pô*, fluvius Italiæ maximus, Geor. 1. 482. *Athesis*, post Padum maximus, *l'Adige*, ex Tridentinis Alpibus, per Venetos in mare Hadriaticum influit; proprio quidem ostio, sed fossis quibusdam transversis et paludibus, cùm regio tota scateat: ideo dictus est à Servio et Vibio in Padum, qui paulò inferiùs fluit, decurrere.

695. *Dardaniam portam.*] Novæ Trojæ. Æn. 7. 157. *Dardani*, Trojani, Æn. 1. 235.

697. *Thebana, &c.*] *Thebæ* multæ fuerunt, aliæ in Egypto, aliæ in Bœotiâ, aliæ in Thessaliâ Phthiotide: illæ nihil hìc ad rem faciunt; sed *Thebe, Thebes*, Asiæ minoris urbs apud Adramyttenos, de quâ Lydis et Mysis diu certamen fuit, teste Strabone lib. 13. Regia fuit Eetionis. Andromachæ patris. Didymus tamen, vetus Homeri interpres, hanc Eetionis regiam *Thebas* etiam vocat plurali numero, ad versum 397. Iliad. 6. Et adhuc expressiùs ad versum 366. Iliad. 1. *Sarpedon* Lyciæ rex, Jovis filius, Æn. 1. 100. *Nothus*, non legitimo conjugio susceptus filius, Æn. 7. 283. *Cornu*, arbor durissimo ligno, ideo telorum materia, *cornoüiller*, THE CORNEIL-TREE, Æn. 3. 649.

Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenuem, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphydnum:
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem:
Non jaculo, neque enim jaculo vitam ille dedisset;
Sed magnùm stridens contorta falarica venit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamâ lorica fidelis et auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra:
Dat tellus gemitum, et clypeum super intonat ingens.
Qualis in Euboïco Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam jaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit:
Miscent se maria, et nigræ attolluntur arenæ:
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis impôsta Typhoëo.

*jaculum è corno Italicâ volat per aërem levem, et impactum stomacho penetrat profundum pectus; hiatus profundæ plagæ emittit fluctus spumosi* sanguinis, *et ferrum calefit in pulmone sauciato. Deinde dejicit manu Meropem, et Erymanta: deinde Aphydnum: deinde Bitian flammantem oculis, et furentem animo: non jaculo, nam ille non amisisset vitam jaculo; sed falarica evibrata venit valdè stridens impulsa more fulminis, quam nec duo coria taurina, nec lorica defensa duplici squamâ aureâ, repulit: vasta membra sternuntur dejecta: terra reddit gemitum, et grandis* Bitias *tonat* cadens *super clypeum. Qualis in Cumano Baiarum litore agger saxeus aliquando cadit, quem immittunt mari eductum priùs vastis molibus: sic ille* agger *præcipitans facit ruinam, et profundè subsidit impactus undis: maria turbantur, et nigræ arenæ eriguntur: tunc Prochyta intima tremit sonitu, et Inarime injecta Typhoëo* quasi *asperum cubile jussu Jovis.*

## NOTÆ.

700. *Undam spumantem.*] Sanguinem undatim, id est, magnâ copiâ in rivos erumpentem. *Undam* dixit de multitudine populi, Geor. 2. 462.

705. *Falarica.*] Oblonga hasta, teres, præterquam ad extremum, ubi ferrum exstabat quadratum, tres longum pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Huic ferro picem in stupâ circumligabant: adjectoque igni immittebant in ligneas præsertim turres, quæ *falæ* dicebantur Etruscâ voce. Hoc tamen inventum videtur Saguntinis Hispaniæ tribuere Livius, l. 21. 8. unde hæc descriptio concinnata est.

707. *Duplici squamâ, &c.*] De *tergis*, sive coriis; et *squamis* loricarum, Æn. 3. 467. *Squamâ et auro:* id est, squamis aureis: ut Geor. 2. 192. *Pateris et auro*, pateris aureis.

709. *Clypeum super, &c.*] Servius agnoscit *clypeum* neutro etiam genere, juxta Caprum; aitque sic exprimi à Virgilio Homericum illud, Iliad. 5. 42. Δούπησεν δὲ πεσὼν, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, *sonuit autem cadens, sonueruntque arma sub ipso.* Quod etsi non abs re est, tamen interpretationem allatam puto tutiorem.

710. *Eboïco Baiarum, &c.*] *Baiæ*, locus in Campaniâ tepidis aquarum fontibus nobilis, in latere superiore Campani sive Neapolitani sinûs; non longè à Miseno promontorio: etiamnum retinet nomen. De hujus loci naturâ fusè, Æn. 6. 237. *Chalcidenses*, ex *Eubœâ* Græciæ insulâ, hodie *Negrepont*, non longè hinc urbem *Cumas* condiderunt, Æn. 6. 2. Nec longè fuit *Lucrinus, Avernusque* lacus: qui molibus ab Hercule clausi primùm; deinde ab Agrippâ in portum Julium Octaviani auspiciis conversi sunt, anno U. C. 717. ut ostendimus, Geor. 2. 161. Ideo Virgilius hìc *pilas*, sive moles lapideas, in mare impactas commemorat.

715. *Prochyta, &c.*] Vel *Prochyte*, hodie *Procita*, parva et aspera insula Tyrrheni maris, proximè admota Miseno promontorio: hoc inter et Inarimen insulam. à quâ per terræ motum avulsâ, Plinio, Straboni, aliisque censetur.

716. *Inarime.*] Ad meridiem Prochytæ, multò amplior insula, fertilitate nobilis: olim *Pithecusa*, et *Ænaria* etiam dicta, nunc *Ischia;* solo concavo et sulphureo, qualis est totus ille tractus; ignis eruptionibus olim sæpe infesta; unde Homerus Jovem commentus est hanc impacto fulmine injecisse giganti *Typhoëo*, qui ab Hesiodo describitur anguineis capitibus centum instructus, iisque flammas eructantibus, Terræ et Tartari filius, in Theogon. 821. De *Typhoëi* nomine Geor. 1. 279. Porrò Homeri versus illi sunt, Iliad. 2. 783. Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε, Διῒ ὡς τερπικεραύνῳ Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. *Terra verò resonabat, sicut Jove fulminatore irato, quando circa Typhoëum terram verberat,*

Hìc Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit:
Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Undique conveniunt: quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo Deus incidit.
Pandarus ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res;
Portam vi multâ converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris: multosque suorum,
Mœnibus exclusos, duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit, recipitque ruentes:
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultróque incluserit urbi;
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuò nova lux oculis effulsit, et arma
Horrendùm sonuere: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subitò Æneadæ; tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternæ fervidus irâ
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram:
Hìc etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat: ille rudem nodis et cortice crudo

*Tunc Mars bellipotens animum et robur Latinis adjecit, et agitavit sub* eorum *pectore stimulos acutos: et injecit Teucris fugam, et nigrum timorem.* Latini *concurrunt undecunque: siquidem facultas pugnandi* ipsis *concessa est* à Trojanis: *et Deus bellicosus subiit eorum animum. Pandarus, ubi videt fratrem prostrato corpore, et quo* in *statu sit fortuna, qui casus impellat res* Trojanas: *magno conatu trudit portam revoluto cardine, obluctans vastis humeris: et relinquit in aspero prælio plurimos sociorum, exclusos muris: alios verò claudit secum et excepit irrumpentes: insanus! qui non agnoverit in mediâ multitudine regem Rutulum irruentem, et ultrò clauserit in urbe; quasi crudelem tigrim inter ignavas pecudes. Statim novum lumen emicuit ex oculis Turni, et* arma ejus *sonuèrunt horridè: cristæ rubræ nutant in capite, et emittit è clypeo fulgura rutilantia. Trojani statim perturbati agnoscunt vultum inimicum et grandia membra: tum magnus Pandarus exilit, et ardens dolore necis fraternæ exclamat: Non hæc* est *dotalis aula Amatæ; nec media Ardea claudit Turnum mœnibus patriis. Cernis castra hostilia: nulla est facultas hinc erumpendi. Turnus subridens illi* respondet *sedato animo: Incipe, si vis aliqua est animo* tuo, *et congredere* mecum *manu: referes Priamo hìc etiam repertum fuisse à te Achillem. Dixerat: Ille* Pandarus *connitens toto robore, vibrat hastam asperam nodis, et scabro cortice.*

## NOTÆ.

*in Arimis, ubi aiunt Typhoëi esse cubilia.* Quibuscum si Virgiliani versus isti comparantur, certè videbuntur ex iis exscripti. Ubi duo videntur à Virgilio sanè factà audacter: I. Quòd *Arimos* illos Pithecusæ insulæ addixerit: cùm alii Ciliciæ montem, alii Lydiæ esse affirment, apud Didymum in Homer. Alii etiam Syriæ apud Strabonem: qui tamen ait, quibusdam videri esse Pithecusæ incolas: eò quòd *πίθηκος, simia,* Etruscâ linguâ, *arimus* dicatur: sed hæc quasi admodum incerta videtur proponere. II. Quòd voces illas *εἰν Ἀρίμοις, in Arimis, apud Arimos:* quæ voces et Homeri sunt et Hesiodi; in unum insulæ substantivum vocabulum composuerit, *Inarime, Inarimes.* Nec eum excusat Erythræus, cùm dicit, eodem exemplo esse, *Inalpinus:* hæc enim vox adjectiva est, quo in genere multò facilior est composita. Nec item excusant alii, cùm ex Plinii auctoritate affirmant, ab Homero scriptum *Inarimen,* non *in Arimis:* Plinium enimvero erroris revincunt codices et interpretes Homeri omnes. Quòd autem Virgilius hujus compositionis primus auctor sit, hinc jure conjici posse existimo: quòd ante ipsum nemo: post ipsum statim Ovidius, Statius, Lucanius, Silius, Plinius, Claudianus, aliique promiscuè omnes eâdem usi sunt voce: sibi gloriosum rati, cum eo aliquid, aut audere, aut errare. De *Marte,* Ecl. 9. 12. De *Latinis,* Æn. 7. 54.

737. *Dotalis regia Amatæ.*] Laurentum, urbs regia Latini: cujus uxor Amata, Turno favens, Laviniam ipsi regnumque in dotem tradere conabatur, Æn. 7. 56. De *Ardeâ,* Rutulorum et Turni urbe regiâ, ibid. 7. 372. 410.

742. *Priamo narrabis Achillem.*] Turnum, qui tam sit infestus Trojanis, quàm olim Achilles fuit. De *Achille,* Æn. 1. 99. ibid. 3. 321. De *Priamo,* ibid. 2. 506. De *Junone, Saturni filiâ,* ibid. 1. 23.

Intorquet, summis adnixus viribus, hastam.
Excepere auræ vulnus: Saturnia Juno
Detorsit veniens, portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum altè consurgit in ensem:
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus:
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepidâ formidine Troës.
Et si continuò victorem ea cura subîsset,
Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalarim, et succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum: Juno vires animumque ministrat.
Addit Halyn comitem, et confixâ Phegea parmâ:
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes,
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque, Prytanimque
Lyncea tendentem contrà, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno dejectum cominùs ictu
Cum galeâ longè jacuit caput: inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Æoliden, et amicum Cretea Musis:
Cretea Musarum comitem; cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos atque arma virûm, pugnasque canebat.
Tandem ductores auditâ cæde suorum
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus, Quò deinde fugam? quò tenditis? inquit,
Quos alios muros, quæ jam ultrà mœnia habetis?

*Aër excepit ictum: Juno filia Saturni deflexit* cum *venientem, et hasta inhæret portæ.* Tu *verò non evitabis hæc arma, quæ mea dextra rotat* cum *robore: nam non* est *idem auctor armorum et ictûs. Sic dixit* Turnus, *et erigit se in gladium altè eductum; et dissecat ferro mediam frontem* Pandari *horrendo vulnere, inter utraque tempora et genas imberbes. Fit sonitus, terra quassata est magno* illo *pondere: trahit moriens* in *terrâ membra deficientia, et arma sanguinolenta; et caput* scissum *in partes æquales pependit illi hinc atque hinc ex utroque humero. Trojani fugiunt dispulsi tumultuoso metu: et si illa cogitatio succurrisset statim victori* Turno, *frangere manu obices, et excipere socios portis, dies ille fuisset supremus bello et populo* Trojano. *Sed ira et immoderata cupiditas stragis impulit inflammatum* Turnum *adversùs oppositos hostes. Primo interficit Phalarim, et Gygen poplite* ejus *subsecto: deinde intorquet in dorsum fugientium hastas ereptas* his occisis: *Juno sufficit* ipsi *robur et animum. Adjicit* iis *socium Halyn, et Phegeum perforato* ejus *scuto; posteà super muris inscios* ingressûs sui *et agitantes pugnam, Alcandrum et Halium, et Noëmona, et Prytanim. Connitens à dextrâ parte aggeris intercipit fulgenti ense Lynceum incurrentem ex adverso et appellantem socios; caput cominùs excisum uno ictu procul concidit illi cum casside: deinde* interficit *Amycum venatorem ferarum, quo nullus alter* erat *solertior illinere manu spicula, et imbuere ferrum veneno; et Clytium Æoli filium, et Creteum charum Musis, Creteum socium Musarum, cui semper cantus et lyræ erant curæ, et sonos edere chordis: semper cantabat equos, et bella hominum, et certamina. Denique duces Trojani cognitâ strage suorum congregantur, Mnestheus, et fortis Serestus: et cernunt socios vagos, et hostem admissum. Et Mnestheus clamat: Quò, quò dirigitis fugam ultrà? quos jam habetis muros alios, quæ præterea munimenta?*

NOTÆ.

747. *Telum.*] Pro ense, ut jam alibi notavimus, *Æn.* 5. 438.

769. *Connixus ab aggere dexter.*] Cùm contrà tenderet Lynceus, Turnus sinistro latere innixus aggeri, dextrâ manu in dextrum quoque Lyncei latus incurrit. De *aggere*, suprà v. 142.

773. *Ungere tela, &c.*] Medicatis et venenatis herbis, barbarico more.

*Vir unus clausus undique vestris aggeribus, ô cives, fecerit per urbem tantas cædes absque ultione? dejecerit ad inferos tot principes juvenum? ô inertes! nonne pudet et miseret* vos *patriæ infortunatæ et antiquorum Deorum, et ingentis Æneæ? Talibus* verbis *inflammati corroborantur, et stant spisso agmine. Turnus* incipit *sensim recedere è prælio, et accedere ad flumen, et* ad *partem* murorum, *quæ clauditur flumine. Trojani* pergunt *eò ardentiùs incurrere magno clamore, et cogi in turbam. Veluti cùm turba* aliqua *urget jaculis infestis immanem leonem: ille autem turbatus, iratus, torvè aspiciens, cedit retrò: nec tamen furor aut virtus sinit* eum *obvertere terga; nec ille valet, propter* multitudinem *armorum et hominum, contrà ruere, licèt id cupiat. Non aliter Turnus anceps retrò figit gressus absque festinatione, et animus exardescit furore. Immò etiam bis jam irruperat in hostes medios, bis verterat in fugam per muros turmas* in *se conversas. Sed omnis exercitus festinanter congregatur è castris in unum: nec Juno filia Saturni audet suppeditare* Turno *robur adversùs* eos: *nam Jupiter misit è cœlo Irim aëriam, portantem sorori mandata non grata; nisi Turnus exeat ex altis muris Trojanorum. Igitur juvenis nec ampliùs potest resistere clypeo, nec manu; ita premitur jaculis undequaque intortis. Cassis sonat continuo flictu circa cava tempora, et* arma *valida ex ære rumpuntur lapidibus, et cristæ dejectæ* sunt *è capite, nec clypeus par* est adversùs tot *ictus: ingruunt hastis et Trojani, et ipse Mnestheus* instar *fulminis: præthereà sudor è toto corpore labitur, et efficit nigrum fluentum, nec facultas* est *respirandi:* difficilis *anhelitus commovet membra fatigata. Tunc denique præcipitans immisit se saliendo in fluvium* cum *omnibus armis: fluvius in suo flavo sinu excepit cadentem, et portavit placidis aquis: et revexit gaudentem ad socios, sanguine* cædis *purgato.*

Unus homo, vestris, ô cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impunè per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque Deorum,
Et magni Æneæ segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugnâ,
Et fluvium petere, ac partem quæ cingitur amni.
Acriùs hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. Ceu sævum turba leonem
Cùm telis premit infensis: at territus ille
Asper, acerba tuens, retrò redit: et neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contrà,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque
Haud aliter retrò dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exæstuat irâ.
Quin etiam, bis tum medios invaserat hostes,
Bis conversa fugâ per muros agmina vertit.
Sed manus è castris properè coit omnis in unum:
Nec contrà vires audet Saturnia Juno
Sufficere: aëriam cœlo nam Jupiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantùm,
Nec dextrâ valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, at saxis solida æra fatiscunt:
Discussæque jubæ capiti, nec sufficit umbo
Ictibus: ingeminant hastis et Troës, et ipse
Fulmineus Mnestheus: tum toto corpore sudor
Liquitur; et piceum, nec respirare potestas,
Flumen agit: fessos quatit æger anhelitus artus.
Tum demùm præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit: ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis:
Et lætum sociis ablutâ cæde remisit.

## NOTÆ.

785. *Orco.*] Inferorum Deo, Geor. 1. 277.

796. *Potis est.*] De hâc voce, Æn. 3. 671. De *Iride*, Æn. 4. 700.

810. *Jubæ, &c.*] *Equinæ jubæ*, unde cristæ galearum, Æn. 3. 468. *Umbo*, pars media eminens in clypeo, ibid. 2. 546.

813. *Piceum flumen.*] Sudor est pulveri commistus, picis instar nigrescens, et adhærens cuti.

# P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER X.

### ARGUMENTUM.

*JUPITER advocato Deorum concilio, frustrà conatus Junonem ac Venerem in concordiam adducere, de Trojanorum Rutulorumque rebus inter se dissidentes: pronunciat se neutrarum partium fore, sed fatis omnia permissurum. Rutuli ad oppugnandum, Trojani ad defendendum urbem redeunt. Æneas, dies aliquot in Etruriâ commoratus, collectis inde auxiliis, ad suos redit, triginta navium classe auctus. Nymphas, è suis navibus eam in speciem paulò antè transformatas in itinere obvias habet. Ab iis de suorum periculo certior factus; sub primam lucem provectus in conspectum hostium, exercitum in litus exponit. Occurrunt Rutuli: commissoque gravi certamine, Pallas à Turno occiditur: cujus necem cùm ulcisceretur Æneas magnâ strage, et Ascanius, eruptione factâ, copias paternis adjunxisset: Juno Turnum præsenti periculo eripit, objectâ illi falsâ Æneæ imagine: quam ille fugientem ad usque navem dum sequitur, retinaculis à Junone ruptis, ad litora Ardeæ proxima vi tempestatis abripitur. Mezentius pugnæ pro Turno succedens, et filius Mezentii Lausus, ab Æneâ occiduntur.*

PANDITUR intereà domus omnipotentis Olympi:
Conciliumque vocat Divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidûm aspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus, incipit ipse:
Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis
Versa retrò? tantûmque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:

INTERPRETATIO.

*Interim regia cœli omnipotentis aperitur; et genitor Deorum atque rector hominum cogit concilium in aulam stellatam: unde sublimis despicit cunctas terras, et castra Trojanorum et gentes Latinas. Sedent in domo* apertâ valvis *biforibus: ipse* Jupiter *orditur* sermonem: *Magni habitatores cœli, quare consilium vobis mutatum est in contrarium? et usque adeò pugnatis animis adversis? prohibueram ne Italia bello congrederetur* cum *Trojanis:*

### NOTÆ.

1. *Omnipotentis Olympi.*] Aliqui per *Olympum,* Jovem intelligunt, quem eo etiam nomine esse appellatum probat in indice Erythræus, ex Cæcilio Minutiano Apuleio, ex Cleanthe et Diodoro Siculo. Alii meliùs *cælum* accipiunt: quod *omnipotens* dicitur, vel quia Jupiter omnipotens in eo habitat; vel quia ad omnium rerum productionem per siderum inflexus conducit: ut terra per vim suam, quæ ideò dicitur *omnipotens.* Sic *Olympum omnipotentem* distinguit à Jove, Æn. 12. 791. *Rex omnipotentis Olympi.* De *Dardanidis,* Æn. 1. 235. De *Latinis,* Æn. 7. 54.

5. *Tectis bipatentibus.*] Ubi Janua est *biforis,* quæ in dextram lævamque aperitur. Sic Auson. Epig. 137. 3. vocat *pugilar bipatens,* quod apertum duas paginas explicat.

6. *Quianam sententia vobis Versa, &c.*] Id est, cur immemores estis meæ sententiæ, quâ pro-

Quæ contra vetitum discordia? quis metus, aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne accersite, tempus:
Cùm fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:
Nunc sinite, et placitum læti componite fœdus.
  Jupiter hæc paucis: at non Venus aurea contrà
Pauca refert.
O pater, ô hominum Divûmque æterna potestas,
(Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut insultent Rutuli? Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, et inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem, credo, mea vulnera restant:

*quæ dissensio* est *contra prohibitionem? quis timor impulit, vel hos, vel istos capere arma, et commovere ferrum? veniet legitimum pugnæ tempus, ne accelerate* illud: *quando aspera Carthago inferet Romanis urbibus magnam perniciem et Alpes patefactas: tunc licebit pugnare odiis, tunc* licebit *depopulari res* Trojanas: *nunc permittite, et læti conciliate pacem,* quæ *placet* mihi. *Jupiter* dixit *hæc paucis* verbis: *at pulchra Venus non pauca respondet adversùm. O genitor, ô sempiterna virtus hominum ac Deorum (scilicet est quid aliud, quod nunc possimus invocare?) vides quomodo Rutuli insolescant? et* quomodo *Turnus conspicuus equis rapiatur inter medios, et irrumpat superbus felici prælio? munimenta clausa jam non tuentur Trojanos: immo committunt pugnam intra portas, et* in *ipsis propugnaculis murorum, et fossæ replentur sanguine. Æneas abest* illinc *inscius* rerum illarum. *An nunquam permittes* eos *liberari obsidione? rursùs hostis instat muris Trojæ resurgentis, et prætereà alter exercitus: et rursùs Tydei filius insurgit in Teucros ab Arpis Ætolis. Sanè, opinor, superest ut ego* rursùs *vulnerer:*

## NOTÆ.

hibueram, ne Itali Trojanis obstarent. Vel, cur mutâstis ipsi sententiam vestram, quâ statueratis neutris partibus favere? *Quianam,* Æn. 5. 13. De *Teucris,* Æn. 1. 235.

11. *Adveniet——tempus, &c.*] Quasi dicat Jupiter: *Nemo mihi objiciat, quòd faveam Trojanis, eosque illæsos esse perpetuò velim. Adveniet tempus præscriptum fatis, quo eorum posteri gravibus et ipsi cladibus afficientur, ab Annibale, et Carthaginiensibus.*

12. *Carthago, &c.*] Significat bella Punica, à Carthaginiensibus ter gesta cum Romanis: quorum secundo Annibal per Hispanias, Galliasque in Italiam exercitum traduxit, superatis Pyrenæis et Alpibus, Italiam ferè totam in suam potestatem redegit, in eâ per annos circiter sexdecim insedit: sed, Scipione interim in Africam immisso, revocatus in patriam, à Scipione victus est; Carthago vectigalis facta: atque ita bellum Punicum secundum confectum est, anno U. C. 553. Bello deinde Punico tertio deleta est urbs eadem, à Scipione juniore sive Æmiliano, anno U. C. 608. De *Carthagine,* in argumento l. 4. De *Alpibus,* Italiam à Galliâ et Germaniâ disterminantibus, Ecl. 10. 47.

13. *Exitium——atque Alpes apertos.*] Nova et figurata locutio, pro, *immittet exitium per Alpes apertas:* ut notat Scaliger. Vel potiùs, *immittet Alpes,* id est, *Alpinos populos:* locum dixit, pro incolis: quemadmodum, Geor. 3. 31. *Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphatem:* per *Niphatem* montem Armeniæ, Armenios ipsos intellexit, pulsos à Romanis. Aperuit autem sibi Alpes Annibal maximo labore, adesis aceto atque igne rupibus. Lege Livium l. 21. 36.

14. *Tum certare, &c.*] Tum licebit, ut Trojani, seu Romani eorum posteri, pareant odiis atque deprædationi hostium: vel, odiis vestris, deprædationi hostium.

15. *Componite fœdus.*] Vel inter vos: vel inter Latinos ac Trojanos. De *Venere aureâ,* id est, *pulchrâ,* Æn. 1. 591. De *Rutulis,* Æn. 7. 795. De *aggeribus,* ibid. 9. 142.

27. *Nascentis Trojæ, &c.*] Æn. 7. 157.

28. *Ætolis——ab Arpis Tydides.*] *Arpi,* Apuliæ Dauniæ urbs, cujus ruinæ adhuc dicuntur *Arpe.* Condita à Diomedi Tydei filio, de quo Æn. 11. 243. Ab eo petierat auxilium Turnus, Æn. 8. 9. nullo tamen successu, ut patebit, Æn. 11. 243. Quare Venus hìc fingit, exercitum ab Arpis imminere, ut causam suam exaggeret.

29. *Mea vulnera restant.*] Iliad. 5. 335. Cùm Æneam, à Diomede lapidis ictu vulneratum, Venus opposito peplo è pugnæ periculo subduceret,

Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tuâ atque invito numine Troës
Italiam petiere; luant peccata, neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi manesque dabant; cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Æoliâ excitos, aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet: et superis immissa repentè
Alecto, medias Italûm bacchata per urbes.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura: per eversæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obtestor; liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas sanè ignotis jactetur in undis;
Et, quamcunque viam dederit fortuna, sequatur.
Hunc tegere, et diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hìc ævum: magnâ ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes?
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,

*et ego tua filia exspecto arma mortalis* viri. *Si Trojani adierunt Italiam absque tuâ veniâ et invitâ divinitate* tuâ: *expendant* pœnas *delicti* sui, *nec recrees illos ope* tuâ: *si verò* id fecerunt *obsecuti tot oraculis, quæ cœlum et inferi dabant* illis; *cur ullus nunc potest frangere* vim *mandatorum tuorum, vel cur* potest *statuere nova fata? Cur memorabo naves incensas in litore Siculo? cur regem procellarum, et ventos furiosos eductos ex Æolia* insulâ, *aut Irim demissam* ex *aëre? nunc quoque* Juno *concitat inferos, hæc sola pars rerum restabat inexperta: et Alecto immissa subitò* in loca *superiora, sæviit in mediis urbibus Italorum. Non moveor ob regnum: superavimus illud, dum sors favit; superent, quos mavis superare. Si nulla est plaga quam aspera uxor tua relinquat Trojanis: ô pater, obsecro per fumantes ruinas Trojæ dirutæ: liceat* mihi *eripere Ascanium salvum è bello, liceat* ut *restet nepos. Æneas quidem agitetur fluctibus incognitis, et sequatur iter quodcunque sors offert* ipsi: at *possim tueri, et subtrahere è crudeli prœlio hunc* Ascanium. *Est mihi Amathus, est alta Paphos,* sunt *Cythera, et ædes Idaliæ; illic ducat vitam ignobilis abjectis armis: impera* ut *Carthago opprimat Italiam gravi potentiâ; nihil ab eo* Ascanio *obstabit urbibus Punicis. Quid profuit* Æneam *evitâsse ruinas belli, et fugisse per medios ignes Græcos?* et quid profuit *evasisse tot pericula maris et terræ immensæ,*

## NOTÆ.

à Diomede in volâ manus vulnerata est. Mars deinde ad imum ventrem ab eo sauciatus quoque est, v. 857.

36. *Erycino in litore.*] Æn. 5. 660. Mulieres Trojanæ, Junonis et Iridis suasu, tædio navigationis, naves Æneæ exusserunt, dum is ludos celebrabat ad patris Anchisæ tumulum, prope Erycem, Siciliæ urbem et montem, qui nunc est mons *Sancti Juliani*, Æn. 3. 707. ibid. 5. 24.

38. *Æoliâ excitos.*] Juno Æolum et ventos in Æneæ classem concitavit, Æn. 1. 52. ubi de insulis *Æoliis*, ad latus septentrionale Siciliæ.

*Irim.*] Missa est à Junone, ad Trojanas mulieres, ut eas ad incendium navium concitaret, Æn. 5. 606. Ad Turnum, ut eum ad bellum hortarerur, Æn. 9. 2. &c. De *Iride*, Æn. 4. 700.

39. *Manes.*] Deos inferorum, Æn. 6. 743. Hos commovit Juno, cùm in Trojanos furiam Alecto concitavit, Æn. 7. 324. Alecto deinde Amatam in furorem egit, ibid. 346. posteà Turnum, ibid. 409. De voce, *bacchatâ*, quæ à furiosis Bacchi comitibus petitur, ibid. 4. 301.

51. *Amathus.*] Genit. *Amathuntis*, nunc *Limisso*, et *Idalium*, aut *Idalia, bourg Dalim:* et *Paphus*, sive *Paphos, Baffo:* urbes in Cypro insulâ, quæ tota Veneri sacra fuit, Æn. 1. 625. *Cythera, orum*, insula inter Peloponnesum et Cretam, nunc *Cerigo*, ibid. 1. 257.

54. *Ausoniam.*] Italiam, Æn. 7. 55.

56. *Argolicos.*] Græcos, ab urbe *Argis*, Æn. 1. 285.

Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum quo Troja fuit? Xanthum et Simoënta
Redde, oro, miseris: iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Ænean hominum quisquam Divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus, esto,
Cassandræ impulsus furiis. Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hìc Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patriâ Turnum consistere terrâ;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid, face Trojanos atrâ vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?

*dum Trojani quærunt Latium, et Trojam rursùs cadentem? nonne potius* erat *manere* in *ultimis ruinis patriæ, et* in *terrâ ubi fuit Troja? O pater, redde, precor, miseris* illis *Xanthum et Simoënta, et permitte Trojanis rursùs adire casus Troïcos. Tum Juno regina, commota furore aspero,* ait: *Quare cogis me solvere profundum silentium, et patefacere sermone dolorem occultum?* an *ullus hominum aut Deorum coëgit Æneam adire bellum, aut opponere se hostem regi Latino? adiit Italiam fatis suadentibus, incitatus vaticiniis Cassandræ, sit* ita sanè. *An suasimus* ei, ut *desereret castra* sua, *aut crederet vitam* suam *ventis? an* suasimus, ut *traderet puero administrationem belli et urbem* suam; *aut* ut *solicitaret fidem Etruscam et populos tranquillos? quis Deus, quæ infesta vis nostra impulit* eum *in* hoc *damnum? ubi* est in *eâ* re *Juno, et Iris missa ex aëre? Injustum est* nempe quòd *Itali cingant ignibus Trojam novam; et* quòd *Turnus maneat in patriâ tellure:* Turnus, inquam, *cui Pilumnus est avus, cui Dea Venilia* est *mater. Quid* ergo illud est, quòd *Trojani nigris tædis inferunt vim Latinis? opprimunt imperio regiones non suas, et adducunt prædas? quid* est quòd *decipiunt soceros, et eripiunt sponsas è sinu* sponsorum?

## NOTÆ

58. *Latium, &c.*] Æn. 7. 54. *Teucri*, Æn. 1. 235. *Pergama*, arx Trojæ, ibid. 1. 466. *Recidiva*, aliqui explicant *restituta*; ego *caduca, rursus cadentia*, ibid. 7. 322. *Xanthus* et *Simoïs*, Troadis fluvii, ibid. 1. 100. 473.

68. *Cassandræ——furiis.*] Amarum Junonis dictum: quo significat Æneam furiosa quædam Cassandræ vaticinia pro Deorum et fati monitis accepisse. *Cassandra*, Priami filia fuit et vates, Æn. 2. 246. Prædixerat Anchisæ Trojanos venturos in Italiam, ibid. 3. 183.

70. *Puero.*] Ascanio, cui curam novæ Trojæ crediderat, sub tutelâ tamen Mnesthei et Seresti, Æn. 9. 171.

71. *Tyrrhenamve fidem, &c.*] Æneas, Evandri consilio, Tarchontem et Tyrrhenos, à Mezentio rege dissidentes, adierat, opem ab iis petiturus, Æn. 8. 597. De *Tyrrhenâ gente*, ibid. 479.

76. *Pilumnus avus, &c.*] *Pilumnus* et *Picumnus* fratres, antiqui Rutulorum reges: Jovem, juxta aliquos, patrem habuerunt. *Pilumnus*, ob inventum *pili* usum in comminuendo frumento, totamque pinsendi artem, inde nomen habuit. *Picumnus*, ob inductum morem stercorandæ terræ, *Stercutius* etiam est appellatus. Iidem dicti sunt Dii conjugales: iisdemque, statim ut natus erat infans, lectus in atrio domûs honoris causâ sternebatur, teste Varrone apud Nonium: quare ipsos etiam necesse est aliquid eorum reperisse, quæ ad conjugia puerorumque institutionem pertinent. Ab hoc primo *Pilumno*, aut multi, aut omnes deinde Rutulorum reges, *Pilumni* dicti sunt: siquidem Pilumnus dicitur Turni *parens*, Æn. 9. 4. Turni *avus*, hìc: Turni *quartus pater*, id est, *abavus*, infrà, v. 619. De *Veniliæ* genere nihil reperitur, nisi quòd erat soror Amatæ, Latini uxoris; de ejusdem divinitate nihil, nisi quòd à Servio Nympha dicitur.

77. *Face, &c.*] Significat primos belli motus ob occisum à Trojanis Sylviæ cervum excitatos: ubi rusticis armis, fustibus obustis, et stipitibus primò res acta est, Æn. 7. 506.

79. *Soceros legere, &c.*] *Decipere, furtim accipere*, et quasi *suffurari*: unde dicitur *sacrilegus*, qui sacra furatur: quo sensu compositum verbum magis est in usu *sublegere*: unde Ecl. 9. 21. *Sublegi tacitus tibi carmina nuper*

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Ænean manibus subducere Graiûm,
Próque viro nebulam et ventos obtendere inanes;
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contrà juvisse, nefandum est!
Æneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nos-ne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovique cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno: cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario: ceu flamina prima
Cùm deprensa fremunt sylvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente, Deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
Tum Zephyri posuere, premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:

quòd *manu precantur pacem, et prætendunt arma navibus? Tu potes suffurari Æneam è manibus Græcorum, et opponere pro viro* illo *nubem, et vanas auras: et potes transformare naves in totidem Nymphas: crimen est, nos adjuvisse aliquantulùm Rutulos adversùs* eum. *Æneas abest inscius* periculi urbis: *et* verò *absit inscius. Est tibi Paphus et Idalium, sunt Cythera sublimia: cur* ergo *solicitas urbem potentem bello, et animos bellicosos? an nos subruere tibi à fundamentis fragile regnum Troadis contendimus?* an, inquam, *nos?* an potiùs, ille, *qui commisit Trojanos* cum *Græcis? quæ fuit causa* cur *Europa et Asia surgeret in bella, et societas dirimeretur clandestino* amore? an *adulter Trojanus cepit Spartam me duce? an ego subministravi arma, et alui bellum amoribus? tunc decebat* te *timere tuis: jam tardior insolescis querimoniis non legitimis, et moves rixas inanes. Juno loquebatur talibus* verbis: *et omnes incolæ cœli mussitabant diversis sententiis: veluti quando primi flatus fremunt inclusi sylvis, et volvunt obscuros sonitus, significantes nautis imminentem ventum. Tunc Genitor omnipotens, cui* est *suprema potentia rerum, incepit* loqui: *illo loquente, alta aula Deorum conticescit, et tellus territa* à *fundamentis,* et *sublimis æther tacet: tum Zephyri quieverunt, mare sternit tranquillam planitiem. Ergo accipite hæc mea verba, et imprimite* ea *mentibus. Si quidem non permittitur Latinos sociari Trojanis per fœdus, et vestra dissensio non habet finem:*

## NOTÆ.

80. *Pacem orare manu, &c.*] Id est, aliud verbis præ se ferre, aliud re præstare. *Pacem orare manu,* est supplicum ritu ramos olivæ, tæniis laneis implicatos, manu prætendere, Æn. 7. 237.

81. *Tu potes Ænean, &c.*] Æneam Venus è Diomedis manibus eripuit, peplo, vel nebulâ pepli instar obductâ, suprà, v. 29.

83. *Nymphas.*] Id à Cybele factum, Æn. 9. 117. sed quasi in gratiam Veneris factum esset, Veneri exprobrat Juno.

85. *Ignarus et absit.*] Rationem petitam ex Æneæ absentiâ, cùm refutare non possit, ironicâ concessione eludit. De *Papho, Idalio, &c.* v. 51.

87. *Urbem, &c.*] *Laurentum,* cujus imperium affectare Æneas videbatur, per Laviniæ conjugium.

88. *Nos ne tibi fluxas, &c.*] Dixerat Venus, *Xanthum et Simoënta redde, oro, miseris:* permitte ut in ipsis Trojæ reliquiis maneamus. Reponit Juno, *An ego id impedio, an Trojæ reliquias tibi invideo?* Vel præsens posuit pro præterito, *An ego everti olim res Trojæ per se labentes et fluxas?*

89. *Qui Troas Achivis Objecit.*] *Parin* significat: qui societatem et jura hospitiorum violavit: Helenam Menelai regis Spartani conjugem, apud quem hospitio exceptus erat, rapuit, marito absente; imò, si fides hìc est Junoni, et Virgilio, per vim expugnatâ Spartâ id commisit, Æn. 1. 27. De *Achivis,* ibid. 1. 488.

91. *Europam, &c.*] Ubi Græcia. *Asiam,* ubi Troas. *Spartam,* urbem Peloponnesi, Æn. 2. 577. *Dardanius,* Paris, è regiâ Dardani familiâ, ibid. 1. 235.

93. *Cupidine.*] Amore mutuo Helenæ et Paridis. *Cupido;* Veneris filius, Æn. 1. 658.

102. *Solo tellus.*] *Solo,* profunditate, quâ solida terra est, Ecl. 6. 35. De *Zephyris,* Ecl. 5. 5. De *Ausoniis,* Æn. 7. 54. De *Teucris,* ibid. 1. 235.

*ab hoc die, quæcunque sit unicuique sors, quamlibet spem* sibi *assumat unusquisque, sive Trojanus, sive Rutulus fuerit,* hos *tractabo sine ullo discrimine: sive urbs cingitur obsidione* in *damnum Italorum; sive pernicioso errore Trojanorum, et ominibus infaustis. Nec libero Rutulos* fatis. *Unicuique sua incepta præstabunt damnum aut felicitatem. Rex Jupiter æquus* erit *omnibus. Fata facient* sibi *viam. Firmavit* hoc *per fluvium fratris Stygii, per ripas fluentes pice et nigris vorticibus: et motu* capitis *commovit universum cœlum. Hic* fuit *finis sermonum: tunc Jupiter surgit è solio aureo; quem superi deducunt domum* cingentes eum *medium. Interim Rutuli* ad *omnes portas pergunt circùm delere viros internecione, et circumdare muros incendiis. Exercitus autem Trojanorum clauditur obsessus* intra *aggeres: nec* est *ulla spes fugiendi. Infelices* illi *excubant frustrà* in *altis turribus, et cingunt muros exiguo numero. Asius filius Imbraci, et Thymœtes filius Hicetaonis, et duo Assaraci, et senex Tybris cum Castore,* sunt *præcipui* in *turbâ* propugnantium: *duo fratres Sarpedonis, et Clarus, et Hæmon è nobili Lyciâ, comitantur illos. Acmon* ex urbe *Lyrnesso, non inferior patri Clytio aut fratri Mnestheo, contendens toto corpore jacit vastum saxum,* quod erat *non parvum fragmentum montis. Alii conantur propugnare* urbem *jaculis, alii lapidibus: et immittere tædas, et imponere sagittas nervo* arcûs. *Ecce ipse puer Dardanius*

Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ, monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Jupiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atrâque voragine ripas
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi: solio tum Jupiter aureo
Surgit: cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Intereà Rutuli portis circùm omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis.
Ast legio Æneadûm vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, et rarâ muros cinxere coronâ.
Asius Imbracides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Tybris,
Prima acies: hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, et Hæmon, Lyciâ comitantur ab altâ.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Mnestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis:
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,

## NOTÆ.

107. *Secat spem.*] Servius, Erythræus, et alii explicant, *sequitur*, spem: sic enim *secundus* et *secta* derivantur à *sequendo*. Turnebus interpretatur *dissecat*, et sibi quasi *separat* et *sumit*. Idem innuit adhuc tertiam interpretationem, *transigit, absolvit, exequitur*, ex illo Horatii Sat. l. 1. 10. 15. *Ridiculum acri Fortiùs et meliùs magnas plerumque secat res.*

108. *Rutulusve fuat.*] *Fuerit:* defectivum futuri temporis. De *Rutulis*, Æn. 7. 795.

110. *Errore malo ——— monitis sinistris.*] Quibus impulsi sunt, ut urbe se clauderent.

113. *Stygii per flumina fratris, &c.*] Per *Styga*, Plutonis inferorumque flumen: per quod *Dii* jurabant, Geor. 3. 551. Æn. 6. 323. De *Olympo*, Ecl. 5. 56.

117. *Ad limina.*] De patenti aulâ, ubi habitum concilium fuerat: ad ipsius interioris domûs januam.

125. *Germani Sarpedonis ambo, &c.*] Fratres Sarpedonis, qui Lyciæ rex, Jovis ex Laodamiâ filius, occisus est à Patroclo in obsidione Trojæ, Æn. 1. 100. *Germani* autem dicuntur à Varrone, qui ex eâdem genitrice manant: aut meliùs à Festo, qui ex eodem *germine*, et stirpe, sive paternâ, sive maternâ, sunt.

128. *Lyrnessius.*] Ex urbe Phrygiæ *Lyrnesso*, non longè à Thebe, circa sinum Adramyttenum: ubi suos *Cilices* ponit Homerus: qui ab Achille pulsi, et in meridionalem Asiæ minoris partem profugi, ad orientem Pamphyliæ consederunt; ibique condiderunt urbes cognomines *Lyrnessum* et *Theben*, et *Ciliciæ* novæ nomen dederunt; ita Strabo, l. 14. ex Callisthene. Quare cùm diximus, Æn. 2. 456. Andromachen filiam fuisse Eetionis, Thebani regis in Ciliciâ; Ciliciam veterem et Homericam, non novam accepimus.

129. *Fratre Mnestheo.*] Servius legit *Menestheo*, ut sit dactylus in quintâ sede: sed è probatissimis codicibus malim legi *Mnestheo;* ut *fratre* sit spondæus, ultimâ syllabâ productâ, ob sequentem duplicem consonantem in *Mnestheo*.

Dardanius caput ecce puer detectus honestum,
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho
Lucet ebur. Fusos cervix cui lactea crines
Accipit, et molli subnectit circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere, et calamos armare veneno,
Mæoniâ generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.
Affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
  Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: mediâ Æneas freta nocte secabat.
Namque ut ab Evandro castris ingressus Etruscis
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque
Quidve petat, quidve ipse ferat, Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet, immiscetque preces: haud fit mora, Tarchon
Jungit opes, fœdusque ferit. Tum libera fatis
Classem conscendit jussis gens Lydia Divûm,
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hìc magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios: Pallasque sinistro

*dignissimus amor Veneris, in mediis nudatus* secundùm *pulchrum caput, fulget quasi gemma, quæ distinguit aurum rutilum, et ornamentum* est *colli, vel capitis: aut quemadmodum splendet ebur infixum ex arte, vel buxo, vel terebintho Oriciæ* urbis. *Huic cervix candida sustinet capillos promissos, et circulus auri flexilis subligat* eos. *O Ismare, bellicosi populi viderunt etiam te intentare vulnera, et ungere sagittas veneno: te,* inquam, *generose* juvenis *è patriâ Lydiâ, ubi homines colunt opimos agros, et Pactolus spargit* eos *auro. Aderat quoque Mnestheus, quem honor pristinus ejecti* è *murorum propugnaculis Turni evehit* in *altum: et Capys, à quo nomen inditum est urbi Campanæ. Illi commiserant inter se prœlium asperi belli: Æneas* autem *mediâ nocte scindebat mare. Scilicet postquam ab Evandro venit* ad *regem* Tarchontem, *ingressus* in *castra Tyrrhena; et operuit regi nomen et genus; et exposuit quid poscat, aut quid ipse offerat, quas vires Mezentius associet sibi, et* quàm sit *violentus animus Turni: monuit, quæ sit* habenda *fides rebus hominum, et adjecit preces: mora nulla adhibetur, Tarchon sociat vires* suas, *et init fœdus. Tunc populus Etruscus,* non *impeditus fatis, conscendit naves, creditus duci extero ex imperio Deorum. Navis Æneæ habet primum* locum *ornata* circa *rostrum leonibus Phrygiis. Ida assurgit suprà,* mons *gratissimus Trojanis exulibus. Ingens Æneas hìc sedet, et meditatur secum varios casus belli, et Pallas admotus*

## NOTÆ.

133. *Dardanius puer.*] Non tantùm Trojanus, sed ex regiâ *Dardani* familiâ etiam oriundus, Æn. 1. 235. 284.

136. *Oriciâ terebintho.*] *Terebinthus,* arbor est resinæ speciem fundens, ligno ebeni instar eximii ac nigri splendoris: magna nascitur in Syriâ, brevis ac fruticosa in Macedoniâ, Plin. l. 13. 6. *Oricum,* oppidum est Macedoniæ, Plinio, in Epiri confinio, ad mare Ionium, nunc *Orco:* ab aliis Chaoniæ regioni Epiri annumeratur.

141. *Mæoniâ, &c.*] Quæ deinde *Lydia* dicta est, Asiæ minoris mediterranea regio. De *eâ,* ejusque fluvio Pactolo, aureis arenis nobili, Æn. 4. 216.

145. *Campanæ urbi, &c.*] *Capuæ,* quæ Campaniæ caput fuit: nunc quæ extat hujus nominis, ab antiquâ ferè leucæ spatio diversa est.

148. *Ut ab Evandro.*] Quomodo Æneas ab Evandro ad Tarchontem, Etruscorum ducem, Evandri suasu abierit, vidimus, Æn. 8. 478. 597.

154. *Libera fatis.*] Quia fatis prohibebatur, ne, post expulsum Mezentium, alium sibi regem, nisi externæ stirpis, assumeret, Æn. 8. 498.

155. *Gens Lydia.*] *Etrusci,* sive *Tyrrheni,* è *Lydiâ* oriundi, Æn. 8. 479. ibid. 2. 781.

156. *Æneïa puppis.*] Probabile est Etruscos tum classem paratam habuisse, cui sola Æneæ insignia ad ornatum imponenda fuerint. Neque enim tantulo tempore potuit ædificari, quantulo Æneas apud eos moram fecit.

157. *Rostro Phrygios, &c.*] *Idam* habuit in insignibus, quia in illo Phrygiæ monte classem olim ad fugam ædificaverit, Æn. 3. 6. auspiciis *Cybeles,* quæ pinus, in eo monte sibi sacras, Æneæ in id opus concesserat, ibid. 9. 88. Ideo *leones* appositi, quia sacri sunt Cybele. *Phrygii* dicti, quia Cybeles cultus in Phrygiâ præcipuè vigebat, ibid. 3. 111. De *rostro* navium, ibid. 3. 143. De *Teucris,* ibid. 1. 135.

160. *Pallas.*] Evandri filius, Æn. 8. passim.

Affixus lateri, jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter; jam quæ passus terrâque marique.
  Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete:
Quæ manus intereà Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus æratâ princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum: qui mœnia Clusî,
Quique urbem liquêre Cosas: queis tela, sagittæ,
Corytique leves humeris, et letifer arcus.
Unà torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos,
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum Divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,

*ad lævum latus* ejus *modò inquirit de astris*, quæ sunt *itinera noctis; modò* de iis, *quæ* Æneas *sustinuit terrâ et mari. O Musæ, aperite nunc Helicona, et suggerite* mihi *hos cantus: quæ multitudo sequatur interim Æneam è regione Etruscâ, et impleat naves, et feratur mari. Primus Massicus findit mare Tigri æratâ: sub quo* sunt *mille manus juvenum: qui venerunt è muris Clusii, et urbe Cosâ; quibus arma* sunt *sagittæ, et leves pharetræ in humeris, et arcus mortifer. Simul* est *ferox Abas: tota hujus acies splendebat armis conspicuis, et puppis Apollĭne aurato. Populonia patria subjecerat illi sexcentos juvenes peritos belli: Ilva autem trecentos, insula nobilis copiosis metallis Chalybum. Tertius* erat *ille Asylas interpres* rerum *divinarum et humanarum, cui obtemperant viscera animalium, et astra cœli*,

## NOTÆ.

163. *Pandite nunc, &c.*] Eundem hunc versum adhibuit in enumeratione auxiliorum Turni, Æn. 7. 641. *Deæ*, Musæ, Ecl. 3. 60. *Helicon*, Mons Bœotiæ, Parnasso vicinus, Musis sacer.

164. *Tuscis.*] De iis jam sæpe diximus, Æn. 8. 479, &c. Pro variis temporibus et colonis varia mutârunt nomina: modò *Etrusci*, modò *Tyrrheni*, modò *Tusci.* Primò Apenninis montibus à septentrione et occidente, mari infero à meridie, Tyberi ab oriente, terminati sunt, Ligurum etiam partem aliquam complexi: tumque duodecim in populos urbesque distincti: quibus totidem præerant principes, *Lucumones* patrio nomine communiter dicti; quorum unus aliis per vices præerat. Talis fuit *Mezentius* rex, sive Lucumo, Cæritis urbis: talis *Porsena* rex Clusii, &c. Posteà, ut testatur Livius, l. 5. transgressi Apenninum, circa Padum ad usque Alpes tenuere: ibique totidem statuere colonias, quot erant gentis capita, nimirum duodecim: hinc à Gallis deinde pulsi sunt et intra fines antiquos repressi. Atque hujus Etruriæ Circumpadanæ caput fuisse Mantuam ait Virgilius, infrà, v. 201. Ubi eandem ipsi divisionem populorum tribuit: ut primò totum *genus* tres in tribus sive *gentes:* mox singulæ tribus in quatuor *populos*, sive urbes, aut curias, distinguerentur.

166. *Massicus.*] Rex, sive Lucumo, *Clusii* urbis et *Cosæ.* Tamen infrà, v. 655. Clusii rex vocatur *Osinius.* Igitur vel idem duplici nomine dictus est *Osinius* et *Massicus:* vel *Massicus* rex fuit Cosæ, *Osinius* Clusii; ĭta tamen ut Osinius subesset Massico, unde urbs utraque Massicum ducem sequi dicitur. Et verò reges illos inter se non fuisse æqualis dignitatis, ex eo patet; quòd primò tres, deinde duodecim in partes populi illi dividerentur, ut modò diximus. *Tigri.* Nomina navium, petita è figuris in puppi vel prorâ pictis aut sculptis.

167. *Clusî, &c.*] *Clusium*, urbs Etruriæ Mediterranea, hodie *Chiusi:* ad paludem longissimam, quam *Clanis* fluvius trajicit, hodie *la Chiana.*

168. *Cosas.*] *Cosæ*, vel *Cossæ*, vel singulari numero *Cosa*, Etruriæ maritima urbs, ad promontorium *Argentarium*, quod hodie est *monte Argentaro:* urbs ipsa putatur quibusdam eadem esse quæ nunc dicitur *Orbitello;* sed aliis meliùs oppidum vicinum *l'Ansedonia.*

169. *Coryti.*] Græca vox, γωρυτὸς, pharetra, theca sagittarum. Quâ voce, post Virgilium, usi sunt Ovidius et Statius.

172. *Populonia mater.*] *Populonium*, vel *Populonia*, in promontorio cognomine: cujus ex ruinis non procul condita est urbs hodie dicta, *Piombino.* Dicitur urbs, *mater;* quemadmodum Italia *parens*, Geor. 2. 173.

173. *Ilva.*] Græcis dicta *Æthalia*, nunc *Elba:* in conspectu Populoniæ, ad meridiem: ferri fodinis olim ferax, quæ duo hæc habebant præcipua, teste Strabone, l. 5. Unum, quòd in ipsâ insulâ fornacibus liquari ferrum non posset, sed ideo in continentem transferretur: alterum, quòd fossæ, unde ferrum esset erutum, rursus tractu temporis implerentur: quare meritò dicuntur à Virgilio, *inexhaustæ.*

174. *Chalybum metallis.*] Ferro, cujus cudendi ars præcipua fuit apud *Chalybes*, populos, vel Ponti, vel Hispaniæ, Geor. 1. 58. à quibus ferrum optimè temperatum dicitur *chalybs, acier*, STEEL.

176. *Pecudum fibræ, &c.*] Significantur hìc I. Per fibras pecudum, *aruspices*, qui futura præ-

Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Ter centum adjiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis;
Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra; et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.
Crimen amor vestrûm formæque insigne paternæ.

*et voces avium, et flammas fulminis ominosi: trahit* secum *mille* viros *confertos numero et rigidis hastis. Pisæ urbs Tusca situ, ortæ ex* Pisis *Alpheis, jusserant hos subesse* Asylæ. *Sequitur Astur formosissimus, Astur fidens equo et armis pictis. Quis unt* ex *patriâ Cærete, qui in campis Minionis; et antiqui Pyrgi, et Graviscæ* ubi *mala temperies* aëris, *adjungunt trecentos: omnibus par* est *voluntas sequendi. Non ego omittam te, ô Cinyra generosissime bello dux Ligurum; et Cupavo* quem *pauci sequuntur, cujus è capite attolluntur plumæ cycneæ. Amor crimen* est *vestræ* familiæ, *et insigne* petitum ex *transformatione patris.*

## NOTÆ.

dicebant ex inspectis extis et visceribus hostiarum, Æn. 8. 498. II. Per sidera, *astromantia.* III. Per volucrum linguas, *ars augurum,* Æn. 3. 561. IV. Per fulmina præsaga, *ars ominatoria,* quæ ex dextro aut sinistro casu aliisque fulminum circumstantiis præsagia ducebat, Ecl. 1. 16.

179. *Alpheæ Pisæ, &c.*] *Pisa,* vel *Pisæ;* urbs in confinio Etruriæ, prope *Ligures,* adhuc retinens nomen ad fluvium Arnum, *Arno.* Condita putatur à Peloponnesiis, vel post bellum Trojanum eò per errorem pulsis; vel, ut Virgilius censet, ante ipsa Trojana tempora. Est autem in Peloponneso urbs cognominis ad *Alpheum* fluvium, Geor. 3. 19. Æn. 3. 694.

183. *Cærete domo, &c.*] Ex urbe *Cæretanâ,* hodie *Cerveteri,* cui priùs Mezentius imperabat, Æn. 8. 479. 597. *Minio,* hodie *Mugnone:* fluviolus, non qui *Cære* alluit, ut aliqui perperàm notârunt: sed qui ab eâ urbe distat leucis aliquot ad occidentem.

184. *Pyrgi.*] Oppidum maritimum, nunc dirutum, Cæretanæ urbi vicinum, ad occidentem: Martialis vocat *litoreos Pyrgos,* à *πύργοι, turres.*

184. *Intempestæ Graviscæ.*] *Gravisca,* vel *Graviscæ:* maritima item urbs fuit, jam planè excisa. Nomen habet à *gravitate* aëris, vicinarum paludum odore corrupti: ut ex Catone apud Servium, et Rutilio constat. Ideò *intempestæ* à Virgilio vocantur, quia carentes aëris salubri temperie.

185. *Ligurum.*] *Liguria* duplex, alia litorea, Alpibus ab occidente; Macrâ fluvio, *la Magra,* ab oriente: Apenninis jugis, à septentrione: mari Ligustico, à meridie definita. Alia Mediterranea, ultra Apenninum ad septentrionem excurrens, usque ad Padum, *le Po.* Litorea nunc ferè est, *la rivière de Gênes;* ubi *Genoa,* urbs et respublica; Mediterranea nunc capit ducatum Montis Ferrati, partemque Mediolanensis et Pedemontii principatûs.

186. *Cinyra.*] Sic reposuimus è MSS. Nicolai Heinsii: cùm anteà legeretur *Cycne,* nullo sensu. Neque enim ea quæ de Cycno mox dicuntur, ad hunc pertinent, sed ad *Cupavonem.*

186. *Cupavo.*] Phaëton, Clymenes et Solis filius, Epaphi regis Ægypti convitiis adactus ut se filium Solis probaret: cùm à patre petiisset currûs regimen in unum diem, et ægrè obtinuisset, deflecteretque à consuetâ diurni cursûs orbitâ, atque ita mundus ardere cœpisset: Jovis fulmine percussus in Eridanum cecidit. Ovid. Met. 2. Phaëtontis sorores, *Phaëtusa, Lampetie,* et *Lampetusa,* cùm eum toto orbe quærerent, tandem ejus tumulum in Eridani ripis nactæ, ibidem fletu contabuerunt: et in arbores mutatæ sunt, vel alnos, vel populos: unde *succinum* sive *electrum,* quasi lacrymas manare poëtæ finxerunt. *Cycnus* Ligurum rex, materno sanguine et amicitiâ conjunctissimus Phaëtonti, apud eundem fluvium ex dolore in cycnum conversus est, Ovid. Met. 2. 367. *Cupavo, Cupavonis,* hujus Cycni filius à Virgilio dicitur, id est, unus è posteris. Quis autem fuerit fluvius ille *Eridanus,* electri ferax, ambigitur. Vulgò poëtis *Padus* putatur, superioris illius Italiæ, sive Galliæ Cisalpinæ fluvius, Geor. 1. 482. Joannes Goropius *Vistulam* esse existimat, Poloniæ et Prussiæ fluvium; quia electrum è Prussiæ litoribus mitti certum est. Cluverius arbitratur esse fluvium *Rodanum, Rodaunne:* qui Dantiscum urbem interfluens, non procul inde se Vistulæ immiscet.

188. *Crimen amor vestrûm.*] *Vestrum crimen,* id est, familiæ illius vestræ, (nam *Cycnus* Phaëtonti ejusque sororibus per Clymenem sanguine junctus erat) fuit amor in Phaëtonta, dolorque nimius de ejus interitu: quo offensi Dii tam multos ex eâdem familiâ in alienas formas immutârunt. *Formæque insigne paternæ.* Plumæ olorinæ, sive cycneæ, è galeâ subrectæ.

Namque ferunt luctu Cycnum Phaëtontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit, et mœstum musâ solatur amorem:
Canentem molli plumâ duxisse senectam,
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longâ sulcat maria alta carinâ.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis; sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infestâ ducebat in æquora pinu.
It gravis Auletes, centenâque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, et cœrula conchâ
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus,
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, et campos salis ære secabant.
Jamque dies cœlo concesserat, almaque curru

*Scilicet aiunt Cycnum, dum desiderio dilecti Phaëtontis cantat inter arbores populos ac umbracula sororum* ejus, *et dum recreat cantu tristem amorem: albescentem teneris plumis traduxisse senectutem, deserendo terras et petendo cœlum cantu. Filius secutus classe turmas æqualium, propellit remis magnam* navem *Centaurum: ille* Centaurus *impendet aquæ, et sublimis intentat fluctibus vastum saxum, et findit profundum mare longâ trabe. Ille etiam Ocnus, filius Mantûs vatis et fluvii Etrusci, movet exercitum è patriâ regione:* ille, *ô Mantua, qui dedit tibi muros et nomen matris* suæ, *ô Mantua illustris majoribus, sed stirps non* est *eadem omnibus: habet tribus tres, populos quatuor sub* unâquâque *tribu, ipsa* est *primaria populorum* illorum, *robur* illi *ex Etruscâ cognatione. Præterea Mezentius concitat contra se quingentos ex illâ* regione, *quos Mincius*, habens *patrem Benacum, coronatus arundine viridi, ducebat in mare navibus inimicis* Mezentio. *Ducit* eos *Auletes gravis, et erigens* se *percutit undam centenis* remis *ligneis: fluctus spumant agitato mari. Portat illum Triton vastus, et terrens mare cœruleum* tubâ *è conchâ: huic* Tritoni *merso usque ad latera, vultus pilosus exhibet hominem, venter exit in pristin, unda spumosa sonat sub pectore semiferino. Tot principes selecti navigabant triginta navibus in auxilium Trojæ* novæ, *et scindebant ærato* rostro *spatia salsæ* aquæ. *Et jam lux abierat* è *cœlo, et benefica Luna*

## NOTÆ.

195. *Centaurum.*] Navim, cui insculptus Centaurus saxum intentans. De *Centauris*, monstris, superiore parte humanâ, inferiore equinâ, Æn. 6. 286.

198. *Ocnus.*] Non conditor, sed instaurator, sive munitor urbis Mantuæ: cui muros et nomen matris suæ dedisse fingitur. Quo nomine anteà dicta fuerit *Mantua*, ignoratur. *Ocnus*, idem; qui *Bianor* appellatur, Ecl. 9. 60.

199. *Fatidicæ Mantûs.*] *Manto*, genitivo Græco *Mantûs:* Tiresiæ vatis filia. *Fatidica* dicitur, ex ipsâ vi nominis: est enim *μάντις*, *vates*.

*Tusci amnis.*] *Tyberis*, qui Tusciam à vicinis regionibus disterminat, Æn. 8. 380.

201. *Mantua dives avis.*] Urbs Galliæ Cisalpinæ, nunc ducatûs caput: sita in medio stagno, quod *Mincius* amnis efficit. Primi ejus conditores fuere *Tusci:* qui ex Etruriâ, sive Tusciâ antiquâ, in eam regionem effusi, eandem illic, quam apud se, regiminis formam constituerant, duodenas in urbes ac populos administrationem partiti; ut jam diximus, v. 164. Duodecim urbium illarum novæ Tusciæ: *Mantuam* caput Virgilius facit, ut faveat aduleturque patriæ; cùm tamen caput esset *Felsina*, quæ deinde *Bononia* appellata est, juxta Cluverium. Ital. l. 1. 26.

205. *Benaco, &c.*] *Benacus*, lacus est ejusdem Galliæ Cisalpinæ, in agro Veronensi, nunc *lago di Garda*, Geor. 2. 160. *Mincium* fluvium emittit, *Menzo;* qui postquam urbem *Mantuam* in modum lacûs circumalluit, exonerat sese in Padum. *Mincium* hunc ne ducem esse putes, sed ipsum fluvium, cujus è ripis collecta classis hæc fuerat quingentorum hominum, quorum dux *Auletes*.

209. *Triton.*] Neptuni tubicen, conchâ utens pro tubâ, superiore parte vir, inferiore piscis, Æn. 1. 144.

211. *Pristin.*] Piscem immanem, è balænarum genere, Æn. 3. 427.

214. *Salis, &c.*] *Sal*, pro mari, Æn. 1. 537. De *æratis rostris*, ibid. 5. 143.

Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum, Nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris, Nymphasque è navibus esse
Jusserat: innabant pariter, fluctusque secabant;
Quot priùs æratæ steterant ad litora proræ.
Agnoscunt longè regem, lustrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Ponè sequens, dextrâ puppim tenet; ipsaque dorso
Eminet, ac lævâ tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne, Deûm gens,
Ænea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammâque premebat:
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus. Hanc genitrix faciem miserata refecit:
Et dedit esse Deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca jussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques: medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge, age, et Aurorâ socios veniente vocari
Primus in arma jube: et clypeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux (mea si non irrita dicta putâris)

*attingebat medium cælum curru nocturno: Æneas ipse sedens moderatur gubernaculum, et dat operam velis: non enim solicitudo permittit* ejus *corpori* ullam *quietem. Et ecce turba suarum sociarum offert se ipsi in medio cursu:* scilicet, *Nymphæ, quas benefica Cybele voluerat frui divinitate maris et fieri Nymphas è navibus: natabant simul, et scindebant undas: quot anteà naves æratæ stabant ad litus. Agnoscunt procul regem, et circumeunt* eum *saltando. Cymodocea, quæ erat peritissima loquendi* inter *illas, tenet manu dextrâ puppim, sequens propè: et ipsa emergit tergo, ac subnatat sinistrâ* manu *per aquas quietas. Deinde sic affatur* Æneam *inscium* harum rerum: *O Ænea, soboles deorum, an vigilas? vigila, et laxa funes velis. Nos sumus pinus Idææ, è sacro cacumine* illius montis, *naves* olim *tuæ, nunc Nymphæ maris. Cùm Rutulus fædifragus persequeretur ferro et igne nos submergendas: abrupimus non sponte tua retinacula, et te quærimus per mare. Mater* Cybele *miserta* nostrî *reparavit formam* nostram: *et permisit* nos *esse Deas, et ducere vitam sub aquis. Sed juvenis Ascanius clauditur muro et fossis, inter media arma et Latinos feroces bello. Jam equitatus Arcadius junctus generosis Etruscis, attigit loca præscripta: certum est consilium Turni objicere illis agmina interjecta, ne* illi *promoveant ad urbem* suam. *Age, surge: et* primâ *luce imminente, primus impera socios excitari ad arma: et sume clypeum, quem ipse Vulcanus donavit tibi impenetrabilem, et cinxit extremitatem* illius *auro. Crastina dies videbit magnos cumulos*

## NOTÆ.

216. *Phœbe.*] Luna, Phœbi soror, Ecl. 3. 67. De *Olympo*, monte Thessaliæ, qui pro cœlo sumitur, Ecl. 5. 56. De *Cybele*, Æn. 3. 111. De *navibus Æneæ*, in Nymphas transformatis, Æn. 9. 120.

218. *Velisque ministrat.*] Proprium est, *ministrare* alicui homini: translatum, *ministrare velis:* ministrabat autem Æneas, non colligendo aut explicando vela; quod inferiorum erat operarum: sed *pedes*, id est, funes qui extremis angulis majoris veli alligati erant, aut contrahendo, aut remittendo; quod gubernatoris erat munus, Æn. 5. 830.

224. *Lustrant.*] Circumeunt, Æn. 1. 608.

228. *Vigilasne, &c.*] Ratione quippe temporis dormire debuerat; nisi gubernatoris partes in se suscepisset. Sunt, qui allusum putent ad morem Romanum; quo, postquam indictum erat bellum, imperator Martis sacrarium ingressus, hastam simulacri commovebat, dicens, *Mars vigila.* Sunt qui ad verba Vestalium: quæ, teste Servio, certis diebus adibant regem sacrorum, dicebantque, *Vigilasne, rex? vigila.*

230. *Idææ pinus.*] Materia navium, *pinus* arbor. Locus natalis, *Ida* Phrygiæ mons, Æn. 2. 801. De *Rutulis*, ibid. 7. 795.

238. *Jam loca jussa, &c.*] Non descripsit poëta, quò Æneas jusserit equites abire. Sed cùm Evander Arcadas equites quadringentos Æneæ adjunxerit, Æn. 8. 518. cùm Æneas eos Etrusco exercitui sociârit, ibid. 606. verisimile est eum, antequam naves conscenderet, equitatum et suum et Etruscum terrâ præmisisse: eo consilio, ut certum in locum provecti, impressionem in castra Rutulorum facerent; eodem tempore, quo naves exscensionem tentarent. De *Aurorâ*, G. 1. 249.

243. *Ignipotens.*] *Vulcanus*, Veneris suasu, clypeum Æneæ fabricaverat, Æn. 8. 439.

Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.
 Dixerat, et dextrâ discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas,
Ocyor et jaculo et ventos æquante sagittâ.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter supra aspectans convexa precatur:
Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu ritè propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo.
 Tantùm effatus: et intereà revoluta ruebat
Maturâ jam luce dies, noctemque fugârat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsâ in puppi: clypeum tum deinde sinistrâ
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ è muris: spes addita suscitat iras:
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.
 At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis: donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes.
Non secùs ac liquidâ si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent: aut Sirius ardor
Ille, sitim morbosque ferens mortalibus ægris,

*Rutulorum cadaverum, nisi existimaveris mea verba vana.* Sic *locuta fuerat, et abiens, pepulit* manu *dextrâ* puppim *sublimem, non inscia modi* quo erat impellenda: *illa* puppis *currit per aquas, celerior et telo et sagittâ pari ventis. Deinde aliæ naves properant. Ipse Trojanus filius Anchisæ miratur nesciens causam: tamen erigit animos suorum hoc præsagio. Deinde suspiciens concavas* partes *summi* cœli, sic *orat breviter: O mater Idæa, altrix Deorum, cui Dindyma chara* sunt, *et urbes turritæ, et leones bini* alligati *jugo* et dociles *ad fræna: tu nunc* es *mihi auctor pugnæ, tu benè secundes omen, et accedas ad Phrygas cursu prospero, ô Dea.* Hæc *solùm locutus: et interim dies reversa provehebatur lumine jam pleno, et expulerat noctem. Primò imperat sociis,* ut *sequantur vexilla et excitent animos ad bella, et accingant se* ad *certamen. Et jam habet præ oculis Trojanos, et munimenta* urbis *suæ, erectus in puppi excelsâ: tum posteà extulit lævâ* manu *clypeum fulgentem. Trojani è mœnibus emittunt clamorem ad astra: spes aucta accendit iras: vibrant manibus jacula. Quales grues Strymonis* fluvii *emittunt voces inter nigras nubes, et trajiciunt cœlum cum sonitu, et fugiunt Austros* cum *læto clamore. Sed ea* cœperunt *videri mirabilia regi Rutulo et ducibus Italis: donec viderunt naves detortas ad litus, et totum mare appelli* cum *navibus. Conus* galeæ *fulget è capite, et splendor spargitur è summitate* per *cristas, et umbo clypei aureus emittit copiosos ignes. Non aliter ac si cometæ cruenti aliquando triste rubescunt per humidam noctem: aut* si *ignis ille Sirius oritur, portendens hominibus malè affectis siccitatem et morbos,*

## NOTÆ.

251. *Supera convexa.*] Id est, *rotunda*, aut *concava*, Æn. 1. 310.

252. *Idæa*———] *Cybele* mater Deorum: quæ, quia pro terrâ sumebatur, quæ sustentat urbes, ideo turrita cum coronâ pingebatur. Cur ejus currum leones traherent, vidimus, Æn. 3. 111. Huic sacri fuerunt montes, plerique Phrygiæ: *Ida*, ibid. 2. 801. *Dindymus*, ibid. 9. 618.

254. *Propinques augurium.*] Id est, *præsens sis hoc augurio:* seu *faveas hoc augurio.* Vide Æn. 1. 526. *Propiùs res aspice.* Vocat Trojanos, *Phrygas;* quia Troas in Phrygiâ minore fuit, ibid. 1. 381.

265. *Strymoniæ, &c.*] Comparatio illa, bellici Trojanorum clamoris cum gruum clamore, repetita est ex Homero, Iliad. 3. 2. *Grues*, aves oblongo collo ac rostro, frequentes circa *Strymonem*, Macedoniæ fluvium, in confinio Thraciæ. Imbrem fugiunt, magno numero collectæ: ideoque *Notos*, id est, *Austros*, vento, pluvios à meridie, Ecl. 2. 58. Hinc Geor. 1. 374. inter signa imbris: *aut illum vallibus imis Aëriæ fugêre grues.* De *Rutulis*, Æn. 7. 795. De *Ausoniis*, Latinis, ibid. 54.

269. *Totumque allabi classibus æquor.*] Commutatio, pro *classes allabi toto æquore.* Sic Æn. 6. 268. *Ibant obscuri solâ sub nocte.*

270. *Ardet apex capiti, &c.*] Æneæ habitum describit, cædem Rutulo comminantis; et cum cometâ comparat. Mutuatus est hanc descriptionem ex Homero, de clypeo et galeâ Achillis, Iliad. 19. 379. Comparationem verò cum *Sirio*, sive *Caniculâ*, ex eodem, Iliad. 22. 26. De *apice*, sive *cono* galeæ, ejusdemque *cristis*, Æn. 3. 468. De *umbone*, parte mediâ et maximè eminente clypei, ibid. 2. 546.

273. *Sirius ardor.*] *Sirius*, vel Canicula:

Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præripere, et venientes pellere terrâ.
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò:
Quod votis optâstis, adest, perfringere dextrâ:
In manibus Mars ipse, viri: nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes: ultrò occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.
Hæc ait: et secum versat, quos ducere contrà,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
  Intereà Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Quà vada non sperat, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Advertit subitò proras: sociosque precatur:
Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates: inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arreptâ tellure semel. Quæ talia postquam
Effatus Tarchon: socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis:
Donec rostra tenent siccum: et sedêre carinæ
Omnes innocuæ: sed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat,

*et contristat cœlum luce sinistrâ. Tamen non periit audaci Turno spes occupandi litus, et prohibendi terrâ descendentes. Ultrò excitat verbis animos* suorum, *et ultrò adhortatur: O viri, promptum* est *vobis perficere manu, quod cupivistis votis; pugna ipsa* est *in potestate* vestrâ: *jam unusquisque sit memor uxoris et domûs* suæ: *nunc memoret præclara gesta et laudes majorum: ultrò objiciamus* nos *ad mare, dum tumultuantur, et primi gressus vacillant exscendentibus. Fortuna auxiliatur audacibus. Dicit hæc: et meditatur secum, quos* possit *ducere adversùs* Æneam, *aut quibus possit committere urbem obsessam. Intereà Æneas emittit pontibus socios ex altis navibus. Multi* incipiunt *quærere refluxum maris tranquillioris, et exponere se* in loca *vadosa per saltum: alii ope remorum. Tarchon contemplatus litora, quâ parte non putat* reperiri *vada, et undæ non sonant allisæ; sed* quâ parte *mare sine offensione advolvitur, æstu tumescente: subitò impellit proras, et orat socios: Nunc, ô turba electa, intendite validos remos: exigite, invehite naves: scindite rostris hanc terram hosticam, et ipsa trabs* ima *aperiat sibi viam: et cùm* semel *arripuero terram, non abnuo lacerare navem in* tali *loco. Quæ talia cùm Tarchon dixisset: socii* cœperunt *erigere* se *in remos, et invehere naves spumosas in litus Latinum: donec rostra attigerunt siccum* locum, *et omnes naves steterunt illæsæ; non tamen navis tua, ô Tarchon. Quippe impacta arenis, dum pendet* ex *inæquali cumulo* earum, *nutabunda, diu suspensa, et* dum *agitat undas,*

## NOTÆ.

stella in ore majoris Canis, maximos æstus creans, Geor. 2. 353. Hic adjectivè sumitur, alibi substantivè, Æn. 3. 141.

280. *In manibus Mars.*] In potestate. Sic Æn. 9. 132. *Terra autem in manibus.*

288. *Servare recursus, &c.*] Mirum, quàm multa hìc absurdè interpretes commenti sint, imprimis Donatus. Sensus hic est: Tres ineunt exscensionis vias. I. Æneas applicat naves summæ crepidini litoris, et jactis pontibus milites exponit. II. Aliqui quærunt vadosa quædam loca; quæ æstu quidem affluente fluctibus operta sunt; refluente sicca sunt, aut saxis et arenis et stagnantibus aquis infesta; hæc autem in loca exsiliunt, aut saltum remis adjuvant ac sustentant. III. Tarchon, omissis vadosis illis et inæqualibus locis, eligit planum et humile litus; quo fluctus absque offensione ac strepitu, sed leni et æquabili impetu evolvuntur. Cùm autem ibi aqua deficiat: hortatur Tarchon, ut valido impetu naves impulsæ ac velut sublatæ, sulcum in terrâ sibi aperiant. Eo tamen in loco repertis præter spem vadis et inæqualibus arenarum cumulis, navis Tarchontis alliditur.

299. *Tonsis.*] *Tonsa*, remus, Æn. 7. 28.

302. *Innocuæ.*] Activa vox: sed passivè sumitur, pro *illæsæ*. Sic Lucanus usurpat *innoxia*, l. 9. 895. de Psyllis loquens: *Gens unica terris incolit à sævo serpentum innoxia morsu;* id est, *illæsa morsu.*

303. *Vadis.*] Locis, ubi aqua parùm alta est, Æn. 1. 111. in Notis.

304. *Fluctusque fatigat.*] Servius explicat: *Fluctus fatigat navim.* Ego, *navis fatigat fluc-*

*laceratur, et effundit viros in medias aquas: quibus fragmenta remorum et scamna subnatantia obstant, et fluctus refluens simul retrahit pedes* allabentium. *Nec pigra mora retardat Turnum: sed promptus ducit universum exercitum contra Trojanos, et ex adverso stat in litore. Signa insonant: Æneas primus aggreditur agmina rustica,* quod fuit *initium prælii: et dejicit Latinos, interfecto Theone: qui hominum maximus primus tendit* in *Æneam.* Æneas *ense pervadit huic latus perfossum, per loricam asperam auro, et per textus æreos* clypei. *Inde occidit Lycam, excisum è matre jam mortuâ, et dicatum tibi, ô Apollo: quòd* adhuc *infans potuisset evadere periculum ferri. Nec procul stravit morte asperum Cisseum, et grandem Gyam, vastantes clavâ turmas. Nihil profuerunt illis arma Herculis, nihil robustæ manus, et pater Melampus, socius Herculis, quamdiu terra proposuit* Herculi *difficiles labores. Ecce vibrans telum in Pharum, dum is emittit stolida verba, defigit* illud *in ore vociferantis. Tu etiam, ô miser Cydon, dum perditus insequeris Clytium, flavum genis* ob *primorem barbam, novum amicum* tuum, *jacuisses dejectus manu Trojanâ, non solicitus* de *amoribus juvenum qui tibi erant semper* cordi: *nisi densa turma fratrum, proles Phorci, fuisset obvia* Æneæ: *numero septem* sunt, *et vibrant septem tela:* sed ea *partim* è *casside et clypeo resiliunt inania;*

Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedes simul unda relabens.
  Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contrà in litore sistit.
Signa canunt: primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ: stravitque Latinos,
Occiso Therone: virûm qui maximus ultrò
Æneam petit. Huic gladio, perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exceptum jam matre peremptâ,
Et tibi, Phœbe, sacrum: casus evadere ferri
Quòd licuit parvo. Nec longè Cissea durum,
Immanemque Gyam, sternentes agmina clavâ,
Dejecit leto. Nihil illos Herculis arma,
Nil validæ juvêre manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, usque graves dum terra labores
Præbuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum, clamantis sistit in ore.
Tu quoque, flaventem primâ lanugine malas,
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon:
Dardaniâ stratus dextrâ, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserando, jaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies: septem numero, septenaque tela
Conjiciunt: partim galeâ clypeoque resultant

## NOTÆ.

*tus:* scilicet crebro remorum et contorum impulsu, succussuque, ut ex arenis extraheretur. De *transtris,* scamnis navium, Æn. 5. 119.

310. *Signa.*] Tubæ, cornua, buccinæ, Æn. 7. 637.

311. *Omen pugnæ.*] Vel, *initium:* quia in rerum initiis, omina sive auspicia captabantur, Æn. 7. 173. Vel *faustum auspicium:* ex hoc enim primo successu, de victoriâ benè æstimare cœpit.

313. *Suta.*] Alii legunt, *scuta:* sed durior hæc consonantium collisio multis videtur, *ærea scuta.* Quare, juxta probatissimos codices, malo *suta:* sive, clypeum ex multis æreis laminis *consutum* et contextum. Quâ formâ Virgilius, Geor. 4. 33. vocavit alvearia, *corticibus suta cavatis.* Nec obstat duo hìc jungi adjectivâ absque substantivo nomine: siquidem id ipsum sæpe usu venit, Geor. 1. 153. *Nitentia culta,* ibid. 393. *Aperta serena, &c.*

314. *Tunicam.*] Vestem interiorem, de quâ, Æn. 9. 616.

*Latus haurit.*] *Exhaurit,* educto per vulnus sanguine. Metaphora ducta ab utribus, et doliis: quæ dicuntur *exhauriri,* cùm facto foramine liquor ex iis educitur. Sic Homerus usurpat ἀφύω. Iliad. 13. 508. Διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἤφυσε, *Intestina autem æs exhausit.*

316. *Tibi, Phœbe, sacrum.*] Quia Apollo medicorum est Deus, quorum ope exsectâ matre Lycas ortus fuerat: atque ita ferri vi natus, eâdemque mortuus. De *Phœbo,* Ecl. 3. 62.

319. *Herculis arma.*] Clava, è duræ arboris trunco. De *Hercule,* seu *Alcidâ,* ejusque laboribus, Æn. 8. 288. De *Melampo,* fortè medico illo celebri, de quo, Geor. 3. 550.

326. *Securus amorum.*] Nihil tum solicitus de rebus amatoriis, quippe mortuus; pari ferè, non eâdem tamen formâ, dixit, Æn. 1. 350. *Securus amorum germanæ. Dardaniâ,* Trojanâ Æneæ manu, Æn. 1. 235. *Rutulos,* Æn. 7. 794. *Graiis,* Græcis, Geor. 2. 16.

Irrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Æneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi (non ullum dextera frustrà
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit: illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextrâ: trajecto missa lacerto
Protinùs hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non et figere contrà
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hìc Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, et rigidâ Dryopen ferit eminùs hastâ
Sub mentum graviter pressâ, pariterque loquenti
Vocem animamque rapit trajecto gutture: at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threïcios, Boreæ de gente supremâ:
Et tres, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Occurrit Halesus,
Auruncæque manus: subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis: expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis et viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixi omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies, aciesque Latinæ

*partim mater Venus divertit* ea *contingentia corpus Æneæ. Æneas alloquitur fidelem Achaten: Subministra mihi arma, quæ in arvis Trojanis fixa* sunt *in corporibus Græcorum: nullum* telum ex iis *dextera vibrabit incassùm in Rutulos. Tum apprehendit ingentem hastam, et vibrat: illa volans transfodit æream scuti Mæonis, et penetrat simul loricam cum pectore. Alcanor frater auxiliatur illi, et sustinet dextrâ fratrem cadentem: hasta* jam *vibrata continuò pervadit transfosso brachio, et sanguinolenta servat impetum: et dextra* Alcanoris *languens nervis pependit ex humero. Tunc Numitor telo extracto è corpore fratris appetiit Æneam: sed non permissum est vicissim etiam* eum *vulnerare, at delibavit femur magni Achatæ. Tunc Clausus confidens juvenili corpore venit è Curibus, et procul lædit Dryopen rigenti hastâ durè inflictâ sub mentum, et simul aufert loquenti vocem et spiritum transfosso jugulo: ille autem verberat fronte tellurem, et effundit ore spissum sanguinem. Dejicit etiam per varios modos tres Thracas, de sublimi stirpe Boreæ; et tres quos pater Idas et patria* urbs *Ismara misit* ad bellum. *Halesus occurrit, et turmæ Auruncæ; occurrit et progenies Neptuni Messapus conspicuus equis; modò hi, modo illi conantur expellere; pugnatur in ipso ingressu Italiæ. Quemadmodum venti oppositi excitant pugnas in spatioso aëre, paribus animis, et viribus; non cedit mare* ipsis, *non nubes, non ipsi* venti *inter se; diu dubium* est *prælium, manent obluctantes contra omnia. Non aliter agmina Trojana, et agmina Latina*

## NOTÆ.

339. *Trajecto missa lacerto, &c.*] Aliqui de alterâ hastâ intelligunt, quæ post trajectum Mæonem ab Æneâ missa fuerit. Ego de eâdem, quæ primo Mæonis pectus, deinde eodem impetu subeuntis Alcanoris pervaserit lacertum; unde dextra ejus manus languida pependerit. *Lacertus*, pars est brachii è cubito ad manum.

345. *Curibus.*] Ex urbe Sabinorum, Æn. 7. 710. Postquam descripsit Virgilius cædem factam ab Æneâ, mox narrat cædem Trojanorum, à Clauso Sabino patratam. Malè legunt aliqui *Lausus;* est enim *Lausus* Mezentii filius; *Clausus* verò Sabinorum dux, ibid. 7. 707.

350. *Threïcios, Boreæ, &c.*] *Thraces*, Æn. 3. 14. *Boreas* septentrionalis ventus, fingitur Strymonis fuisse filius, fluvii Macedoniæ, qui Thraciæ etiam tribuitur, Ecl. 7. 51.

351. *Ismara.*] Singularis numeri, ut videtur: Thraciæ urbs est, Servio, ad Ismarum montem, qui non longè est ab ostiis Hebri: *Ismarus* tamen urbs illa vulgò dicitur, non *Ismara.* Ptolemæo in Armeniâ minore statuitur ad Euphratem.

352. *Halesus, Auruncæque, &c.*] Auruncorum Italorum dux, mox à Pallante occidendus, v. 425. Æn. 7. 723. 726, &c. De *Messapo*, equis nobili, ob Neptunum equi auctorem, ibid. 691. De *Ausoniâ*, ibid. 54.

Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex aliâ, quâ saxa rotantia latè
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis:
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci:
Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos: unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Quò fugitis socii? per vos, et fortia facta;
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
Fidite ne pedibus: ferro rumpenda per hostes
Est via, quâ globus ille virûm densissimus urget:
Hâc vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.
Ecce, maris magno claudit nos objice pontus:
Deest jam terra fugæ: pelagus, Trojamne petemus?
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primùm fatis adductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium quà spina dedit: hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas antè ruentem,
Dum furit; incautum, crudeli morte sodalis,
Excipit: atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, et Rhæti de gente vetustâ
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Tymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error:
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.

*congrediuntur: pes hæret pedi, et vir spissus viro. Sed ab aliâ parte, quâ torrens latè disjecerat lapides contortos, et arbores evulsas* è *ripis: postquam Pallas conspexit Arcadas, non assuetos incurrere agmine pedestri, objicere terga Latino persequenti: quandoquidem difficilis natura loci coëgit* eos *descendere* ex *equis: modò precibus, modò dictis asperis inflammat virtutem* illorum, *quod solum supererat* in *rebus angustis. Quò fugitis, ô socii? per vos* ipsos, *et per generosa gesta* vestra; *per nomen Evandri regis, et relatas victorias, et meam exspectationem, quæ nunc surgit æmula gloriæ paternæ, ne committite* vos *fugæ: via* est *aperienda inter hostes, quâ* parte *multitudo illa hominum spississima premit* nos: *nobilis patria hâc vocat vos, et ducem Pallanta. Nulli Dii urgent* nos, *mortales urgemur ab hoste mortali:* sunt *nobis* tot *manus et animæ,* quot illis. *Ecce mare coërcet nos magno obstaculo aquarum: jam terra deficit fugæ: an adibimus mare, an Trojam? Dixit hæc, et medius irruit in hostes confertos. Lagus occurrit primùm obvius illi, attractus fatis adversis: dum* hic *attollit saxum vasti ponderis,* Pallas *occidit eum immissâ hastâ, quâ* parte *spina facit divortium costarum per medium* dorsi: *et retrahit hastam infixam ossibus. Hisbon non intercipit illum* Pallanta *in* hoc opere, *quamvis ille hoc speraret. Nam Pallas priùs intercipit irrumpentem, improvidum, dum furit* ob *mortem asperam socii: et occultat gladium in pulmone turgido. Deinde invadit Helenum, et Anchemolum è veteri familiâ Rhœti, ausum constuprare cubile novercæ. Vos quoque gemini* fratres *occidistis in campis Rutulis, Laride et Tymber, soboles Dauci,* quæ erat *simillima, et indistincta suis parentibus, et* causa *jucundi erroris. Sed Pallas nunc posuit crudelia discrimina* inter vos.

NOTÆ.

361. *Pede pes.*] Pro *pedi,* inquit Servius.

362. *Saxa rotantia.*] Passivè, pro *rotata:* ut Geor. 1. 163. *Volventia plaustra:* pro, *voluta.*

363. *Arbusta.*] Non arbusculæ sunt, sed loca ipsa arboribus consita, Ecl. 1. 40.

371. *Spemque meam, quæ, &c.*] Cùm pater meus victor ex omnibus bellis domum remeârit, ego, ejus laudis æmulus, sperabam me quoque victorem rediturum.

378. *Trojam.*] Novam, seu castra Trojanorum, Æn. 7. 157.

387. *Tumido in pulmone.*] Et ex naturâ suâ, et ob iram ex morte socii conceptam.

389. *Anchemolum, thalamos, &c.*] Narrat Servius ex Abieno, Rhœtum fuisse Marrubiorum in Italiâ regem, qui cùm Anchemolo filio novercam superinduxisset Casperiam, stuprata illa fuit ab ipso Anchemolo, qui patris metu ad Turnum fugit.

392. *Indiscreta suis, &c.*] Ita similes inter se fratres, ut à parentibus discerni non possent.

Nam tibi, Tymbre, caput Evandrius abstulit ensis:
Te decisa suum, Laride, dextera quærit:
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit: hoc spatium, tantumque moræ fuit Ilo;
Ilo namque procul validam direxerat hastam·
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren; curruque volutus
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optatò, ventis æstate coortis,
Dispersa immittit sylvis incendia pastor:
Correptis subitò mediis, extenditur unà
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ovantes.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti diripit ense,
Elatam in jugulum: saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispergit cerebro permixta cruento.
Fata canens sylvis genitor celârat Halesum.
Ut senior leto canentia lumina solvit;
Injecere manum Parcæ, telisque sacrârunt
Evandri: quem sic Pallas petit antè precatus:
Da nunc, Tybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi:
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus: dum texit Imaona Halesus,

*Nam gladius Evandri* filii *abscidit tibi caput, ô Tymber: dextra* manus *amputata quærit te suum ô Laride: et digiti moventur semimortui, et motant gladium. Dolor junctus pudori excitat in hostem Arcades inflammatos monitis, et videntes egregia gesta ducis. Tunc Pallas confodit Rhœteum fugientem ulteriùs* equis *binis jugo* alligatis: *tantundem spatii et moræ fuit Ilo* ad mortem. *Nam* Pallas *intenderat eminùs* in *Ilum hastam robustam: quam Rhœteus medius excipit, fugiens te, fortissime Teuthra, et fratrem* tuum *Tyren: et excussus è curru semimortuus ferit talis agros Rutulorum. Et sicut* per *æstatem ventis subortis, ex voto pastor defundit* in *sylvis sparsa incendia: continuò correptis mediis* sylvis *horrenda vis Vulcani funditur simul in vastos agros; ille verò* pastor *sedens voti compos aspicit ignes exultantes. Non aliter vis tota sociorum colligitur in unum et adjuvat te, ô Palla. At Halesus ardens bello currit contra oppositos, et convolvit se in arma sua. Hic interficit Ladonem et Phereta, et Demodocum: abscindit Strymonio splendente gladio dextram erectam in guttur* suum: *vulnerat lapide frontem Thoantis, et diffindit ossa mista cerebro sanguinolento. Pater* Halesi *prædicens futura occultaverat Halesum in sylvis; postquam senex dissolvit morte oculos seniles; Parcæ miserunt manus in* Halesum, *et addixerunt* eum *armis Evandri. Pallas aggreditur illum, sic priùs precatus: O pater Tybri, da nunc felicem* exitum, *et viam per pectus fortis Halesi, telo quod libro volatile; quercus tua feret hæc arma et spolia hominis. Deus* Tybris *exaudivit illa* verba. *Dum Halesus tegit Imaona,*

## NOTÆ.

394. *Tymbre.*] Dicitur *Tymber* et *Tymbrus;* ut *Evander* et *Evandrus, Æn.* 8. 313.

396. *Ferrumque retractant.*] Convulsis nempe nervis, et aliquo motu subsultuque gladium adhuc attrectantibus.

402. *Teuthra.*] *Teuthras, Teuthræ:* ut *Æneas, Æneæ:* vocat. in *a. Tyren.*] *Tyres, Tyræ:* ut *Anchises, Anchisæ;* accus. in *en.*

404. *Calcibus.*] *Calx,* extrema pars et posterior pedis, talus: unde *calcar,* et *calcare.* De *Rutulis, Æn.* 7. 794.

408. *Acies Vulcania.*] Exercitus et vis Vulcani, id est, incendium, ex multis flammis, aciei instar, collectum. De *Vulcano,* Geor. 1. 295.

409. *Flammas ovantes.*] Quasi triumphantes. De illâ voce, *Æn.* 3. 189.

413. *Phereta.*] *Pheres, Pheretis:* ut *Dares, Daretis:* accus. in *a.*

417. *Genitor celârat Halesum.*] Halesus hic diversus est ab eo qui *Æn.* 7. 723. dicitur *Agamemnonius Trojani nominis hostis.* Hujus enim pater, *senior leto canentia lumina solvit:* et filium Italicis *sylvis celavit.* At pater alterius Agamemnon, robustâ ætate occisus est in Græciâ, Clytæmnestræ uxoris insidiis.

418. *Canentia lumina.*] *Senilia:* dura translatio, à *canitie,* quæ propria est capillorum. De *Parcis,* fata hominum fuso volventibus, *Æn.* 1. 22. De *Tybri,* fluvio regionis illius, *Æn.* 8. 330.

423. *Tua quercus.*] Aliqua ex iis, quæ tuis in ripis nascuntur.

424. *Texit.*] Donatus videtur explicuisse *pro-*

Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tantâ perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina. Primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci:
Et vos, ô Graiis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt, ducibusque et viribus æquis:
Extremi addensent acies: nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urget;
Hinc contrà Lausus: nec multùm discrepat ætas:
Egregii formâ; sed queis fortuna negârat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
  Intereà soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: tempus desistere pugnâ;
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem, ipse parens spectator adesset.
Hæc ait: et socii cesserunt æquore jusso.
At, Rutulûm abscessu, juvenis tum jussa superba
Miratus, stupet in Turno: corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu,
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni: sorti pater æquus utrique est:
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
  Desiluit Turnus bijugis, pedes apparat ire
Cominùs: utque leo, speculâ cùm vidit ab altâ

*offert miser jaculo Arcadico pectus indefensum. Sed Lausus*, qui erat *magna pars belli, non permittit exercitum terreri nece tanti hominis. Primus interfecit Abantem adversum*, qui erat *difficultas et firmamentum pugnæ. Soboles Arcadiæ cæditur, Tusci cæduntur: et vos Trojani, corpora quæ Græci* non potuerant *perdere. Exercitus miscentur, paribus ductoribus, et viribus; ultimi comprimunt multitudinem* pugnantium: *nec multitudo permittit expediri arma et manus. Hinc Pallas imminet et urget; illinc Lausus* ex *adverso: nec ætas valdè distat: pulchrâ* erant *specie; sed sors negaverat illis regressum in patriam. Tamen rex vasti cœli non passus* est *illos certare inter se: mox sua funera destinata* sunt *illis sub hoste nobiliore. Interim soror benevola* Turni *admonet Turnum, qui trajicit celeri curru mediam turbam*, ut *auxilietur Lauso. Postquam adspexit socios*, ait: *Tempus* est *recedendi à prælio, ego solus irruo in Pallanta, Pallas debetur mihi soli: optarem*, ut *ipse* ejus *pater* hìc *esset præsens. Dixit hæc, et socii recesserunt è campo præscripto. Sed juvenis* Pallas, *tum ob recessum Rutulorum, tum admiratus jussa imperiosa, obstupet* fixus *in Turno: et versat oculos per magnum corpus* illius, *et circuit omnia fero aspectu, et talibus dictis respondet adversùs verba regis: Ego mox prædicabor, aut* propter *direptas magnificas exuvias, aut* propter *necem illustrem: genitor* meus *paratus est utrique fortunæ: abstine minis. Locutus prodit in medium campum. Sanguis frigidus concurrit Arcadibus circa cor. Turnus descendit* ex *equis duobus jugo* alligatis, *parat pedes accedere propiùs: et quemadmodum leo accurrit, quando è sublimi speculâ*

NOTÆ.

*texit, defendit:* à *tego.* Servius, *detexit, spoliavit*, à *texo:* et Plautina quidem locutio est in Amphitr. act. 1. sc. 1. v. 131. *Illic hoc homo denuò volt pallium detexere*, id est, *spoliare:* ut explicant Turnebus ac Taubmannus. At cùm Plautus usus sit verbo composito *detexere:* vereor ut simplex *texere* significare idem possit: quare Donato assentior, etsi tempus præteritum hìc duriusculè adhibetur pro præsenti.

426. *Lausus.*] Mezentii filius, Æn. 7. 649. De *Arcadibus*, ibid. 8. 51. De *Etruscis*, ibid. 479. De *Teucris*, ibid. 1. 235.

432. *Addensent.*] Vulgò *addensant.* Sed doctissimi quique grammatici verbum illud etiam in secundâ conjugatione agnoscunt. Ita frequenter Lucretius. *Addensant* autem extremi acies, dum urgent ipsi, instantque, ut in primos pugnantûm ordines perveniant.

438. *Majore sub hoste.*] Quippe *Pallas* mox occidendus erat à Turno, v. 487. *Lausus*, ab Æneâ, v. 815.

439. *Soror alma.*] Turni soror, Juturna Nympha, de quâ, Æn. 12. 138.

448. *Tyranni.*] Regis, Æn. 7. 266.

449. *Spoliis opimis.*] Quæ dux duci detrahit.

451. *Æquor.*] Est æqua planities, Æn. 2. 780.

454. *Speculâ.*] Loco editiore, unde subjecta loca despicere et *speculari* possumus.

Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si quà fors adjuvet ausum,
Viribus imparibus: magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, et mensas quas advena adisti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrymasque effudit inanes.
  Tum genitor natum dictis affatur amicis:
Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidere Deûm: quin occidit unà
Sarpedon, mea progenies: etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
  At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginâque cavâ fulgentem diripit ensem.
Illa volans, humeris surgunt quà tegmina summa,
Incidit: atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hìc Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Aspice, num magè sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: ac clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cùm pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricæque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustrà de vulnere telum:

*conspexit taurum cogitantem pugnas stare longè in agris: non alia est species Turni appropinquantis. Pallas, quando existimavit fore,* ut *ille* posset *tangi hastâ vibratâ,* cœpit *primus irruere, robore inæquali,* explorans *an sors aliquando faveret incepto, et sic loquitur ad cœlum magnum: O Alcide, oro te, per hospitalitatem mei patris, et mensas* quibus *exceptus fuisti peregrinus, auxiliare magnis inceptis* meis: Turnus *videat me auferre sibi moribundo arma sanguinolenta, et oculi exanimes Turni patiantur* me *victorem. Hercules audivit juvenem, et comprimit sub profundo corde magnum dolorem, et emisit lacrymas inutiles. Tunc pater* Herculis *alloquitur filium verbis mitibus: Dies fixa est unicuique sua, spatium vitæ est omnibus angustum et immutabile; sed augere gloriam gestis, hic* est *effectus virtutis. Tot filii Deorum occiderunt circa muros sublimes Trojæ: quin simul Sarpedon occidit, meus filius; etiam fata sua reposcunt Turnum, et accedit ad terminum vitæ concessæ. Sic dixit, et retulit oculos ad campos Rutulorum. Pallas autem librat hastam magno robore, et educit gladium splendidum* è *vaginâ cavâ.* Hastâ *illa volans pervenit, quà suprema armatura humerorum erigitur: et aperiens* sibi *aditum* per *extremitatem clypei, denique libavit etiam de magno corpore Turni. Tunc Turnus diu quatiens immittit in Pallanta lignum armatum ferro acuto, et sic loquitur: Vide, an telum meum meliùs penetret. Dixerat: mucro autem* teli *perfodit ictu coruscante medium clypeum: quamvis tot laminæ ferri, tot æris, corium tauri toties circumplicatum ambiat* eum: *et pervadit moras thoracis, et magnum pectus. Ille* Pallas *incassùm extrahit è plagâ telum calidum;*

## NOTÆ.

460. *Hospitium.*] Hercules ex Hispaniâ redux, ab Evandro exceptus hospitio fuerat, auctusque sacrificiis et arâ maximâ, post occisum Cacum, Æn. 8. 269. 271, &c. De *Alcidâ,* Hercule, ibid. 288.

466. *Tum genitor, &c.*] Jupiter, Herculem filium, pro Pallante morituro deprecantem, cùm fata mutare non possit, exemplis consolatur.

471. *Sarpedon, &c.*] Jovis filius ex Laodamiâ, Lyciæ rex, ad Trojam occisus à Patroclo, Æn. 1. 104.

472. *Metas.*] *Finem.* Translatio à *metis* in circo positis, Æn. 5. 288.

473. *Oculos Rutulorum rejicit arvis.*] *Ad arva.* Sic Æn. 5. 451. *It clamor cœlo.* Hoc autem aspectu favorem suum ad Rutulos transtulisse Jupiter significatur, ibid. 1. 526. *Propiùs res aspice nostras.*

476. *Humeris tegmina summa.*] Summa pars loricæ, quæ humeros tegit: ubi levi vulnere perstrictus est Turnus.

479. *Robur.*] Validum quodcunque lignum, Geor. 1. 162.

481. *Penetrabile.*] Passivè vulgò significat: hìc activè, pro eo quod vim habet penetrandi. Sic Geor. 1. 93. *Penetrabile frigus adurat.*

482. *Ferri terga.*] Propriè de pellibus dicuntur: hìc per translationem, de metallorum laminis.

*sanguis atque anima exeunt unâ et eâdem viâ. Concidit super plagam: arma ediderunt sonitum super* eum: *et moriens mordet ore sanguinolento terram inimicam. Turnus incumbens super illum, ait: Arcades, reportate memores hæc mea verba Evandro: remitto* ipsi *Pallanta qualem meruit* remitti: *quæcunque est gloria sepulchri, quodcunque solatium inhumationis:* hoc *concedo: non constabunt illi exiguo* pretio *hospitia data Æneæ. Et locutus talia, compressit pede sinistro mortuum: auferens grande pondus baltei, et crimen* in eo *pictum;* quod erat, *turba juvenum turpiter occisa per noctem conjugalem, et cubilia sanguinolenta: quæ doctus Eurytion sculpserat multo auro; quo spolio* potitus *Turnus jam triumphat et lætatur. O mens hominum ignara fati, et casûs venturi, et servandæ modestiæ in fortunâ prosperâ! tempus adveniet Turno, cùm optabit emptum ingenti* pretio, ut nunquam *tetigisset Pallanta; et cùm detestabitur ista spolia* et istum *diem. At socii* Pallantis *densati multis lamentis et fletibus reportant Pallanta impositum clypeo. O* Palla *rediture ad patrem, magne ejus dolor, luctus, et honor! hæc prima dies exposuit te bello, hæc eadem eripit; tamen postquam reliquisti magnos cumulos Rutulorum. Nec jam rumor, sed certus nuncius tantæ calamitatis, accurrit ad Æneam; suos parùm distare ab exitio: tempus esse opem ferendi Teucris fugatis.* Æneas *cædit ense vicina omnia, et furens facit* sibi *ferro viam per latam turbam; quærens te, Turne, ferocientem novâ strage. Pallas, Evander, omnia versantur Æneæ, ante ipsos oculos;* imprimis *mensæ quas primas externus tum adivit, et dexteræ junctæ. Illic capit vivos quatuor juvenes, natos Sulmone;*

Unâ eâdemque viâ sanguisque animusque sequuntur.
Corruit in vulnus: sonitum supèr arma dedêre:
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super assistens:
  Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior: haud illi stabunt Æneïa parvo
Hospitia. Et lævo pressit pede, talia fatus,
Exanimum: rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas (unâ sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœdè, thalamique cruenti)
Quæ bonus Eurytion multo cœlaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio, gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum
Intactum Pallanta; et cùm spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.
  Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Æneæ: tenui discrimine leti
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro: te, Turne, superbum
Cæde novâ quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos

## NOTÆ.

489. *Petit ore cruento.*] Concidit igitur in faciem. *Petit ore,* id est mordet terram: vel ex vindictæ rabie, vel ex luctâ animæ difficilè è juvenili corpore erumpentis. *Ore cruento,* quia accepto letali quocunque vulnere, sanguis vulgò per os effluit.

494. *Æneïa hospitia.*] Quomodo Æneam hospitio exceperit, legitur Æ. 8. 154, &c.

497. *Unâ sub nocte jugali, &c.*] Danaus et Ægyptus, Beli regis filii, cùm inter se dissiderent: Danaus in Græciam abiit: ibique occupavit regnum Argivum: ut fratris sui genus deleret, quinquaginta filias suas, fratris sui filiis item quinquaginta, uxores dedit. Illæ patris sui jussu maritos primâ nocte occiderunt, exceptâ unâ Hypermnestrâ, quæ Lynceo pepercit suo. Hinc sorores illæ apud inferos addictæ sunt aquis in pertusum dolium perpetuò infundendis. *Danaïdes* dictæ à patre, *Belides,* ab avo.

499. *Eurytion, &c.*] Peritus aliquis artifex. *Cœlaverat,* non acu pinxerat: ergo balteus aureis argenteisque laminis opertus fuit, in quibus hæc cœlata fuerant. De verbo *ovat,* Æn. 3. 189.

503. *Turno tempus erit, cùm, &c.*] Cùm scilicet ab Æneâ victus, et vitâ tantùm non donatus, ad aspectum baltei recrudescente victoris irâ, occidetur, Æn. 12. 940.

516. *Mensæ, quas advena, &c.*] Cùm ab Evandro exceptus hospitio est, Æn. 8. 154. et junctis dexteris fœdus initum, ibid. 467.

Quatuor hìc juvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit: inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam cùm tenderet hastam;
Ille astu subit, ac tremebunda supervolat hasta:
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, et spes surgentis Iüli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta: jacent penitùs defossa talenta
Cœlati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi: non hìc victoria Teucrûm
Vertitur: haud anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat: Æneas contrà cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Sustulit ista prior, jam tum Pallante perempto
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iülus.
Sic fatus, galeam lævâ tenet, atque reflexâ
Cervice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacrâ redimibat tempora vittâ:
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbrâ tegit: arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, trophæum.
Instaurant acies, Vulcani stirpe creatus

*totidem, quos Ufens alebat: quos mactet in sacrificium umbris* Pallantis, *et* ut *riget cruore captivorum ignes busti. Deinde cùm longè intentaret inimicam hastam Mago; ille dolo supposuit se, et hasta tremens supervolavit: et* Magus *amplectens genua loquitur talia supplex: Oro te per animam patris* tui, *et* per *spes* tuas de *Iülo crescente: serva hanc vitam* meam *et patri et* mihi *filio. Est mihi domus sublimis: jacent intimè infossa talenta argenti signati: sunt pondera auri elaborati et non elaborati: victoria Trojanorum non hìc continetur: vita unica non exponet* vos *tantis periculis. Dixerat: Æneas adversùm respondet illi talia: Serva tuis filiis talenta illa plurima auri et argenti, quæ narras: Turnus jam antè occiso Pallante abstulit prior ista belli pacta. Hoc* sentit *anima patris Anchisæ, hoc sentit Iülus. Sic locutus, corripit sinistrâ* manu *cassidem* ejus, *et condidit gladium usque ad capulum* in *cervice retortâ deprecantis. Nec* erat *longè Æmonides, sacerdos Apollinis ac Dianæ, totus resplendens veste et armis conspicuis: cui infula cingebat caput tæniis.* Æneas *aggressus illum persequitur* in *campo, et incumbens lapso mactat* eum, *et opprimit magnis tenebris. Serestus reportat humeris arma* ejus *collecta, trophæum* futurum *tibi, ô Mars rex* belli. *Cæculus natus è stirpe Vulcani,*

## NOTÆ.

519. *Inferias quos immolet umbris, &c.*] *Inferiæ,* sunt munera quæ tumulis mortuorum *inferuntur:* lac, mel, vinum, aqua, flores, exsectæ comæ; sanguis victimarum, etiam quandoque humanarum, quæ ex captivis assumebantur. Sic Achilles in funere Patrocli mactat duodecim Trojanos juvenes, eorumque corpora in Patrocli pyram injicit, Iliad. 23. 175. Romani deinde, pro humanis illis victimis, gladiatorum certamina circa pyram induxerunt. *Umbris* dixit, plurali numero, pro *umbrâ,* Pallantis: ut Æn. 5. 81. *Animæque umbræque paternæ.*

524. *Manes.*] Aliquando pro Diis ipsis inferorum sumuntur, Æn. 6. 743. Hìc et alibi, pro umbris ipsis, sive animis mortuorum, Geor. 4. 469.

526. *Talenta, &c.*] De talenti valore, Æn. 5. 112. 248.

527. *Facti Infectique.*] *Factum aurum,* quod in opus conflatum est: *infectum,* quod adhuc in massam compactum.

532. *Parce, &c.*] Serva natis tuis, et tuam in rem abstine: unde *parcus* dicitur abstinens.

534. *Hoc sentit.*] Hæc est eorum sententia, ut omissis muneribus tuis Pallanta ulciscar.

536. *Phœbi Triviæque sacerdos, &c.*] Dianæ, et Apollinis templa et sacra sæpe conjunguntur, ut Æn. 6. 35. De *Phœbo* seu *Apolline,* Ecl. 3. 62. 104. De *Triviâ,* Dianâ, sic à triviis, ubi colebatur, dicta, Æn. 4. 511.

538. *Infula, &c.*] Fascia latior, ex quâ minores vittæ dependebant, instar diadematis caput sacerdotum ambiens, Æn. 2. 133.

541. *Umbra tegit.*] Vel super incumbente corpore suo morientem inumbrat, quod inane admodùm mihi videtur. Vel potiùs, mortis tenebris operit, quod congruit cum illo, v. 746. *In æternam clauduntur lumina noctem.*

542. *Rex Gradive, trophæum.*] *Gradivus* Martis nomen, Æn. 3. 35. *Trophæum,* strues armorum, ad monimentum victoriæ, Æn. 11. 7.

Cæculus, et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contrà furit. Anxuris ense sinistram,
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortassè ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exultans contrà fulgentibus armis,
Sylvicolæ Fauno Dryope quem Nympha creârat,
Obvius ardenti sese obtulit: ille reductâ
Loricam clypeique ingens onus impedit hastâ:
Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ: truncumque tepentem
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace: non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulchro;
Alitibus linquêre feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protinùs Antæum et Lycam, prima agmina Turni
Persequitur: fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt

*et Umbro ortus è montibus Marsorum, novant certamen. Æneas adversùm sævit. Absciderat ense* manum *sinistram Anxuris, et ferro totum ambitum clypei. Ille cecinerat aliquid magnum, et putaverat virtutem adfuturam incantamento, et fortè tollebat animum* ad *cœlum, et promiserat sibi capillos albos et prolixam vitam. Tarquitus, quem Nympha Dryope pepererat Fauno sylvarum incolæ, contrà gestiens armis micantibus, dedit se obvium furenti* Æneæ. Æneas *detortâ hastâ* Tarquiti *impedit* ejus *loricam et magnum pondus clypei: deinde dejicit* in *terram caput illius, frustrà deprecantis et parantis loqui plurima: et propellens truncum calentem, hostili animo loquitur hæc super* eum: *O tremende* hostis, *jace nunc istic: bona mater tua non te teget terrâ, nec imponet corpus patrio tumulo: relinqueris avibus rapacibus, aut aqua vehit te abjectum* in *profundum, et pisces avidi sugent vulnera. Continuò insectatur Antæum et Lycam, primas turmas Turni: et robustum Numam, et flavum Camertem, natum generoso Volscente, qui fuit agris opulentissimus* inter *Ausonas, et imperavit Amyclis silentibus. Qualis Ægæon, cui aiunt* fuisse *centum brachia*

## NOTÆ.

544. *Cæculus, &c.*] Prænestinorum dux, Æn. 7. 678. *Umbro,* Marsorum, ibid. 750.

547. *Dixerat ille aliquid magnum.*] Id est, magicis quibusdam consecrationibus et carminibus adversùs vulnera se munierat. Unde Germanus aliique suspicantur legendum esse, *magicum* non *magnum.*

551. *Sylvicolæ Fauno Dryope, &c.*] *Fauni,* rustica numina, multi fuere, Ecl. 6. 27. Horum aliquo, et Dryope Nymphâ, natus Tarquitus.

552. *Reductâ Loricam, &c.*] Tarquitus longam hastam in Æneam dextrâ intendebat: Æneas hanc detorsit: quam cùm Tarquitus non amitteret manu; inde clypeus ejus hastâ transversâ impeditus, patentem vulneri locum reliquit.

558. *Patrio.*] Non *paterno,* cùm mater Nympha, paterque Faunus immortales essent: sed *patrio,* seu natali in loco: erat enim Italus, at non ex eâ Italiæ parte. *Onerabit membra sepulchro:* commutatio est, pro *onerabit sepulchrum membris.* Sic Æn. 1. 115. *Vina cadis onerârat Acestes.*

562. *Numam.*] Jam Numam occiderunt Nisus et Euryalus, Æn. 9. 454. ideo vellicatur Virgilius apud Macrobium, quasi parùm memor. Quasi verò in tanto exercitu duo ejusdem nominis esse non potuerint?

563. *Volscente.*] Qui à Niso occisus fuerat, Æn. 9. 438.

564. *Tacitis Amyclis.*] *Amyclæ,* urbs fuit Peloponnesi, Lacedæmoni sic vicina, ut pars ejus à quibusdam habita sit. Hinc profecti coloni urbem in Italiâ cognominem condiderunt, in Auruncis, inter Tarracinam et Cajetam: ad lacum qui deinde *Amyclanus,* posteà *Fundanus* dictus est, nunc *lago di Fondi.* Urbs illa jamdiu deleta erat tempore Virgilii; vel à serpentibus juxta Plinium et Solinum; vel, à finitimis, juxta Ciceronem. *Tacitæ* autem dicuntur Amyclæ, ex eodem Cicerone, vel, quòd propter nimiam modestiam injurias à finitimis acceptas cùm tacerent ac dissimularent, ab iisdem oppressæ sunt: vel ex Servio, quia cùm Pythagoricam sectam sequerentur, quæ quinquennale silentium servari, et ab animalium cæde abstineri jubebat: à serpentibus è vicinâ palude erumpentibus, quas occidere nefas putabant, deletæ sunt.

565. *Ægæon.*] Gigas, Cœli et Telluris filius, ex Hesiodo in Theog. v. 147. *Ægæon* apud homines dictus, *Briareus* apud Deos, ex Homero, Iliad. 1. 403. manibus centum, capitibus quinquaginta instructus. Jovis hostis hìc dicitur, quales gigantes cæteri. Tamen Homerus loco citato ait eum Thetidis impulsu opem Jovi tulisse, ad-

Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse: Jovis cùm fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Nyphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:
Atque illi longè gradientem et dira frementem
Ut vidêre, metu versi, retròque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Intereà bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes;
Irruit, adversâque ingens apparuit hastâ.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. Vesano talia latè
Dicta volant Ligeri: sed non et Troïus heros
Dicta parat contrà: jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ: subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis:
Quem pius Æneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus umbræ:
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus,
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.

*et centum manus, et flammam erupisse quinquaginta faucibus et pectoribus: quando adversùs tonitrua Jovis, sonabat totidem clypeis æqualibus et nudabat totidem enses. Sic Æneas victor furit per totam planitiem, ex quo gladius semel incaluit. Immò ecce irrumpit in equos quatuor Nyphæi* alligatos *jugo, et in pectora opposita* eorum; *sed illi, cùm viderunt* Æneam *procul incedentem et dirè furentem, turbati timore, et retrò fugientes, excutiunt ducem et trahunt currum ad litus. Interim Lucagus immittit se in medios equis duobus albis jugalibus, et frater* ejus *Liger: sed frater* Liger *regit equos loris, Lucagus ardens quatit gladium nudatum. Æneas non passus* est eos *tanto ardore ferocientes: irrumpit, et oppositâ hastâ sublimis occurrit. Cui Liger* ait: *Non vides equos Diomedis, non currum Achillis, aut arva Phrygiæ: mox terminus belli et vitæ* tuæ *ponetur in his terris. Talia verba volant latè* ab *insano Ligere: at heros Trojanus non sic meditatur verba ex adverso: nam librat telum in hostem. Lucagus, postquam incurvatus imminens in verbera excitavit telo binos equos, dum sinistro pede protenso parat se ad certamen; jaculum Æneæ intrat per infimam extremitatem clypei splendentis, deinde perfodit inguen sinistrum. Dejectus è curru semianimus sternitur humi; quem pius Æneas alloquitur verbis acerbis: Lucage, nulla iners fuga equorum prodidit tuum currum, aut umbræ inanes averterunt* eos *ab hostibus: tu ipse exsiliens è rotis relinquis jugum* currûs. *Sic locutus ista, apprehendit binos jugales. Frater miserandus, dejectus eodem curru, porrigebat manus exarmatas* dicens: *Vir Trojane, per te* ipsum, *per parentes qui te produxerunt talem, omitte hanc animam, et miseresce orantis.*

## NOTÆ.

versùs Neptunum, Junonem, et Palladem, cùm Dii alii adversùs Jovem, propter ejus jactantiam, rebellâssent. Ideo apud inferos non torquetur, sed sedet quasi satelles in vestibulo, Æn. 6. 287.

575. *Bijugis.*] A nominativo *bijugus:* dicitur enim *bijugis* tertiæ declin. et *bijugus* secundæ, unde infrà, v. 527. *Admonuit bijugos.*

581. *Non Diomedis equos, &c.*] Non ii sumus hostes, quorum è manibus elabi possis: ut elapsus es è Diomedis manibus, Venere peplum suum obtendente, ut diximus, suprà, v. 29. et 81. ex Homero, Iliad. 5. 311. Aut è manibus Achillis, Neptuno te pugnæ subducente, ut diximus, Æn. 4. 182. ex Homero, Iliad. 20. 321. Sed jam vitæ terminum attigisti. Porrò *equi Diomedis* non illi sunt, quos Rheso abstulit, de quibus Æn. 1. 752. sed equi quicunque Diomedis. Quippe Rhesi equos rapit Diomedes, Iliad. 10. 498. cum Æneâ autem è curru pugnaverat jam Iliad. 5. 311. De *Diomede*, Æn. 11. 101. De *Achille*, Æn. 1. 99. De *Phrygiâ*, ubi Troas, ibid. 385.

589. *Inguen.*] Pars est illa corporis, quâ femur, imo ventri vicinum, complicatur.

Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum
Dicta dabas: morere, et fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius: torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer et nequicquam obsessa juventus.
Junonem intereà compellat Jupiter ultrò:
O germana mihi atque eadem gratissima conjux:
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli?
Cui Juno submissa: Quid, ô pulcherrime conjux,
Solicitas ægram et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
Omnipotens; quin et pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat: Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostrâ deducit origine nomen:
Pilumnusque illi quartus pater: et tua largâ
Sæpe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherei breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fugâ Turnum, atque instantibus eripe fatis;
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis

*Æneas oranti pluribus* verbis ait: *Non proferebas priùs talia verba: morere, et frater ne deseras fratrem. Deinde aperit acumine* gladii *pectus,* quo *latet anima. Dux Trojanus tales faciebat cædes per agros: sæviens more aquæ præcipitis, aut nigræ procellæ. Denique juvenis Ascanius, et juventus frustrà obsessa egrediuntur, et deserunt munimenta* sua. *Interim Jupiter alloquitur prior Junonem: O soror mea, et eadem uxor acceptissima:* an *Venus fulcit vires Trojanorum, ut putabas? nec opinio* tua *decepit te; non* est illis *hominibus manus ardens ad bellum? et animus asper ac tolerans laboris? Cui Juno ait humilis: O formosissime marite, cur lacessis* me *dolentem et metuentem verba tua dura? quippe si mihi esset in amore* ea *auctoritas, quæ fuit olim, et quam deceret esse, non negares hoc mihi,* cùm *possis omnia; imò possem subtrahere Turnum è prœlio, et servare salvum patri* ejus *Dauno. Nunc moriatur, et persolvat pio sanguine pœnas Trojanis. Tamen ille trahit nomen è stirpe nostrâ: et Pilumnus* est *illi pater quarto* gradu, *et sæpe cumulavit portas* templorum *tuorum liberali manu, et plurimis muneribus. Cui rex cœli sic loquitur breviter: Si petitur* à te pro illo *juvene morituro dilatio mortis instantis et tempus, et si existimas me* posse *sic statuere, aufer Turnum fugâ, et eripe* eum *fatis urgentibus; licet* mihi *favere* tibi *eò usque. Si verò gratia ulla amplior occultatur sub istis*

NOTÆ.

603. *Turbinis.*] *Turbo,* ventus est repentino impetu universa *perturbans,* ex Apuleio: Græcis, τυφών.

604. *Castra.*] Urbem obsessam, Æn. 7. 157.

607. *Germana, &c.*] Cur Juno dicatur Jovis et *soror* et *conjux,* Æn. 1. 47.

609. *Non vivida bello, &c.*] Existimant aliqui dictum id à Jove simpliciter; nullam inesse virtutem Trojanis, nisi quæ in uno Veneris auxilio posita sit. Sed hoc durius. Quare Servius putat ironiam esse, cujus vera sententia sit: non Venerem Trojanis, sed vividam bello dextram virtutemque succurrere. Etsi enim Venus ab Æneâ vulnera depulerit, v. 331. hæc tamen ipsius cura ad unum Æneam pertinebat: non ad cæteros item duces, qui propriâ vi multa fortiter patrabant. *Opes:* vires, potentiam, Æn. 9. 532. *summâ nituntur opum vi.*

612. *Solicitas ægram.*] Lacessis, objurgas, ludis. Et hinc firmatur Servii sententia de ironiâ Jovis.

614. *Vis in amore, &c.*] Si tantùm apud te possem amore meo, quantùm olim poteram: non *hoc* mihi negares; ut Latini quoque virtute atque animi superiores essent.

618. *Nostrâ origine.*] *Divinâ.* Et verò Pilumnus à quibusdam dicitur Jovis fuisse filius: quod tamen parùm huic Junonis orationi convenit. Neque enim chara esse potuit Junoni stirps Pilumni, si Jovis ex pellice filius fuit. Igitur ad ignotam aliam, sed divinam tamen originem referendus est. De *Pilumno,* quarto patre Turni, suprà, v. 76.

625. *Hactenus indulsisse vacat.*] Fuit opinio veterum, fata omnino impediri ne à Jove quidem posse; posse tamen aliquantùm differri, ut diximus, Æn. 1. 239.

Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum; spes pascis inanes.
Cui Juno illacrymans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod ut ô potiùs formidine falsâ
Ludar; et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protinùs alto
Misit, agens hyemem, nimbo succincta, per auras:
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum Dea nube cavâ tenuem sine viribus umbram,
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis: clypeumque jubasque
Divini assimulat capitis, dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obitâ quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminùs hastam
Conjicit: illa dato vertit vestigia tergo.
Tum verò Ænean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quò fugis, Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hâc dabitur dextrâ tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem: nec ferre videt sua gaudia ventos.
Fortè ratis, celsi conjuncta crepidine saxi,
Expositis stabat scalis et ponte parato,

*precibus, et* si *existimas bellum universum* posse *mutari et transferri: alis spem vanam. Cui Juno flens* ait: *Si saltem permitteres ex animo, id quod ægrè permittis verbo; et si hæc vita superesset certa Turno! nunc* verò *acerbus finis destinatur innocenti, aut ego dicor ignara veritatis: quod* ita *potiùs* sit, *ut ego decipiar inani metu; et* tu *referas in melius incepta tua,* tu *qui* id *potes. Postquam protulit hæc verba, statim dimisit se è summo cœlo, involuta nube, propellens procellam per aërem: et adivit exercitum Trojanum et castra Latina. Deinde Dea instruit armis Trojanis levem umbram absque viribus,* ex *nube vacuâ, in figuram Æneæ,* quod erat *prodigium mirabile aspectu: et simulat clypeum, et cristas divini capitis, tribuit ei vana verba, tribuit sonum* vocis *absque animâ, et exprimit incessum ambulantis. Qualia simulacra rumor est volare* post *mortem obitam, aut qualia somnia decipiunt sensus sopitos. At simulacrum lætum gestit ante prima agmina, et provocat armis Turnum, et urget verbis. Turnus imminet illi, et procul evibrat hastam sonantem: illud convertit gressus oblato dorso. Tunc autem quando Turnus credidit Æneam retrò versum fugere, et turbatus accepit animo spem vanam, ait: Quò fugis, ô Ænea? ne desere conjugia promissa: terra quæsita per mare dabitur* tibi *hâc manu* meâ. *Inclamans talia persequitur, et intorquet ensem nudum: nec animadvertit ventos rapere suam voluptatem. Fortè navis, admota margini lapidis alti stabat scalis extensis et ponte præparato,*

NOTÆ.

628. *Quid si, quod voce gravaris, &c.*] Timet Juno ne parùm sincerè et ex animo permiserit Jupiter, vitam Turni, dilatâ morte, servari.

631. *Veri Vana.*] *Ignara, inscia,* Æn. 7. 440. *Veri effœta senectus.*

632. *Potes.*] Potest Jupiter fata reflectere, vel differendo; vel conditionem aliquam, unde illa pendent, impediendo, Æn. 1. 239.

634. *Hyemem.*] Tempestatem, Æn. 1. 122. De *Laurento,* urbe Latinâ, Æn. 7. 63.

636. *Tum Dea nube cavâ, &c.*] Ex Homero, Iliad. 5. 449. Cùm Venus, Diomedi in Æneam irruenti frustrà peplum obtendens, ab ipso Diomede vulnerata fuisset, currumque Æneæ commisisset Apollini: Apollo, Æneâ subducto, simulacrum eidem persimile hostibus opposuit. Idem hìc præstat Juno: non quidem ut Æneam, sed ut Turnum Æneæ subducat: urgentibus è litore, erumpentibus ex urbe Trojanis.

638. *Jubas.*] Galeæ cristas, è jubis equinis, Æn. 3. 468.

650. *Hâc dabitur, &c.*] Amarus jocus: significat enim se humi dejecturum Æneam, et morti daturum.

651. *Coruscat mucronem.*] Neutrum verbum, Virgilio sæpe activum, Æn. 5. 642.

652. *Nec ferre videt, &c.*] Nec videt hostem, cujus ob fugam exultat; umbram inanem esse, quæ vento rapitur.

653. *Crepidine.*] *Crepido* est summitas ripæ, vel abrupti saxi. *Crepidine,* pro *crepidini:* ut suprà, v. 361. *Hæret pede pes,* pro *pedi.*

Quâ rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras, et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit:
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultrà latebras jam quærit imago,
Sed sublimè volans nubi se immiscuit atræ:
Cùm Turnum medio intereà fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis:
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
  Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti? et tales voluisti expendere pœnas?
Quò feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentes-ne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosque, nefas, omnes infandâ in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potiùs miserescite, venti:
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem, sævisque vadis immittite syrtis,
Quò neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem;

*quâ* nave *rex Osinius vectus* fuerat *è Clusinâ regione. Simulacrum Æneæ fugientis conjicit se illuc timidum in latebras: nec lentior imminet Turnus, et omittit moras, et transvolat pontes excelsos. Vix pervenerat* ad *proram;* cùm *filia Saturni* Juno *secat funem, et trahit navem solutam per mare turbatum. Æneas verò vocat ad certamina absentem Turnum; tradit morti plurima corpora hominum obvia. Tunc tenue simulacrum non quærit ulterius latibula, at evolans* in *altum confudit* se cum *nigrâ nube: dum interim ventus vehit Turnum medio mari.* Ille *circumspectat inscius rerum, et ingratus servatæ* vitæ: *et tollit ad astra geminas manus cum* his *verbis: O pater omnipotens, an existimâsti me aptum tanto sceleri, et voluisti* me *luere tale supplicium? quò vehor? unde discessi? quæ fuga et qualem referet me? an rursùs aspiciam muros Laurentes, aut castra* mea? *quid* dicet *multitudo illa hominum, qui secuti* sunt *me et meum bellum, et quos omnes, ô scelus, deserui in crudeli morte? et jam cerno* eos *vagos, et audio gemitum morientum. Quid faciam? aut quæ terra jam satis aperiatur mihi? ô venti, vos potiùs miserescite* mei: *ego Turnus vos colo sponte: allidite navem ad scopulos, ad saxa: impellite* in *vada aspera syrtium: quò neque Rutuli, neque fama sciens* meam fugam, *sequantur me. Hæc dicens nunc agitur animo huc, nunc illuc; an furens ob tantam ignominiam transfodiat se cuspide, et traducat per costas durum gladium;*

## NOTÆ.

655. *Clausinis advectus Osinius oris, &c.*] De illo *Clusii rege*, et urbe *Clusio*, suprà, v. 166.

664. *Sublimè volans.*] *In sublime:* adverbii more. Sic Geor. 1. 320. *Segetem ab radicibus imis sublimè expulsam eruerent.*

666. *Ingratusque salutis.*] Incusat enim Jovem, cujus permissu, Junonisque operâ servatus fuerat.

668. *Crimine dignum.*] *Dignum*, qui admitterem tantum scelus: quale est, meos in pugnâ deserere.

670. *Quemve reducet?*] Qualem me reducet? quantâ ignaviæ labe maculatum?

671. *Laurentes muros.*] Urbem Latini regis, Æn. 7. 63. *Castra:* vel mea: vel Trojanorum.

674. *Palantes video.*] *Palantes*, vagos: quasi *planantes:* à πλανῶμαι, *erro, vagor:* unde et *planetæ*, vaga astra.

677. *Adoro.*] Ventos scilicet; de quorum divinitate, Æn. 3. 120.

678. *Syrtis.*] Ita lego cum Servio, non *syrtes:* ne obscurior sit structura. *Syrtis:* locus quilibet arenosus in mari, Æn. 1. 111.

681. *Sese——mucrone induat.*] Commutatio pro, *mucronem induat, vestiat, abdatque corpore.* Sic Cæsar, de bello Gall. l. 7. *Se ipsi acutissimis vallis induebant.*

682. *Crudum ensem.*] *Cruentum.* Nam *cruor* est sanguis effusus venis et jam frigescens, à κρύος, *frigus:* à cruore, *cruentus* et *crudus;* qui adhuc est in cruore: à *crudo, crudelis;* ut à *fido, fidelis.*

Fluctibus an jaciat mediis, et litora nando
Curva petat: Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis intereà monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expôstaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque
Ipsa immota manens: prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit: armaque Lauso
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Evantem Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem comitemque: unâ quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit; et face prægnans
Cisseïs regina Parin creat: urbe paternâ
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis

*an immittat* se in *medias aquas, et adeat natatu sinuosa litora, et se referat rursùs in arma Trojanorum. Ter tentavit utramque viam; ter suprema Juno cohibuit* eum, *et animo miserta coërcuit juvenem. Provehitur findens maria, undâ et fluxu* maris *favente: et portatur ad urbem veterem Dauni patris* sui. *Sed intereà Mezentius impulsu Jovis ardens succedit* ei in *prælio, et aggreditur Trojanos. Irrumpunt in* eum *turbæ Etruscæ, et imminent uni viro; uni,* inquam, *omnibus odiis et densis jaculis. Ille* Mezentius, *sicut rupes quæ procurrit in magnum mare, objecta furori ventorum et opposita fluctibus, sustinet omnem violentiam et minas cœli et maris, ipsa stans inconcussa:* sic *dejicit* in *terram Hebrum filium Dolichaonis,* et *cum eo Latagum et Palmum fugientem: sed opprimit saxo et magno fragmento rupis Latagum,* secundùm *os et vultum* sibi *objectum: permittit Palmum volutari jacentem subsecto poplite: et dat Lauso arma* ejus *ferenda humeris, et cristas imponendas capiti.* Opprimit *etiam Evantem Phrygium et Mimanta coætaneum et socium Paridis: quem Theano protulit in lucem Amyco patri eâdem nocte,* quâ *regina filia Cissei, gravida* ex *face, edidit Parin: ad urbem patris* Paris *obiit, Laurens litus habet Mimanta incogitantem. Et quemadmodum aper aliquis morsibus canum pulsus ex altis montibus,*

NOTÆ.

685. *Viam.*] Modum utrumque consulendi decori suo.

688. *Urbem.*] *Ardeam,* Dauni et Turni regiam, Rutulorum caput, Æn. 7. 410.

690. *Ovantes.*] Successu exultantes, et quasi jam triumphantes, Æn. 3. 189.

691. *Tyrrhenæ acies.*] Pars ea Etruscarum gentium, quæ Mezentium regem ob immanitatem ejecerant, et Æneæ in auxilium venerant, suprà, v. 163. Æn. 8. 478.

703. *Theano.*] In secundo casu, *Theanûs;* Amyci Trojani uxor: à Taubmanno Hecubæ soror dicitur ideo, quia Cissei Thraciæ regis filia vocatur ab Homero, Iliad. 6. 299. et 11. 224. Hecuba autem *Cisseïs* à Virgilio et à quibusdam aliis appellatur. At Homerus Hecubam, non Cissei Thracis, sed Dymantis Phrygis, filiam fuisse ait, Iliad. 16. 718. et Theano, uxorem Antenoris et Minervæ sacerdotem, Iliad. 6. 299. Igitur neque Theano soror Hecubæ fuit: neque Theano Virgiliana, eadem est atque Homerica: sed nomen à Virgilio fictum. Quomodo Hecuba, cùm Parin utero ferret, facem gestare se somniaverit, Æn. 1. 27.

706. *Occubat ignarum, &c.*] Prima pars ad Parin pertinet, qui ad Trojam à Philoctetâ occisus est: secunda ad Mimanta, qui in campis Laurentibus occiditur. Quare Pierius aliique sic locum hunc restituunt: *Urbe paternâ occubat hic, charum Laurens habet ora Mimanta.* Sed contrà est, quòd antiqui interpretes omnino *ignarum* legerint; Gellius imprimis, qui *ignarum* passivè interpretatur, pro *ignotum:* ut apud Ovid. Metam. l. 7. 403. *Jamque aderat Thescus, proles ignara parenti.* Sed hìc nihil opus est ad passivam illam vim confugere: cùm activè significare possit, *ignarum casûs sui,* id est, *ignorantem se tali casu et loco moriturum.* De *Laurente litore,* Æn. 7. 63.

707. *Ac velut ille, &c.*] *Ille,* frequenter abundat in Virgilianis comparationibus, et magnum aliquid ac singulare significat: *Ille aper,* id est, *magnus aliquis aper.* Sic Æn. 12. 5. *Pœnorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, Jamdudum movet arma leo.*

Actus aper, (multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia) sylvâ
Pastus arundineâ: postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci propiúsve accedere virtus,
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longè et vasto clamore lacessunt.
  Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Grajus homo, infectos linquens profugus hymenæos:
Hunc ubi miscentem longè media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactæ conjugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si fortè fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet hians immanè, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super accumbens: lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jactâ cæcum dare cuspide vulnus:

*nutritus* in *sylvâ arundineâ, quem Vesulus pinifer texit annis plurimis vel palus Laurentia; postquam ventum est in retia, constitit, et frendet asper, et cohorrescit humeris: nec animus est ulli irasci* in eum, *aut accedere propiùs, sed* omnes *urgent eminùs telis et securis clamoribus: ille verò interritus opponit se in omnes partes, stridens dentibus, et excutit tela è tergo. Non aliter nemini* eorum, *quibus Mezentius legitimo est odio, est audacia congredi nudo ense* cum eo: *procul infestant* eum *jaculis et altâ vociferatione. Acron, vir Græcus, venerat ex antiquâ regione Corythi, advena, omittens nuptias imperfectas. Postquam* Mezentius *aspexit procul eum turbantem medias turmas, purpureum* ob *cristas et purpuram sponsæ promissæ: quemadmodum sæpe leo famelicus percurrens alta stabula (nam impellit immoderata fames) si fortè vidit capream fugacem, aut cervum sublimem ob cornua; lætatur aperiens fauces immaniter, et arrigit jubas, et stat incumbens super vicera, et sanguis tingit os fœdum: sic gaudens Mezentius irrumpit in hostes confertos. Miser Acron sternitur, et moriens ferit talis nigram terram, et inficit sanguine hastam ruptam. Atque idem* Mezentius *dedignatus est occidere Oroden fugientem, et librato* jaculo *acuto infligere* ei *plagam improvisam:*

NOTÆ.

708. *Vesulus.*] Mons altissimus Alpium maritimarum, ad occidentem Liguriæ, nunc *monte Viso;* in eo sunt Padi fontes, *du Po.*

709. *Palus Laurentia.*] Inter Tyberis ostia urbemque Laurentum, secundùm litus Tyrrheni maris: qui tractus sylvis et paludibus arundinetisque asper olim fuit, ubi frequentes apri memorantur à poëtis; hinc *sylva hæc arundinea,* id est, palustris, à Virgilio appellatur: testaturque Cluverius, loci speciem nunc ab antiquâ non admodùm differre, immò et apris infestam esse.

714. *Partes cunctatur in omnes.*] Moram facit ac subsistit, ut opponat se in omnes partes.

716. *Quibus est Mezentius iræ.*] Quomodo dicimus: *esse odio. Justa* dicitur illa Etruscorum ira, ob immanem Mezentii crudelitatem, Æn. 8. 478.

719. *Antiquis Corythi de finibus.*] *Corythus,* nunc *Cortona,* urbs in orientali parte Tusciæ, circa Trasimenum lacum, *antiquis finibus;* quia à Corytho Dardani patre fundata, à quo Trojani originem duxerunt, Æn. 3. 169.

*Grajus homo.*] Græcâ origine; qui Corythi, seu Cortonæ consederat. *Profugus* ad Tarchontem et Æneam: causam non affert poëta. De *Hymenæo,* nuptiarum præside numine, Geor. 3. 60.

722. *Pennis et ostro.*] *Pennis purpureis;* ut Geor. 2. 192. *Pateris libamus et auro.* Sunt *pennæ,* cristæ cassidis, è plumis avium purpureo colore tinctis, Æn. 3. 468. Munus autem erat à sponsâ datum abeunti, in pignus amoris. *Ostrum,* purpurâ ex ostreo expressa, Geor. 2. 506.

727. *Lavit.*] Primâ brevi, præsentis est temporis, à *lavere:* primâ longâ, præteriti est temporis, à *lavare.*

733. *Cæcum vulnus.*] Ab Orode non prævisum,

Obvius adversoque occurrit; seque viro vir
Contulit: haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus et hastâ:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii, lætum pæana secuti.
Ille autem expirans Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixtâ Mezentius irâ:
Nunc morere: ast de me Divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens, eduxit corpore telum:
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen:
Partheniumque Rapo, et prædurum viribus Orsen:
Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericeten:
Illum, infrænis equi lapsu tellure jacentem;
Hunc, peditem pedes. Et Lycius processerat Agis,
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit; Atronium Salius; Saliumque Nealces,
Insignis jaculo et longè fallente sagittâ.
Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera: cædebant pariter pariterque ruebant
Victores victique neque his fuga nota, neque illis.
Dii Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Juno;
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quàm magnus Orion,

*sed obviam* præcurrens, *et obtulit* se *adverso, et vir viro objecit se: non melior insidiis, sed generosis armis. Deinde pede imposito, et innitens hastâ super* eum *stratum: O viri, ecce jacet ingens Orodes, pars exercitus non aspernanda. Socii exclamant, repetentes lætum pæana. Ille autem moriens* dixit: *O victor, quisquis es, non gaudebis diu, nec me inulto; sors æqualis te etiam spectat, et mox mordebis eandem terram. Ad quem* respondet *Mezentius subridens misto furore: Jam morere: de me autem statuat genitor Deorum, et rex hominum. Id loquens, extraxit hastam è corpore: quies acerba et somnus ferreus premit illi oculos: oculi clauduntur in perpetuam noctem. Cædicus jugulat Alcathoum, Sacrator Hydaspen: et Rapo Parthenium, ac Orsen prævalidum robore: Messapus, et Clonium, et Ericiten Lycaonium: illum dejectum* in *terram lapsu equi indomiti: hunc pedes peditem. Agis quoque Lycius, cucurrerat* in Messapum: *hunc tamen deturbat Valerus non carens virtute avorum: Salius Atronium: et Salium Nealces, bonus jaculo et sagittâ eminus decipiente. Jam Mars asper adæquabat dolores et mortes mutuas: victores et victi pariter occidebant, et pariter cadebant; nec fuga cognita erat his, neque illis. Dii in domo Jovis miserantur vanum furorem utriusque* partis, *et tantas difficultates esse hominibus. Hinc Venus, hinc Juno filia Saturni aspicit* ex *adverso. Tisiphone pallida furit in mediis millibus. At verò Mezentius librans magnam hastam intrat* in *campum turbulentus: quantus Orion excellit*

## NOTÆ.

quia à tergo, quasi clam, et ex insidiis; seu, ut mox ait, *furto.*

738. *Pæana secuti.*] *Pæan*, carmen triumphale: quod inceptum à Mezentio, socii persequuntur. De *eâ voce*, Æn. 6. 657.

741. *Eadem mox arva tenebis.*] Prosternendus et occidendus ab Æneâ, infrà, v. 894.

743. *Divûm pater atque hominum rex.*] Quem vos talem esse creditis, ut notat Servius. Jocatur enim impius Mezentius in Deos, qui infrà, v. 773. nullum invocat ad pugnam Deum, præter dextram suam et arma: *Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.*

747. *Cædicus, &c.*] Reprehendunt poëtam critici, quòd nomina permiscuerit. Produnt se tamen ipsa per se, quorum, et qualia sint; Latina quippe, *Cædicus, Sacrator, Rapo, Messapus, Salius, &c.* Græca, seu Phrygia et Trojana, *Alcathous, Hydaspes, Parthenius, Orses, &c.*

749. *Lycaonium Ericeten.*] Vel *Lycaonis* filium; vel è *Lycaoniâ*, minoris Asiæ regione Mediterraneâ: inter Cappadociam, Pisidiam, et Ciliciam.

751. *Lycius Agis.*] E *Lyciâ*, minoris Asiæ regione, meridionali et maritimâ, inter Cariam ab occidente, et Siliciam ab oriente.

754. *Longè fallente sagittâ.*] Eminùs incautos feriente. *Mavors*, Martis nomen, quia magna vertit, Ecl. 9. 12. *Venus*, Æn. 1. 256. *Juno Saturni filia*, Æn. 1. 23. 46.

761. *Tisiphone.*] Una è tribus Furiis, Æn. 6. 572. Geor. 3. 552. Nomen à *τίω*, *ulciscor*, et *φόνος*, *cædes.*

763. *Orion.*] De eo multa fabulosa congerit hic

Cùm pedes incedit, medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contrà Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole suâ stat;
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ:
Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint. Voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, trophæum
Æneæ. Dixit, stridentemque eminùs hastam
Jecit: at illa volans clypeo est excussa, proculque
Egregium Anthorem latus inter et ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Italâ consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Aspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus: imaque cedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocyùs ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit à femore, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit chari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrymæque per ora volutæ.
Hìc mortis duræ casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,

*humeris super fluctus, quando graditur pedes, aperiens* sibi *iter per vasta stagna medii Nerei; aut* quando *revortans antiquam ornum è summis montibus, ambulat* in *terrâ, et tegit caput inter nubes. Talis Mezentius immittit se magnis armis. Ex adverso Æneas, conspicatus* eum *in longâ turmâ, parat ire obvium illi. Ille stat intrepidus, expectans generosum hostem, et immotus* est *suâ proceritate: et mensus spatium, quantum sufficiebat hastæ,* ait: *Nunc dextera,* quæ *mihi Deus* est; *et hasta, quam vibro volatilem, auxilientur* mihi. *Voveo, ô Lause, te* fore *trophæum ipsum Æneæ, vestitum spoliis detractis è corpore raptoris.* Sic *ait, et procul evibravit hastam sonantem: illa autem volans detorta est è clypeo* Æneæ, *et longè confodit inter ilia et latus illustrem Anthorem: Anthorem socium Herculis, qui profectus Argis adhæserat Evandro, et remanserat in urbe Italâ. Miser dejicitur alienâ plagâ, et spectat cœlum, et moriens recordatur dilectos Argos. Tunc pius Æneas immittit hastam: illa pervadit per clypeum cavum trino ære, per telas lineas et opus* clypei *compactum tribus coriis tauri: et summâ* sui parte *stetit* in *inguine: sed non tulit vim* suam eò usque. *Statim Æneas gaudens conspecto sanguine regis Etrusci, educit gladium à femore, et ardens imminet turbato. Lausus, cum* id *conspexit, altè ingemuit* ex *amore* in *dilectum patrem, et lacrymæ sparsæ* sunt *per vultum. Sanè si aliqua posteritas datura est fidem tanto facto,*

## NOTÆ

Servius; sed omnino arbitror poëtam explicandum de ejus specie cœlesti: maximum enim sidus est, stellis constans sex et quinquaginta lucidissimis; pingitur accinctus gladio, et clavam intendens. Unde cùm mari navigantibus oritur, videtur mare medium secare: mox humeris, deinde toto corpore è fluctibus emergens. Sic quoque in terrâ degentibus, videtur ex horizonte ad summum usque cœlum pertingere. *Ornus annosa,* clava est, quâ instructus pingitur. *Ornus* arbor, fraxinus sylvestris. *Nereus,* marinum numen, Ecl. 6. 35. *Nerei stagna:* humilior expressio maris, quam auget addendo, *maxima;* ut Æn. 1. 118. *Nantes in gurgite vasto.*

773. *Dextra mihi Deus.*] Nam ubique *Contemptor Divûm Mezentius,* Æn. 7. 648.

775. *Ipsum te, Lause, trophæum, &c.*] Solent victores truncum arboris eligere, quem spoliis onerent: idque *trophæum* appellant. Mezentius vovet, non truncum arboris, sed Lausum ipsum filium suum trophæi loco sibi futurum: id est, se daturum, et quasi consecraturum filio spolia Æneæ.

778. *Anthorem.*] Non ab *Anthor, Anthoris:* brevis enim esset media syllaba: ut in *Hector, Hectoris; Nestor, Nestoris.* Igitur ab *Anthores, Anthoris:* ut *Diores, Dioris:* unde *Anthorem,* sicut *Diorem,* Æn. 12. 509. Ita Servius. De *Argis,* urbe Peloponnesi, Æn. 1. 284. De *Hercule,* apud Evandrum excepto, Æn. 8. 200.

780. *Italâ urbe.*] *Pallanteo,* Evandri regiâ, Æn. 8. 51.

784. *Linea terga.*] Suprà, v. 482. *Ferri terga;* id est plexus varios. *Lino* autem, sive *linteo* tegebantur ærea etiam scuta, ut iis inhærere pictura posset: ex Servio. De *inguine,* suprà, v. 589.

788. *Femore.*] *Femur* et *femen,* promiscuè sumuntur; tamen propriè *femen* pars est interior; *femur,* exterior. Aiunt aliqui solum dici *femur,* in nominativo: cujus genitivus sit *femoris* vel *feminis:* leguntque hìc, *femine.*

Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat:
Prorupit juvenis, seseque immiscuit armis.
Jamque assurgentis dextrâ, plagamque ferentis
Æneæ subiit mucronem: ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parmâ protectus abiret:
Telaque conjiciunt; proturbantque eminùs hostem
Missilibus: furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusâ si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tutâ latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit; in terris ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet: et Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quò moriture ruis? majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minùs ille
Exultat demens: sævæ jamque altiùs iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt. Validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpusque reliquit.
At verò ut vultum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit;
Et mentem patriæ subiit pietatis imago:
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tantâ dabit indole dignum?

*non hìc tacebo exitum asperæ mortis, et tua fortia gesta; nec te* ipsum, *ô celebrande juvenis. Ille retrò ferens gressum, et debilis, et impeditus recedebat; et trahebat* cum *clypeo hastam hostilem: juvenis irruit, et se interposuit armis, et objecit se cuspidi Æneæ attollentis dextram, et inferentis vulnus, et ipsum sustinuit retardando: socii adjuvant ingenti clamore, dum pater excederet tectus parmâ filii: et evibrant spicula et longè propellunt hostem jaculis: Æneas sævit, et continet se tectus* clypeo. *Et quemadmodum, si aliquando nubes ruunt effusâ grandine, omnis arator et omnis agricola fugit* ex *agris, et viator abdit* se sub *aggere securo, aut* sub *crepidine fluvii, aut sub cavo rupis arduæ, dum pluit; ut possint Sole revocato operari per diem in terris; sic Æneas obrutus undequaque spiculis, sustinet omnem nubem armorum, donec* cesset *tonare: et objurgat Lausum, et comminatur Lauso: Quò curris, ô moriture, et* cur *suspicis majora viribus? pietas tua decipit te improvidum. Ille nihilominùs insanus gaudet; et jam furor asper graviùs exardescit duci Trojano, et Parcæ colligunt ultima fila Lauso. Nam Æneas immittit validum ensem in medium juvenem, et abdit totum: cuspis trajecit quoque parmam, levem armaturam minacis* juvenis, *et tunicam quam mater neverat auro flexili: et cruor replevit sinum: tunc vita tristis abiit per aërem ad inferos, et deseruit corpus. At verò cùm filius Anchisæ vidit faciem et ora morientis, ora pallentia miris modis: ingemuit graviter miserescens, et porrexit dexteram, et specimen illud pietatis* in *parentem penetravit animum. O puer infelix, quid nunc pro istis meritis: quid pius Æneas dabit tibi dignum tantâ virtute?*

NOTÆ.

794. *Inque ligatus, &c.*] Æneæ hastili per clypeum in inguen impacto, cum ipso clypeo quasi illigatus.

796. *Prorupit juvenis.*] Sic restituimus ex Romano apud Pierium codice: aliàs *proripuit.*

800. *Parmâ.*] Brevis clypeus rotundus, et undique *par: velitum* apud Romanos ob levitatem proprius, Æn. 9. 548. unde infrà, v. 817. *Parmam levia arma.*

809. *Nubem belli, dum detonet, omnem Sustinet.*] Ita Pierius legit, ex vetustissimo Romano codice: cùm vulgò corruptè legatur; *nubem belli dum detinet, omnes sustinet.* Firmat Romanam lectionem Servius, cùm sic interpretatur: *Bellantem impetum sustinet, dum deferveat.*

815. *Parcæ.*] Tres, quæ fusis hominum sortes evolvunt, Æn. 1. 22.

818. *Tunicam.*] De eâ veste interiore, Æn. 9. 616.

820. *Manes.*] Inferorum Dii sunt, vel animæ mortuorum, Æn. 6. 743.

Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus, et cineri, si qua est ea cura remitto.
Hoc tamen, infelix, miseram solabere mortem:
Æneæ magni dextrâ cadis. Increpat ultrò
Cunctantes socios, et terrâ sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Intereà genitor Tyberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat,
Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circùm juvenes: ipse æger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat; multosque remittit
Qui revocent, mœstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimum super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longè gemitum præsaga mali mens:
Canitiem immundo deformat pulvere, et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret:
Tanta-ne me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? tua-ne hæc genitor per vulnera servor,
Morte tuâ vivens? heu! nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiisque meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse:
Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: et, quanquam vis alto vulnere tardat,

*retine arma tua, quibus gaudebas; et te reddo umbris parentum et sepulchro, si quâ* ratione *id curas. Tamen, ô miser, solaberis necem infaustam eâ* re: *moreris manu ingentis Æneæ. Ultrò excitat socios morantes, et erigit è terrâ illum fœdantem cruore crines de more compositos. Interim pater* ejus, *ad undas Tyberis fluvii, tergebat aquis plagam, et curabat corpus adnixus trunco arboris: ærea cassis longè pendet è ramis, et onerosa arma jacent in prato. Juvenes præcipui circumsistunt: ipse saucius, anhelans sustentat collum, deponens in pectus barbam promissam: quærit plurima de Lauso; et mittit plurimos qui retrahant* eum, *et portent* ei *jussa patris. Sed socii plorantes portabant in clypeo Lausum mortuum, magnum, et magnâ plagâ occisum. Mens* patris *præsagiens calamitatem agnovit procul lamenta: deturpat canos* crines *fœdo pulvere, tollit ad cœlum geminas palmas, et incumbit cadaveri: O fili, an tanta cupido vitæ corripuit me, ut paterer* eum *quem genui supponi pro me dexteræ inimicæ? an* ego *pater servor per has plagas tuas, tuam vivus* per *mortem? heu! nunc denique mihi misero durum* est *exilium, nunc plaga intimè inflicta* est. *Ego, ô fili, ipse infeci scelere tuum nomen, ejectus solio et regno paterno propter cupiditatem* meam. *Debebam pœnas patriæ,* et debebam *ipse dare animam sceleratam indignationi meorum* subditorum *per omnia* genera *mortis. Nunc vivo nec adhuc relinquo vitam et homines: at relinquam. Hæc proferens, simul erigit se in femur saucium, et quamvis violentia profundi vulneris retardet* eum,

NOTÆ.

832. *De more.*] Juvenum: qui, ut et mulieres, capillos certâ lege componebant, ut videre est in antiquis statuis. De *Tyberino* fluvio, Æn. 8. 530.

835. *Acclinis.*] Vulgò *acclivis:* sed emendant Turnebus, Lambinus, Casaubonus, &c. ut et *reclinis* pro *reclivis:* à voce antiquâ et Lucretianâ, *clino.* Cæsar de bello Gal. l. 6. *His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant: atque ita paulùm modo acclinatæ quietem capiunt.* Dicitur tamen *proclivis,* non *proclinis:* à *clivo,* quæ inclinatio est et devexitas montis. Ego existimo; sicut *clivus* à *clino* dictus est, quod apud omnes constat; ita potuisse dici *acclivis* et *reclivis,* etiamsi à *clino* deriventur.

835. *Procul.*] Servius aliique hinc probant, *procul,* significare *juxta:* itemque Ecl. 6. 16. *Serta procul tantùm capiti delapsa jacebant.* Ego in eam opinionem adduci non possum: et puto, *procul,* non quidem longam semper distantiam; sed aliquam saltem significare.

849. *Heu! nunc misero mihi, &c.*] Non me movit huc usque, aut ignominia exilii, aut dolor inflicti ab Æneâ vulneris: quamdiu te ultorem superesse putavi: *nunc, &c.*

852. *Ob invidiam.*] Non, *ob odia;* ne meritò expulsus esse videatur: inquit Servius. Malè: cùm profiteatur se *criminis* reum *debere pœnas patriæ.* Fortassè *ob invidiam* dicit, non *subditorum in se,* sed *suam* in *subditos:* id est, cupiditatem, avaritiam, immanitatem.

Haud dejectus equum duci jubet: hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mœrentem, et talibus infit:
 Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est,)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit: et exceptus tergo consueta locavit
Membra: manusque ambas jaculis oneravit acutis;
Ære caput fulgens, cristâque hirsutus equinâ:
Sic cursum in medios rapidus dedit. Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Atque hìc Æneam magnâ ter voce vocavit.
Æneas agnovit eum, lætusque precatur:
Sic pater ille Deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infestâ subit obvius hastâ.
 Ille autem: Quid me, erepto, sævissime, nato,
Terres? hæc via sola fuit, quâ perdere posses.
Nec mortem horremus, nec Divûm parcimus ulli:
Desine, jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona priùs. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud, supèr atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum astantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens; ter secum Troïus heros

*non fractus imperat adduci equum: hoc erat illi ornamentum, hoc solatium;* per *hunc exibat victor* ex *omnibus præliis; alloquitur mœstum* equum, *et affatur talibus* verbis: *Rhœbe, diu viximus, si ulla res diu durat hominibus: vel hodie victor reportabis spolia illa sanguinea et caput Æneæ, et mecum eris ultor mortis Lausi: vel si nullus impetus pandit* mihi *viam* ad ultionem, *cades simul: opinor enim, ô fortissime, dedignaberis ferre imperia exterorum, et Trojanos dominos.* Sic *ait: et exceptus dorso, composuit corpus assuetum* huic equo: *et armavit binas manus telis acutis: splendens æreâ* casside secundùm *caput, et horrens cristâ* è jubis *equinis. Sic præceps cepit cursum per medios. Pudor magnus ardet in corde intimo, et amentia juncta* cum *dolore, et amor turbatus furore, et fortitudo* sua sibi *cognita. Tunc verò appellavit Æneam ter altâ voce. Æneas agnovit eum, et gaudens orat* Deos: *Sic pater ille Deorum, sic magnus Apollo efficiat,* ut *incipias conserere manum* mecum. Hoc *solum locutus* est, et *occurrit adversùs minaci hastâ. Ille autem* Mezentius ait: *O crudelissime, cur me territas sublato filio? unicus fuit ille modus, quo posses* me *occidere; nec timemus mortem, nec reveremur ullum numen: abstine* ab illis: *nunc venio moriturus, et priùs fero tibi hæc munera. Dixit, et libravit jaculum in hostem: deinde infigit aliud, et prætereà aliud, et circuit* in *magnum orbem: sed clypeus aureus excipit* illa. *Ter equitavit in sinistros circuitus circa stantem* Æneam, *spargens manu jacula: ter heros Trojanus secum*

NOTÆ.

861. *Rhœbe, diu, &c.*] Carpitur hìc à quibusdam Virgilius, quòd Mezentium inducat se cum equo componentem. Ducem tamen habet Homerum, Il. 8. 185. ubi Hector equos item suos, Xanthum, Podargum, Æthona, et Lampum adhortatur.

875. *Sic pater ille, &c.*] Æneæ pietas in invocandis Diis, quos contrà Mezentius negligit; *Dextra mihi Deus, &c.* v. 773. *Sic, &c.* id est, *sic faciat pater Deûm, ut incipias, &c.* Est enim in pugnâ, quæ missilibus peragitur, deterior ejus conditio qui incipit. Vel, *faciat pater Deûm, ut sic incipias:* id est, *eques contra peditem.* Nam etsi habitus equestris videtur ad impetum pedestri superior: in pedestri tamen magna et multiplex utilitas. Et verò Æneas pedes, confosso equo, equitem deturbavit.

878. *Quid me erepto, &c.*] Orbatum filio patrem frustrà territas: magis enim post illius excessum cupio mori, quàm me ipse cupis occidere. Sic Donatus.

879. *Hæc via sola fuit, &c.*] Aliâ enim viâ superare non posses; tunc vita mea consumpta est, tunc me cepit odium vitæ: cùm cecidit Lausus, cùm ejus funus his oculis vidi. Sic Donatus.

880. *Nec mortem, &c.*] Frustrà minaris mortem, quam quæro: frustrà Deos invocas, quos contemno, quos probris lacesso; quibus, si adessent, minimè parcerem.

881. *Hæc tibi porto Dona priùs.*] Ut, quasi mutuo munere me occidas. *Umbo,* Æn. 2. 546.

Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere; et urgetur pugnâ congressus iniquâ:
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troësque Latinique.
  Advolat Æneas, vaginâque eripit ensem:
Et super hæc: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contrà Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas, nec sic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulchro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem;
Undantique animam diffundit in arma cruore.

*circumfert magnum numerum* jaculorum, *in æreo clypeo,* defixum. *Denique cum pigeret ducere tot moras, et extrahere tot jacula* è clypeo; *et* cùm *premeretur certans prœlio impari: meditans mente plurima, tum denique irruit et impingit hastam inter cava tempora pugnacis equi: equus attollit se rectum, ferit aërem ungulis* posterioribus, *et ipse cadens super equitem excussum impedit* eum, *et pronus in caput opprimit projectum humerum. Trojani et Latini commovent cœlum clamore. Æneas accurrit, et extrahit gladium è vaginâ, et simul hæc* dicit: *Ubi est jam ferox Mezentius, et aspera illa violentia animi? Etruscus, postquam aspiciens aërem hausit spiritum, et collegit animum,* ait *contrà: Hostis acerbe, cur objurgas* me, *et intentas necem? nullum crimen est in* meâ *cæde: nec sic redii ad prælium,* ut mihi parceres: *nec meus Lausus fecit mihi tecum hæc fœdera. Hoc solum precor, per veniam* quæ datur *superatis hostibus, si datur aliqua: patere ut cadaver* meum *tumuletur humo. Novi aspera odia meorum circumsistere* me: *precor, contine hunc furorem, et redde me tumulo conjunctum* cum *filio. Hæc dixit, et excipit gladium gutture sciens* et videns, *et spargit animam cum sanguine exundante in arma.*

## NOTÆ.

887. *Sylvam.*] Magnam telorum multitudinem, infixam clypeo, Geor. 1. 152.

889. *Pugnâ congressus iniquâ.*] Pedes Æneas, contra equitem Mezentium.

892. *Tollit se arrectum, &c.*] Videtur primùm sublato capite ex dolore vulneris, in posteriores pedes surrexisse: mox contrario motu recidens in anteriores, posterioribus aërem verberâsse: quo successu dejectus est Mezentius; equus in caput cernuus procubuit.

894. *Ejectoque incumbit cernuus armo.*] *Cernuus* is dicitur, qui procumbit in faciem; eam scilicet partem, quâ *cernimus*, seu videmus: hinc *cernuare*. Ita vulgò grammatici omnes. *Armus* est humerus, ut quibusdam videtur, brutorum animantium. Tamen hìc explicatur de humero Mezentii, quemadmodum de humero Herminii, Æn. 11. 644.

895. *Clamore incendunt cœlum.*] Commovent, concitant. Sic Æn. 4. 360. *Desine meque tuis incendere, teque querelis.*

900. *Mortemque minaris? Nullum, &c.*] Quid suspendis ictum, quasi me ad mortem deprecandam invitares? potes me occidere: nullum crimen est, si quod hostis tibi parabat, id ipsum huic inferas. Non ad pugnam eâ mente redii, ut vincerem; sed ut morerer. Nec Lausus morte suâ fœdus hoc tecum mihi pepigit, ut vitam deinde mihi condonares: donum quippe respuerem tuum, qui filio superesse nolo.

905. *Circumstare odia.*] De odiis Etruscorum in Mezentium regem suum, Æn. 8. 478.

# P. VIRGILII MARONIS

# Æ N E I D O S

## LIBER XI.

### ARGUMENTUM.

*POSTERA die victor Æneas de spoliis Mezentii trophæum Marti erigit; Pallantis mortui corpus magno apparatu ad Evandri urbem remittit, ubi summo patris luctu excipitur. Latini oratores duodecim dierum inducias ab Æneâ obtinent, et interim uterque exercitus cadavera suorum supremis honoribus prosequitur. Venulus, è Diomedis urbe redux, nullam inde spem esse auxilii Latinis refert. Latinus rex, eâ spe destitutus, convocato concilio, legatos ad Æneam de pacis conditionibus mittendos censet. Addit Drances huic regis sententiæ multa in Turnum belli auctorem convicia: quæ Turnus amarè, sed animosè refellit: paratum se professus singulari cum Æneâ certamine commune periculum redimere. Iis ita rixantibus nunciatur Trojani exercitûs expeditos equites planis itineribus Laurento imminere, Æneam cum reliquis copiis per loca montibus impedita eòdem contendere. Turnus, cognito Æneæ consilio, suas etiam copias bifariam dividit: equites sub Camillâ et Messapo Trojanis equitibus opponit; ipse cum cæteris montium angustias occupat, ut Æneam opprimat insidiis. Diana mortem Camillæ prævidens, cùm eam impedire non possit, saltem ultioni providet: dimissâ è cælo Nymphâ Opi, quæ percussorem illius interimat. Commisso equestri prælio Camilla ab Arunte occiditur, Aruns ab Opi. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt. Cujus calamitatis nuncio ad Turnum perlato, his relictis, quas insederat, angustiis, auxilio suorum accurrit. Eòdem subsequitur Æneas: imminente jam nocte, castra utrique ante urbem collocant.*

OCEANUM intereà surgens Aurora reliquit.
Æneas (quanquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est)
Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.

INTERPRETATIO.

*Interim Aurora oriens deseruit mare. Æneas victor, primo mane reddebat vota Diis: quamvis et urgeat solicitudo dandi tempus sociis tumulandis, et animus turbatus sit morte* Pallantis.

### NOTÆ.

1. *Oceanum, &c.*] Noctem, quæ prælium secuta est, non describit: quo nomine perperàm carpitur à Donato, in Eunuchum Terentii: nam, ut ait Servius, *quæ naturalia sunt omnibus per se patent.* De *Aurorâ*, pro die, Æn. 6. 535. Geor. 1. 249.

4. *Primo Eoo.*] *Lucifero*, stellâ Veneris; quæ manè ante ortum Solis apparet, diciturque tum *Eous*, ab ἠὼς, *Aurora;* serò Solem cadentem subsequitur, tumque vocatur *Vesper*, Ecl. 6. 86. Porrò Æneas vota exsequitur antequam funus curet; quia polluti credebantur, et Deorum sacris inepti, qui fúnera attigerant, Æn. 6. 227. in Notis.

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, trophæum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atquè ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; hæc sunt spolia, et de rege superbo
Primitiæ; manibusque meis Mezentius hìc est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum:
Ne qua mora ignaros (ubi primùm vellere signa
Annuerint Superi, pubemque educere castris)
Impediat, segnesque metu sententia tardet.
Intereà socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait: egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus: mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

*Defigit in colle quercum excelsam, ramis circùm amputatis; et imponit* ei *arma splendida, spolia ducis Mezentii:* quod erat *trophæum tibi sacrum, ô magne Deus belli: accommodat* quercui *cristas stillantes sanguine, et spicula hominis fracta, et loricam appetitam et apertam duodecim locis: et annectit lævæ* parti *clypeum ex ære, et suspendit collo gladium* manubrio *eburneo. Deinde sic exorsus hortatur socios exultantes; nam omnis turba ducum circumstabat eum densa: O socii, res maxima perfecta* est: *omnis metus absit quoad reliqua: hæc sunt spolia et primitiæ de feroci rege* Turno: *et hìc jacet Mezentius meâ manu. Nunc nobis eundum* est *ad Regem et urbem Latinam. Parate arma, et* cum *animo ac spe desiderate pugnam: ne ulla mora detineat* vos *imperitos, et* dubia *sententia retardet pigros* præ *timore: cùm primùm Dii permiserint* nobis *eruere signa* è terrâ, *et emittere juventutem* è *castris. Interim tradamus terræ socios et cadavera insepulta: qui honos unicus superest iis* qui sunt *sub profundo Acheronte. Ite, inquit: donate ultimis honoribus animas* illas *insignes, quæ emerunt nobis hanc regionem suo sanguine: et Pallas primus reducatur in urbem tristem Evandri:* Pallas *quem non inopem virtutis funesta dies eripuit, et extinxit nece asperâ.*

## NOTÆ.

7. *Trophæum.*] Græcis τρόπαιον, à τροπὴ, *fuga:* hoc autem à τρέπω, *verto,* vertuntur quippe qui fugiunt. Unde doctissimi grammatici *tropæum* Latinè scribendum existimant, non *trophæum.* Tamen aspirationem retineri posse arbitror: cùm eam in alias quoque Græcanicas voces Latini induxerint. Sic dixerunt *Riphæos montes,* Ῥίπαια ὄρη: *Bosphorum,* Βόσπορον. Trophæa verò editissimis in locis constitui usu venit: sic Pompeius devictis Hispanis posuit in Pyrenæis jugis. Fiebant vel ex immani trunco arboris, quem armis circumvestibant, ut corporis loco esset: vel ex acervo et cumulo spoliorum, &c. De *Marte,* bellorum Deo, Ecl. 9. 12.

9. *Tela trunca.*] Quæ in Æneam à Mezentio projecta, et clypeo recepta atque infixa magno numero fuerant, Æn. 10. 887.

10. *Perfossumque.*] Duo tantùm vulnera Mezentius ab Æneâ acceperat: alterum in inguine, Æn. 10. 785. alterum in jugulo, ibid. 907. unde igitur duodecim illa thoracis foramina? suspicatur Servius eum ab Etruscis infensis post mortem fuisse multis ictibus appetitum: ut fuit Hector et Tydeus. Oraverat tamen moriens Mezentius Æneam, ne suorum odiis eum objiceret. Numerum autem *duodenum;* pro quolibet incerto numero, à poëtâ positum puto.

11. *Eburnum.*] Quia vel vagina, vel manubrium, erat ex ebore.

13. *Ovantes.*] Exultantes ob victoriam, Æn. 5. 189.

16. *Primitiæ.*] Primi fructus belli in Turnum suscepti, quos pius Æneas Marti dedicat: ut solebant primitiæ frugum, aut primi gregum fœtus Diis sacrari. *De rege superbo.*] Turnum explico, non Mezentium: non enim hæ erant Mezentii primitiæ, sed spolia omnia. *Hìc est.*] Servius *hic* pronomen putat, et explicat *talis:* quasi diceret: hic tantus tamque formidandus hostis, nunc talis ac tantillus est, umbra tantùm et inane simulacrum. Ego *hìc* adverbium malo.

19. *Vellere signa.*] More Romanorum, qui in castris humi defigebant signa: quæ si deinde ad pugnam ituri, facilè evellerent, bono ducebant omini: si difficilè, malo.

23. *Honos Acheronte sub imo.*] Qui enim carebant honore sepulchri, despecti apud inferos, et vagi centum annos errabant, Æn. 6. 325. *Acheron,* inferorum fluvius, hìc pro inferis accipitur, ibid. 3. 325.

26. *Evandri ad urbem.*] *Pallanteum,* Æn. 8. 51.

Sic ait illacrymans, recipitque ad limina gressum;
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger antè fuit: sed non felicibus æquè
Tum comes auspiciis charo datus ibat alumno.
Circùm omnes famulûmque manus, Trojanaque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.
  Ut verò Æneas foribus sese intulit altis:
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrymis ita fatur obortis:
Te-ne, inquit, miserande puer, cùm læta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cùm me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium; metuensque moneret
Acres esse viros, cum durâ prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multùm captus inani,
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis:
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore.
Infelix! nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, expectatique triumphi!
Hæc mea magna fides? at non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iüle!
  Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat: et toto lectos ex agmine mittit

*Sic dixit plorans, et refert pedem ad portam, ubi senex Acœtes custodiebat depositum cadaver Pallantis mortui;* Acœtes *qui priùs fuit armiger Evandro Arcadi: sed jam non venerat tam faustis ominibus comes addictus dilecto alumno. Circumstant omnes, et turba famulorum, et multitudo Trojanorum, et Trojanæ tristes passis capillis juxta ritum. Postquam verò Æneas ingressus est portis sublimibus: emittunt ad astra magnum gemitum pectoribus perculsis, et insonuit aula tristi fletu. Ipse* Æneas, *postquam aspexit caput candidi Pallantis sustentatum, et e*jus *faciem, et plagam mucronis Itali apertam in molli pectore; lachrymis erumpentibus, sic loquitur: O deplorande juvenis, an fortuna, cùm prospera accederet* ad me, *eripuit te mihi; ut non videres imperium nostrum, neque victor reducereris ad urbem paternam? non hæc dederam de te promissa patri* tuo *Evandro,* cùm ab eo *abii: cùm amplexus me abeuntem, dimitteret* me *in magnum imperium* Etruscorum; *et timens admoneret* me, Latinos *homines esse asperos, bellum esse* mihi *cum forti natione. Et nunc quidem ille, delusus spe admodum vanâ, forsan etiam concipit vota* pro te, *et onerat aras muneribus;* dum *nos tristes prosequimur inutili honore juvenem mortuum, et jam nullatenus subjectum* Diis *ullis superis. O miser, spectabis mœstum funus filii. Hi* sunt *nostri reditus, et triumphi sperati! hæc magna mea confidentia! tamen, ô Evander, non videbis* eum *cæsum plagis indecoris: nec, filio* turpiter *salvo, optabis tibi mortem acerbam. Hei mihi! quantum amittis tutamen, ô Italia! et quantum tu, ô Iüle! Postquam hæc flens dixit, jubet cadaver deplorabile auferri: et mittit mille viros electos ex universo exercitu,*

## NOTÆ.

29. *Ad limina.*] Ad januam quippe domûs producebantur defunctorum cadavera, Æn. 9. 486. Cæteras verò funerum ceremonias descripsimus, Æn. 6. 215. et sequentibus. Videtur Æneas confecto prælio fugatisque hostibus, in urbem ingressus suam, in eâ noctem duxisse. Eò etiam illata ante noctem fuerant principum virorum cadavera, præcipuè Pallantis: quod insigni aliquâ in domo depositum invisit summo mane Æneas: indeque deductam funeris pompam extra urbem prosequitur.

31. *Parrhasio Evandro.*] Arcadi, Æn. 8. 344.

35. *Iliades, &c.*] De more solvendæ comæ in luctu, Æn. 1. 480.

39. *Fultum.*] Sustentatum suppositis vestibus, tapetibus, &c. De *Ausonibus*, Italis, Æn. 7. 54.

47. *Mitteret in imperium.*] Ad Tuscos, quibus regem petentibus Evander Æneam miserat, Æn. 8. 475. 551.

51. *Nil jam cœlestibus, &c.*] Vivi subditi sunt superis Diis, mortui inferis.

55. *Fides.*] Quâ confidebam victorem Pallanta rediturum.

56. *Pudendis vulneribus.*] A tergo illatis; quæ fugacem notent, tibique mortem optabilem reddant, ne dedecus nati aspicias. *Ausonia*, Italia, Æn. 7. 54.

Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrymis: solatia luctûs
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii, crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hìc juvenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi;
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestes, auroque ostroque rigentes,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni, supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu.
Multaque prætereà Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias cæso sparsuros sanguine flammam;
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Pòst bellator equus positis insignibus Æthon

*qui prosequantur pompam ultimam, et adsint luctui patris:* quæ sunt *solamina parva magni doloris, tamen debita infausto patri. Alii non tardi componunt crates et flexile feretrum, è ramis arbuteis et virgultis querceis: et tegunt lectum* illic *collocatum umbraculo foliorum. Illic constituunt juvenem excelsum in strato rustico: qualem* constituerunt *florem, sive teneræ violæ, sive languentis hyacinthi, decerptum pollice puellæ: cui nondum splendor, nondum sua pulchritudo periit; nec* tamen *terra parens jam nutrit,* et *sufficit* ei *vires. Tum Æneas exportat vestes duas, asperas auro et purpurâ, quas ipsa Dido Sidonia ei olim elaboraverat gaudens* illo *labore, et distinxerat textum auro subtili. Induit tristis unam illarum juveni,* quasi *ultimum ornamentum; et tegit capillos comburendos* alterâ, quasi *velo. Prætereà accumulat plurima dona prælii Laurentini, et imperat spolia portari longâ serie. Addit equos et tela, quæ eripuerat hosti. Alligaverat quoque manibus post dorsum* eos, *quos* pater *demissurus esset* ut *inferias umbris filii, irrigaturos rogum fuso sanguine: et imperat ipsos duces portare arbores vestitas armis hostium, et nomina hostium inscribi* arboribus. *Miser Acœtes obrutus annis ducitur, nunc turpans pectus pugnis, nunc vultum unguibus: et sternitur humi profusus toto corpore. Trahunt quoque currus rigatos cruore Rutulorum. Deinde Æthon, equus bellicus, depositis ornamentis,*

## NOTÆ.

64. *Crates et molle feretrum, &c.*] De illo feretro in modum cratis, Æn. 6. 218. in Notis.

65. *Arbuteis, &c.*] *Arbutus,* arbor in deliciis veterum, *arboisier,* THE ARBUTE-TREE; Ecl. 3. 82. apta fuit cratibus, quare, Geor. 1. 166. *Arbuteæ crates. Quernum vimen:* virgultum, sive ramusculus, è quercu.

67. *Stramine.*] Vulgò *stramen* accipitur pro culmis et paleis et frondibus, quæ pecori substernuntur. De *violâ,* Ecl. 2. 47. De *hyacintho, glayeul,* SWORD-GRASS, Ecl. 3. 63.

69. *Languentis hyacinthi.*] Sæpe Virgilius finalem syllabam naturâ suâ brevem producit, sequente literâ *h,* ut hìc. Ut Æn. 10. 136. *Et Clarus et Hæmon.* Ibid. 7. 20. *Linquens profugus hymenæos.* Ut Æn. 7. 398. *Turnique canit hymenæos.* Ut Æn. 9. 418. *Dum trepidant, it hasta Tago.*

72. *Ostro.*] Purpurâ, ex ostreo expressâ, Geor. 2. 506.

74. *Sidonia Dido.*] Ex Phœniciâ, Æn. 1. 446.

78. *Laurentis pugnæ.*] Laurentino in litore commissæ, Æn. 7. 63.

81. *Umbris inferias.*] Octo juvenes, in pugnâ captos: ut ad rogum immolarentur, *inferrenturque* quasi dona tumulo, Æn. 10. 519.

83. *Truncos.*] Minora trophæa, quæ manibus præferrentur; suprà, v. 7.

88. *Currus.*] Pugnabant enim sæpe viri principes in curribus; ut *Nyphæus,* Æn. 10. 570. et paulò post, *Lucagus.*

89. *Positis insignibus Æthon.*] Equi Pallantis nomen, quod uni ex Solis equis ab Ovidio tribuitur, ab *αἴθω, uro* vel *ardeo. Insignia* equi, sunt *phaleræ,* Æn. 5. 310. *monilia et stragula picta;* Æn. 7. 277. 278. *Flet,* more equis satis vul-

It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt, nam cætera Turnus
Victor habet. Tum mœsta phalanx; Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternùm mihi, maxime Palla,
Æternúmque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latinâ,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen et æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur veniâ, et verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacemne exanimis et Martis sorte peremptis
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent:
Nec bellum cum gente gero. Rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potiùs se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat; his decuit mecum concurrere telis:

*incedit plorans, et rigat caput longis guttis. Alii portant hastam et cassidem* Pallantis: *nam victor Turnis possidet reliqua* arma. *Posteà tristis turma sequitur, et Trojani, et ductores Etrusci, et Arcades conversis hastis. Postquam tota series prosequentium* funus *longè transiit, Æneas constitit, et adjecit hæc altè gemens: Eadem aspera sors belli nos appellat hinc ad alios fletus. Salve* in *perpetuum mihi, ô Palla maxime, et vale* in *perpetuum. Nec locutus plura, ibat ad muros excelsos, et referebat pedem in urbem. Et jam oratores venerant ex urbe Latini* regis, *tecti ramis olivæ, et petentes* hanc *facultatem:* ut *redderet cadavera, quæ jacebant ferro strata per agros: et permitteret* ea *subire sepulchrum terræ: nullum esse bellum cum victis et privatis luce* cœlesti: *ignosceret* iis, quos *olim appellaverat hospites et soceros. Illos orantes* ea quæ *non* erant *neganda Æneas clemens donat* illâ *facultate, et præterea voce adjicit ista: O Latini, quæ sors immerita vos immiscuit tanto bello, ut recusetis nos amicos? an petitis pacem mortuis et interfectis casu prælii? sanè cuperem dare illam etiam viventibus. Nec venissem* huc, *nisi fata assignâssent* mihi *hanc regionem et* hanc *sedem: nec facio bellum cum gente* Latinâ. *Rex* vester *abrupit* jura *nostri hospitii, et potiùs se commisit armis Turni. Justius fuisset Turnum exponere se huic morti. Si statuit terminare bellum manu, et ejicere Trojanos, decuit* eum *pugnare mecum his armis:*

## NOTÆ.

gari: ut in humanum doloris affectum transire sæpe videantur.

91. *Cætera.*] Ergo clypeum, ensem, sed præcipuè balteum abstulit Turnus, Æn. 10. 496.

92. *Phalanx.*] Propriè agmen pedestre Macedonum, Æn. 2. 254. Hic pro quolibet agmine. *Teucri,* Æn. 1. 233. *Tyrrheni,* Æn. 8. 479. *Arcades,* Æn. 8. 51.

96. *Alias ad lacrymas.*] Ad peragenda cæterorum sociorum funera.

97. *Salve—Vale.*] *Novissima verba:* quibus à funere discedebant, Æn. 2. 27. in Notis.

99. *Gressumque in castra ferebat.*] Ad urbem suam, opere subitario castrorum in morem exstructam, Æn. 7. 157. Igitur funus extra urbem comitatus, nunc dimisso funere ad urbem redit.

100. *Urbe Latinâ.*] Laurento, Latini regiâ, Æn. 7. 63.

101. *Velati ramis oleæ.*] *Velati,* non capite, sed manibus: quibus ramos pacificæ arboris oleæ, tæniis laneis implicatos, supplices præferebant, Æn. 7. 237.

104. *Æthere cassis.*] *Cassus,* privatus: non à *quassus,* ut nugatur Servius; sed omnino à verbo *careo.*

105. *Socerisque vocatis.*] Cùm Latinus Æneam in socium, hospitem, et generum accepit, Æn. 7. 263.

114. *Turni se credidit armis.*] Non sponte tamen, sed cogente Amatâ uxore, Æn. 7. 616.

Vixêt, cui vitam Deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
 Dixerat Æneas: olli obstupuere silentes,
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior, semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert: O famâ ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæ-ne prius mirer, belli-ne laborum?
Nos verò hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc: unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies: et pace sequestrâ
Per sylvas Teucri, mixtique impunè Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus: evertunt actas ad sidera pinus:
Robora nec cuneis, et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
 Et jam fama volans, tanti prænuncia luctûs,
Evandrum Evandrique domos et mœnia complet;
Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces: lucet via longo
Ordine flammarum, et latè discriminat agros.
Contrà turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere;

*vixisset is* nostrûm, *cui Deus aut virtus sua servâsset vitam. Abite jam, et subjicite flammas miseris civibus* mortuis. *Æneas locutus erat: illi taciti obstupuerunt, ac tenebant oculos et vultus inter se obversos. Tum senex Drances, semper infestus odiis et criminatione juveni Turno, sic deinde voce reponit verba: O vir Trojane, famâ magne, major factis: quibus laudibus extollam te* ad *cœlum? an priùs admirabor te* ob *justitiam, an* ob *opera bellica? nos autem memores* beneficii *reportabimus ista* quæ dicis *in urbem patriam: et sociabimus te regi Latino, si aliqua fortuna modum offerat, Turnus quærat sibi* alia *fœdera. Immò delectabit etiam* nos, *erigere moles fatales murorum tuorum, et portare humeris saxa Trojanæ* urbis. *Dixerat hæc, et omnes communi voce mussitabant talia. Statuerunt* inducias ad *duodecim dies: et pace intermediâ, Trojani et Latini confusi absque periculo vagati sunt per montes et sylvas. Fraxinus alta sonat securi utrimque acutâ: eruunt pinus erectas ad astra; nec intermittunt secare cuneis quercus et cedros odoratas, nec vehere ornos plaustris stridentibus. Et jam fama, prænuncia tanti doloris, dispersa implet Evandrum, et Evandri ædes atque urbem; quæ* fama *priùs narrabat per Latium, Pallanta victorem* esse. *Arcades* incipiunt *concurrere ad portas* urbis, *et juxta ritum veterem corripuerunt funebres tædas: iter splendet longâ serie flammarum, et latè dividit campos. Multitudo Trojanorum adversùm veniens conjungit* iis *agmina* sua *dolentia. Quæ quando matres viderunt ingredi domos, commovent clamoribus urbem omnem. At nulla violentia potest cohibere Evandrum,*

NOTÆ.

118. *Vixêt.*] Syncope, pro *vixisset.* Sic Æn. 4. 582. *Extinxtî,* pro *extinxisti, &c.*

122. *Crimine.*] Criminationibus, quibus Turnum semper onerabat, ex odio. Sic Æn. 2. 98. *Hinc semper Ulysses Criminibus terrere novis.*

126. *Justitiæ-ne priùs mirer.*] More Græcorum; apud quos verba *admirandi* et similia nonnulla genitivo junguntur. Sic infrà, v. 280. *Memini lætorve malorum.* Apud Horat. Od. l. 2. 9. 17. *Desine mollium tandem querelarum, &c.*

133. *Pace sequestrâ.*] *Conciliatrice.* Nam *sequester* est arbiter inter utramque partem medius, cujus judicium utraque pars *sequitur.* Vel juxta Servium et Donatum *pax sequestra,* sunt *induciæ:* quæ *sequestræ* sunt, id est, mediæ, inter bellum præteritum et bellum futurum.

135. *Ferro bipenni.*] *Bipennis,* vel *ferrum bipenne:* securis est, utrinque acuta: à *bina pinna;* est autem *pinna* fastigium quoddam; unde summitas templorum vocatur *pinnaculum.*

137. *Robora.*] *Robur,* vel species est durissimæ quercûs, vel durum quodlibet lignum, Geor. 1. 162. *Olens,* Ecl. 2. 11.

138. *Ornos.*] *Fraxinos* sylvestres.

147. *Incendunt.*] Metaphora, pro *concitant,* Æn. 4. 360

Sed venit in medios: feretro Pallanta repôsto
Procumbit super, atque hæret lacrymansque gemensque
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti:
Cautiùs ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ, bellique propinqui
Dura rudimenta, et nulli exaudita Deorum
Vota, precesque meæ! tuque, ô sanctissima conjux,
Felix morte tuâ, neque in hunc servata dolorem!
Contrà ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troûm socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis: animam ipse dedissem;
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quòd si immatura manebat
Mors natum: cæsis Volscorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quàm pius Æneas, et quàm magni Phryges, et quàm
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis:
Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, et hæc memores regi mandata referte:
Quòd vitam moror invisam, Pallante perempto;
Dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides meritis: vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.
Aurora intereà miseris mortalibus almam

*sed currit in medios: feretro deposito, concidit super Pallanta, atque inhæret flens et gemens: ac demum difficilè via aperta est voci* per *dolorem: O Palla, non dederas hæc promissa patri tuo:* sed fore *ut velles te committere duro Marti circumspectiùs. Non eram nescius quantum valeret nova* cupiditas *gloriæ in bello, et jucundus* ille *honor in primâ pugnâ. O primi conatus juvenis infelices, et acerba experimenta belli vicini, et vota precesque meæ à nullo Deorum audite! et tu, ô sanctissima uxor, felix* per *mortem tuam, nec superstes ad hunc luctum! contrà ego vivendo excessi mea fata, ut pater restarem superstes* filio. Si *Rutuli obruisset me telis* eò quòd *junxi societatem belli* cum *Trojanis, ipse* libens *amisissem vitam: et hæc pompa reveheret domum me, non Pallanta. Nec incusabo vos, ô Trojani, nec fœdus, nec quas manus sociavimus* per *hospitium: calamitas ista debita erat meæ senectuti. Tamen si mors immatura destinata erat filio: oportebat* eum *mori inducentem Trojanos in Latium, occisis priùs* multis *millibus Volscorum. Ego verò, ô Palla, non honorabo te aliâ pompâ: quàm pius Æneas, et quàm illustres Trojani, et quàm ductores Tusci, et omnis exercitus Tuscorum.* Illi *portant magna trophæa,* ex iis *quos tua manus demisit morti. Tu etiam, ô Turne, stares jam grandis truncus* vestitus *armis, si par fuisset ætas, et vis æqualis ab ætate. Sed miser, cur cohibeo Teucros à pugnâ? abite, et memores reportate regi* vestro *hæc* mea *dicta:* O Ænea, *si sustineo adhuc vitam odiosam reciso Pallante: dextera tua causa est,* cur id faciam: dextera, *quæ, ut intelligis, debet Turnum et filio* Pallanti, *et* mihi *patri,* qui ambo id *meriti* sumus: *unicus hic modus* solandi me *restat tibi et fortunæ. Non cupio gaudia vitæ, nec licitum* est: *sed* cupio *ferre hæc* gaudia *filio ad profundos inferos. Interim Aurora reddiderat miseris hominibus*

## NOTÆ.

148. *Potis est.*] Æn. 3. 671. *Feretrum,* ibid. 6. 218.

156. *Primitiæ.*] Suprà, v. 16. *Belli propinqui:* vel inter finitimos et propinquos populos, ita ut ab eo abstinere non potuerim; vel imminentis, cujus mors Pallantis præludium est.

160. *Vici mea fata.*] Superavi naturalem ordinem, longiore vitâ. Fatum enim esse videtur, ut pater ante filium moriatur.

161. *Troûm socia, &c.*] Si peccavi, initâ cum Trojanis armorum societate, solus plecti à Rutulis debui, solus animam effundere.

*Obruerent.*] Supple *utinam,* aut *si;* ut Æn. 6. 31. *Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.*

*Volscorum.*] Gens fuit Latinis et Rutulis contermina ab oriente, Æn. 7. 803. *Latium,* ibid. 7. 54. *Phryges,* Trojani, ibid. 1. 381. *Tyrrheni duces,* ibid. 10. 164. *Trophæa,* suprà, v. 7.

174. *Esset par ætas.*] Aut mihi, aut nato; sed ego senior sum, natus junior fuit, quàm ut te vinceret.

182. *Aurora.*] Dies altera post pugnam. De *Aurorâ,* Geor. 1. 249. Æn. 6. 535.

Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon
Constituêre pyras: huc corpora quisque suorum
More tulere patrum: subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos: ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedêre.
Spargitur et tellus lacrymis, sparguntur et arma:
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros,
Frænaque, ferventesque rotas: pars, munera nota,
Ipsorum clypeos, et non felicia tela.
Multa boûm circà mactantur corpora morti:
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
Ardentes spectant socios, semustaque servant
Busta: neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus aptum.
   Nec minùs et miseri diversâ in parte Latini
Innumeras struxere pyras: et corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt; avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt:
Cætera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore cremant. Tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:
Mœrentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam verò in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, et longè pars maxima luctûs.
Hìc matres, miseræque nurus, hìc chara sororum

*beneficum lumen, reducens opera et labores. Jam pater Æneas, jam Tarchon, erexerunt rogos in sinuoso litore: unusquisque juxta morem majorem tulit illuc cadavera suorum: et suppositis nigris flammis, sublime cœlum tegitur fumo in* similitudinem *noctis. Ter induti rutilis armis* pedites *ambulaverunt circa rogos: ter in equis circuiverunt tristem flammam funeris et emiserunt ore ululatus. Tellus etiam rigatur fletu, arma etiam rigantur. Et clamor hominum et sonitus buccinarum tollitur* ad *cœlum. Deinde alii mittunt* in *ignem spolia ablata Latinis interfectis, et cassides, et pulchros gladios, et fræna, et celeres rotas: pars, dona nota* mortuis, *scuta ipsorum, et jacula non fausta. Plurima corpora boum circum immolantur morti: jugulant in ignem, et setosos porcos, et pecudes direptas ex omnibus campis; deinde* per *totum litus aspiciunt socios* qui *cremantur: observant rogos semustos: neque possunt* inde *abstrahi, quousque nox frigida mutavit cœlum distinctum astris micantibus. Nec aliter infelices Latini erexerunt quoque rogos innumeros in aliâ parte; et partim condunt humi plurima hominum cadavera; partim quoque auferunt asportata in vicinos campos, et remittunt* in *urbem. Comburunt reliqua, et immanem cumulum promiscuæ stragis, nec numerando nec honorando. Tunc undiquaque spatiosi campi resplendent certatim frequentibus ignibus. Tertia dies expulerat è cœlo frigidam noctem: dolentes evertebant altum cinerem et ossa permista* in *rogis, et tegebant* ea *tepido acervo terræ. Jam verò præcipuus tumulus et pars doloris longè maxima erat per domos,* in *urbe Latini opulenti. Illic matres, et nurus infaustæ; illic dilecta pectora sororum dolentium,*

## NOTÆ.

185. *Pyras.*] Rogos, busta, ligneas strues comburendis cadaveribus, *Æn.* 4. 494. De ritibus pompæ funebris, *Æn.* 6. 215. et sequentibus.

189. *Decurrêre—lustravere in equis.*] Primum refero ad pedites: secundum ad equites: ut sic totus exercitus officio funebri erga socios fungeretur. De *lustratione,* pro *circuitione, Æn* 1. 608.

195. *Ferventesque rotas.*] *Rotas* curruum hostilium, unde solebant principes viri pugnare. *Ferventes:* quæ solebant cursu incalescere: Hor. Od. l. 1. 1. *Metaque fervidis evitata rotis.*

202. *Cœlum stellis aptum.*] Commutatio: pro *cui aptæ et connexæ sunt stellæ, Æn.* 4. 482.

206. *Urbique remittunt.*] Non uni omnia corpora: sed unumquodque suæ. De vario more *sepeliendi* et *comburendi cadaveris, Æn.* 5. 48.

211. *Ruebant Ossa focis.*] Quomodo ossa hominum, à busti reliquiis secernerentur, *Æn.* 6. 227. Quomodo post cremationem tumularentur, ibid. 5. 48. *Ruo,* activè, *Æn.* 1. 35.

215. *Nurus.*] *Nurus,* propriè uxor filii, *bru,*

Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi
Dirum exsecrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances: solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contrà variis sententia dictis
Pro Turno, et magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.
Hos inter motus, medio flagrante tumultu,
Ecce supèr mœsti magnâ Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona neque aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Ænean manifesto numine ferri
Admonet ira Deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis, et maximus ævo,
Et primus sceptris, haud lætâ fronte, Latinus.
Atque hìc legatos Ætolâ ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet: et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, ô cives, Diomedem Argivaque castra,

*et pueri orbati patribus detestantur funestum bellum, et nuptias Turni: volunt* ut *ipse armis, ipse gladio dirimat* rem; *si quidem petit sibi imperium Italiæ et præcipuam potestatem. Drances acerbus asperat hæc: et testatur Turnum unum vocari, unum peti ad pugnam. Contrà multiplex* est *simul sententia variis verbis pro Turno, et magna auctoritas reginæ protegit* eum: *multa fama tuetur virum partis trophæis. Inter has dissentiones, medio tumultu ardente: ecce prætereà tristes legati referunt responsa è magnâ urbe Diomedis:* aiunt *nihil perfectum* esse *omnibus impensis tantorum laborum: nihil dona effecisse, nec aurum, nec magnas preces: alia auxilia quærenda* esse *Latinis, aut pacem petendam à rege Trojano. Ipse rex Latinus concidit* ex *magnitudinæ doloris. Furor Deorum et sepulchra recentia ante oculos, ostendunt Æneam fatalem juvari evidenti* auxilio *Deorum. Itaque congregat in excelsam regiam magnum concilium, et præcipuos suorum accercitos jussu* suo. *Illi congregantur, et plenis viis currunt ad domum regis. Latinus, et grandior ætate, et præcipuus regno, sedet inter medios, non hilari vultu. Atque hinc imperat legatos, reversos ex urbe Ætolicâ, dicere quænam reportant: et quærit singula responsa suo ordine. Tunc indictum* est *linguis silentium; et Venulus obediens imperio incipit ita loqui; O cives, vidimus Diomedem et castra Græca,*

## NOTÆ.

A DAUGHTER-IN-LAW, sumitur vulgò pro juniore quâlibet fœminâ, conjugio copulatâ, Æn. 2. 501. De *hymenæo*, Geor. 3. 60.

223. *Reginæ nomen.*] *Amatæ*, quæ favebat Turno, sororis filio, Æn. 7. 357. De *trophæis*, suprà, v. 7.

226. *Diomedis ab urbe.*] *Arpis*, infrà, v. 243.

230. *Pacem petendum.*] Regimen gerundii. Sic Lucretius, l. 1. 111. *Pœnas in morte timendum*, ibid. 381. *Motu privandum est corpora quæque.*

238. *Primus sceptris.*] Reges enim erant plerique, ex iis qui Turni auxilio venerant, Æn. 7. 647.

239. *Ætolâ ex urbe.*] *Arpis*, ab Ætolo Diomede conditis: mox, v. 243.

242. *Venulus.*] Qui ad Diomedem legatus fuerat, Æn. 8. 9.

243. *Diomedem.*] Filius fuit Tydei, nepos Œnei: paterno quidem et avito jure, Ætoliæ rex: sed cùm pater Tydeus Agrii patrui invidiâ regno pulsus esset, et Argos Peloponnesi urbem ad regem Adrastum confugisset; ibi Diomedes ex Deiphyle, Adrasti filiâ, natus est. Is Adrasto mortuo maximam et quasi regiam auctoritatem Argis obtinuit: avum suum, item ab Agrii filiis pulsum, in Ætoliam restituit: Argivorum et vicinarum urbium dux ad Trojam profectus est; ex Homero, Il. 2. 563. Ibi maxima quæque post Achillem ac difficillima perfecit: Palladium ex arce Trojanâ rapuit, Rhesum Thraciæ regem occidit: unde laudat Virgilius ejus manum, *quâ concidit Ilia tellus.* Venerem et Martem vulneravit. Quare Venus ejus domum evertit, adulterio Ægialæ uxoris ejus cum Cylabaro apud Argos: quorum ex insidiis cùm ægrè elapsus esset, neque verò posset in Ætoliam reverti, ut notat Cedrenus; in Apuliam, maximè orientalem Italiæ partem, mari fugit: ibique exceptus à Dauno rege, et parte agri donatus, urbes multas

Atque iter emensi casus superavimus omnes:
Contigimusque manum, quâ concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis agris.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Munera præferimus, nomen patriamque docemus:
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii: quæ vos fortuna quietos
Solicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros;
(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simoïs premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, et scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus. Scit triste Minervæ
Sidus, et Euboïcæ cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illâ diversum ad litus abacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas

*et perfecto itinere evasimus omnia pericula, et tetigimus manum, quâ regnum Trojanum periit. Ille victor exstruebat in campis Gargani Iapygis urbem Argyripam, de nomine patriæ gentis. Postquam ingressi* sumus, *et facultas concessa* est *alloquendi præsentem: offerimus dona, profitemur nomen et patriam: qui indixerint* nobis *bellum, quæ causa* nos *adduxerit* in urbem *Arpos. Ille sic tranquillâ voce respondit* iis quæ *audierat: O felices populi, imperium Saturni, Ausonii veteres: quæ sors vos turbat tranquillos, et impellit movere bella insueta? quotquot vastavimus ferro arva Trojana (omitto ea* mala quæ *tolerata* sunt *pugnando ad sublimes muros, et quot ille Simoïs sepeliverit viros) luimus per orbem immania supplicia, et omnes pœnas criminum, turba deploranda ipsi etiam Priamo. Novit* ista funestum *sidus Palladis, et scopuli Eubœæ, et* mons *vindex Caphareus. Post illam* Trojæ *expeditionem pulsi ad diversa litera, Menelaus filius Atrei circa columnas Protei*

## NOTÆ.

condidit, præcipuè *Argos Hippium*, id est, *equestre:* ex nomine natalis urbis, cujus ager *aptus equis* dicitur ab Homero; quæ vox deinde corrupta est primò in *Argyrippam;* vel *Argyripam;* deinde in *Arpos*. Ejus ruinæ nunc adhuc dicuntur *Arpi*, non longè à *Siponto* urbe, et radicibus promontorii *Gargani, Monte di S. Angelo*, quod in mare Hadriaticum procurrit. De ejus morte multiplex opinio refertur à Strabone, l. 6. Prima est, eum in Diomedeis insulis, huic litori vicinis, subitò evanuisse: ejusque socios dolore mortis illius esse mutatos in aves, infrà, v. 272. Secunda est, ipsum in patriam revocatum, in eâ diem obiisse. Tertia est, subactâ illâ maris Hadriatici orâ ad usque Venetos, apud illos mortuum et divinis honoribus affectum esse. De *Iapyge*, qui nomen dedit Iapygiæ, sive Apuliæ, *Æn*. 8. 710.

252. *Saturnia regna, &c.*] De *Saturni fugâ in Italiam*, *Æn*. 8. 319. De *Ausonibus*, antiquis Italiæ incolis, ibid. 328. et 7. 54.

257. *Simoïs.*] Fluvius Troadis, *Æn*. 1. 100.

259. *Triste Minervæ Sidus, &c.*] *Sidus Arcturi*, quod cùm per se procellosum sit, vim adhuc perniciosiorem ex irâ Minervæ dici potest accepisse ad vexandas Ajacis Oïlei naves. Sic enim Solinus, c. 20. de Caphareo: *Ubi post Ilii excidium, Argivam classem, vel Minervæ ira; vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi gravibus affecit cladibus.* De *Arcturo*, *Æn*. 1. 744. Geor. 1. 68. Explicari tamen potest *sidus* de ipsâ tempestate, quam excitavit Minerva: nam sic videtur vocem illam accepisse Virgilius, Geor. 1. 311. *Quid tempestates autumni et sidera dicam?* Et *Æn*. 12. 451. *Ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium.* De *Minervâ*, *Æn*. 2. 31. De *Ajace ab eâ interfecto* ad Caphareum, Eubœæ insulæ scopulum, ibid. 1. 401. 45. De *Eubœâ* Græciæ insulâ, *Negrepont*, ibid. 6. 2.

262. *Atrides Protei, &c.*] *Menelaus*, Spartæ rex, de quo, *Æn*. 2. 264. *Atrei* filius, confecto Trojano bello, octo annis tempestate jactatus est circa Ægypti litora, antequam in patriam rediret; et divertit apud *Proteum* regem Ægypti, de quo, Geor. 4. 388. Ita ferè Homerus Odyss. 4. 82. 385. &c.

*Columnas.*] *Limites, terminos* Ægypti. Quippe Strabo, l. 3. de columnis Herculis apud fretum Gaditanum disserens, ait, id nomen inde ortum esse, quòd viri illustres, ut finem imperii aut expeditionis suæ notâ aliquâ consignarent; aras aut columnas, aut in modum columnarum turriculas, fretis, aut promontoriis, aut montibus imposuerint: quæ nomina, destructis per temporum injuriam monumentis illis, loco ipsi remanserunt. Tales columnæ Herculis in freto Gaditano, aræ Philænorum ad Syrtes Africæ, columna Ionica in isthmo Corinthiaco, turris Pelori et turris Rhegina in freto Siculo, aræ Bacchi et Alexandri in Indiâ. Igitur *columna Protei*, pars erit illa litoris Ægyptii, ubi deinde magnus portus Alexandriæ fuit, qui sic describitur à Strabone, l. 17. Ἐν δεξιᾷ ἡ νῆσος καὶ ὁ πύργος ὁ φάρος, &c. *Ad dextram est Pharus, in-*

Exulat: Ætnæos vidit Cyclopas Ulysses.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penates
Idomenei? Libyco-ne habitantes litore Locros?
Ipse Mycenæus, magnorum ductor Achivûm,
Conjugis infandæ prima intra limina dextrâ
Oppetiit: devictâ Asiâ subsedit adulter.
Invidisse Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur:
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeò ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore; cùm ferro cœlestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne verò, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum

*exulat: Ulysses audiit Cyclopas Ætnæos. An memorabo regnum Pyrrhi, et domum Idomenei subversam? aut Locros degentes litore Libyco? ipse rex Mycenarum, dux magnorum Græcorum, periit in primo aditu* domûs, *manu sceleratæ uxoris:* post *Asiam subactam adulter insidiatus est* ei. An memorabo *Deos obstitisse* mihi, *quò minùs revectus* in *patriam regionem viderem dilectam conjugem et speciosam Calydona? Nunc quoque monstra terribilia aspectu insectantur* me: *et socii amissi evolârunt alis in aërem, et volucres errant* circa *fluvios et replent rupes tristibus sonis: heu crudelia supplicia meorum! hæc autem expectanda mihi jam fuerunt ab illo tempore; quando insanus invasi gladio corpora immortalia, et sauciavi plagâ dextram* manum *Veneris. Ne verò, ne hortemini me ad talia prælia. Nec mihi bellum ullum est cum Trojanis post excisam*

## NOTÆ.

*sula et turris: ad sinistram verò cautes et promontorium Lochias.* Et verò testatur Homerus, Menelaum ad Pharum insulam primò exscensionem fecisse, Odyss. 4. 355.

263. *Ætnæos.*] Ulysses in Siciliam apud Cyclopas appulsus est, ubi mons Ætna, ut fusè narrat Achæmenides, Æn. 3. 613.

264. *Regno Neoptolemi.*] Pyrrhi, Epiri regis, Achillis filii: qui ab Oreste Agamemnonis filio occisus est, ob amorem Hermiones, Æn. 3. 328. &c. De *Pyrrho Neoptolemo*, ibid. 2. 263.

265. *Penates Idomenei.*] Cretensis regis, qui à suis pulsus est ob occisum filium, Æn. 3. 122. *Penates*, Dii sunt domestici, ibid. 2. 717.

265. *Libyco litore Locros.*] De *Locris*, Græciæ populis circa Parnassum montem, Æn. 3. 399. Horum aliqui, post bellum Trojanum consederunt in meridionali cornu Italiæ, circa Zephyrium promontorium, ut ibidem explicuimus: alii in Africâ, circa Pentapolim, quæ Cyrenaica regio est, ad mare Mediterraneum, et orientem Syrtis majoris, ut ait Servius; ut verò testatur Domitius Afer, in regione Africæ planè oppositâ, nempe ad Oceanum Atlanticum.

266. *Mycenæus, &c.*] Agamemnon, Mycenarum rex, Clytæmnestræ uxoris et Ægisthi adulteri insidiis occisus, Æn. 3. 54. De *Mycenis*, urbe Peloponnesi, ibid. 1. 284. De *Achivis*, Græcis, ibid, 1. 488.

268. *Devictâ Asiâ subsedit adulter.*] *Subsideo*, est *clam sedeo insidiis.* Unde Valerius Max. l. 7. c. 2. vocat *subsessorem alieni matrimonii*, adulterum, qui alienæ conjugis pudicitiæ insidiatur. Itaque sensus est, Agamemnoni adulteriorum vindici, qui ob Paridis adulterium Trojam everterat, insidiatorem adulterum non defuisse, qui eum sub prima domûs limina primumque reditum opprimeret.

270. *Conjugium, &c.*] *Conjugem* Ægialeam, suprà, v. 243. *Calydona*, urbem Ætoliæ, quam Diomedes et avito jure possidebat, et armis domuerat, Æn. 7. 306.

272. *Socii amissi, &c.*] Circa promontorium Apuliæ Garganum, insulæ sunt, non duæ, ut ait Strabo, sed quinque: *Diomedeæ* ab antiquis dictæ: harum maxima nunc *Tremiti.* Illic Diomedis socii in aves finguntur commutati: vel ob iram Veneris, vivo adhuc Diomede, ut aiunt Virgilius et Ovidius Metam. l. 14. 494. vel ob dolorem amissi morte Diomedis, ut innuere videtur Strabo aliique. Has aves in his tantùm insulis reperiri ait Plinius, l. 10. 44. easque dentes habere, colore esse candidas, infestas advenis præterquam Græcis. Johannes Meursius ait easdem esse quæ Græcis dicuntur ἐρωδιοὶ, Latinis *ardeæ*, Gallis *hérons.* Plinius facit *fulicarum* similes. Ovidius non *cycnos* quidem, sed cycnis proximas.

276. *Cœlestia corpora.*] Venerem in volâ manûs Diomedes vulneraverat, Iliad. 5. v. 335. Martem in imo ventre, v. 857.

Pergama; nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portâstis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo prætereà tales Idæa tulisset
Terra viros: ultrò Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm
Hæsit, et in decimum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Quà datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum,
Audîsti, et quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidûm turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cùm rapidos amnes; clauso fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primùm placati animi, et trepida ora quièrunt;
Præfatus Divos solio rex infit ab alto:
Antè equidem summâ de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius: non tempore tali
Cogere concilium, cùm muros obsidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente Deorum,
Invictisque viris, gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite: spes sibi quisque; sed, hæc quàm angusta, vi-
Cætera quâ rerum jaceant perculsa ruinâ, [detis.

*Trojam: nec recordor, aut gaudeo* de *antiquis calamitatibus. Ferte ad Æneam dona quæ tulistis ad me è patriis terris. Stetimus adversùs valida* ejus *arma, et conseruimus manus: credite* mihi *experto, quantus attollat clypeum, quo impetu vibret hastam. Si terra Idæa produxisset duos tales viros præter eum; Trojanus prior intulisset bellum urbibus Argivis, et Græcia doleret mutatis fatis. Quamdiu tardatum est circa muros pertinacis Trojæ: victoria Græcorum substitit manu Hectoris et Æneæ, et retrò tulit pedem in decimum annum. Ambo* erant *illustres animis, ambo bellicâ fortitudine: iste superior* erat *religione. Dextræ* vestræ *conveniant in fœdera, siquidem* id *conceditur: sed cavete, ne arma vestra congrediantur* cum illius *armis. Audivisti simul, rex optime regum, et quæ sint* ejus *responsa, et quis sit* ejus *sensus* de *tanto bello. Vix legati ea* dixerant: *et varium murmur diffusum est per ora turbata Italorum: veluti quando saxa coërcent fluvios torrentes: tunc obstructo alveo murmur editur, et propinquæ ripæ fremunt aquis strepitantibus. Statim atque animi sedati et ora tumultuantia composita fuerunt; rex precatus Deos incipit è summo solio: Equidem, ô Latini, et cuperem, ut utilius fuisset deliberare priùs de summâ rerum:* non verò *convocare concilium tali tempore, cùm hostis premit muros. Facimus bellum difficile, ô cives, cum stirpe Deorum, et hominibus invictis: quos nullæ pugnæ debilitant, et* qui etiam *superati non possunt abstinere ab armis. Si constituistis aliquam spem in exercitu Ætolorum advocato, deponite* eam: *unusquisque* sit *sibi* sua *spes: vel videtis, quàm tenuis* spes *illa sit. Quo casu rerum* nostrarum *cætera concussa jaceant,*

## NOTÆ.

280. *Lætorve malorum.*] Græcâ formâ, suprà, v. 126.

283. *Contulimusque manus, &c.*] Adulatur hìc heroi suo Virgilius; quanquam enim adversùs Diomedem stetit, Iliad. 5. 225. tamen huic minimè fuisse parem constat ex eo, quòd ab eodem in coxâ vulneratus ictu lapidis fuit, fuissetque adeò interfectus, nisi Venus auxilio filii adfuisset, v. 311.

284. *In clypeum assurgat.*] Ipse attollat clypeum suum. Sic Æn. 12. 729. *Altè sublatum consurgit Turnus in ensem, et ferit.*

285. *Idæa terra.*] *Troas*, ubi mons *Ida*, Æn. 2. 801. *Inachias*, Argivas, ibid. 7. 286. *Dardanus*, Trojanus, ibid. 1. 235.

301. *Præfatus Divos.*] Notat Turnebus veteres, præcipuè Romanos, id solemne habuisse; ut antequam verba publicè facerent, Deos precarentur: et frequenter orationum exordia ab invocatione Deorum sumerent. Talia fuere exordia omnia Catonis; talia Ciceronis, ac Demosthenis nonnulla.

302. *Antè equidem.*] ORATIO Latini duas habet partes. I. Exponit hostilium virium magnitudinem, cui suarum tenuitatem opponit. II. Proponit conditiones pacis tres: aut terras Æneæ assignandas, si sedere hìc velit; aut naves ædificandas, si malit aliò abire; denique oratores ad eum mittendos cum regiis muneribus.

305. *Cum gente Deorum.*] Æneas à Jove per Venerem ortus: Trojana gens à Jove per Dardanum, Æn. 1. 235.

308. *Ætolûm.*] Diomedis sociorum, in Apuliâ sedentium, suprà, v. 243.

Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso: potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.
Nunc adeò, quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam; et paucis, animos adhibete, docebo.
 Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos.
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis

*omnia* denique *sunt ob oculos et in manibus vestris. At neminem accuso: fuit* vobis *fortitudo, quæ potuit esse maxima: pugnatum est totâ mole regni. Itaque exponam, quis sensus jam sit incertæ menti* meæ, *et ostendam paucis* verbis: *advertite animos. Est mihi vetustus ager, vicinus fluvio Tyrrheno, protensus in occidentem, ultra terminos Siculos. Aurunci et Rutuli colunt, et versant aratro colles asperos, et* utuntur *sterilissimis eorum locis* ad *pascua. Tota illa regio et tractus pineus alti montis detur amicitiæ Trojanorum; et statuamus justas conditiones fœderis, et admittamus* eos *socios in regnum* nostrum. *Quiescant* illic, *si tanta* est *cupiditas, et struant urbes. Si* verò *voluntas est* ipsis *adire alias regiones et alios populos, et* si *possunt abire è terrâ nostrâ: struamus* ipsis *ligno Italico viginti naves, aut plures, si possunt implere; tota materies jacet prope aquas; ipsi præscribant numerum et formam*

## NOTÆ.

316. *Est antiquus ager, &c.*] Duplex est de hujus agri situ opinio. I. Donatus, quem sequitur Cluverius, agrum illum metitur ad litus maris: à Circæo monte, qui terminus fuit Latii, tempore Tarquinii Superbi, orientem versùs, ad usque Tyberim, qui terminus Latii fuit ad occidentem. Firmat inde hanc opinionem Donatus, quòd Tuscos dicat aliquando sedisse circa Ufentem fluvium, huic monti Circæo vicinum; hunc itaque *Tuscum* fluvium hìc à Virgilio appellari; deinde quod constet apud omnes, *Rutulos*, Turno subditos, spatio illo contentos fuisse, et *Auruncos* montem Circæum proximè attingere; et *pinetum*, seu locum pinu consitum, circa Circæum esse. At tribus ex capitibus minimè probabilis hæc sententia videtur mihi. Primò, quòd per *Tuscum amnem* à Virgilio semper intelligatur Tyberis, Geor. 1. 499. Æn. 8. 473. et 10. 199. Secundò, quòd ager ille sic extensus complecteretur regnum universum Turni, cujus angustias descripsimus, Æn. 7. 795. immò et multò latiora spatia: at quantumvis dicantur Rutuli fuisse Latinis conjuncti, aut etiam subditi; certè vero simile non est, Latinum regem homini externo regnum obtulisse, quod consanguinei Turni ditionem totam absorberet. Tertiò, cùm urbs Laurentum, caput Latinæ ditionis, in quâ tum concilium habebat Latinus, à Tyberi vix distaret leucis tribus, sive millibus paulò plùs septem; et reliqua agri illius pars ad usque Circæum, millia plusquam quadraginta haberet ad orientem: sanè ager ille dici non potuit à Latino *longus in occasum*; sed omnino *longus in ortum*. II. Servius, quem sequor, agrum metitur ab urbe Laurento Tyberim versùs, quo ferè loco Trojam suam novam Trojani jam condiderant. Atque ita erit *Tusco proximus amni*, nempe Tyberi: erit *longus in occasum*, sive ad occasum Laurenti urbis: immò, ne angustiæ agri objiciantur, ultra Tyberim in occasum porrigetur; siquidem *Siculi*, primi omnium Italiæ incolæ, qui deinde *Sicani* dicti sunt, ultra Tyberim multas antiquitùs tenuerint urbes, in quibus numerat Dionysius, *Alsium*, et *Cære*, in eodem tractu maritimo ultra Tyberim. Igitur erit ager ille, *longus fines super usque Sicanos*, id est, usque ad fines illos, quos veteres Siculi tenebant, priusquam à Pelasgis et Aboriginibus inde pulsi, *Sicaniam* insulam occuparent, unde *Sicani* dicti sunt, Æn. 7. 795. Quin etiam *Aurunci Rutulique serere* potuerunt, non veri quidem *Rutuli*, qui fixerant sedem ad orientem Laurentinæ ditionis, Æn. 7. 795. nec veri *Aurunci*, qui suam fixerant ultra Circæum, ibid. 7. 54. Sed quædam eorum reliquiæ, quæ circa Tyberim remanserant: hunc enim tractum à Tyberi ad Circæum variis temporibus varios habuisse colonos, qui sese invicem alias in regiones expulerint, testatur Plinius, l. 3. 5. *Latium antiquum, à Tyberi Circeios usque, observatum est millium passuum quinquaginta longitudine. Colonis sæpe mutatis, tenuere alii aliis temporibus: Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.*

326. *Italo robore.*] *Robur*, pro quocunque duriore ligno sumitur, Geor. 1. 162.

*navium: nos suppeditemus æra, operam, et nautica* omnia. *Insuper placet, centum oratores Latinos è præcipuo genere ire, ut exponant* Trojanis mea *dicta, et jungant fœdera: et* placet eos *præferre manibus ramos pacificos, portantes dona eboris, et talenta auri, et sellam, et togam, notas nostri imperii.* Vos *deliberate in commune, et subvenite rebus fractis. Tum idem Drances infestus, quem gloria Turni pungebat occultâ invidiâ et stimulis acerbis abundans divitiis, et abundantior eloquentiâ; sed manus* ejus erat *iners* ad *bellum;* tamen *reputabatur non vanus auctor* in *consiliis: potens factionibus: maternus splendor dabat illi genus illustre; à patre habebat ignotum* genus: *surgit, et accusat his verbis* Turnum, *augetque invidiam: Suades, ô bone rex, rem ignotam nemini, nec indigentem voce nostrâ. Omnes fatentur se cognoscere quid postulet sors gentis* nostræ, *sed verentur dicere. Concedat licentiam loquendi, et deponat tumorem* ille, *cujus propter omina adversa et funesta studia,*

Præcipiant; nos æra, manus, navalia demus.
Prætereà, qui dicta ferant et fœdera firment,
Centum oratores primâ de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos:
Munera portantes eborisque, aurique talenta,
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, et rebus succurite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliquâ invidiâ stimulisque agitabat amaris:
Largus opum, et linguâ melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens: genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, ô bone rex. Cuncti se scire fatentur
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros,

NOTÆ.

329. *Navalia.*] Vulgò *navale,* locus est ubi stant naves. Hìc, vel locus est ubi ædificantur: vel, ut ait Servius, ligna quibus ædificantur: vel potiùs instrumenta omnia quæ ad navium fabricam pertinent. De *talentis,* Æn. 5. 112.

334. *Sellam, &c.*] *Sellam curulem:* ita dictam deinde à Romanis, non quòd à *Curibus* Sabinis inventa esset, nam Florus testatur Tarquinium Priscum ab Etruscis eam accepisse; sed omnino à *curru:* nam vetus auctor apud Gellium, l. 3. 18. testatur, *Senatores qui curulem magistratum gessissent, curru solitos, honoris gratiâ in curiam vehi: in quo curru sella esset supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur.* Utebantur autem eâ reges primò, tùm consules, censores, prætores, et ædiles curules: hanc etiam Romani regibus amicis muneris loco mittebant, ut Porsennæ apud Dionysium, Masinissæ apud Appianum et Livium. Erat illa *eburnea,* seu potiùs cœlato ebore contecta: tum incurvis pedibus, unde à Plutarcho in Mario dicitur ἀγκυλόπους, *incurvipes.* De *trabeâ,* togâ regiâ et consulari, Æn. 7. 188.

335. *Consulite in medium.*] Id quod est in communem utilitatem Geor. 1. 127. *In medium quærebant.*

339. *Futilis.*] Vanus, loquax, inutilis, nihil continens, qui sibi credita statim effundit. Translatio est, juxta Servium, Donatum, Lactantium, à vase *futili* dicto: cujus os latum et patulum, fundus angustus et acutus erat: ita ut in terrâ depositum stare non posset, sed statim in latus effunderetur. Hoc utebantur in sacris Vestæ, quia iis sacris aquam in terrâ deponi nefas erat.

340. *Seditione.*] Factionibus, captandis vulgi animis.

343. *Rem nulli obscuram, &c.*] ORATIO Drancis quinque habet partes. I. Dicit omnes ideo tacere, quia Turnum timent. II. Unum se profitetur ex omnibus audacter in Turnum dicere pro republicâ, quam ille temeritate ac fugâ suâ penè evertit. III. Censet pacis conditionibus cæteris hanc etiam adjiciendam, ut Lavinia conjux Æneæ detur. IV. Orat Turnum, ne patiatur privati commodi rationes publicis rationibus obstare. V. Denique orat, ut si bello abstinere nolit, privatam contentionem, non publico periculo, sed privato certamine dirimat; quod ab Æneâ proponitur.

345. *Dicere mussant.*] *Mussare,* est *muto* proximum esse submissâ et parùm distinctâ voce, quasi timidè ac dubitanter loqui; *obmurmurare.* Hìc *timere, vereri.*

347. *Cujus ob auspicium.*] Quia bellum administratur nutu et auspiciis Turni; non Latini, qui rerum habenas eam in rem deposuerat, Æn. 7. 600. et fortè felicioribus auspiciis bellum suscepisset, si suscipiendum duxisset.

(Dicam equidem, licèt arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias: nec te ullius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero dignisque hymenæis
Des pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quòd si tantus habet mentes et pectora terror;
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis? ô Latio caput horum et causa malorum!
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio: miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi: sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis: et si adeò dotalis regia cordi est;
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
  Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:

*(dicam enimverò, quamvis mihi comminetur arma et necem) videmus tot lumina ducum periisse, et urbem universam jacere* in *dolore: dum* ille *oppugnat castra Trojana, confidens fugæ, et* dum *armis minatur cœlo. Unum præterea, optime regum, unum addas istis muneribus, quæ multa imperas ferri et dici Trojanis: nec vis cujusquam te impediat, quò minùs,* cùm sis *pater, tradas filiam illustri genero et splendidis nuptiis, et confirmes hanc pacem perpetuo fœdere. Quòd si tanta formido* Turni *occupat animos et pectora* nostra: *obsecremus ipsum, et precemur ab ipso veniam:* precemur, *ut permittat regi, et relinquat patriæ jus suum. Cur toties propellis miseros cives in manifesta pericula? ô tu qui es Latinis origo et causa calamitatum illarum! nulla* est *salus* in *bello: omnes flagitamus à te pacem, O Turne, et simul pignus certissimum pacis* Laviniam. *Ego, quem tu existimas tibi infensum, et verò non curo esse, ecce primus accedo supplex: miseresce tuorum, depone iram, et ejectus recede. Satis vidimus cædium, fugati ab Æneâ, et* satis *vastavimus arva spatiosa. Aut si gloria* te *excitat, si contines pectore tantas vires, si denique tibi chara est* hæc *aula* quam ambis *in dotem aude, et securus oppone pectus adversum contra hostem. Nempe, ut uxor regia detur Turno, nos fundamur campis, animæ ignobiles, turba insepulta et indefleta. Nunc verò tu, si est tibi virtus ulla, si habes quicquam patriæ fortitudinis, contuere* ex *adverso* illum *qui te appellat. Violentia Turni accensa est his verbis: dat gemitum, et emittit è profundo pectore verba ista:*

## NOTÆ.

352. *Fugæ fidens.*] Carpit fugam Turni: cùm à Junone, non tamen sponte, subductus est è pugnâ, Æn. 10. 659. De *hymenæis*, nuptiis, Geor. 3. 60.

359. *Cedat, &c.*] Si adeò Turnum timemus, ut nullus ausit de eo conqueri; ne queramur, nec vi agamus; sed precemur ipsum, saltem sinat ut rex et patria rei communi liberè consulant pro suo jure.

372. *Inhumata infletaque turba.*] Privata funebri honore: quod apud veteres miserrimum fuit, Æn. 6. 325.

375. *Qui vocat.*] Suprà, v. 115.

378. *Larga quidem, &c.*] ORATIO Turni duas habet partes præcipuas, quarum prima refellit Drancem; secunda caput, de quo deliberatur, attingit. I. Refellit criminationem temeritatis et fugæ, primò vanam Drancis eloquentiam per ironiam illudendo: secundò commemorando facta sua, cædem Evandri, Bitiæ, &c. II. Timorem Drancis de Trojanorum virtute conceptum elevat, ironicè exaggerando: aitque nunc Græcos ipsos, Achillem, Diomedem, coram Trojanis trepidare; flumina ipsa retrò ab iis fugere, &c. III. Simulatum de se timorem Dranci adimit, profitendo se tam ignavo sanguine maculari nolle. Atque hæc prima pars orationis est. IV. Concedit ad eas pacis conditiones abeundum, si res desperata sit:

Larga quidem, Drance, tibi semper copia fandi,
Tunc cùm bella manus poscunt: patribusque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant; dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance: tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque trophæis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longè scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosâ in linguâ pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam meritò, fœdissime, pulsum
Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilique aggere septus.
Nulla salus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis; proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ; contrà premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt?
Nunc et Tydides, et Larissæus Achilles?
Amnis et Hadriacas retrò fugit Aufidus undas?

*Semper quidem, O Drance, copiosa tibi est facultas loquendi, tunc cùm bella exigunt opus: et senibus convocatis primus interes: sed aula non est implenda verbis, quæ magnifica excidunt tibi impunè; dum propugnacula murorum cohibent hostem, nec fossæ redundant sanguine. Itaque tona vi eloquentiæ,* quod tibi *consuetum* est; *et tu, O Drance, accusa me timoris: quandoquidem tua manus edidit tot cumulos cadaverum Trojanorum, et passim illustras campos trophæis. Licet* tibi *explorare, quid valeat virtus ardens: scilicet hostes non erunt nobis petendi procul: undique circumdant muros. An ibimus contra* illos *oppositos* nobis? *cur moraris? an fortitudo bellica semper erit tibi in superbâ linguâ et istis pedibus fugacibus?* an *ego fugatus* sum, *ô ignavissime? an verò ullus accusabit, me,* quòd *fusus* fuerim: *qui considerabit Tybrim inflatum crescere sanguine Trojano, et universam domum Evandri extinctam esse cum sobole, et Arcadas spoliatos exercitu? Bitias et vastus Pandarus non sic experti* sunt *me, et mille alii quos* uno *die victor dejeci ad inferos, clausus muris et circumdatus munimentis hostilibus. Nulla est salus in bello,* ais? *ominare talia, ô insane, homini Trojano, aut rebus tuis; itaque ne desinas commovere omnia magno timore, et extollere potentiam nationis bis superatæ, contrà* verò *minuere potentiam Latini. Nunc etiam principes Myrmidonum reformidant arma Trojana? nunc etiam Diomedes, etiam Larissæus Achilles? fluvius etiam Aufidus retrò fugit mare Hadriaticum?*

## NOTÆ.

quanquàm fortè mori tum gloriosius foret. V. Ostendit rem adeò non esse desperatam, ut potiùs integra sit; cùm auxilia sibi multa supersint; cùm victoria Trojanis admodùm cruenta fuerit, damnumque par: cùm adhuc bellum in ortu ipso sit atque initio, ideóque facilè mutari possit, fortunæ vicissitudine. VI. Auxiliis Diomedis, quæ desunt, opponit auxilia quæ adsunt quàm plurima, Messapi, Tolumnii, Camillæ. VII. Denique offert se pugnæ singulari.

385. *Trophæis.*] Suprà, v. 7.

394. *Evandri procubuisse domum.*] Occiso Pallante ab ipso Turno, Æn. 10. 442.

396. *Bitias et Pandarus.*] Portæ Trojanæ custodes, quos interfecit Turnus, cùm in eam urbem insiluit, Æn. 9. 708. et sequentibus.

399. *Capiti cane, &c.*] *Canere,* vatum proprium est, et futura prædicentium: et sensus est, jacta infaustum illud omen in Trojanos, in te ipsum: quòd nempe nulla, neque his, neque tibi per bellum salus sit.

402. *Bis victæ.*] Primùm ab Hercule, deinde à Græcis, Æn. 3. 476.

403. *Nunc et Myrmidonum, &c.*] Ironicè metûs inanitatem exaggerat. Dic, ut nobis timorem incutias, Myrmidonas, Diomedem, Achillem timuisse arma Trojana: qui nunquam illa timuerint. *Myrmidones,* Thessali vel Æginetæ, Achillis milites, Æn. 2. 7. *Phrygia,* ubi Troas, ibid. 1. 381. *Tydides,* Tydei filius Diomedes, suprà, v. 243. *Larissæus Achilles,* Thessalus, Æn. 2. 197.

405. *Amnis et Hadriacas, &c.*] Dic ipsos etiam fluvios, Trojanorum metu, retrò aquas egisse. *Aufidus.* nunc *Lofanto,* fluvius Italiæ in Hirpinis nascens, inter Apuliam, Dauniam et

Vel cùm se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus: et formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextrâ hâc, absiste moveri,
Amittes: habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua, magne pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultrà spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditùs occidimus, neque habet fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inermes.
Quanquam ô! si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt;
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variusque labor mutabilis ævi
Retulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus, et Arpi?
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misêre duces: nec parva sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.

eodem *ipso* tempore, *quo scelestus* ille *accusator simulat se timidum adversùs meas rixas, et exasperat metu* suo *accusationem* suam. *Desine turbari, nunquam perdes talem animam hâc manu* meâ: *maneat tecum, et stet in illo* tuo *pectore. Jam redeo ad te* et *ad tuam deliberationem, ô magne pater. Si nullam deinceps constituis spem in nostris armis; si sumus tam destituti, et omnino periimus* ob *exercitum semel fugatum, et* si *fortuna nullam habet vicissitudinem: precemur pacem, et porrigamus manus exarmatas. Tamen, ô! si restaret* nobis *aliquid virtutis pristinæ, ille* videretur *mihi felix* in *laboribus, et virtute præstans præ cæteris; qui, ne cerneret quicquam tale, semel procubuit moriens, et momordit ore tellurem. Si* verò *nobis restant vires, et juventus adhuc illæsa, et urbes ac nationes Italæ* ad *subsidium: si* verò *prætereà victoria contigit Trojanis cum multo sanguine,* si *sunt illis suæ mortes, et par clades in omnibus: quare ignavi deficimus in primo ingressu* belli? *cur tremor invadit membra ante* sonitum *buccinæ? tempus, et multiplex motus annorum instabilium vertit plurima in melius: fortuna alternatim revisens decepit plurimos, et rursus constituit* eos *in firmo* statu. *Ætolus et Arpi non erunt nobis subsidio? sed erit Messapus, et fortunatus Tolumnius, et ductores, quos tot nationes miserunt: nec parvus honos comitabitur congregatos è Latio et campis Laurentibus.*

## NOTÆ.

Peucetiam, in mare Hadriaticum fluens, celebris Cannensi prælio, quo circa ejus ostia Romani ab Hannibale victi sunt. *Hadriacum*, vel *Hadriaticum*, vel *Hadrianum* mare, vel *Hadria*, pars est Mediterranei maris: à promontorio Salentino, quod superius est Italiæ cornu, in sinum influens, Italiamque ad septentrionem alluens, unde *mare superum* vocatur. Huic nomen ab *Hadriâ* urbe et fluvio in tractu Veneto, supra Padi ostia, sub extremum sinum, ad latus occidentale: nunc dicitur sinus ipse *Golfe de Venise*, ab urbe Venetiis. Scribitur, vel sine aspiratione, *Adria*, vel, ut in plerisque omnibus antiquitatis monumentis, cum aspiratione, *Hadria*.

407. *Artificis scelus.*] Pro *scelesto artifice*. Sic apud comicos frequenter. Terent. Andr. 3. 5. 1. *Ubi illic scelus est, qui me perdidit? Crimen* item, pro criminatione seu accusatione, suprà, v. 122.

408. *Dextrâ hâc.*] Quæ consuevit fortes occidere, non ignavos. Sic Cæsar ad Metellum, apud Lucanum, l. 3. 135. *Haud unquam jugulo polluet isto Nostra, Metelle, manus; dignum te Cæsaris irâ Nullus honos faciet.*

415. *Quanquam ô! si, &c.*] Si funditùs occidimus, petamus pacem: tamen, vel ita quoque, si quicquam haberemus virtutis, deberemus mortem majori felicitati ducere, quàm pacem: ut ille Mezentius, qui ab Æneâ occisus est, Æn. 10. sub finem. De forma illâ optationis, *Quanquam ô!* ibid. 5. 195.

416. *Fortunatus laborum, Egregius animi.*] Græca locutio, suprà, v. 73. *Læta laborum.*

423. *In limine primo.*] Vix dum inito bello.

424. *Ante tubam.*] Antequam decretoria pugna tubarum sonitu indicta sit.

428. *Ætolus, et Arpi.*] Diomedes Argyripæ conditor, suprà, v. 243.

429. *Messapus, &c.*] Dux aliquot Etruscorum, invulnerabilis, Æn. 7. 691. *Tolumnius*, augur, qui fœdus disturbabit, ibid. 12. 258. et in eo tumultu occidetur. *Felix* dicitur ob peritiam et felicitatem auguriorum. De *Latio* et *Laurentibus* agris, ibid. 7. 54. 63. De *Camillâ*, duce Volscorum, ibid. 7. 803. et infrà, v. 535.

Est et Volscorum egregiâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes ære catervas.
Quòd si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeò has exosa manus victoria fugit,
Ut tantâ quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contrà: vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licèt. Vobis animam hanc, soceroque Latino,
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devoveo? solum Æneas vocat? et vocet, oro.
Nec Drances potiùs, sive est hæc ira Deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplò turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma juventus;
Flent mœsti mussantque patres: hìc undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.
Haud secùs atque alto in luco cùm fortè catervæ
Consedere avium; piscosove amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Imò, ait, ô cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. Nec plura locutus
Corripuit sese, et tectis citus extulit altis.

*Est etiam Camilla, ex illustri gente Volscorum, ducens agmen equitum et turmas fulgentes ære. Quòd si Trojani me vocant unum ad pugnam, et id* vobis *videtur, et tantum noceo publicæ utilitati: victoria non adeò fugit adversata* meas *istas manus, ut abnuam audere quicquam pro spe tantâ. Ibo virtute* meâ *adversùs* Æneam: *quamvis ille præ se ferret magnum ipsum Achillem, et haberet arma paria* Achilleis, *fabricata manibus Vulcani. Ego Turnus nemini majorum inferior virtute devoveo hanc vitam vobis et Latino socero: Æneas me poscit unum? et* verò *precor, ut poscat* me unum: *potiùs quàm* ut *Drances morte pereat* mecum, *si talis est ira Deorum* ut pereamus; *aut referat* gloriam, *si virtus aut gloria est* hìc consequenda. *Illi rixantes disserebant hæc inter se de rebus ambiguis: Æneas movebat* loco *castra et exercitum. Ecce nuncius currit magno tumultu per domum regiam, et replet urbem magno metu,* dicens: *Trojanos ordinatos* in *aciem, et exercitum Etruscum descendere è fluvio Tyberi per tota arva. Statim turbatæ* sunt *mentes et commota pectora plebi, et furor excitatus non levibus stimulis. Tumultuantes corripiunt arma manibus, juventus fremens* flagitat *bellum, patres plorant queruntur que tristes: cùm ingens clamor effert se undique in aërem* cum *multiplici discordiâ. Non aliter ac cùm fortè turmæ avium sederunt in profundâ sylvâ: aut* cùm *rauci cycni emittunt cantus in piscoso fluvio Padusæ, inter aquas garrulas. Nempe, ô cives, inquit Turnus, arreptâ occasione, convocate concilium, et otiosi prædicate pacem:* dum *illi irrumpunt in regnum armati. Nec plura effatus, proripuit se, et celer exportavit* se *ex altâ domo.*

## NOTÆ.

433. *Florentes ære catervas.*] *Fulgentes:* metaphora, de quâ, Geor. 2. 6.

437. *Tantâ pro spe.*] Vel victoriæ, vel Laviniæ, vel laudis inde colligendæ, quòd solus privato periculo communem salutem pepererim.

439. *Vulcani manibus.*] Et habebat quidem Æneas, quod ignorabat Turnus, arma Veneris rogatu à Vulcano fabricata, Æn. 8. 370. Quemadmodum Achilles arma item rogatu Thetidis ab eodem obtinuerat, apud Homerum, Il. 18. 369.

443. *Nec Drances potiùs, &c.*] Invitavit Drancem ut secum in hostes irrueret, socius laudis et periculi, v. 389. Nunc orationem quasi retractans ait: Æneas me solum vocat? et verò id opto, potiùs quàm ut Drances aut laudis, aut periculi mei particeps sit.

449. *Tyberino, &c.*] Æn. 8. 330. *Teucros,* ibid. 1. 235. *Tyrrhenam,* ibid. 8. 479. *Mussant,* obmurmurant, suprà, v. 345.

457. *Amne Padusæ.*] *Padus,* maximum Italiæ flumen, de quo Geor. 1. 482. ostiis quidem septem in mare Hadriaticum defertur, sed duobus antiquissimis: quorum septentrionale dicitur *Volana,* hodie *il Po di Volana;* meridionale, *Paduse,* hodie *il Po d'Argenta.* Vocat *stagna,* propter diffusas paludis in morem circa ostia Padi, et variis fossis confluentes aquas. *Amne Padusæ,* ut *urbem Patavi,* Æn. 1. 247.

Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait, et Rutulos: equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:
Cætera, quà jussô, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros totâ discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt.
Multaque se incusat, qui non acceperit ultrò
Dardanium Ænean, generumque asciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subjiciunt: bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros variâ cinxere coronâ
Matronæ puerique: vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magnâ matrum regina catervâ,
Dona ferens: juxtàque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, atque oculos dejectâ decoros.
Succedunt matres, et templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens belli præses, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Jamque adeò Rutulum thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc: laterique accinxerat ensem,
Fulgebatque altâ decurrens aureus arce:
Exultatque animis, et spe jam præcipit hostem.

*Tu, ait, ô Voluse, significa turmis Volscorum ut armentur: duc etiam Rutulos: Messape, et Coras cum fratre, explicate per agros equites in armis. Pars defendant ingressus urbis, et occupent turres: reliqua multitudo ferat arma mecum, quâ* parte *jussero. Confestim ex urbe totâ curritur ad muros. Ipse pater Latinus abrumpit concilium et magna exorsa, et turbatus luctuoso tempore, differt* ea in aliud, *et accusat se plurimùm; quòd non ultrò admiserit, et urbi adoptaverit generum, Trojanum Æneam. Alii faciunt fossas* ante *portas, aut supponunt stipites et saxa: rauca tuba dat signum sanguineum* ad *pugnam. Tunc matronæ et pueri circumdederunt muros multiplici cœtu: extrema necessitas invitat omnes. Regina quoque* cum *ingenti comitatu matrum vehitur ad templum et supremam arcem Palladis, portans munera: et prope comes* est *Lavinia puella, causa tantæ calamitatis, et submittens formosos oculos. Matres sequuntur, et implent templum vapore thuris, et è portâ sublimi emittunt voces luctuosas: O virgo Tritonia, potens* in *armis, præsidens bello, rumpe* tuâ *manu arma Trojani prædatoris, et dejice illum humi præcipitem, et disturba sub altis portis. Turnus ipse ardens armatur ad pugnam: et jam armatus* secundùm *loricam Rutulam* erat *asper æreis squamis, et texerat auro tibias, adhuc detectus* secundùm *caput: et alligaverat gladium lateri: et splendebat aureus exiliens è summâ arce; et gestit animo, et spe jam præoccupat hostem.*

## NOTÆ.

463. *Maniplis.*] *Manipulus* erat certus militum numerus, qui sub eodem signo pugnabat. Erat Romuli tempore militum centuria; posteà duas centurias cepit. Sic dicitur, ex Varrone, quia *minima manus*, sive turba militum erat; ex Vegetio, quia *junctis manibus*, id est, simul pugnabant: meliùs ex Ovidio, Aurelio Victore, Donato, &c. quia pro signis et aquilis, Romuli tempore, habuerunt fasciculos fœni, perticâ suspensos: fasciculi autem illi dicuntur *manipuli*, quòd manum impleant.

464. *Equites Messapus.*] Sic interpungimus, post Servium et Donatum: ut Volusus ducat Rutulos, et simul moneat Volscos ut sub ducibus suis pugnæ se parent; Messapus verò, Coras, et ejus frater Catillus, de quibus, Æn. 7. 672. ducant equites. *Messapus*, nominativus est pro vocativo, ut Æn. 8. 77. *Hesperidum fluvius regnator aquarum Adsis, &c.* Æn. 12. 192. *Socer arma Latinus habeto.*

467. *Jussô.*] *Jussero.* Sic frequenter in duodecim tabulis, apud Cicer. de legibus, &c. *præcepsis*, pro *præceperis; rupsis*, pro *ruperis: rapsis*, pro *rapueris.* Sic *faxo*, pro *fecero: faxim*, pro *fecerim.* Turnebus, l. 15. c. 15.

477. *Palladis arces.*] Templa Palladis vulgò in arcibus, quia Pallas inventrix dicitur arcium, Ecl. 2. 61. *Pallas quas condidit arces Ipsa colat.* Dona ferunt ipsi, *peplum*, Æn. 1. 480. Cultum verò Palladis reliquorumque Deorum Laurentes à Græcis acceperant, qui frequentes consederant in meridionali Italiæ parte, quæ inde diu *magna Græcia* dicta est.

483. *Armipotens Tritonia.*] Palladis nomen, Æn. 2. 171. Præses autem fuit urbium, artium, belli, &c. De *Phrygiâ*, ubi Troas, Æn. 1. 381.

488. *Squamis ahenis, &c. Suras, &c.*] De *squamis* loricæ corio superadditis, Æn. 3. 467. *Sura* pars est tibiæ carnosa, quæ cum tota crure ocreis vestitur

Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto;
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum;
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto,
Emicat, arrectisque fremit cervicibus altè
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit: quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne, sui meritò si qua est fiducia forti,
Audeo, et Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
  Turnus ad hæc, oculos horrendâ in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse, ardua montis
Per deserta jugo properans, adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces:
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis:
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburtique manus: ducis et tu concipe curam.
  Sic ait, et paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociosque duces: et pergit in hostem.
Est curvo anfractu vallis accommoda fraudi
Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
Urget utrinque latus: tenuis quò semita ducit,
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni.
Hanc super, in speculis summoque in vertice montis,
Planities ignota jacet, tutique receptus:

*Qualis equus postquam ruptis retinaculis fugit stabula, demum liber, et fruens patente campo; ille aut vadit ad pascua et greges equarum; aut solitus lavari noto fluvio aquæ, exilit, et collo altè erecto petulans fremit, et crines errant per collum* et *per humeros. Cui Camilla, sequente turmâ Volscorum, obvia occurrit, et regina descendit* ex *equo sub ipsis portis; quam tota turma imitans descendit ad terram, relictis equis: deinde* Camilla *dicit ista: Turne, si* animus *generosus habet jure aliquam in se confidentiam, audeo et polliceor obstare exercitui Trojanorum, et sola procedere obvia adversùs equites Etruscos. Permitte me experiri manu prima discrimina pugnæ: tu pedes mane ad muros et tuere urbem. Turnus* respondet *ad ista, hærens oculis in terribili puellâ: O virgo, gloria Italiæ: quas conabor dicere, quas referre* tibi *gratias? sed jam, quandoquidem animus ille* tuus *est supra omnia* pericula, *divide mecum periculum. Ut fama et missi observatores faciunt fidem, Æneas callidus præmisit equites levis armaturæ* qui *vastarent agros: ipse, accelerans per deserta alta, montis* superato *jugo, accedit ad urbem. Meditor insidias belli, in curvâ semitâ sylvæ, ut occupem militibus armatis angustias bifidas. Tu, signis conjunctis, occurre equitatui Etrusco. Messapus ardens erit tecum, et catervæ Latinæ, et turmæ Tiburtinæ: sume tu quoque munus ducis. Sic dixit, et similibus verbis animat Messapum et duces socios* ejus *ad pugnam: et* ipse *vadit in hostem. Est vallis flexu sinuoso, apta fraudibus et insidiis belli: quam nigra latera premunt utrinque spissis foliis: trames parvus ducit illuc, et meatus arcti atque ingressus difficiles ferunt* ad eam. *Super eam, in speculis et in supremo cacumine montis, sternitur planities incognita et perfugium tutum:*

## NOTÆ.

498. *Volscorum acie.*] Qui jam vocati à Turno per Volusum fuerant. v. 463. De *Camillâ*, eorum duce, infrà, v. 535. De *Volscis*, Æn. 7. 803. De *Tyrrhenis*, Æneæ sociis, Æn. 8. 479.

515. *Furta——belli.*] *Insidias;* dicitur quippe *furtum*, quicquid clam fit, Æn. 5. 588.

*Convexo.*] *Concavo*, aut saltem *curvo*, Æn. 1. 310.

517. *Tyrrhenum equitem.*] Qui præmissus erat ab Æneâ, per planos campos.

518. *Messapus erit, &c.*] Cum equitibus aliquot *Etruscis*, quorum dux erat, Æn. 7. 691. *Turmæ Latinæ*, sive *Rutulæ*, sub Voluso, suprà, v. 464. *Tiburti manus*, sub Catillo et Corâ, suprà, v. 465. Æn. 7. 670.

522. *Vallis accommoda.*] *Vallis* ultimam brevem hìc producit propter cæsuram, Servius tamen legit antiquo nominativo, *valles.*

Seu dextrâ lævâque velis occurrere pugnæ;
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.
Huc juvenis notâ fertur regione viarum,
Arripuitque locum, et sylvis insedit iniquis.
  Velocem intereà superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacrâque catervâ,
Compellabat, et has tristi Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis,
Chara mihi ante alias: neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitâque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno, viresque superbas,
Priverno antiquâ Metabus cùm excederet urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis, tantus se nubibus imber
Ruperat: ille innare parans, infantis amore
Tardatur, charoque oneri timet: omnia secum
Versanti, subitò vix hæc sententia sedit.
Telum immane manu validâ quod fortè gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ,
Quam dextrâ ingenti librans, ita ad æthera fatur:
  Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undæ: rapidum super amnem

*sive velis descendere* ad *pugnam, à dextrâ et sinistrâ* parte; *sive imminere è verticibus, et dejicere vastos lapides. Juvenis* Turnus *vadit* illuc *per spatia itinerum* sibi *cognita, et occupavit locum, et constitit in locis* illis *asperis. Interim in cœlestibus sedibus* Diana *filia Latonæ alloquebatur Opim, unam è comitibus puellis, et è turbâ* sibi *sacrâ; et ore mœsto proferebat hæc verba: O virgo, Camilla vadit ad bellum asperum, et frustrà tegitur nostris armis, dilecta mihi præ cæteris: nam hic amor non novus contigit* mihi *Dianæ, flexitque animum meum improvisâ dulcedine. Metabus, ejectus regno per invidiam et* ob *potentiam ferociorem, cùm exiret* è *veteri urbe Priverno, fugiens per medias pugnas belli, asportavit sociam exilii infantem, et appellavit* eam *Camillam, de nomine matris Casmillæ, mutatâ parte* nominis. *Ipse ferens eam ante* se in *sinu, quærebat longa cacumina sylvarum secretarum; arma infesta urgebant undique, et Volsci discurrebant circumjectis militibus. Ecce*, in *medio fugæ, Amasenus tumens exundabat altis ripis, tanta pluvia effuderat se è nubibus: ille meditans enatare, retinetur amore infantis, et timet dilecto oneri: ægrè tandem fixum* est *hoc consilium* illi, *omnia secum raptim expendenti. Alligat filiam inclusam cortice et sylvestri subere huic* telo, *quod telum grande gestabat fortè manu robustâ, firmum nodis et ligno exsiccato,* utpote *bellator: et circumnectit aptam mediæ hastæ: et evibrans* hastam *illam grandi dexterâ, sic loquitur ad cœlum: Diana virgo, benefica cultrix sylvarum, ipse pater* infantis *hanc tibi consecro famulam; fugit hostem per aëra tenens primùm tua jacula. O Dea, obtestor te, accipe hanc tuam, quæ jam creditur dubiis ventis. Dixit* hæc, *et jacit hastam libratam reducto brachio: aquæ sonuerunt:*

NOTÆ.

534. *Latonia.*] Diana, Latonæ filia, Ecl. 3. 67.

539. *Ob invidiam.*] Vel subditorum in se: vel suam, ut explicuimus de Mezentio, Æn. 10. 852.

540. *Priverno, &c.*] *Privernum*, urbs Volscorum, circa Pomptinas paludes et Amasenum fluvium, paucis aliquot leucis à mari distans: ejus ruinæ hodie visuntur juxta oppidum *Piperno; Amasenus*, hodie est *Toppia*, Æn. 7. 794. in extremâ notâ. De *Volscis*, ibidem, et v. 803.

553. *Robore cocto.*] Ligno duriore, ad fumum exsiccato, Geor. 1. 175. *Et suspensa focis exploret robora fumus.* De *robore*, ibid. 162.

554. *Libro et subere.*] *Liber*, cortex interior et tenuis. Hoc *suber*, arbor crassissimi ac levissimi corticis, *liège*, CORK.

566. *Donum Triviæ.*] *Camillam:* vel, quam Triviæ quasi dono salvam recipiebat. Vel, quam ipsi Triviæ quasi donum voverat. *Trivia*, Dianæ nomen, quia colebatur in triviis, Æn. 4. 511.

Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magnâ propiùs jam urgente catervâ,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere: neque ipse manus feritate dedisset;
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Hìc natam in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto:
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum à vertice pendent.
Tela manu jam tum tenerâ puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habenâ,
Strymoniamque gruem aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustrà Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum: solâ contenta Dianâ,
Æternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militiâ tali, conata lacessere Teucros;
Chara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verùm age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere Nympha polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, et ultricem pharetrâ deprome sagittam:
Hâc, quicunque sacrum violârit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Pòst ego nube cavâ miserandæ corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cœli demissa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus intereà muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,

*fugit misera Camilla super velocem fluvium in hastâ stridulâ. Metabus verò, numerosâ turbâ jam propiùs imminente, projicit se in flumen, et victor extrahit è glebis herbosis hastam cum infante,* quæ erat *donum* jam sacrum *Dianæ. Nullæ urbes exceperunt eum domibus, nullæ muris: neque ipse se subdidisset iis* ob *asperitatem* morum: *traduxit vitam pastoritiam, et secretis in montibus. Illic inter vepres et inter latebras* sylvarum *horridas, alebat filiam uberibus equæ gregalis et lacte ferino, premens ubera in labris* filiæ *tenellis. Et statim atque infans fixit gressus primis plantis pedum, oneravit manus* ejus *telo acuto, et alligavit arcum ac sagittas humero parvulæ. Pro aureo* ornatu *capillorum, pro vestitu pallæ defluentis; pellis tigridis pendet è capite per tergum. Jam tunc libravit manu molli jacula puerilia, et agitavit fundam tereti loro circa caput, et prostravit gruem Strymoniam vel cycnum candidum. Matres plurimæ in Etruscis urbibus frustrà desideraverunt illam* in *uxorem filiorum* suorum; *contenta* cultu *solius Dianæ, fovet pudica perpetuum amorem virginitatis et armorum. Vellem* ut *non fuisset perculsa* amore *talis belli, aggressa oppugnare Trojanos; nunc esset mihi dilecta et una è meis comitibus. Age verò, O Nympha, siquidem premitur fatis crudelibus, descende cœlo et adi regionem Latinam, ubi funestum prælium miscetur auspiciis adversis. Accipe hæc, et extrahe è pharetrâ vindicem sagittam. Quisquis læserit vulnere corpus* mihi *dicatum,* sive fuerit *Trojanus, sive Rutulus, simul hâc* sagitta: *mihi solvat pœnas sanguine; ego deinde nube cavâ inferam sepulchro cadaver miseræ* Camillæ *et arma non direpta, et restituam* illam *patriæ.* Sic *dixit* Diana; *at illa* Nympha *delapsa per levem aërem cœli insonuit, inclusa obscuro nimbo* secundùm *corpus. Sed interim omnis multitudo Trojana accedit ad muros* Laurenti, *et duces Tusci, et omnis acies equitum,*

## NOTÆ.

568. *Manus dedisset.*] *Consensisset, cessisset.* Adagium est, ex iis desumptum, qui pugnâ victi, aut manus ligandas præbent, aut iisdem protensis mortem deprecantur.

570. *Lustra.*] Cubilia ferarum in sylvis, Geor. 2. 471.

571. *Armentalis equæ.*] Quæ gregatim inter armenta versabatur. *Lacte ferino,* equino: nam equum vocavit *ferum,* Æn. 2. 51.

576. *Crinali auro, &c.*] Vel reticulo aureo, quo virgines complecti capillos solebant: vel, acu crinali, quâ capilli discernuntur: alio quolibet aureo capitis ornatu. *Palla,* pallium muliebre, apertum ac talare, Æn. 9. 616.

580. *Strymoniam gruem.*] Quia frequens est id genus circa Strymonem, Macedoniæ fluvium, Æn. 10. 265.

582. *Nurum.*] Uxorem filii, *bru,* A DAUGHTER-IN-LAW.

Compositi numero in turmas: fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis,
Huc obversus et huc: tum latè ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contrà celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent: hastasque reductis
Protendunt longè dextris, et spicula vibrant:
Adventusque virûm, fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos: fundunt simul undique tela
Crebra, nivis ritu: cœlumque obtexitur umbrâ.
Continuò adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longè, et vitam dispergit in auras.
Extemplò turbatæ acies: versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt, princeps turmas inducit Asylas.
  Jamque propinquabant portis: rursúsque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò atque æstu revoluta resorbens
Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egêre ad mœnia versos:
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prælia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:

*distincti in turmas certo numero; equus subsiliens fremit toto campo, et obluctatur conversus arctis habenis huc et illuc; tum campus horrescit undique ferreis hastis, et arva resplendent excelsis armis. Messapus quoque, et Latini veloces, et Coras cum fratre, et equitatus virginis Camillæ, apparent contrà oppositi* in *campo: et immittunt longè hastas, brachiis contractis, et conjiciunt spicula; et fervet adventus hominum, et hinnitus equorum. Et jam uterque* exercitus *steterat, progressus intra jactum teli; erumpunt* in *repentinum clamorem, et concitant equos frementes; simul spargunt undique tela frequentia, more nivis: et cœlum tegitur tenebris. Statim Tyrrhenus et ardens Aconteus concurrunt connixi hastis oppositis, et primi magno strepitu faciunt impetum et feriunt pectora equorum impulsa pectoribus. Aconteus dejectus in modum fulminis, aut molis impulsæ* per *machinam, corruit procul, et effundit vitam in ventos. Exercitus* Latini *confestim territi* sunt: *et Latini conversi opponunt* retrò *scuta, et reflectunt equos ad muros. Trojani persequuntur, primus Asylas immittit agmina. Et jam attingebat portas; et iterum Latini emittunt clamorem, et retorquent colla* equorum *facilia. Trojani fugiunt, et revertuntur habenis omnino immissis. Quale* est *mare, quando excurrens æstu reciproco modò volvitur ad terras, et spumans effundit undam super rupes, et perluit ultimas arenas sinuando* se; *modò cedit retrò præceps et resorbens saxa æstu convulsa, et deserit litus fluctu detumescente. Bis Etrusci pepulerunt ad urbem Rutulos fugatos; bis iidem fugati respiciunt muniendo humeros clypeis. Sed quando commissi ad tertiam pugnam, miscuerunt invicem totos exercitus, et vir elegit virum:*

## NOTÆ.

599. *Numero in turmas.*] *Turmæ*, propriè erant equitum, et capiebant equites vulgò triginta, *Æn. 5. 553.* in Notis.

604. *Ala Camillæ.*] Vegetius, *Alæ dicuntur equitum*, quòd ad similitudinem alarum ab utrâque parte protegunt acies. Atque ita sumitur *ala* apud Virgilium. Ostendit tamen Lipsius de militiâ Rom. l. 2. 7. *alas* etiam quandoque de peditibus dici: et vulgò de copiis, sive equestribus, sive pedestribus sociorum, quæ ad latera aciei collocabantur.

612. *Tyrrhenus.*] Hic non gentile nomen, sed proprium est principis alicujus viri, ex Æneæ aut Tarchontis exercitu.

617. *Præcipitat.*] Pro *præcipitatur.* Ut Æn. 1. 104. *Tum prora avertit*, pro *avertitur.*

619. *Rejiciunt parmas.*] In tergum, ut sese à persequentium jaculis in fugâ defendant. *Parmas*, scuta brevia, rotunda, et undique *paria.*

*tum verò et gemitus morientum* audiuntur; *ac rotantur in alto sanguine et arma, et corpora, et equi moribundi confusi* in *strage hominum: oritur crudele prælium. Orsilochus, cùm timeret aggredi* Remulum, *immittit hastam* in *equum Remuli, et figit ferrum sub aure; quo ictu equus furit arrectus, et impatiens plagæ agitat alta crura sublato pectore; ille* Remulus *dejectus humi corruit. Catillus* sternit *Iolam: et magnum animo, magnum corpore et armis sternit Herminium: cui coma flava* erat in *capite aperto et nudi humeri: nec plagæ terrent* eum, *tam latè apertus est in ictus: hasta immissa huic per latos humeros intremit, et transfixa,* cum *dolore incurvat hominem. Spargitur latè niger sanguis: pugnantes edunt strages gladiis, et per plagas quærunt mortem gloriosam. At Camilla pharetrata gaudet in mediis stragibus,* quasi *Amazon, nudata* secundùm *unam mammam* ad *prælium. Et modò jaciens manu congerit hastas flexiles, modò indefatigabilis corripit dextrâ manu robustam securim. Arcus aureus, et sagittæ Dianæ sonant ex humero* ejus. *Ipsa quoque verso arcu defigit sagittas fugaces, si aliquando cedit fugata in tergum.* Sunt *verò circa* eam *selectæ sociæ, et virgo Larina, et Tulla, et Tarpeia intentans æream securim, Italæ* puellæ; *quas ipsa divina Camilla elegit sibi* quasi *honorem, famulas* in *bello et bonâ pace. Quales Thraciæ Amazones, quando legunt fluenta Thermodontis,*

Tum verò et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque corporaque et permisti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit:
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat,
Vulneris impatiens, arrecto pectore crura:
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri: nec vulnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum, transfixa, dolore.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes: pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exultat Amazon,
Unum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla:
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset;
Nunc validam dextrâ rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, siquando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circùm lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonæ bellique ministras.
Quales Threïciæ, cùm flumina Thermodontis

NOTÆ.

636. *Orsilochus, &c.*] Trojanus. *Remulus*, Latinus: alius ab illo Tiburtino *Remulo*, qui moriens phaleras nepoti dederat, Æn. 9. 360. item ab illo Numano Remulo, quem Ascanius occiderat, ibid. 592.

640. *Catillus, &c.*] Tiburtinus, de quo, Æn. 7. 672.

645. *Duplicatque virum.*] Videtur à tergo inter utrasque scapulas percussus, ita ut in anteriorem partem corpus curvatum, et quasi plicatum ex ictu fuerit. Alii legunt, *Duplicatque viri, transfixa, dolorem.* Alii, *Duplicatque virum transfixa, dolorem.* Prima lectio sanissima, juxta Turnebum. Cujus firmat opinionem illud Ovidii. *Duplicataque vulnere cæco est:* Item illud Homeri de Thersite, Il. 2. 266. Πλῆξεν, ὁ δ' ἰδνώθη, *percussit: ille autem incurvabat se.*

648. *Amazon.*] *Volsca*, Amazonum tamen more armata; id est, exustâ mammâ dextrâ, sinistroque latere nudato: ut diximus, Æn. 1. 490.

650. *Denset.*] Secundæ conjugationis: vel *densat*, primæ: Æn. 10. 432. *Bipennis*, securis utrimque acuta, suprà, v. 135.

652. *Arma Dianæ.*] Venatoria: sagittæ in pharetrâ, bipennis, hastilia.

654. *Spicula converso, &c.*] More Parthorum, quos eâ arte celebres diximus, Ecl. 1. 62.

657. *Dia Camilla.*] Græca vox, δῖα, *generosa, præstantissima, divina;* quia Dianæ Deæ consecrata, suprà, v. 557. Sic apud Homerum Helena vocatur δῖα γυναικῶν, *præstantissima mulierum.*

658. *Pacisque bonæ, &c.*] Sic plures et saniores codices, Pierio teste. Aliqui tamen habent, *pacisque bonas bellique ministras.*

659. *Quales Threïciæ.*] De Amazonum gente ac nomine, Æn. 1. 317. 490. Nunc de patriâ et sede. I. Constat Amazonum sedem non fuisse in *Thraciâ* propriâ et *Europæâ*, quæ Macedoniæ confinis est; sed in septentrionali minoris Asiæ litore, quod Ponto Euxino alluitur: urbemque regiam ab ipsis illic conditam fuisse *Themiscy-*

Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu cùm se Martia curru
Penthesilea refert: magnoque ululante tumultu
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longâ transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirin Pagasumque supèr: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit; alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inertem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden: sequiturque incumbens eminùs hastâ,
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo;
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornitus armis
Ignotis, et equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus,
Et malæ texêre lupi cum dentibus albis;

*et pugnant armis pictis: sive circa Hippolyten, sive quando bellicosa Penthesilea redit* in *curru, et magno tumultu ululante muliebres turmæ gestiunt scutis lunatis: O bellicosa virgo, quem primum, quem ultimum sternis hastâ? aut quot spargis humi corpora moribunda? primò Eumenium patre Clytio: cujus oppositi pectus patens transfodit longâ* hastâ ex *abiete. Ille corruit vomens fluenta sanguinis, et mordet terram sanguinolentam, et moriens agitat se* in suâ *plagâ. Deinde Lirin et Pagasum præterea: quorum alter dum collabens, equo succidente, retrahit habenas: alter dum succurrit, et porrigit cadenti dextram lentiorem, repentè et simul concidunt. Adjicit iis Amastrum Hippotæ filium: et imminens insequitur propiùs hastâ, et Tereum, et Harpalycum, et Demophoontem, et Chromim: et quot jacula vibrata manu virgo intorsit; tot homines Trojani corruerunt. Ornitus venator procul excurrit* in *armis insuetis et equo Apulo: cui pellis extracta juvenco pertinaci tegit latos humeros; magnus rictus gutturis, et genæ lupi cum dentibus candidis operuerunt caput:*

## NOTÆ.

*ram*, non longè à Thermodonte fluvio: eisdemque paruisse totum illum tractum, qui deinceps Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociamque complexus est. Ita Herodotus, Pausanias, Diodorus Siculus, &c. II. Constat è Xenophonte, Exped. l. 6. tractum illum ipsum tulisse quoque *Thraciæ* nomen, nempe *Asiaticæ*. III. Habemus ex iisdem auctoribus, præcipuè Diodoro, Amazonas, circumflexo Euxini litore tum orientali tum etiam septentrionali, trajectoque Tanai fluvio, maximam Sarmatiæ Asiaticæ et Europææ subegisse partem: deinde, cùm ab Hercule ac Theseo nativis in sedibus bello appetitæ et victæ essent; occupato in Libyâ Hercule, bellum eas Græcis intulisse, transmisso scilicet Bosphoro Cimmerio; indeque per Thraciam Europæam, Macedoniam, ac Thessaliam, aperuisse sibi aditum ad ipsum Atheniensium arcem, quam aliquandiu tenuerunt. Tamen hinc pulsæ sunt à Theseo, ut probant iis in locis multa, tum Thesei victoriæ, tum Amazonum cladis monumenta; earumque reliquiæ intra pristinos Pontici litoris fines servavere: deinceps formam aliquam imperii, usque ad Trojani belli tempora; cùm Penthesilea, nativo odio Græcis infesta, Trojanis auxilium tulit, et ab Achille aut Pyrrho sub belli finem occisa est. Tum etiam ad usque Alexandrum Magnum perstitere, ad quem Thalestris Amazonas trecentas adduxit, ex Diodoro et Q. Curtio.

659. *Thermodontis.*] Legunt quidem *Thermodoontis*, ut *Hippocoontis;* ita ut priores syllabæ tres dactylum efficiant. At omnino quadrisyllabum est, *Thermodontis:* ubi priores syllabæ tres longæ, cum ω in secundâ syllabâ, quæ ideo breviari non potest: scribitur enim Θερμώδων, non Θερμόδων, et Cappadociæ fluvius est, in oram Euxini meridionalem influens: nunc *Pormon*.

661. *Hippolyten.*] Thesei uxor fuit, dicta ab aliis *Antiopa:* ex quâ Hippolytum filium suscepit, insidiis Phædræ novercæ deinde sublatum. Hanc bello Herculis Amazonico Theseus, vel dono Herculis acceperat, vel dolo ipse rapuerat: bello deinde Attico adversùs Amazonas, ab illis pro viro pugnans occisa est. Plutarchus in Theseo, Diodorus, &c. De *Penthesileâ*, quæ ob virtutem filia Martis credita est, Æn. 1. 490.

663. *Lunatis peltis.*] Scutis brevissimis, in formam Lunæ mediæ præcisis.

667. *Abiete.*] Hasta ex *abiete* arbore, *sapin*, FIR.

677. *Phrygii.*] Trojani, è Phrygiâ, Æn. 1. 381.

678. *Equo Iapyge.*] Ex Apuliâ, quæ *Iapygia* dicta est, Æn. 8. 710. et suprà, v. 247.

Agrestisque manus armat sparus: ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice suprà est.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur:
Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putâsti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinùs Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten adversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, quà colla sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto;
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior insurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnâ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit:
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te cominùs æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Jam nosces, ventosa feret cui gloria fraudem.
Dixit: at illa furens, acrique incensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque assistit in armis
Ense pedes nudo, purâque interrita parmâ.

*et sparus rusticus armat manum: ipse excurrit in mediis turmis, et supereminet toto capite. Illa perfodit hunc interceptum, non enim difficilè* erant *disturbato agmine: et hostili animo hæc ait super* illum: *Existimavisti, ô Etrusce, te venari feras* in *sylvis? venit dies, qui ulciscatur verba vestra fœmineis armis. Tamen referes umbris parentum* tuorum *gloriam hanc non exiguam,* te *occisum esse hastâ Camillæ. Continuò* occidit *Orsilochum et Buten, duo maxima corpora Trojanorum: sed Buten acumine* teli *transfodit adversum, inter cassidem et thoracem, quà collum equitantis micat, et* quà *parma descendit infra humerum sinistrum; fugiens* verò *et circumacta magnum in orbem fallit Orsilochum, interiùs secans gyrum, et persequitur* eum qui priùs eam *persequebatur. Deinde assurgens altius, bis impingit validam securim per arma et per ossa* huic *homini roganti et multùm precanti; plaga spargit vultum calido cerebro. Occurrit illi, et stetit stupefactus improviso visu bellicosus filius Auni incolæ Apennini, non ultimus Ligurum, quamdiu fata permittebant* ei *fallere. Ille autem, cùm videt se nullo cursu posse subducere se prælio, nec expellere reginam imminentem: incipiens consultò agitare dolos mente et solertiâ, dicit ista: Quid tam illustre est, si* cùm sis *fœmina, confidis equo robusto? relinque celeritatem* equi, *et propiùs committe te mecum planæ terræ, et para te ad certamen pedestre: mox cognosces, cui laus inanis inferet damnum.* Sic *ait: illa verò furens et commota asperâ indignatione, dat equum sociæ, et stat in armis paribus, pedes et interrita, ense stricto atque scuto splendente.*

## NOTÆ.

682. *Sparus.*] Telum est rusticanum, à *spargendo* dictum: hoc ferè constat. Cujus porrò formæ, dubitatur: Festus vult parvissimi generis esse jaculum, quod facilè spargatur: Servius recurvum, in modum pedi pastoralis.

686. *Tyrrhene.*] *Orte* è Tyrrhenâ gente.

688. *Vestra verba.*] Quibus fortitudinem vestram intemperanter jactatis. De *Manibus*, parentum, Geor. 4. 469. Æn. 6. 743.

693. *Parma.*] Vide v. 619. *Lacerto*, Æn. 5. 422.

695. *Gyro interior.*] Breviori spatio atque ambitu reflectens sese, Æn. 5. 170.

700. *Apenninicolæ.*] De *Apennino*, monte Italiæ, Liguriam à septentrione ambiente, Æn. 12. 703. De *Liguriâ*, ibid. 10. 185. Monet autem Cato Ligures esse fallaces.

706. *Fugam.*] Cursum celerem. Sic Æn. 1. 317. de Harpalyce Amazone, *Volucremque fugâ prævertitur Eurum.*

708. *Fraudem.*] Hanc veram et antiquam lectionem esse contendit Servius; non *laudem*, ut vulgò legitur: et sensus est; cognosces cui jactantia damnum afferat.

711. *Purâ parmâ.*] Juxta Servium, *nudâ* et absque rerum gestarum figuris: quia, inquit, tunc primùm in bella descenderat. Juxta Donatum, *expedita* et absque pondere. Juxta in-

At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferratâ calce fatigat.
Vane Ligur, frustráque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu: frænisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico à sanguine sumit;
Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque Deorum
Observans oculis, summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitque in prælia pulsos.
Quis metus, ô nunquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quò ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes nocturnaque bella,
Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studium: dum sacra secundus aruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus et ipse
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert:
Direptumque ab equo dextrâ complectitur hostem,
Et gremium ante suum multâ vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor, cunctique Latini
Convertêre oculos: volat igneus æquore Tarchon

*Sed juvenis existimans* se *victorem esse fraude, aufugit ipse, nulla* est *mora, et abripitur fugax habenis detortis, et talo ferrato impellit velocem equum. Fraudulente Ligur, et frustrà elate superbo animo: frustrà callidus adhibuisti astutiam patriam: nec* illa *astutia reducet te salvum Auno doloso. Virgo hæc loquitur, et ardens pedibus velocibus prætergreditur cursu equum: et correpto fræno opposita pugnat, et sumit supplicium ab hostili sanguine;* tam *facilè, quàm accipiter, avis dicata* Marti, *ex altâ rupe persequitur alis columbam altam in aëre, et tenet correptam, et dilaniat unguibus acutis: tunc sanguis et pennæ evulsæ decidunt ex aëre. Sed genitor hominum et Deorum non quiescit sublimis in supremo cœlo,* quasi *nullis oculis videns ista. Pater* ille *excitat ad durum certamen Tarchontem Tyrrhenum, et commovet* ejus *iram non levibus stimulis. Itaque Tarchon inter strages et acies recedentes impellitur equo, et exhortatur equitatum variis sermonibus, appellans unumquemque nomine* suo, *et revocat ad pugnam fugientes: O Tyrrheni nunquam* satis *dolituri! ô semper ignavi! quis timor, quæ tanta segnitia incidit animis* vestris? *Fœmina dispergit* vos *vagos, et fugat has turmas? cur gestatis manibus ferrum, et cur hæc arma inania? tamen non estis ignavi ad voluptates et ad pugnas nocturnas, aut ad exspectandas epulas, et compotationes mensæ opimæ, quando tibia curva Bacchi indixit choreas; hic* est *amor* vester, *hæc cura: dummodo favens aruspex nunciet sacrificia, et hostia opima invitet in profundos lucos. Hæc locutus, ipse etiam moriturus impellit equum in medios, et minax immittit se adversum Venulo: et constringit dextrâ* manu *hostem detractum ab equo, et magno impetu concitatus abripit* eum *ante sinum suum. Clamor erigitur ad cœlum, et Latini omnes converterunt oculos. Tarchon ardens volat campo*

NOTÆ.

terpretationem à nobis jam traditam, Æn. 6. 560. *nitidâ, lucidâ, tersâ.*

715. *Ligur.*] Pleraque vetera exemplaria habent *Ligus.* Et sic olim in usu fuisse, probat adjectivum *Ligusticus*, inde derivatum. Nec magis absonum est *Ligus, Liguris;* quàm *lepus, leporis; vetus, veteris.*

721. *Accipiter—sacer.*] *Epervier*, A HAWK, avis rapax; ideo Marti sacra. Latinum nomen è Græco deductum *ὀξύπτερος, celeriter volans:* Gallicum nomen è Germano, ut placet Scalig. et Voss.

730. *Alas.*] Equitatum, v. 604.

732. *O nunquam dolituri.*] O qui nunquam acceptis injuriis movemini, ut fortes decet, ad justam ac dignam ultionem. *Palantes*, vagos, Æn. 10. 674.

737. *Tibia Bacchi.*] Bacchanalia intelligit et epulas Baccho sacras ad sonitum tibiæ, ut cætera Deorum sacra. De *Baccho*, Ecl. 5. 9. De *tibiis*, Æn. 9. 618.

739. *Aruspex.*] Qui ex inspectis hostiarum visceribus futura prædicit: quæ ars propria Tyrrhenorum, Æn. 8. 498.

746. *Æquore.*] Planitie campi, Æn. 2. 780.

Arma virumque ferens: tum summâ ipsius ab hastâ
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Quà vulnus letale ferat. Contrà ille repugnans
Sustinet à jugulo dextram et vim viribus exit.
Utque volans altè raptum cùm fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minùs urget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans: ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Aruns
Velocem jaculo et multâ prior arte Camillam
Circuit, et, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Quâ se cunque furens medio tulit agmine virgo;
Hâc Aruns subit, et tacitus vestigia lustrat:
Quâ victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat;
Hâc juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, et certam quatit improbus hastam.
  Fortè sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis:
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrinâ ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydemque sinusque cre-
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro; [pantes

*portans hominem et* ejus *arma: deinde abrupit ferrum è supremâ* ejus *hastâ, et quærit partes apertas, quibus inferat plagam mortiferam. Ille contra obluctans repellit* ejus *dextram à gutture* suo, *et evitat vim viribus. Et sicut, quando fulva aquila volans altè portat serpentem raptum, et illigavit* ei *pedes, et hæsit unguibus; serpens verò vulneratus convolvit sinuosas spiras et rigescit squamis sublatis, et altus assurgens sibilat ore: illa rostro incurvo non minùs premit obnitentem, et simul quatit aërem alis. Non aliter Tarchon gaudens aufert prædam è turmâ Tiburtinorum: imitati exemplum et eventum ducis* sui *Tyrrheni irruunt. Tunc Aruns, addictus morti, prior currit circa celerem Camillam* cum *sagittâ et multâ solertiâ, et explorat quænam fortuna sit commodissima. Quâcunque virgo ardens immittit se medio exercitu; Aruns sequitur* eam *hâc parte, et occultus considerat incessum* ejus: *quà revertitur illa victrix, et refert pedem ab hoste: juvenis clam deflectit illàc habenas expeditas. Undique percurrit hos aditus, et jam hos aditus et omnem circuitum, et librat malignus hastam inevitabilem. Fortè Chloreus dicatus Cybelæ, et quondam sacerdos, procul splendebat conspicuus* in *armis Phrygiis: et impellebat equum spumantem, quem tegebat pellis compacta squamis æreis auratis* in modum *plumarum. Ipse conspicuus ferrugine et purpurâ externâ, vibrabat Lycio* arcu *corneo sagittas Cortynias: arcus auratus sonat ex humeris, et galea aurea est* huic *vati: prætereà strinxerat in nodum fulvi auri chlamydem croceam carbasinam et* ejus *plexus crepitantes,*

NOTÆ.

750. *Vim viribus exit.*] Activè, ut Æn. 5. 438.

757. *Tiburtum.*] Quorum inter principes erat Venulus. De *Tibure*, urbe Latii, Æn. 7. 630.

759. *Mæonidæ.*] Tyrrheni, è Mæoniâ, sive Lydiâ, orti, Æn. 2. 781. et 4. 216.

768. *Sacer Cybelæ.*] Alii legunt, *Sacer Cybelo:* alii, *Satus Cybelo;* ne idem sit *sacer* et *sacerdos.* Nugæ: potest enim quis sacer esse dicatusque per votum numini, non per sacerdotium: ut Camilla, quæ tamen Dianæ sacerdos non erat. De *Cybelo* monte Phrygiæ, et *Cybele* Deâ, Deorum matre, Æn. 3. 111.

770. *Ahenis in plumam, &c.*] Non militibus tantùm, sed et equis etiam loricæ quandoque fuerunt: et ii propriè dicebantur *cataphracti.* De iis ita Sallust. apud Servium, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Igitur lorica equi erat ex pelle, sive corio, cui insertæ erant æreæ laminæ, in modum squamarum incisæ: erant autem squamæ illæ, non rotundæ quidem ac vulgares; sed oblongæ, ita ut ad plumarum formam potiùs accederent: neque ex ære simplici, sed aurato, Æn. 3. 467.

772. *Peregrinâ ferrugine et ostro, &c.*] Ostro, sive purpurâ Ibericâ, ferrugineâ et subnigricante: de quâ Æn. 9. 582. De *ostro*, Geor. 2. 506.

773. *Lycio Cortynia, &c.*] Species pro genere. Arcus enim insignes è corneâ materiâ, è Lyciâ, Asiæ regione, de quâ Æn. 4. 143. Sagittæ item ex urbe Cretæ insulæ *Cortynâ*, vel *Gortynâ*, Æn. 6. 60.

775. *Cassida.*] Nomen primæ declinationis, deductum ex accusativo nominis tertiæ: *cassida,*

Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur: totumque incauta per agmen,
Fœmineo prædæ et spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cùm tandem tempore capto
Conjicit, et superos Aruns sic voce precatur:
Summe Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus vestigia prunâ:
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsæve trophæum
Virginis, aut spolia ulla peto: mihi cætera laudem
Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius urbem.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit; partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subitâ turbatam morte Camillam,
Annuit oranti; reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras;
Convertêre animos acies, oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ,
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque altè bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem

*pictus acu* secundùm *tunicam et barbara tegmina crurum. Puella, sive ut appenderet templis arma Trojana, sive ut venando incederet in aureis* spoliis *captis, sequebatur cæca hunc unum ex omnibus certantibus in prælio: et imprudens flagrabat per totum exercitum muliebri cupiditate prædæ et spoliorum. Cùm denique tempore captato, Aruns vibrat jaculum ex insidiis, et orat Deos his verbis: Supreme Deorum Apollo, præses sacri Soractis, quem præcipui colimus, cui ignis è pinu alitur in cumulum: et* cui nos *cultores, securi religione, calcamus plantis multas prunas per mediam flammam: concede, ô Pater omnipotens, hanc ignominiam deleri nostris armis. Non peto exuvias, aut trophæum, aut illa spolia victæ puellæ: reliqua facta mihi præstabunt gloriam: revertar* libenter, *inglorius in urbem patriam, dummodo hæc funesta pestis moriatur vulnere à me* inflicto. *Apollo audivit: et concessit* ut *pars voti animo succederet, partem dissipavit in leves ventos. Concessit precanti* ut *occideret morte improvisâ* Camillam *turbatam; non concessit ut nobilis patria cerneret eum reversum: et nubes dispulerunt vocem in ventos. Itaque statim atque hasta librata manu edidit stridorem per aërem: agmina converterunt animos, et omnes Volsci direxerunt oculos ad reginam. Ipsa nullatenus animadvertit aut aërem* impulsum, *aut stridorem, aut jaculum veniens ex alto, donec jaculum appulsum ad mammam præcisam infixum est, et profundè immissum hausit virgineum sanguinem. Sociæ festinantes accurrunt,*

## NOTÆ.

*cassidæ:* à *cassis, cassidis, cassidi, cassida;* quod et apud Propertium reperitur, l. 3. 11. 15. Sic apud Varronem, teste Nonnio, *compeda,* à *compes; chlamyda,* à *chlamys;* apud sacros scriptores nostros, *lampada,* à *lampas. Croceam,* tinctam croco flore, *saffran,* SAFFRON.

777. *Tunicas et barbara, &c.*] De *tunicis,* Æn. 9. 616. *Tegmina crurum;* sunt ocreæ, non vulgari quidem Græcorum aut Italorum, sed Barbarorum more: hoc est, ut videtur plerisque, Phrygum, qui primi acu pingere repererunt. Paulò tamen aliter visum explicandum illud Æn. 2. 504. *Barbarico postes auro.*

780. *Certamine pugnæ.*] Sic Lucret. l. 4. 841. Sic et Æn. 2. 780. *Maris æquor.*

783. *Soractis.*] *Soracte* vel *Soractes,* mons in Etruriâ in agro Falisco, ad occidentalem ripam Tyberis, ad septentrionem Romæ, nunc *Monte de S. Sylvestro.* Ibi lucus et templum Apollinis fuit. Plinius l. 7. 2. *Haud procul urbe Româ, in Faliscorum agro, familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini; super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur, et ob id perpetuo Senatusconsulto militiæ aliorumque munerum vacationem habent.* Addit Servius ex Varrone, sacrificulos illos, per prunas ambulaturos, medicamento aliquo solitos sibi plantas tingere. *Aruns* igitur ex illis Hirpis Etruscis fuit et equitibus Tarchontis. *Pineus ardor,* sunt prunæ, è pinu succensâ excitatæ.

793. *Inglorius.*] Nullâ cæde nobilis: hanc enim cædem esse ignotam volo.

798. *Notos.*] Speciem pro genere: ventos meridionales pro quibuslibet ventis, Ecl. 2. 58.

Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitiâ, mixtoque metu: nec jam ampliùs hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, priùs quàm tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese avibus abdidit altos
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti: caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secùs ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentusque fugâ mediis se immiscuit armis.
  Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis, labuntur frigida leto
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic expirans, Accam ex æqualibus unam
Alloquitur, fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quîcum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circùm.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens: tum frigida toto
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum verò immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejectâ crudescit pugna Camillâ.
Incurrunt densi: simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcadis alæ.
  At triviæ custos jamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis; spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentûm
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:

*et suscipiunt reginam cadentem: Aruns præ cæteris stupefactus fugit, gaudio et timore mixtis: nec jam ultrà audet fidere hastæ, nec occurrere armis virginis. Et quemadmodum aliquis lupus, pastore aut magno juvenco interfecto, memor facti* sui *audacis, recipit se in montes excelsos* extra *viam positus, priusquam jacula hostilia assequantur* ipsum: *et reflectens caudam supponit* eam *trementem utero, et adit sylvas: non aliter Aruns turbatus subduxit se ex oculis, et gaudens ob fugam miscuit se mediis armatis. Illa moriens educit manu jaculum: sed cuspis ferrea hæret ad costas inter ossa profundo vulnere. Concidit pallida, concidunt oculi frigidi morte: color olim rubicundus deseruit vultum. Tum moriens sic alloquitur Accam unam è sociis quæ sola Camillæ fidelis erat præ cæteris, cum quâ* solebat *communicare curas* suas; *et sic loquitur ista: Acca soror, potui hac usque* pugnare: *nunc dura plaga me interfecit, et omnia circum nigrescunt caligine. Fuge et fer ad Turnum hæc ultima monita: Succedat* mihi *ad pugnam, et avertat Trojanos ab urbe: denique vale. His prolatis, simul dimittebat habenas; non sponte labens in terram: tum frigida dissolvit se paulatim toto corpore, et dimisit colla incurva caputque morte victum, abjiciens arma: et vita dolens cum gemitu abit in tenebras. Tunc autem vastus clamor suboriens verberat astra aurea; prælium inhorrescit occisâ Camillâ. Irrumpunt conferti: simul omnis multitudo Trojanorum, et ductores Tusci, et equitatus Evandri Arcadis. At Opis exploratrix Dianæ jamdudum sedet sublimis in summis montibus, et immota aspicit prælium: et cùm inter medios clamores juvenum certantium procul vidit Camillam affectam tristi morte: et suspiravit, et emisit hæc verba ex intimo pectore:*

NOTÆ.

809. *Ille lupus.*] *Ille* frequenter abundat in comparationibus, Æn. 10. 707.

815. *Contentus fugâ.*] Præter allatam interpretationem, potest hæc etiam afferri: *Concitatus fugâ, contendens fugam:* à *contendo.*

822. *Quîcum.*] Nonnullis in codicibus scriptum reperitur, *quâcum.*

835. *Alæ.*] Equites, suprà, v. 604.

836. *Triviæ.*] Diana, quæ colebatur in triviis, Æn. 4. 511.

839. *Multatam.*] Aliqui legunt *mulcatam.* Differunt verò *multare et mulcare:* quòd *multare* est à voce Oscâ vel Sabinâ, *multa,* quæ pœnam pecuniariam à judice irrogatam significat, ut notant Festus et Varro: et per translationem, quamlibet aliam pœnam; *mulcare* autem Latina vox est: quæ significat *verberare,* à *mulceo,* quod est *mollio;* quia quod verberatur, mollitur: hinc Vulcanus dictus est *Mulciber,* à verberando ferro. Vide Germanum Valentem, et Vossium.

Heu! nimium virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extremâ jam in morte: neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet meritâ. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacâque ilice tectum.
Hìc Dea se primùm rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Aruntem tumulo speculatur ab alto
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum:
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. Tu-ne etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, et auratâ volucrem Threïssa sagittam
Deprompsit pharetrâ, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longè: donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,
Lævâ aciem ferri, dextrâ nervoque papillam.
Extemplò teli stridorem aurasque sonantes
Audiit unà Aruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:
Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.
Primâ fugit dominâ amissâ levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas;
Disjectique duces, desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contrà:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,

*Heu, virgo! tulisti supplicium nimis crudele, conata bello aggredi Trojanos: nec profuit tibi derelictæ inter vepres coluisse Dianam: aut tulisse humeris nostras pharetras. Tamen Dea tua non te relinquet jam ingloriam in supremâ morte: neque hæc mors erit absque honore inter populos, nec feres famam non vindicatæ. Nam quisquis læsit vulnere tuum corpus, solvet* in *nece meritâ. Fuit sub excelso monte magnum sepulchrum Dercenni, veteris regis, Laurentini, ex aggestâ terrâ, et tectum umbrosâ ilice. Dea formosissima collocat se primùm illic celeri impetu, et ab excelso tumulo circumspicit Aruntem. Quando aspexit illum coruscantem armis, et vanè superbientem, ait: Cur discedis in diversam* partem? *huc fer gradum, huc veni moriture: ut recipias mercedem dignam Camillâ. Tune morieris sagittis* ipsius *etiam Dianæ? Dixit, et* quemadmodum Amazon *Thracia, eduxit ex auratâ pharetrâ sagittam celerem, et inimica intendit* arcum *corneum, et extendit longè: donec extremitates* ejus inflexæ *committerentur inter se, et jam tangeret manibus æqualibus, sinistrâ cuspidem ferri, dexterâ et nervo mammam. Statim Aruns audivit simul stridorem sagittæ aëremque frementem, et ferrum infixum est in corpore. Socii immemores relinquunt illum in incognito pulvere arvorum exspirantem, et ultima gementem: Opis effertur alis ad æthereum cœlum. Levis equitatus Camillæ fugit primus, reginâ amissâ: Rutuli turbati fugiunt, fugit fortis Atinas: et ductores dissipati et manipuli vastati quærunt* loca *tuta, et currunt equis conversi ad muros. Nec ullus potest sustinere armis, aut stare contra Trojanos imminentes et inferentes mortem: sed reportant humeris defessis arcus laxos,*

## NOTÆ.

843. *Desertæ in dumis.*] De vitâ Camillæ in sylvis, suprà, v. 539. et sequentibus.

850. *Dercenni, &c.*] De hoc vetere Laurentum rege, Latino multo antiquiore, nihil apud auctores. *Bustum* ait, pro loco ubi cineres post combustionem depositi fuerant. *Ilex*, arbor glandifera, *yeuse*, THE HOLM-OAK. De *Laurente* regione, *Æn.* 7. 63.

854. *Vana.*] More adverbii, pro *vanè;* ut Geor. 3. 500. *Terram crebra ferrit.*

856. *Digna Camillæ Præmia, &c.*] Mors divinâ manu illata, præmium, non pœna est. Si mori debuerat Camilla, mori divinâ manu debuerat, non imbelli timidi mortalis telo. Tu-ne dignum Camillâ munus auferes? et ignavus cùm sis, non cujuslibet numinis, sed ipsius etiam Dianæ telis moriere?

858. *Threïssa, &c.*] *Ut Threïssa*, id est, *ut Amazon.* Sic Camilla, v. 648. *Exultat Amazon*, id est, *ut Amazon.* Neque enim Opis aut Camilla tales erant re ipsâ; sed cultu tantùm atque habitu. De *Amazonibus Thraciis*, suprà, v 659.

867. *Olympum.*] Montem Thessaliæ, pro cœlo Ecl. 5. 56. *Ala*, equitatus, suprà, v. 604. *Rutuli*, milites Turni, *Æn.* 7. 794.

Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atrâ
Pulvis: et è speculis percussæ pectora matres
Fœmineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba.
Nec miseram effugiunt mortem: sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrymantûmque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruinâ,
Volvitur; immissis pars cæca et concita frænis
Arietat in portas, et duros objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) ut vidêre Camillam;
Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Intereà Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse: metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (nam sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix è conspectu exierat, campumque tenebat:
Cùm pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, sylvâque evadit opacâ.
Sic ambo ad muros rapidi, totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt.
Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longè, Laurentiaque agmina vidit;
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis,

*et ungula equorum currendo pulsat campum pulverulentum. Pulvis confusus nigrâ caligine fertur ad muros; et matres verberantes sinum emittunt è speculis fœmineam vociferationem ad astra cœli. Qui primi attigerunt cursu portas apertas: hos turba hostilis opprimit agmine superjecto: nec evitant mortem funestam: sed in ipso ingressu, in muris patriis, et inter tutas domos confossi emittunt animas. Pars* incipit *claudere portas: nec audent patefacere aditum sociis, nec admittere precantes intra muros: et incipit tristissima strages, propugnantium armis ingressus, et ruentium in pugnam. Ex* iis qui sunt *exclusi; pars labitur in fossas præruptas, premente* multitudine *irruentium, ante oculos et vultus parentum plorantium; pars insana et concita* equis *frænatis impellunt portas, et postes firmatos repagulis.* In *supremâ* illâ *contentione matres ipsæ, ex quo conspexerunt Camillam* (id *docet verus amor patriæ) festinantes emittunt è muris tela manibus, et imitantur* arma *ferrea duris lignis, stipitibus, et fustibus præustis, nihil moratæ, et cupiunt primæ mori pro* defensione *murorum. Interim nuncius acerbissimus occupat Turnum in sylvis, et Acca refert juveni magnum* illum *tumultum: Turmas Volscorum cæsas* esse, *Camillam occisam esse, hostes infestos imminere, et favente Marte vastâsse omnia: timorem jam extendi ad muros. Ille furiosus deserit colles occupatos et sylvas difficiles, nam auctoritas dura Jovis ita imperat. Vix excesserat ultra conspectum, et attigerat campos; cùm pater Æneas, ingressus sylvas patentes, supergreditur collem, et exit* ex *obscurâ sylvâ. Sic ambo festini et toto impetu currant ad muros, nec absunt longo intervallo à se invicem. Et simul Æneas vidit procul campos undantes pulvere, Laurentemque exercitum: et Turnus agnovit Æneam ferocem cum exercitu,*

## NOTÆ.

890. *Arietat in portas.*] Non quidem equorum in portas impulsu, quod visum est *Donato:* sed obviis quibusdam, aut trabibus aut molaribus impactis instar arietum: de quâ machinâ Æn. 2. 462.

892. *Et vidêre Camillam.*] Vel cùm viderunt Camillæ corpus inter sociarum manus relatum vel potiùs, quia v. 594. dixit Diana se nube cavâ corpus illud tumulo illaturam, ex quo viderunt Camillam, pro alienâ salute ad arma concurrentem, amor patriæ suasit ipsis idem pro salute propriâ faciendum. De *robore,* pro quovis duriore ligno, Geor. 1. 162.

901. *Furens (nam sæva, &c.*] Duplici de causâ reliquit insidias, quibus Æneam deprehendere, et bellum conficere mox potuisset: nempe ob præcipitem furorem qui ei mentem abstulit: et ob numina Jovis, et vim fatorum Æneæ faventium.

Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuò pugnas ineant, et prælia tentent:
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

*audivitque incessum pedum, et hinnitus equorum. Statim inciperent certamina, et tentarent prælia: nisi Sol roseus jam lavaret mari Hispanico fessos equos, et reduceret noctem die cadente.* Ambo *quiescunt in castris ante urbem, et cingunt muros* urbis.

NOTÆ.

913. *Gurgite Ibero.*] Occiduo Oceano: nam Iberia sive Hispania ad occidentem Italiæ objacet. De *Iberia*, Æn. 9. 582. De *gurgite*, pro *mari*, Æn. 1. 118.

915. *Mœnia vallant.*] Circumambiunt: Trojani ut oppugnent; Rutuli ut defendant.

---

## P. VIRGILII MARONIS

# ÆNEIDOS

## LIBER XII.

---

### ARGUMENTUM.

*FRACTUS geminâ pugnâ Latinis, Turnus cum Æneâ singulari certamine dimicare statuit. Solemni sacramento conditiones certaminis fœdusque à Latino, Æneâ, Turnoque sancitur. Fœdus à Juturnâ, Turni sorore, Junonis impulsu disturbatur: primusque Tolumnius, falso augurio victoriam suis pollicitus, Trojanos invadit. Æneas sagittâ vulneratus excedere cogitur è prælio: quo absente maximam stragem Turnus edit. Venus dictamno herbâ vulnus Æneæ sanat. Is, refectis viribus, reversus ad pugnam Turnum nominatim vocat. Sed cùm Juturna, excusso Turni aurigâ Metisco, currum ejus moderaretur, et ab Æneæ occursu detorqueret, ne congredi simul possent; Æneas, admoto ad urbis mœnia exercitu, in propugnacula ignem conjicit. Hinc Amata, Turnum occisum rata, laqueo vitam sibi adimit. Turnus, ne urbs in hostium potestatem veniret, ad singulare certamen redit. Pugnant Æneas et Turnus; Æneas victor, cùm Turni jugulo immineret, jamque ipsius precibus motus ad misericordiam deflecteret: viso in ejus humeris Pallantis balteo, repentè exardescit, hostemque interficit.*

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,

INTERPRETATIO.

*Turnus, cùm videt Latinos fractos bello infelici abjecisse* animum, fidem *suorum promissorum jam repeti,*

NOTÆ.

1. *Infractos.*] Vox raro negans, sæpiùs affirmans, ut jam monuimus, Æn. 5. 784. et probat multis Erythræus in Indice. Hìc affirmat.

2. *Promissa.*] Quibus ad singulare cum Æneâ prælium se obstrinxerat, Æn. 10. 434.

Se signari oculis: ultrò implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantûm vulnere pectus,
Tum demùm movet arma leo: gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secùs accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quòd dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior: fer sacra, pater, et concipe fœdus.
Aut hâc Dardanium dextrâ sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ, (sedeant, spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjux.
 Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantùm ipse feroci
Virtute exsuperas, tantò me impensiùs æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes Divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,

*se designari oculis: sponte etiam implacabilis irascitur, et erigit animum. Qualis leo aliquis, in agris Afrorum, sauciatus* secundùm *pectus duro vulnere venatorum, tunc denique exerit vires* suas: *et lætatur commovens toros jubatos colli: et interritus abrumpit jaculum venatoris infixum* sibi, *et frendet ore sanguinolento. Non aliter ira crescit Turno inflammato. Tunc sic alloquitur regem, et turbulentus ita incipit: Nulla est dilatio in Turno: nihil est cur segnes Trojani revocent sua verba, et obnuant* facere ea, *de quibus convenerunt. Descendo ad pugnam: offer sacrificia, ô pater, et fac fœdus. Vel hâc* manu *dexterâ mittam ad inferos Trojanum profugum ex Asiâ, et solus refutabo ense criminationem communem nobis* omnibus *(Latini quiescant et aspiciunt* me) *vel* Trojanus *possideat* nos *victos, et Lavinia detur* ei *uxor. Latinus respondit ei tranquillo animo: O juvenis, excellens animo, quantùm tu excellis aspera fortitudine, tantò studiosiùs justum est me providere* tibi, *et* me *timentem* tibi *considerare omnia pericula. Est tibi regnum Dauni patris tui, sunt plurimæ urbes expugnatæ viribus* tuis: *sunt quoque Latino divitiæ, et benevolentia: sunt aliæ virgines* in *Latio et campis Laurentibus, nec ingloriæ* secundùm *genus. Permitte me omissis fraudibus exponere ista tibi non* quidem *grata dictu: et simul perpende ista animo. Non erat licitum me jungere filiam ulli antiquorum amatorum: et omnes Dii atque homines monebant illud. Expugnatus benevolentiâ* erga *te, expugnatus sanguine cognato,*

NOTÆ.

4. *Pœnorum.*] Afrorum circa Carthaginem; qui sic dicti sunt, quasi Phœni, quia à Phœniciâ cum Didone profecti, Æn. 4. in argumento.

5. *Ille, &c.*] Magnus aliquis leo; et sic, *ille*, sæpe abundat in comparationibus, Æn. 10. 707.

6. *Movet arma leo.*] *Arma*, sunt uniuscujusque vires, et ad agendum instrumenta. Sic Æn. 2. 99. De Ulysse: *Et quærere conscius arma*, id est, *dolos*. Apud Statium, l. 9. 589. *Armaque curva suum*, sunt *dentes*. Hìc leonis *arma* sunt ungues, dentes: unde dicuntur *leones exarmati*, quibus ungues et dentes evulsi sunt.

7. *Toros.*] Sunt eminentiæ musculorum nodosæ ac tumentes, circa cervicem aliasque corporis partes.

11. *Retractent.*] Fidem datam revocent per aliud pactum et quasi contractum.

13. *Fer sacra—concipe fœdus.*] Ad ejusmodi fœdera adhibebantur sacrificia et verba *concepta*, id est, certa solemniaque, infrà, v. 169.

14. *Tartara.*] Inferorum pars est infima, Æn. 6. 134.

15. *Asiæ.*] Phrygiæ, sive Troadis, quæ est in minore Asiâ, Æn. 1. 381.

19. *O præstans, &c.*] ORATIO Latini, quâ conatur Turnum à spe conjugii et singulari certamine ad pacem revocare: ostenditque, I. Affinitatem illam Turni cum Latino esse inutilem, cùm regnum utriusque satis absque illâ virium conjunctione potens sit: cùm sint urbes multæ Turno, divitiæ pariter atque animus et fortitudo Latini populi, virgines in Latio plurimæ quas Turnus uxores optare possit. II. Esse illicitam, quippe à Diis prohibitam, Æn. 7. 95. III. Esse perniciosam, si quidem, ex quo, Turni causâ, Deorum voluntati obstitit, calamitatibus innumeris utraque gens oppressa est. IV. Si, inquit, te occiso socium Æneam accepturus sum: quidni potiùs te salvo? V. Objicit sibi odia Rutulorum ob periculum Turni: Turno ipsi solicitudinem doloremque Dauni patris, belli varios eventus, &c. De *Latio* et *Laurento*, Æn. 7. 54. 63.

Conjugis et mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi;
Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides: quantos primus patiare labores.
Bis magnâ victi pugnâ, vix urbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quò referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno extincto socios sum accire paratus;
Cur non incolumi potiùs certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia, ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longè
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo.
Ut primùm fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextrâ
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœmineâ tegat, et vanis sese occulat umbris.
At regina, novâ pugnæ conterrita sorte,
Flebat, et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ: decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit.
Unum oro, desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent: simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris,
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem

*et fletibus tristis uxoris* meæ, *fregi omnes nexus, abstuli* eam *promissam Æneæ genero, suscepi bellum sceleratum. Cernis, ô Turne, quæ calamitates, quæ bella me persequantur ab illo* tempore: cernis *quantas difficultates* tu *ipse patiaris. Bis superati magno prælio, vix defendimus* hâc *urbe spem Italiæ: fluctus Tyberis calent adhuc nostro cruore, et vasti agri albescunt ossibus. Quò revertor toties? quæ stultitia vertit sententiam* meam? *si paratus sum advocare* Trojanos *ad societatem, Turno occiso: cur non potiùs extinguo bella* eo *salvo? quid Rutuli* mihi *conjuncti, quid reliqua Italia dicet? si exposuerim morti te petentem filiam meam et nostram affinitatem? (Fortuna refellat* hæc *mea verba) Considera res mutabiles bello: miseresce patris senioris, quem jam tristem Ardea patria* tua *procul separat* à nobis. *Ferocia Turni nullo modo mitigatur his verbis: invalescit potiùs, et asperatur remedio. Cùm primùm potuit loqui, sic institit ore: Obsecro, bone* pater, *depone pro me hanc solicitudinem, quam habes: et permittas me eligere mortem propter gloriam. Nos etiam, ô pater, libramus manu jacula et ferrum non inutile: et sanguis exit è plagâ,* quam *nos* facimus. *Procul aberit ab eo mater Dea: quæ muliebri nebulâ protegat* eum *fugientem* et ipse *se abscondat inani caligine. Sed regina tremefacta novâ conditione pugnæ lugebat, et retinebat generum iratum* ipsa *moritura: Turne, ego* peto unam rem, *per hos fletus; per gloriam Amatæ, si aliqua movet animum tuum: tu jam* es *unica spes senectutis* meæ, *tu* es *requies miseræ: regnum et gloria Latini* est *in tuâ potestate: familia omnis* jam *labefactata innititur tibi. Peto* rem *unam, omitte conserere manum* cum *Trojanis. Quicunque casus tibi destinati sunt* in *hâc pugnâ, ii destinati sunt etiam mihi, ô Turne: statim abjiciam hanc lucem odiosam, nec aspiciam captiva Æneam generum. Lavinia rigata lacrymis* secundùm *genas ardentes audiit verba matris: huic ignis multus*

## NOTÆ.

34. *Bis magnâ victi pugnâ.*] *Primâ* in exscensu navium, ubi occisus ab Æneâ Mezentius, fugatus Turnus, Æn. 10. 310. *Secundâ* equestri, ubi cecidit Camilla, Æn. 11. 597. De *Tyberi,* Æn. 8. 330. De *Rutulis,* Æn. 7. 794.

43. *Parentis Longævi.*] *Dauni,* Æn. 7. 56. *Ardea,* urbs Rutulorum regia, Æn. 7. 410.

46. *Medendo.*] Dum ei medicina quæritur à Latino: gerundia enim ejusmodi sæpe passivam habent vim, Ecl. 8. 71. *Cantando rumpitur anguis.*

49. *Pacisci.*] Quasi optione gloriosæ mortis aut vitæ propositâ, mortem consultò et veluti ex pacto eligere.

52. *Dea mater, &c.*] *Venus,* quæ à Diomedis impetu Æneam objectâ nube defendit, Æn. 10. 81.

56. *Turne, per has, &c.*] ORATIO Amatæ ad Turnum. Veniliæ sororis suæ filium: non quidem ut eum ad pacem inflectat, abhorrebat enim ab Æneæ societate: sed ut avertat à singulari certamine, et iterum communi bello res tota committatur.

Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur; vel mixta rubent ubi lilia multâ
Alba rosâ: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis: paucisque affatur Amatam:
Ne quæso, ne me lacrymis, neve omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: cùm primùm crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit;
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm; nostro dirimatur sanguine bellum:
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit:
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco

*suffecit ruborem, et sparsus est per vultum calefactum. Quemadmodum si aliquis tinxerit ebur Indicum purpurâ rubicunda; aut quando lilia candida rubescunt, mixta rosis multis. Puella exhibebat vultu tales colores. Amor agitat Turnum, et figit oculos in puellâ.* Hinc *magis accenditur ad pugnam: et alloquitur Amatam paucis* verbis: *O mater, ne, obsecro, ne prosequaris fletu et augurio tam* funesto *me descendentem ad prælium asperi Martis: non enim est* in *Turno potestas retardandæ mortis. O Idmon, fer nuncius regi Trojano hæc mea verba, non* ei *placitura: quando crastina Aurora invecta rubro curru primùm rubebit* in *cœlo:* tunc *non ducat Trojanos contra Rutulos: cessent bella Trojanorum et Rutulorum: bellum terminetur nostro sanguine: Lavinia petatur uxor in illo campo. Postquam protulit hæc verba, et celer abiit in domum* suam: *petit equos, et lætatur videns* eos *frementes in conspectu* suo, *quos Orithyia ipsa dedit Pilumno ornamentum; qui superarent nivem candore, ventos celeritate. Aurigæ festini circumsistunt, et palpant cavis manibus pectora* equorum *plausa, et pectunt colla crinita. Deinde ipse induit humeris loricam asperam auro et candido orichalco:*

## NOTÆ.

67. *Indum.*] Ebur è dentibus elephantorum, qui frequentes in Indiâ, Asiæ maximâ regione. Geor. 1. 57. *India mittit ebur.* De *ostro*, purpurâ ex ostreo expressâ, G. 2. 506.

74. *Neque enim Turno mora libera mortis.*] Sensus ex superioribus aptus est. Ne putes me cessurum lacrymis, et posse revocari funesto illo doloris vestri omine. Si enim sum moriturus; ne sic quidem pugnam subterfugio: non enim mortalium ulli liberum est mortem retardare, cùm dies fatalis imminet. Hunc locum Servius recenset in duodecim Virgilii insolubilibus. De *tyranno*, pro rege, bonam in partem, Æn. 7. 266. De *Phrygiâ*, ubi Troas, Æn. 1. 381.

77. *Puniceis, &c.*] Vellicatur hic versus à criticis, ob frequentem collisionem literæ *r*, et syllabarum affinium. De colore *puniceo*, rubro, Ecl. 5. 17. De *Aurorâ ejusque curru*, Geor. 1. 249. Æn. 6. 535.

83. *Pilumno——Orithyia.*] *Pilumnus*, abavus Turni, Æn. 10. 76. *Orithyia*, Erechthei Athenarum regis filia, rapta in Thraciam à Boreâ, Geor. 4. 463. Quæritur quomodo Pilumno Italo nota esse potuerit Orithyia, puella Attica in Thraciam translata. Respondet Turnebus Pilumnum et Orithyiam hominum opinione Deos esse habitos, atque ita alterum alteri notum esse potuisse: poëtam verò Orithyiam adhibuisse potiùs, quàm aliud quodvis numen, quia Thracia semper equis nobilis fuit. Sic Turni equus Thracius est, Æn. 9. 49. Rhesi equi, Thracii, Æn. 1. 469. Diomedis equi, Thracii, Æn. 1. 752. Porrò versus hìc spondaicus est: nam *Orithyia*, Ὠρείθυια, vox est quatuor syllabarum, quarum mediæ duæ diphthongi sunt ει et υι.

87. *Alboque orichalco.*] Græcè ὀρείχαλκος, ab ὄρος, *mons*, et χαλκὸς, *æs*; estque *æs montanum:* non fulvum, ut æs vulgare: sed in album deflectens: Gallicè dicimus *leton*, LATTEN. Ita Scaliger ad Festum, Vossius in Etym. Latini syllabam secundam, quæ longa est, et naturâ suâ, et apud Callimachum in Lavacro Palladis, v. 19. brevem fecerunt: ut Virgilius hìc, et Horatius, A. P. v. 203. *Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque æmula.* Cùm autem aliquando commutabiles apud Latinos fuerint literæ *o* et *au*; quemadmodum *explodo* est à *plaudo*; quemadmodum scripsere veteres *olla* et *aula*, *caudex* et *codex*, *&c.* sic reperimus apud Plautum *aurichalcum* pro *orichalco*. Unde grammatici aliquot imperitè metallum esse putaverunt ex *auro* et *ære* mixtum: cujusmodi nullum esse constat. Id verò, quale nunc habemus, non è terrâ natum, sed arte factum est, testaturque Plinius, l. 34. 2. suo tempore jamdudum desiisse, effœtâ tellure.

Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clypeumque, et rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, et Stygiâ candentem tinxerat undâ.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,
Loricamque manu validâ lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsâ ad pugnam proludit arenâ.
Nec minùs intereà maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, et se suscitat irâ,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.

*simul accommodat* ut *gestentur, et gladium, et clypeum et eminentias cristæ rubicundæ: gladium,* inquam, *quem ipse Deus præses ignis fabricaverat Dauno patri* Turni, *et merserat ferventem aquis Stygiis. Deinde sumit* cum *robore hastam validam, quæ stabat in mediâ domo admota magnæ columnæ, spolium Actoris Aurunci: et commovet* eam *trementem, inclamans: Nunc, ô hasta quæ nunquam fefellisti me vocantem, nunc adest tempus:* olim *te maximus Actor, nunc dextra Turni te gestat: da* ut *prosternam corpus, et* ut *disrumpam forti manu loricam direptam Phrygis effœminati, et* ut *inficiam pulvere capillos* ejus *crispatos ferro calido, et fluentes myrrhâ. Abripitur hoc furore, et scintillæ erumpunt è toto vultu furentis; ignis fulget viridis oculis. Quemadmodum quando taurus emittit mugitus terribiles ad præludium pugnæ, et obluctans in truncum arboris conatur irasci adversùs cornua, et provocat ventos ictibus, et parat se ad pugnam, disjectis arenis. Intereà Æneas terribilis sub armaturâ maternâ non minùs parat pugnam, et furore commovit se, lætus bellum dirimi proposito fœdere.*

## NOTÆ.

88. *Habendo.*] Gerundium passivæ facultatis, suprà, v. 46.

89. *Cornua Cristæ.*] Non vera *cornua*, qualia Pyrrhus galeæ ad terrorem hircina addebat, ex Plutarcho: sed cristam geminam è jubis equinis, aut plumis, è galeæ vertice hinc inde eminentem instar cornuum, Æn. 6. 779. *Geminæ stant vertice cristæ.*

90. *Ignipotens Deus, &c.*] *Vulcanus* arma Æneæ fabricavit, Æn. 8. 370. nec Turno quoque deesse ejus artem voluit poëta, ad augendam heroum suorum dignitatem. De *Vulcano* ibid. et Geor. 1. 295. De *Dauno*, Æn. 7. 56.

91. *Stygiâ candentem, &c.*] *Candens*, ex Gellio, est aliquando *albicans*, aliquando *fervens:* quæ enim incalescunt, ex nimio fervore quandoque albicant. *Aquâ tinxerat* ensem Vulcanus: sic enim chalybs immersione temperatur. *Aquâ Stygiâ*, ad quandam veluti magicam consecrationem, quemadmodum innuit Donatus. Aquæ enim infernæ in magicis sacris expetebantur, Æn. 4. 512. Ego verò suspicor id factum à Vulcano, ut ensem illum frangi non posse probaret. *Stygis* enim Arcadiæ fontis, qui inde à poëtis ad inferos traductus est, ea vis erat, ut vasa cujuslibet metalli diffringeret, nec possent ejus aquæ, nisi equi ungulâ, contineri, Æn. 6. 323.

94. *Actoris Aurunci spolium.*] Ducis alicujus Auruncorum, cui Turnus eam bello detraxerat. De *Auruncis*, Italiæ populis, inter Volscos et Campanos, Æn. 7. 54.

99. *Semiviri Phrygis, &c.*] Cur id nominis Phrygibus, et Æneæ tribuatur, jam dictum, Æn. 4. 215. ubi de capillis unguento delibutis. De *Phrygiâ*, in quâ Troas, Æn. 1. 381.

100. *Vibratos, &c.*] *Calamistro crispatos.* Fuit autem *calamistrum* acus ferrea, longior, aliquando fistulæ instar cava: quæ calefacta sub cinere, et capillis adhibita, eos intorquebat: à similitudine cum *calamo* seu arundine, nomen habuit. Hujus artis ministri, *ciniflones* et *cinerarii* vocabantur, quòd ad calefaciendum calamistrum flarent in cineres.

*Myrrhâque madentes.*] *Myrrhâ*, arbuscula est, in Arabiâ præsertim nascens; altitudo ejus ad quinque cubita, nec sine spinâ, caudice duro et intorto, cortice levi, folio olivæ ferè simili. Succus inde sponte exsudat certis temporibus, tum incisione exprimitur, diciturque *stacte* vel *myrrha*, Plin. l. 12. 15. Condiendis cadaveribus et imbuendis capillis, aliisque ejusmodi deliciis adhibebatur.

101. *Furiis.*] Furiosis motibus, quasi quibusdam furiis, Æn. 6. 572.

Tum socios mœstique metum solatur Iüli.
Fata docens: regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cùm primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen, magnæ sub mœnibus urbis,
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant:
In medioque focos, et Diis communibus aras
Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant,
Velati lino, et verbenâ tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis: hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis:
Haud secùs instructi ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori:
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas:
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes, turres, et tecta domorum

*Tum consolatur socios et timorem Iüli, soliciti, aperiens* ipsis *fata: jubetque viros reportare Latino certum responsum, et proponere conditiones pacis. Vix sequens dies nata illustrabat luce supremos montes, quando equi Solis erigunt se primùm è profundo mari, et emittunt lucem naribus patulis. Viri Rutuli et Trojani dimetientes parabant campum ad pugnam, juxta muros magnæ urbis: et in medio* campo *focos et aras è cespite Diis communibus: alii portabant aquam et ignem, operti lino, et cincti verbenâ* circa *capita. Exercitus Italorum prodit, et agmina hastata effundunt se plenis portis: hinc totus exercitus Trojanus et Tyrrhenus exit* sub *armis variis: non aliter armati ferro, quàm si durum certamen Martis appellet* eos. *Ipsi etiam duces splendido auro et purpurâ currunt inter media millia: et Mnestheus proles Assaraci, et generosus Asylas; et Messapus agitator equorum, soboles Neptuni. Et postquam unusquisque recessit in suum locum signo indicto, figunt hastas humi, et deponunt clypeos. Tunc cupiditate* videndi *egressæ matres, et plebs sine armis, et senes infirmi, impleverunt turres et tecta domorum:*

## NOTÆ.

115. *Solis equi.*] Quatuor, de quibus Æn. 5. 105. *Gurgite*, pro mari, Æn. 1. 118.

118. *Focos———aras Gramineas.*] Aras è cespite, seu terrâ cum herbis evulsâ, in quibus ignis imponeretur *fovereturque:* atque ita *aræ* sunt ipsi *foci.*

*Diis communibus.*] *Communes Dii* multis modis sumuntur. I. Qui certam cœli zonam regionemque non habeant, qualis Cybele mater Deorum; cùm certam habent Jupiter, Juno, Mercurius, Venus, &c. II. Qui apud omnes homines coluntur, ut Sol, Luna, Mars, &c. III. Hìc ad rem meliùs, qui ab Rutulis ac Trojanis ad pacem communiter et pariter invocandi erant. Ita ferè Servius.

119. *Fontemque ignemque.*] Servius, *Ad facienda fœdera, aqua et ignis adhibentur: unde contrà, quos arcere volumus à nostro consortio, eis aquâ et igni interdicimus*, id est, *rebus quibus consortia copulantur.* Erat autem necessaria sacrificiis aqua, vel ad lustrandos adstantes, vel ad purgandum corpus ante sacrificium, vel ad alios victimarum usus. *Fontem* posuit pro aquâ.

120. *Velati lino, &c.*] Id quasi certum statuitur à Servio, *feciales*, qui sanciendis fœderibus ministri adhibebantur, nunquam lineam tulisse vestem. Unde triplex opinio de hâc Virgilii voce. I. Servius ait, fœdus illud irritum fore: Virgilium enim quoties rebus exitum daturus non est, toties iis infirma et inauspicata dare principia. Sic Æneas in Thraciâ condens urbem, taurum Jovi contra ritum sacrificat, Æn. 3. 21. II. Passeratius et Scaliger explicant *linum*, non de veste, sed de filo sive licio, quo flamines et alii caput per æstatem cingebant, et, ut Varronis ac Livii verbis utar, *velabant:* unde *flamines*, quasi *filamines*, vocabantur, Æn. 8. 664. III. Niger et Hyginus apud Servium legunt: *velati limo:* et explicant *limam* vestem ab umbilico ad pedes, cujus in extremâ orâ erat purpura *lima*, id est flexuosa. Sed vestis illa poparum erat, sive infimorum sacrificii ministrorum. Quare adhæreo secundæ opinioni.

*Verbena.*] Propriè certa est herbæ species, *de la verveine*, MULLEIN: communiter tamen sumebatur pro quâlibet herbâ vel fronde, laureâ, myrteâ, &c. è sacro loco evulsâ, Ecl. 8. 65.

121. *Legio Ausonidum, pilata, &c.*] *Legio*, pars exercitûs certo numero definita: hìc pro toto exercitu, Geor. 2. 279. *Pilata*, armata pilis, hastilibus, Æn. 7. 664.

123. *Tyrrhenis.*] Sub Tarchonte, socio Æneæ, Æn. 8. 479. Æn. 2. 781.

127. *Genus Assaraci. Mnestheus, &c.*] Igitur sanguine junctus Æneæ, qui ab Assaraco genus ducebat, Æn. 1. 284. De *Asylâ*, Æn. 11. 620. De *Messapo*, Æn. 7. 691.

Obsedêre: alii portis sublimibus astant.
At Juno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum spectabat, et ambas
Laurentûm Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplò Turni sic est effata sororem
Diva Deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet: (hunc illi rex ætheris altus honorem
Jupiter ereptâ pro virginitate sacravit)
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cœlique libens in parte locârim.
Disce tuum, (ne me incuses) Juturna, dolorem.
Quà visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano, si quid præsentius audes,
Perge, decet: forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cùm lacrymas oculis Juturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno,
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis.
Intereà reges, ingenti mole Latinus

*alii stant in altis portis. At Juno aspiciens ex alto colle, qui nunc vocatur Albanus (tunc nec nomen, nec honor aut fama erat* huic *colli) videbat campum, et geminum exercitum Laurentinorum, et Trojanorum, et urbem Latini. Statim Dea sic allocuta est Deam sororem Turni quæ præest stagnis et fluviis strepentibus: (Jupiter rex summus cœli addixit illi hunc honorem ob virginitatem* ei *ablatam:) Nympha, ornamentum amnium, dilectissima meo animo: nôsti quomodo prætulerim te solam omnibus Latinis, quæcunque ascenderunt ingratum lectum summi Jovis: et* quomodo *sponte constituerim te participem cœli. O Juturna, ne accuses me, accipe* causam *luctûs tui. Quatenus fortuna visa est* id *tolerare, et Parcæ permittebant res Latii procedere, defendi Turnum et urbem tuam. Nunc cognosco juvenem certare fatis inæqualibus: et dies appropinquat Parcarum et potestas adversa. Non possum videre oculis hoc certamen, et fœdera. Tu, si audes aliquid utilius pro fratre tuo, perfice* illud, *decet: fortassè meliora succedent miseris. Vix ea* dicta fuerant, *cum Juturna fudit oculis lacrymas, et verberavit manu pectus decorum ter ac quater. Juno filia Saturni inquit: Non est hoc tempus ad lacrymas: propera, et subtrahe fratrem morti, si est aliqua ratio: vel tu excita bellum, et dissipa fœdus inceptum: ego* sum tibi *auctor ut* id *audeas. Sic exhortata reliquit* eam *dubiam et turbatam tristi solicitudine animi. Interim reges* vehuntur: *Latinus magno*

NOTÆ.

134. *Albanus, &c.*] De hoc monte, Æn. 8. 48. et 9. 387.

139. *Diva Deam.*] Dicunt Grammatici, *Deos* fuisse æternos; *Divos,* ex hominibus assumptos. Tamen Virgilius nomen utrumque confundit. Æn. 1. 482. Pallas vocatur *Diva.*

*Stagnis quæ, &c.*] *Juturna,* soror Turni, *Naïs* ab Ovidio vocatur, Fast. 2. 585. id est, Nympha aquatilis. Hunc ei honorem à Jove in præmium ereptæ pudicitiæ concessum ait Virgilius; Ovidius etiam ante amores Jovis ei attribuit. Fons ejus et lacus ex Albani montis radicibus in Tyberim influit, celebri apud veteres aquarum salubritate; vocant hodie nonnulli *Lago di Turni,* alii *di Volturna:* cùm esset priùs *Lago di Juturna,* inquit Cluverius.

144. *Jovis ingratum cubile.*] Commutatio, pro *cubile Jovis ingrati,* et in servando conjugio parùm fidi. *Locârim:* Locari à Jove passa sim.

147. *Parcæ.*] Tres, quæ pro fatis hìc usurpantur, Ecl. 4. 47.

152. *Si quid præsentius audes, &c.*] Non quòd Nympham se Deûm regina potentiorem putet; sed quòd faciliorem fore apud Jovem putet sororis excusationem, si soror pro fratre morem injicere fatis audeat.

161. *Intereà regis, &c.*] Adumbrata hæc pompa fœderis ad Homeri exemplum, Il. 3. ubi Agamemnon et Priamus, de pugnâ singulari Paridis in Menelaum facto fœdere conveniunt. Hìc sententia longiori parenthesi suspensa est, per novem nempe versus: *intereà reges—procedunt castris.* Potest tamen et absque parenthesi intelligi, si dicatur poëta à plurali numero ad singula-

*apparatu, curru à quatuor equis* tracto, *cui duodecim radii aurati circumeunt caput rutilum, ornamentum Solis avi. Turnus vehitur binis equis candidis, librans manu duo jacula latâ cuspide. Inde pater Æneas, caput gentis Romanæ, resplendens clypeo cœlesti et armis divinis, et Ascanius adstat comes, secunda spes magnæ Romæ. Exeunt è castris: et sacerdos in veste candidâ adducit fœtum porcæ setosæ et ovem intonsam, et statuit victimas ad aras accensas. Illi conversi oculis ad Solem orientem, spargunt manibus frumentum salsum, et signant gladio summa capita victimarum, et effundunt pateras in aras. Tum pius Æneas nudato gladio sic orat: Esto nunc testis mihi oranti, ô Sol, et hæc terra pro quâ potui tolerare tot labores, et tu, ô Pater omnipotens, et tu, ô Juno Saturni filia, jam ô Diva, jam* mihi *mitior,* ut *oro: et tu, ô gloriose Mars, qui pater tenes omnia bella sub tuâ potestate: et fontes et fluvios invoco, et quæcunque est divinitas in alto aëre, et quicunque sunt Dii sub mari cæruleo.*

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo et cœlestibus armis,
Et juxtà Ascanius, magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris: purâque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina Solem,
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
  Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis, et hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam, Diva, precor: tuque, inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:
Fontesque fluviosque voco, quæque ætheris alti
Religio, et quæ cœruleo sunt numina ponto.

## NOTÆ.

rem statim deflexisse; pro *intereà reges vehuntur: Latinus quidem curru quadrijugo, &c.*

164. *Solis avi, &c.*] Dixit Virgilius, Æn. 7. 47. Latini patrem fuisse *Faunum;* matrem, *Maricam* Nympham: avum, *Picum.* Quomodo ergo *Sol* esse potuit *avus* Latini? I. Hesiodus Latinum facit filium *Circes* et Ulyssis, in Theog. v. 1013. Circe autem filia fuit Solis, Æn. 3. 386. et 7. 10. At huic apertè adversatur Virgilius in Latini stemmate, Æn. 7. 47. II. Arnobius ait *Maricam* illam Nympham Latini matrem, ipsam esse Italo nomine *Circen.* At eo ipso libri septimi initio Virgilius apertè Circen à Maricâ distinguit, cùm vocat Maricam, *Laurentem* nympham; Circen autem *Ææam,* id est, Colchicam, Æn. 3. 386. III. Ego existimo *Circen,* conjugis loco habitam à *Pico:* eamque ex eo *Faunum* suscepisse: ipsumque deinde Picum in avem mutâsse, quòd ad amorem legitimæ conjugis *Canentis* se referret. Et verò Circe vocatur Pici *conjux,* Æn. 7. 189. quod tamen videtur ab Ovidii narratione paulùm discedere, quam ibidem attulimus.

165. *Bina hastilia.*] *Pila,* qualia duo simul ferre deinde soliti sunt milites Romani, Æn. 7. 664. *Crispans:* quatiendo, quasi sinuans et flectens.

167. *Sidereo clypeo.*] Vel instar siderum fulgente, vel quem in cœlo Venus à Vulcano petierat: vel quem Deus ipse Vulcanus in Hierâ insulâ fabricaverat, Æn. 8. 370.

168. *Spes altera Romæ.*] Æneas enim prima, Ascanius secunda. Quod aiunt, Ciceronem quoddam è Virgilii carminibus audientem, has in voces erupisse, falsum ostendimus in argumento Ecl. 6.

169. *Purâ in veste.*] Donatus, *colore albo, nec purpuræ variatâ picturis.* Festus: *non fulguritâ; non funestâ,* id est, quæ funeri adhibita non fuisset. Alii communiter *carente maculis.*

170. *Setigeræ suis, &c.*] *Ovis* pro Æneâ adhibetur, Græco ferè more. Nam Græci apud Homerum, Iliad. 3. 103. agnos ad fœdus statuunt. *Porcos,* pro Latino, more Romano aut Italo, de quo more Æn. 8. 641. De *ovibus bidentibus,* Æn. 4. 57. De *conversione ad orientem* in auspiciis et sacris rebus, Ecl. 9. 15.

173. *Fruges salsas, &c.*] I. *Molam,* ex purissimo frumento, *salso,* tosto, ac molito, victimarum capiti imponunt, quæ propriè est *immolatio,* Æn. 2. 133. II. Pilos è capite victimarum secant, Æn. 6. 243. in Notis. III. Vina invergunt in frontem victimarum, et in ipsa altaria: quæ *libatio* erat, ibid. et Æn. 1. 736. Atque illi primi erant sacrificii apparatus.

176. *Esto nunc Sol testis, &c.*] *Sol, Terra, Jupiter, Juno, Mars, &c.* Communes illi sunt utriusque gentis Dii, de quibus, v. 118.

Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad urbem:
Cedet Iülus agris: nec pòst arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
(Ut potiùs reor, et potiùs Dii numine firment)
Non ego, nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto,
Imperium solemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deûm infernam, et diri sacraria Ditis:
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit:
Tango aras, mediosque ignes, et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quò res cunque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet: non si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens: cœlumve in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)

*Si fortè victoria iverit ad Turnum Italum: æquum est* nos *victos abire in urbem Evandri: Iülus abibit* ex his *campis; nec Æneadæ rebelles inferent deinceps* vobis *bellum ullum, aut provocabunt armis hæc regna. Si verò victoria concesserit nobis Martem propitium, ut potiùs spero, et potiùs Dii confirment spem* meam *auctoritate suâ: ego neque cogam Italos obtemperare Trojanis, neque arrogo mihi imperium: ambæ nationes indomitæ jungent se legibus æqualibus in fœdus perpetuum.* Ego *distribuam religiones et Deos: socer Latinus curet bella, socer supremum imperium; Trojani extruent mihi urbem, et Lavinia imponet nomen urbi. Æneas sic* dixit *primus: Latinus deinde sic sequitur aspiciens in cœlum, et erigit dextram ad astra: O Ænea, juro hæc eadem sidera, mare, terram, et geminam prolem Latonæ, et Janum bifrontem, et potestatem infernam Deorum, et penetralia sævi Plutonis. Audiat hæc Pater* ille, *qui firmat fulmine fœdera. Tango aras, et ignes in medio* earum, *et attestor Deos: nulla dies auferet Italis hanc pacem, neque* hæc *fœdera, quomodocunque res succedant: nec ulla potentia abducet me* ab iis *volentem: non, etiamsi* illa potentia *dissolvat terram in aquas, confundens* eam *diluvio; aut dejiciat cœlum in inferos. Quemadmodum hoc sceptrum (nam fortè tenebat* manu *dextrâ sceptrum)*

## NOTÆ.

183. *Ausonio Turno.*] Italo, Æn. 7. 54.

184. *Evandri ad urbem.*] Pallanteum, Æn. 8. 51.

185. *Cedet Iülus.*] Ut ostendat, se non tam sibi quàm posteris suis et genti, sedem quærere.

187. *Nostrum Martem.*] Faventem. Infrà, v. 540. *Nec Dii texêre Cupentum Æneâ veniente sui.*

198. *Latonæque genus duplex.*] *Apollinem*, Solem; et *Dianam*, Lunam; Latonâ ex Jove editos, in insulâ Delo, Ecl. 5. 67. Æn. 3. 74. 77.

*Janumque bifrontem.*] Italorum regem ac numen, fœderibus adhiberi solitum, Æn. 6. 607. 610.

199. *Vim Deûm infernam.*] Pro *Diis ipsis infernis*, ut Iliad. 3. 105. Πριάμοιο βίην, *Priami vim*, pro *ipso Priamo*. Et Æn. 4. 132. *Odora canum vis*, pro *ipsis canibus*.

*Sacraria Ditis.*] *Dis*, Pluto est, Geor. 4. 467. *Sacrarium*, sanctuarium, locus templi intimus, ubi præcipua numinis religio: hìc regia est Plutonis, de quâ Æn. 6. 630. Quidam hanc infernam regiam, *sacram* dici putant, quasi *execrabilem*: ut Æn. 3. 57. *Auri sacra fames.*

200. *Fœdera fulmine sancit.*] Quia per coruscationes fulminum fœdera confirmantur: ita Servius. Vel quia Jupiter ultor est violati fœderis, perculsis, fulmine fœdifragis: ita Turnebus. Unde fecialis porcam feriens in solemni fœderum formulâ sic precabatur Jovem: *Illis legibus populus non deficiet. Si prior defecerit, publico consilio, dolo malo: tu illo die, Jupiter, populum sic ferito; ut ego hunc porcum hodie feriam: tantòque magis ferito; quantò magis potes pollesque.* Ita Livius, l. 2.

201. *Tango aras.*] Mos jurantium, supplicantium, sacrificantium, ut aras et simulacra et res sacras manu contingant: qui mos ad nos etiam transiit, ut jurantes sacris libris manum imponamus, Æn. 4. 219.

204. *Tellurem effundat in undas.*] Servius hypallagen sive commutationem hìc agnoscit, pro *undas effundat in tellurem.* Ego minimè, sed cùm ferè undecunque mare terram ambiat, interpretor de terræ compage in undas dissolvendâ. De *Tartaro*, profundissimo inferorum loco, Æn. 6. 134.

206. *Ut sceptrum hoc, &c.*] Apta est è superioribus sententia; *nec me vis ulla volentem aver-*

Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cùm semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum: tum ritè sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
  At verò Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu:
Tum magis, ut propiùs cernunt, non viribus æquis.
Adjuvat incessu tacito progressus, et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti,
(Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis)
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numeróne, an viribus æqui
Non sumus? En omnes et Troës et Arcades hìc sunt,
Fatalisque manus; infensa Etruria Turno:
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet famâ, vivusque per ora feretur:

*nunquam emittet ramulos nec umbracula levibus foliis: ex quo primùm in sylvis abscissum ex infimo trunco separatur à matre, et ferro amisit frondes et ramulos: quondam arbor, nunc manus fabri cinxit* illam *ære pulchro, et dedit portandum regibus Latinis. Talibus verbis confirmabant fœdera inter se, in medio conspectu principum: tum* juxta *morem sacras victimas occidunt in ignem, et extrahunt viscera* ex iisdem adhuc *spirantibus et tegunt altaria lancibus plenis. At verò* cœpit *certamen illud jampridem videri Rutulis inæquale, et animi turbari vario motu: et tunc magis, cùm propiùs vident* duces *non* esse *pari robore. Auget* hanc opinionem *Turnus, progressus gradu tacito, et suppliciter dejectis oculis venerans aram, et malæ* ejus *liventes, et pallor in corpore juvenili. Juturna soror* ejus *statim atque videt hunc sermonem invalescere, et animos plebis mobiles dissentire, per medium exercitum, similis specie Camerti (cui origo erat illustris à majoribus, et splendida fama paternæ fortitudinis, et ipse* erat *fortissimus bello) immittit se per medium exercitum, non ignara rerum, et spargit varios rumores, et dicit talia: Non pudet* vos, *ô Rutuli, objicere vitam unius pro iis omnibus? nonne sumus pares numero et robore: ecce omnes et Trojani et Arcades adsunt hìc, et Etruria inimica Turno, exercitus* ille *à fatis immissus: si secundus* quisque nostrum *certet, vix unusquisque habebit hostem. Turnus quidem famâ ascendet ad Deos, quorum aris consecrat se, et immortalis curret per ora:*

## NOTÆ.

*tet——ut sceptrum hoc nunquam* fundet *virgulta, &c.* Petita est illa comparatio ex Homero totidem ferè verbis, Iliad. 1. 234. Et quanquam solemne fuit regum jusjurandum sceptri sublatio, ut monet Aristoteles Polit. 3. ab illâ tamen nimis curiosâ sceptri descriptione abstinere potuit debuitque Virgilius.

209. *Matre caret.*] Vel terrâ: nam, *non jam mater alit tellus*, Æn. 11. 71. Vel arbore: nam *parva sub ingenti matris se subjicit umbrâ*, Geor. 2. 19.

213. *Ritè sacratas.*] Immolatione, sectione pilorum, libatione; suprà, v. 178.

215. *Oneratis lancibus, &c.*] Vasis escariis in quibus structa et cumulata victimarum exta. *Lanx* nomen habet à *latitudine:* sicut *patina*, à *pateo.* Vossius tamen inter lancem et patinam id ferè discriminis statuit: quòd in *lance* carnes assæ, fructus, cibi simplices apponerentur; in patinâ cibi conditi, ut pisces, haberetque vulgò operculum.

231. *Troës et Arcades, &c.*] Gentes in Turnum fœderatæ. Trojani Æneæ: Arcades Evandri: Etrusci Tarchontis, Æn. 8. 518. 479.

232. *Fatalisque manus, &c.*] Vel quia Latinorum agros petebant quasi fatis sibi debitos: vel potiùs, cùm Virgilius id solis Etruscis attribuat, quia fato paratum sibi regem Æneam exspectaverant, Æn. 8. 494. Benè ait *infesta* Etruria Turno: erat enim aliqua pars Etruriæ Turno addicta, duce Messapo, Æn. 7. 691. 695.

233. *Vix hostem alterni.*] Si secundus quisque nostrûm, si media pars nostrûm congrediatur; vix singuli hostem habebimus: id est, duo et ampliùs unicuique objicimur.

Nos, patriâ amissâ, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Jam magis atque magis: serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini:
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant; nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum cœlo: quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ,
Litoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri: subitò cùm lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali: cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Factâ nube premunt: donec vi victus et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitùsque in nubila fugit.
Tum verò augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus, primusque Tolumnius augur:
Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod sæpe petivi;
Accipio, agnoscoque Deos. Me, me duce, ferrum
Corripite, ô Rutuli, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves; et litora vestra
Vi populat: petet ille fugam, penitùsque profundo
Vela dabit: vos unanimi densete catervas,
Et regem vobis pugnâ defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat: simul hoc; simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut fortè novem pulcherrima fratrum

*nos amissâ patriâ cogemur obedire dominis ferocibus, qui nunc otiosi constitimus* in *campis. Tum consilium juvenum confirmatum est magis ac magis talibus verbis: et rumor spargitur per turmas. Ipsi Laurentes et ipsi Latini mutati sunt: qui modò optabant sibi requiem et securitatem rebus* suis; *nunc spectant arma, et cupiunt fœdus non factum, et miserescunt duræ conditionis Turni. Juturna addit his* rebus *aliud majus, et præbet ex alto cœlo ostentum, quo nullum opportunius turbavit animos Italos, et decepit prodigio. Scilicet avis fulva Jovis, volans in aëre rubicundo, persequebatur aves marinas et multitudinem strepitantem alatæ turbæ: cùm repentè ruens ad aquas, avida comprehendit pedibus aduncis cycnum eximium. Itali sustulerunt animos: et aves omnes* (res *mirabilis aspectu*) *cum sonitu convertuntur è fugâ, et inumbrant alis aërem, et* velut *nube coactâ urgent hostem per aërem: donec cessit avis, victa* earum *vi et ipso pondere* cycni, *et dimisit prædam ex unguibus in flumen, et longè aufugit inter nubes. Tunc autem Rutuli venerantur ostentum illud clamore, et explicant manus, et augur Tolumnius primus ait: Hoc erat, hoc, quod sæpe petivi votis: admitto* omen, *agnosco Deos. Me, me auctore, sumite ferrum, ô Rutuli, quos iniquus advena terret bello, sicut imbecillas volucres, et per vim vastat litora vestra; ille arripiet fugam, et longè permittet vela mari: vos concordes colligite agmina, et prœlio defendite regem vobis ereptum.* Sic *dixit, et irrumpens vibravit hastam in hostes oppositos: hasta cornea stridens emisit sonum, et certa dividit aërem: simul hoc fit, simul clamor magnus* oritur, *et omnes ordines perturbati* sunt, *et animi accensi tumultu. Cùm fortè novem formosa corpora fratrum*

## NOTÆ.

246. *Monstro.*] Ostento: quod monstratur et ostenditur signa futurorum petentibus.

247. *Rubrâ Jovis ales in æthrâ.*] *Æthra, æthræ:* nomen primæ declinationis, *αἴθρα*: idem est atque æther. *Æther* autem juxta Anaxagoram et Ciceronem, est illa veterum sphæra ignis aërem ambiens, ab *αἴθειν, ardere:* ideo *rubra* à Virgilio dicta: juxta alios, est cœli totius et siderum compago, ab *ἀεὶ θεῖν, semper currere.* Hic pro *aëre* universim sumitur. De *Jovis alite,* aquilâ, Æn. 5. 255.

257. *Augurium, &c.*] Propriè, erat enim signum petitum ex *avibus,* Æn. 2. 703. Et ità quidem Rutuli Æneam in aquilâ, Turnum in cycno, seipsos in avibus agnoscebant: sed falsum erat augurium, non à Deo fatorum administro, sed à Juturnâ immissum, ad disturbandum fœdus et mortem Turni retardandam.

264. *Densete.*] Veteri more, pro *densate,* Æn. 10. 432.

267. *Cornus.*] Hasta ex arbore *corno, cornouiller,* THE CORNEIL-TREE, G. 2. 34.

269. *Cunei.*] Ordines peditum, sic dicti ab agminum figurâ: infrà, v. 575.

Corpora constiterant contrà, quos fida creârat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo;
Horum unum ad medium, teritur quà sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium formâ juvenem et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvâque extendit arenâ.
At fratres, animosa phalanx accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt: quos agmina contra
Procurrunt Laurentûm: hinc densi rursùs inundant
Troës, Agyllinique, et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens infecto fœdere Divos.
Infrænant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis à tergo involvitur aris
In caput, inque humeros: at fervidus advolat hastâ
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Chorinæus ab arâ
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti

*starent adversùm, quos fidelis uxor Tyrrhena una ediderat Gylippo Arcadi: hasta volans transfodit unum illorum circa medium* corpus, per *costas, quà balteus consutus atteritur ventre, et* quà *fibula stringit juncturas laterum, et sternit* in *flavam arenam juvenem* illum *insignem pulchritudine. Sed fratres* ejus, *turba generosa et concitata dolore, partim educunt enses manibus, partim apprehendunt* tela *missilia ferrea, et irrumpunt* veluti *cæci: adversùs quos irruunt agmina Laurentinorum: deinde iterum effunduntur conferti Trojani et Etrusci, et Arcades pictis armis. Sic idem amor dimicandi ferro occupat omnes. Spoliaverunt altaria: nubes confusa jaculorum spargitur toto aëre, et pluvia ferrea imminet: jaciunt pocula et ignes. Ipse* rex *Latinus fugit, reportans Deos disjectos fœdere non perfecto. Alii alligant* equos *curribus, vel saltu imponunt corpora equis, et instant nudis ensibus. Messapus cupidus turbare fœdus proturbat equo objecto Aulesten, regem Etruscum, et ferentem ornamenta regis: ille recedens cadit, et infelix à tergo immiscetur aris aversis, per caput et humeros: at Messapus ardens accurrit* cum *hastâ, et sublimis* ex *equo ferit* eum *graviter hastâ trabali multum deprecantem, et sic loquitur: Habet hoc* vulnus: *hæc hostia convenientior oblata* est *magnis Diis. Itali accurrunt, et nudant membra calida. Chorinæus arripit ex arâ torrem semiustum, et occurrens intercipit flammis vultum Ebusi irruentis*

## NOTÆ.

274. *Balteus, et laterum juncturas, &c.*] *Fibula*, claviculus extrema baltei connectens. *Latera* baltei intelligit, non corporis.

277. *Phalanx.*] Vox Macedonica, peditum agmen, Æn. 6. 489.

281. *Agyllini.*] Etrusci, Æneæ socii, ex urbe *Agyllinâ* sive *Cærite*, nunc *Cerveteri*, Æn. 7. 652. Æn. 8. 479.

285. *Crateras, &c.*] Pocula, quibus vina fundebant, cruoremque victimarum. Græca vox κρατὴρ Ecl. 5. 68. *Focos.* partes ararum gramineарum, ubi accensus ignis fuerat, suprà, v. 118.

287. *Infrænant currus.*] Equos frænatos currui alligant.

288. *Subjiciunt in equos.*] Superjiciunt: de vi præpositionis illius, Ecl. 1. 46. Ecl. 10. 74.

290. *Regem—Tyrrhenum Aulesten.*] Unum è regibus Tyrrhenis, sive Lucumonibus: de quibus Æn. 10. 164. 166. Tales fuere *Mezentius*, *Messapus*, ex Turni partibus. *Massicus*, *Osinius* ex partibus Æneæ, ib.

294. *Telo trabali.*] Magno, instar *trabis*. Unde apud Statium *hasta trabalis*; apud Claudianum, *trabale sceptrum*; apud Horatium, *clavi trabales*.

296. *Hoc habet.*] Vel habet simpliciter: explicatur à Servio, *percussus est letali vulnere, habet vulnus lætale*: à Donato, *benè se res habet*: à Scaligero, *sic, sic agendum est*. Servio assentior: quia vox est è gladiatoriis ludis repetita, ubi victor vulnerato à se adversario sic insultabat. Terentius in Andr. *Certè captus est, habet.* Seneca in Agamem. et Hercule Œteo, *Habet, peractum est.*

*Hæc melior victima.*] Quàm ovis et porcellus, qui fœderum Diis oblati sunt, v. 170.

298. *Chorinæus.*] Sacerdos Trojanus, qui e officio propiùs aræ astabat, Æn. 6. 228. *Ambustum*, circumustum, Æn. 3. 257.

Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit: supèr ipse secutus
Cæsariem lævâ turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primâque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reductâ
Disjicit, et sparso latè rigat arma cerebro.
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quò ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras: ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges: mihi jus concurrere soli:
Me sinite, atque auferte metus: ego fœdera fâxo
Firma manu: Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum quâ pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, Deusne,
Attulerit: pressa est insignis gloria facti,
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus ut Æneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces; subitâ spe fervidus ardet:
Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos: illi æquore aperto

*et inferentis vulnus: magna barba refulsit illi, et ustulata emisit nidorem: ipse* Chorinæus *incurrens desuper apprehendit* manu *sinistrâ comam turbati hostis, et obluctans imposito genu sternit eum humi: sic fodit latus duro gladio. Podalirius sequens ense stricto Alsum pastorem, et* in *primo agmine fugientem inter arma, instat* illi: *ille reductâ securi secat frontem mediam et mentum oppositi* hostis, *et latè tingit arma diffuso cerebro. Acerba quies et ferreus somnus premit illi oculos, oculi clauduntur in perpetuam noctem. Sed pius Æneas capite aperto proferebat dextram exarmatam, et inclamans vocabat suos: Quò curritis! aut quænam hæc dissentio repentina oritur? O reprimite furorem: fœdus jam percussum est, et omnes conditiones constitutæ: mihi soli fas est pugnare: permittite me* pugnare, *et pellite timores: ego faciam manu* ut *fœdera constantia* sint: *hæc sacrificia jam addicunt mihi Turnum. Inter has voces, inter hæc talia verba, ecce sagitta stridens appulsa est pennis* ad *Æneam: ignotum* est, *quâ manu missa* sit, *quo impetu pulsa: quis præbuerit Rutulis tantam gloriam, an sors, an Deus: fama illustris* hujus *facti suppressa est, nec ullus gloriatus est vulnere Æneæ. Turnus cùm vidit Æneam recedentem ab exercitu, et duces* ejus *turbatos; fervidus accenditur spe improvisâ: simul petit equos et arma, et confidens saltu erumpit in currum, et corripit habenas manibus. Currens dat morti plurima robusta corpora hominum: disjicit plurimos semimortuos, aut sternit curru agmina, aut immittit fugientibus hastas abstractas* iisdem. *Qualis Mars* gaudens *sanguine, quando juxta fluenta frigidi Hebri efferatus sonat clypeo, et suscitans bella impellit equos furentes: illi patente campo*

## NOTÆ.

312. *Nudato capite, &c.*] Tam, ut hâc piâ confidentiâ ferociam Latinorum emolliret; quàm ut agnosceretur à suis, iisque voluntatem suam apertiùs significaret. Sic Julius Cæsar in acie Pharsalicâ nudâ manu et capite suis inclamabat: *Parcite civibus:* apud Plutarchum et Appianum.

314. *Ictum jam fœdus.*] Cæsis jam victimis, v. 214. sacerdotum ferro; non ictu lapidis, qui deinde mos Romanorum fuit, Æn. 8. 641.

316. *Fâxo.*] *Fecero*, Æn. 11. 467.

317. *Turnum debent hæc mihi sacra.*] Ex quo verba fœderis concepimus ego et Latinus: ex eo Turnus mihi uni addictus est: unus ego cum eo congredi possum; abstinete ab eo, et mihi permittite.

331. *Hebri, &c.*] Fluvii Thraciæ, hodie *Marisa*, Ecl. 10. 65. *Mavors*, Mars in Thraciâ natus, Ecl. 9. 12. *Equi Martis* duo juxta aliquos, sed malè, Pavor et Timor, Geor. 3. 91. *Notus*, Auster, ventus meridionalis, Ecl. 2. 58. *Zephyrus*, ventus occidentalis, Ecl. 5. 5. *Thraca*, pro *Thracia*, quæ Græcè est Θράκη et Θρῄκη, Æn. 3. 14. *Increpat equos clypeo:* id est, collisis hastâ et clypeo. Vel *increpat*, verborum neutrorum more, absque casu, id est, *sonat*.

Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum: circúmque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtâque cruor calcatur arenâ.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque:
Hunc congressus, et hunc; illum eminùs: eminùs ambos
Imbrasidas, Glaucum atque Ladem: quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lyciâ, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte aliâ, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto:
Antè levi jaculo longum per inane secutus,
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit: et pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tinxit jugulo, atque hæc insuper addit:
En, agros, et quam bello, Trojane, petîsti,
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, conjectâ cuspide, mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque Thersilochumque,

*currunt ante Austros et Zephyrum: ultima Thracia sonat pulsu pedum* equinorum: *et comites* illius *Dei, facies nigri Timoris, et Iræ, et Insidiæ, circùm rapiuntur. Talis Turnus gaudens impellit in medias pugnas equos fumantes sudore, insultans miserandè hostibus interfectis: rapidæ ungulæ spargunt guttas sanguineas, et sanguis mixtus pulvere calcatur. Et jam dedit morti Sthenelum, et Thamyrim, et Pholum; Thamyrim* quidem *et Pholum aggressus cominùs; Sthenelum* verò *eminùs; eminùs duos filios Imbrasi, Glaucum et Ladem: quos ipse Imbrasus educaverat* in *Lyciâ, et instruxerat pariter* artibus *militaribus, sive conserere manum, sive præcurrere ventos equo. Aliâ parte Eumedes rapitur in media certamina, soboles veteris Dolonis, egregia in bello, repræsentans nomine avum, manu et fortitudine patrem: qui* pater, *ut olim iret explorator in castra Græcorum, ausus* erat *petere sibi equos Achillis* in *mercedem.* Sed *Diomedes donavit illum aliâ mercede pro talibus cœptis, nec* ampliùs ille *optat equos Achillis. Cùm Turnus vidit illum procul patente campo: priùs persecutus* ipsum *levi sagittâ per longum aërem, continuit equos* suos *binos, et exscendit è curru, atque incurrit lapso et semimortuo: et pede imposito* in *collum* ejus, *eripit ensem* ex ejus *dexterâ, et immersit splendentem profundo jugulo, et adjicit hæc super: Ecce, ô vir Trojane, metire prostratus campos, et Italiam quam appetiisti bello: qui ausi sunt me lacessere ferro, reportant hæc præmia: sic struunt urbes. Mittit huic socium Buten, impacto jaculo, et Chlorea, et Sybarim, et Dareta, et Thersilochum,*

## NOTÆ.

344. *Lyciâ.*] Asiæ minoris regio meridionalis est, de quâ, Æn. 4. 143.

347. *Proles bello præclara Dolonis.*] Ironicè: fuit enim Dolon bello ignavus, et hic Eumedes, ejus filius, satis ignominiosè occiditur. Ita Cerdanus: cujus opinionem firmant sequentia verba, quæ omninò ironiam sapiunt: *illum Tydides alio pro talibus ausis affecit pretio;* id est *morte,* Iliad. 10. 299. Hector mercedem proponit ei, qui speculator ire voluerit ad Græcorum naves. Dolon Eumedis filius, vir dives, petit sibi promitti mercedis loco currum et equos Achillis: promisso confirmatus, ad Græcos abit. Incidit in Ulyssem ac Diomedem: quibus metu mortis fatetur se speculatorem esse; Rhesum Thraciæ regem venisse Trojanorum auxilio, ejus copias incustoditas et somno sepultas jacere in litore, sibi currum et equos Achillis ab Hectore promissos, se præmii magnitudine adductum hoc munus suscepisse. Occiditur à Diomede: qui cum Ulysse clam ad Thracum castra subrepens, Rhesum interficit, et ejus equos Trojæ fatales abripit. De *Rheso* et *ejus equis,* Æn. 1. 469. De *Peleo,* Achillis patre, Æn. 2. 263. De *Tydeo,* Diomedis patre, Æn. 11. 243.

352. *Nec equis aspirat Achillis.*] Pergit poëta illudere Doloni: qui captus à Diomede, non ampliùs ad equos Achillis, sed ad vitam servandam aspirabat.

360. *Hesperiam, &c.*] Italiam, Æn. 1. 530.

Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,
Quâ venti incubuere, fugam dant nubila cœlo;
Sic Turno, quâcunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem:
Objecit sese ad currum, et spumantia frænis
Ora citatorum dextrâ detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Quem rota præcipitem et procursu concitus axis
Impulit, effuditque solo: Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenâ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Intereà Æneam Mnestheus, et fidus Achates,
Ascaniusque comes, castris statuêre cruentum,
Alternos longâ nitentem cuspide gressus.
Sævit, et infractâ luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitùs, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo,
Augurium citharamque dabat, celeresque sagittas.

*et Thymœten lapsum è collo equi* frequenter *lapsantis. Et sicut quando flatus Thracii Boreæ sonat* per *profundum* mare *Ægæum, et fluctus abeunt ad litora;* tunc *nubes fugiunt* per *aërem, quâ* parte *flant venti: Sic turmæ cedunt Turno, quâcunque aperit* sibi *iter, et acies fugatæ rumpuntur: impetus provehit ipsum, et ventus adversus currui commovet cristam volantem. Phegeus non passus est* illum *imminentem* sibi *et furentem animo. Opposuit se ad currum, et* manu *dextrâ detorsit capita concitatorum equorum, spumantia* ob *frænum. Dum ipse rapitur et inhæret jugo, hunc lata* Turni *lancea consequitur detectum, et impacta penetrat loricam duplicem, et stringit vulnere superficiem corporis. Tamen ille oppositus ibat objecto clypeo contra hostem, et educto gladio vocabat auxilium:* cùm *rota et axis cursu concitatus impulit eum, et stravit humi: et Turnus insecutus* eum *inter infimam* oram *cassidis, et extremitates summæ loricæ, abscidit caput gladio, et reliquit truncum* in *pulvere. At verò dum Turnus edit strages* in *campis, interim Mnestheus, et fidelis Achates, et comes Ascanius, deposuerunt* in *castris Æneam sanguinolentum, firmantem longâ hastâ passus alternatim. Furit, et conatur abstrahere* cuspidem *teli fracto telo: et petit modum auxilii, qui celerrimus* sit: ut *secent plagam lato gladio, et intimè aperiant latebram teli, et remittant se ad pugnam. Et jam aderat Iapis filius Iasi, charus præ cæteris Apollini: cui ipse Apollo, percitus magno amore, offerebat olim lætus suas artes, sua munera, vaticinium, et veloces sagittas.*

## NOTÆ.

364. *Sternacis equi cervice.*] Equo in anteriora genua prolapso, Thymœtes per ejus collum devolutus est. Ita Servius.

365. *Edoni Boreæ.*] Thracii; è Thraciâ septentrionali, in Græciam et mare Ægeum flantis. *Edoni*, Ἠδωνοὶ, Stephano et Straboni, l. 10. gens est Thraciæ incerti sitûs: unde ibidem apud Strabonem, *Lycurgus* Thraciæ rex, *Edonus*, appellatur. Hinc dixit Statius, *Edonas hyemes.* De *Boreâ*, Ecl. 7. 51. De *Ægæo* mari, Græciam à minore Asiâ separante, Æn. 3. 74.

367. *Fugam dant nubila.*] Ventus enim septentrionalis fugat nubes; meridionalis colligit.

375. *Lancea.*] Hasta, vox non Latina, sed Hispanica est, ex Varrone apud Gellium: Gallica, ex Diodoro Siculo.

*Bilicem.*] Bino textu; vel licio, sive filo, Æn. 3. 467.

391. *Iapis.*] Legunt aliqui *Iapyx*, sed hic ventus est, de quo Æn. 8. 710. Quæ duo ut distinguantur, tum diversa habent recti casûs elementa, tum diversam obliquorum flexionem: flectit enim venti nomen Virgilius *Iapyx, Iapygis:* medici nomen Donatus apud Pierium, *Iapis, Iapicis:* Turnebus tamen, *Iapis, Iapidis;* ex Ausonio, Epigr. 19. 7. *Idmona quòd vatem, medicum quòd Iapida dicunt.*

393. *Suas artes.*] Apollinis artes fuerunt: I. *Vaticinia*, quorum variæ species habentur, Æn. 3. 359. et 10. 176. II. *Musica*, unde cum lyrâ pingitur et poëtarum Deus est, Ecl. 4. 55. III. *Peritia jaculandi*, unde ipsi tribuitur pharetra, et ab Homero sæpe dicitur ἑκατηβόλος, *longè jaculans*, Æn. 6. 657. IV. *Medicina*, quam artem Æsculapio filio tradidisse dicitur, Æn. 7. 773.

Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno juvenum et mœrentis Iüli
Concursu lacrymisque immobilis. Ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medicâ Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat; nequicquam spicula dextrâ
Solicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subvenit: et sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlum
Stare vident: subeunt equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis: it tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hìc Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Idâ,
Puberibus caulem foliis, et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,

*Ille, ut retardaret mortem desperati patris, maluit cognoscere vires herbarum et usummedicinæ, et exercere inglorius artem* illam *tacitam. Æneas stabat, acerbè fremens, innixus magnâ hastâ, magno juvenum et Ascanii dolentis concursu et fletibus immotus. Ille senex* Iapis, *cinctus replicatâ veste ex consuetudine medicorum frustrà deproperat plurimâ manu medicâ et validis herbis Phœbi; frustrà commovet manu telum, et apprehendit ferrum mordaci forcipe. Nulla fortuna juvat operam; Apollo auctor* medicinæ *nullatenus succurrit: tamen sævus horror magis ac magis augetur in campis, et malum vicinius est. Jam vident aërem* totum *constare pulvere: appropinquant equites* Turni, *et jacula crebra cadunt in mediis castris: surgit ad cœlum mœstus clamor juvenum pugnantium et morientium in pugnâ asperâ. Tum Venus mater, commota immerito dolore filii, legit ex Idâ Cretæâ dictamnum, caulem frondibus lanuginosis, et diffusum* in *flores purpureos: herba illa non ignota est capris sylvestribus, cùm leves sagittæ infixæ* sunt *tergo. Venus attulit hoc* dictamnum, *involuta nube obscurâ* circa *corpus:*

## NOTÆ.

395. *Depositi.*] *Desperati.* Deducta locutio è duplici more. Alterius meminit Servius, Isidorus, &c. ex Plutarcho, qui ait veteres solitos in publicum ægrotos proponere, quod *deponere* est: ut si quis prætereuntium, aut simili morbo fuisset ipse agitatus, aut quicquam remedii nôsset, id ægro significaret. Alterius jam mentionem fecimus, Æn. 9. 486. ubi diximus, solitos veteres ad januam domûs cadavera deponere, ut etiam nunc apud nos in usu est. Et generatim *positus*, est *jacens, mortuus;* ut diximus, Æn. 2. 644. ait enim Ovid. Heroid. 10. 124. *Nec positos artus unget amica manus*, id est, *jacentes;* neque enim ad januam domûs, sed in ipsâ domo ungebantur. Eodem quo nunc utitur verbo Virgilius, usus est et Ovidius de Ponto, l. 2. 2. 45. *Jam propè depositus, certè jam frigidus æger, &c.* Cic. 3. Verr. 5. *Ægram et propè depositam reipublicæ partem suscepisse.*

397. *Mutas artes.*] *Medicinam*, quam sic vocat: vel comparatione musicæ et vaticinii, quæ voce maximè constant. Vel quia parùm famosa tum erat, et à servis ferè exercebatur. Vel quia tunc, non voce et disceptatione ac præceptione tractabatur, sed manu atque opere: unde *chirurgiam* nostram referebat: ut patet ex hoc Iapide, qui chirurgum hìc præstat potiùs quàm medicum: et ex ipsis poëtæ verbis, qui ipsi tribuit, non tantùm *scire potestates herbarum*, sed ipsum etiam *usum medendi.*

401. *Pæonium.*] In morem Pæonis Deorum medici, Æn. 7. 769.

403. *Trepidat.*] Festinat, Æn. 9. 114. Geor. 4. 69. De *Phœbo* et *Apolline*, Ecl. 5. 62. 104.

407. *Pulvere cœlum Stare.*] Plenum esse, Æn. 6. 300. De *Marte*, Ecl. 9. 12.

412. *Dictamnum, &c.*] *Dictamnus*, vel *dictamnum*, herba in solâ Cretâ insulâ proveniens; *pulegio* formâ affinis, *du pouliot*, PENNYROYAL: frondibus tamen latioribus et lanuginosis: quare *puberes* hìc dicuntur. Valet ad expellenda è vulneribus tela; cujus rei capræ et cervi Cretenses indicium dicuntur fecisse. Nomen habet à *Dictæo* monte Cretensis insulæ, in quo, ut in *Idâ* ejusdem insulæ monte, reperitur. Damnant aliqui Virgilium, quòd caulem et flores dictamno tribuerit: quos ei Plinius et Dioscorides auferunt. At verò Matthiolus ostendit Plinium errasse, erroremque suum ex corruptâ Dioscoridis lectione hausisse: cùm ex Theophrasto antiquiore rerum illarum scriptore, et Galeno et experientiâ constet; flores, et caulem et semen in dictamno reperiri. Flores autem non singulares: sed singulis ferè foliis adnascentes; unde *flore comans* dicitur.

Detulit: hoc fuscum labris splendentibus amnem
Inficit, occultè medicans; spargitque salubris
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit eâ vulnus lymphâ longævus Iapis,
Ignorans: subitóque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis:
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapis
Conclamat: primusque animos accendit in hostes.
Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proveniunt; neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc: oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clypeus loricaque tergo est:
Ascanium fusis circùm complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cùm matura adoleverit ætas,
Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, et avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Anteusque Mnestheusque ruunt: omnisque relictis
Turba fluit castris: tum cæco pulvere campus

*imbuit hoc* dictamno *undam nigrantem in patinis fulgentibus, occultè temperans: et miscet salutaris ambrosiæ succos, et panaceam odoratam. Senex Iapis, ignarus* rei, *lavit plagam aquâ illâ: et scilicet omnis dolor repentè abiit è corpore, omnis sanguis constitit in imâ plagâ; et jam sagitta secuta manum exiit, nullo* per vim *trahente, et novum robur rediit ad consueta* officia. *Festinate celeres,* afferre *arma huic viro: cur moramini?* Sic *clamat Iapis, et primus inflammat animos contra hostes:* addens: *Ista non accidunt humanis viribus, neque industriâ medicorum; neque manus mea te sanat, ô Ænea: Deus potentior agit, et mittit te ad majores labores. Ille* Æneas *cupidus certaminis* jam *vestierat tibias* ocreis *aureis hinc et inde: et aversatur moras et quassat hastam. Postquam clypeus accomodus lateri et thorax tergo adfuit: amplectitur Ascanium brachiis circumjectis, et osculans per cassidem summa ejus ora,* sic *loquitur: O puer, sume ex me exemplum virtutis et digni laboris: fortunæ* autem *ex aliis. Mox dextera mea faciet te bello securum, et ducet* tuam securitatem *inter magna* sua *præmia. Tu mox, quando ætas provectior adoleverit, fac ut sis memor* meæ virtutis: *et pater Æneas, atque avunculus Hector excitet te revolventem animo exempla tuorum. Postquam protulit hæc verba, extulit se è portis, altus, commovens manu grandem hastam: simul erumpunt* cum *magno numero Anteus et Mnestheus: et omnis multitudo exit desertis castris: tum campus turbatur obscuro pulvere,*

NOTÆ.

417. *Labris.*] Vasis, in quibus lavabant: quasi *lavabris.* Vocat *fuscum amnem,* aquam variis infectam succis herbarum, quas Iapis priùs miscuerat, v. 402.

419. *Ambrosiæ, &c. Panaceam.*] *Ambrosia* herba est quidem rutæ affinis: sed hìc haud dubiè cibus ille potusve Deorum, de quo Ecl. 5. 71. *Panacea,* quæ Columellæ *panax,* Plinio *panaces,* herba est fœniculo, anetho, et ferulæ aliquatenus affinis: admodùm salutaris, et morborum omnium remedia nomine ipso promittens, ut ait Plinius, l. 25. 4. à πᾶν, *omne,* et ἄκος, *remedium.* Gallico nomine caret.

422. *Stetit.*] Fluere desiit.

430. *Suras.*] Pars tibiæ posterior, carnosa et ventricosa: pro totâ tibiâ sumitur, quam vestiit Æneas aureis ocreis.

431. *Hastamque coruscat.*] Activè, Æn. 5. 642.

434. *Delibans oscula.*] Ore contingens ora: hunc enim esse locutionis hujus sensum ostendimus, Æn. 1. 256. *Oscula libavit natæ. Delibans,* leviter tangens, Æn. 1. 736.

486. *Fortunam ex aliis.*] Licèt enim hoc Latino bello felix Æneas fuisset; tamen adversâ fortunâ jactatus eatenus fuerat.

437. *Magna inter præmia ducet.*] Vel, *ducet te ad magna præmia, laudis, regni, &c.* ut vult Servius: vel fortè, *ducet ac reputabit magni præmii loco, si post tot labores te defensum dare possit:* videtur enim Æneas Ascanii unius causâ tot labores suscipere, suprà, v. 185.

440. *Avunculus Hector.*] Creüsa enim, Ascanii mater, soror erat Hectoris, Priami filia, Æ. 2. 772.

Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
  Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Vidêre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium: miseris, heu! præscia longè
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis, ruet omnia latè:
Antevolant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhœteïus hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbræus Osirim:
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas. Cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor: versique vicissim
Pulverulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur: solum densâ in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
  Hoc concussa metu mentem Juturna virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longè lapsum temone relinquit:
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus, et arma Metisci
Nigra velut magnas domini cùm divitis ædes
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;

*et terra tremit commota pulsu pedum. Turnus ex opposito tumulo vidit accedentes: Latini viderunt, et frigidus tremor subrepsit in intima ossa. Juturna prima ante omnes Latinos audivit et agnovit sonitum, et fugit trepida. Ille* Æneas *volat et trahit* secum *densum agmen patente campo. Qualis, cùm turbo effusâ tempestate ruit ad terras per mare medium: heu! animi longè providi horrescunt miseris agricolis:* scilicet, *ille* turbo *inferet calamitatem arboribus et cladem segetibus, evertet latè cuncta. Venti prævolant, et portant sonitum ad litora. Talis dux Trojanus impellit aciem in oppositos hostes; omnes densi conglobant se pressis ordinibus. Thymbræus petit gladio gravem Osirim: Mnestheus jugulat Archetium, Achates Epulonem, et Gyas Ufentem. Occiditur ipse augur Tolumnius, qui primus immiserat hastam in hostes oppositos. Clamor ad cœlum mittitur: et Rutuli mutuò fugati, objiciunt* per *fugam terga pulverulenta in agris. Ipse* Æneas *neque dignatur dimittere morti dentes terga, nec insequitur pari gressu obstantes, nec jacientes* eminùs *spicula: quærit unum Turnum circumiens in opaco pulvere,* unum *hunc vocat ad pugnam. Juturna virgo, commota hoc timore* secundùm *animum, dejicit inter medias habenas Metiscum aurigam Turni, et relinquit procul lapsum è temone: ipsa succedit* in ejus locum *et regit manibus habenas fluctuantes,* præ se *ferens omnia Metisci, et vocem, et speciem, et arma. Veluti quando nigra hirundo volat per amplam domum opulenti domini, et alis circuit altas areas, colligens parva pabula et cibos nidis garrulis:*

## NOTÆ.

451. *Sidere.*] Tempestate, procellâ, quæ siderum ortu et occasu concitatur, Æn. 11. 260.

454. *Ruet omnia.*] Activè, Æn. 1. 35. *Spumas salis ære ruebant.*

456. *Ductor Rhœteïus.*] *Trojanus*, Æneas: à Rhœteo Troadis promontorio, Æn. 6. 500. in notis.

457. *Cuneis.*] *Ordinibus*, in figuram cunei, infrà, v. 575.

460. *Tolumnius augur, &c.*] Suprà, v. 257. *Augur*, quia ex avium consideratione futura prædicebat, Æn. 2. 703.

464. *Neque aversos, &c.*] Ita restituimus cum Pierio: ut tria pugnantium genera significentur; *aversorum* et jam terga dantium: *congredientium* cominùs et æquo pede: eminùs tela *inferentium.* Alii sic legunt, sed minùs sanè, *ipse neque adversos dignatur sternere morti: nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes.*

467. *Lustrans.*] Circumiens, Æn. 1. 608.

468. *Virago.*] A *vir*, dixerunt veteres, Festo teste, *viram*, pro fœminâ: hinc *virago*, quæ viro esset similis; unde contracta est *virgo*. Tamen *virago* generosæ fœminæ singulariter tribuitur; *virgo* cuilibet integræ.

474. *Atria.*] Aream ante ædes, Æn. 4. 666.

Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: Similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hìc germanum, jamque hìc, ostendit ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longè.
Haud minùs Æneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum, et disjecta per agmina magnâ
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu! quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu:
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, utì lævâ duo fortè gerebat
Lenta, levis cursu, præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum verò assurgunt iræ, insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras:
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.
  Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Jupiter, æternâ gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, et quà fata celerrima, crudum

*et modò resonat* in *porticibus spatiosis, modò circa stagna humida. Similis Juturna vehitur equis inter medios hostes, et percurrit cuncta celeri curru: et jam hìc, et jam illic, ostendit fratrem exultantem; nec permittit* eum *conserere manum* cum Æneâ: *volat procul extra viam. Æneas non segniùs percurrit flexos circuitus occurrens* ei, *et quærit virum* illum, *et magno clamore vocat inter agmina dissipata. Quoties conjecit oculos in hostem, et imitatus est cursu* pedestri *celeritatem equorum Turni* habentium *alatos pedes: toties Juturna deflexit conversum currum. Heu! quid faciat* Æneas? *frustrà agitatur variis motibus, et diversæ curæ rapiunt mentem in opposita. Messapus, cùm fortè leviter currendo ferret sinistrâ* manu *duo jacula flexilia armata ferro, librans certo ictu, unum illorum immittit huic* Æneæ. *Æneas stetit, et occuluit se post clypeum, incurvans* se in *poplitem: tamen immissa hasta abstulit summitatem galeæ, et abscidit è capite supremas cristas. Tunc autem ira intumuit, et dolis coactus, cùm vidit equos et currum rapi in diversam* partem, *sæpe attestans Jovem et altaria violati fœderis: tum demum irrumpit* in *medios, et Marte prospero, terribilis, edit crudelem stragem* absque *ullo delectu, et immittit omnes habenas furoris. Quis Deus, quis carmine jam declaret mihi tot duras* res, *varias strages, et mortem ducum, quos modò Turnus, modò heros Trojanus disjecit vicissim toto campo? O Jupiter, an placuit* tibi, *populos mansuros in perpetuo fœdere certare tanto tumultu! Æneas non multùm tardans, invadit in latus Sucronem Rutulum; ea pugna primùm fixit loco Trojanos irruentes: et quà mors erat promptissima, immisit durum*

## NOTÆ.

479. *Ovantem.*] Exultantem, Æn. 3. 189.

481. *Legit obvius orbes.*] *Legere orbes*, nihil aliud videtur esse quàm, *iisdem orbibus per eundem circuitum insistere.* Sed quia additur *obvius*, omnino est *corripere orbes illos, et breviori circuitu sese hosti adversum offerre.*

484. *Alipedumque fugam, &c.*] Æmulatus est cursu celeritatem equorum Turni: quæ tanta erat, ut alatos pedes habere viderentur. *Fugam* dicit, pro *celeritate*, Æn. 1. 317.

491. *In arma.*] Arma hìc pro clypeo, ut egregiè probat Cerdanus.

492. *Apicem tamen incita, &c.*] *Apex*, summa pars in cono galeæ, Æn. 2. 683. Æn. 3. 468. De *cristis*, ibid.

501. *Æquore.*] Plano campo, Æn. 2. 780.

504. *Gentes in pace futuras.*] Ex illo enim fœdere Romana gens orta, quæ totam Italiam sub uno deinceps imperio conjunxit.

505. *Ea prima ruentes, &c.*] Duplex interpretatio. I. Communis: *Pugna illa Æneæ cum Sucrone effecit, ut Trojani anteà fugientes tunc primò subsisterent.* II. Cerdani: *Pugna illa, sive occursus Sucronis, fortissimi militis, fecit, ut Trojani in hostem antè irruentes, tum primò impetum cohibuerint ac steterint.*

506. *Moratus.*] Alii legunt *morantem.*

Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longâ,
Hunc mucrone ferit: curruque abscissa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanaïmque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mœstum mittit Onythen,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ.
Hic fratres Lyciâ missos et Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus: nec nota potentum
Munera, conductâque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in sylvam, et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segniùs ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia, nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo: hunc lora et juga subter
Provolvêre rotæ, crebro supèr ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animisque immanè frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajûm fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec Dii texêre Cupentum,
Æneâ veniente, sui: dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi

*ensem trans costas et septum pectoris. Turnus occidit Amycum disturbatum* ex *equo, et fratrem* ejus *Diorem, pedestri congressu: hunc longâ hastâ irruentem. hunc gladio, et affigit currui capita amborum amputata, et aufert stillantia sanguine. Ille Æ*neas *dat morti Talon, Tanaïm, et fortem Cethegum, tres uno impetu, et tristem Onythen, virum Thebanum, et prolem matris Peridiæ. Hic* Turnus morti dat *fratres profectos è Lyciâ et agris Apollinis: et Menœten Arcada, juvenem frustrà aversatum bella, cui ars et pauper domus fuerat circa aquas Lernæ piscosæ; nec dignitates magnatum notæ* erant illi, *et pater* ejus *serebat in arvis conductis. Et quemadmodum ignes injecti è diversis partibus* in *siccam sylvam et in virgulta laurea crepitantia; aut quando fluvii spumantes præcipiti lapsu ex altis montibus edunt strepitum, et currunt in mare, singuli vastantes suum iter: non lentiùs ambo Æneas et Turnus irrumpunt in certamina: nunc ira movetur intus: pectora* antè *nescia vinci perfodiuntur: nunc toto impetu incurritur in vulnera. Hic* Æneas *saxo et turbine magni lapidis dejicit præcipitem et sternit humi Murranum jactantem avos et vetera nomina avorum, et omne genus deductum per reges Latinos: rotæ propulerunt ipsum subter juga et habenas, præterea protriverunt* eum *ungulæ multo pulsu incitatæ equorum immemorum domini. Ille* Turnus *occurrit Hyllo irruenti et dirè sævienti animis, et librat jaculum ad tempora* tecta casside *auratâ: hasta stetit illi* in *cerebro perfosso per galeam. Nec tua dextera servavit te* à *Turno, ô Creteu fortissimè Græcorum: nec Dii propitii protexerunt Cuventum, Æneâ irruente:* ille *obtulit pectus obvium ferro, nec mora clypei ærei profuit misero. Te etiam, ô Æole, agri Laurentini viderunt mori,*

## NOTÆ.

508. *Costas et crates pectoris.*] Costas, quæ pectori veluti crates obtenduntur.

510. *Cuspide longâ——mucrone.*] Per longam *cuspidem*, intelligit acumen hastæ: per *mucronem*, acumen gladii. Alii aliter.

511. *Curru.*] Pro *currui*, Ecl. 5. 29.

515. *Nomen Echionium.*] *Thebanum*, ab Echione, qui in condendis Thebis Bœotiis Cadmo adfuerat. De *Thebis*, Æn. 9. 697.

516. *Fratres Lyciâ, &c.*] Hos non nominat. *Lycia*, Asiæ minoris regio ad meridiem, oraculis Apollinis nobilitata, Æn. 4. 143. 345.

518. *Arcada piscosæ, &c.*] Qui oriundus quidem ex Arcadiâ, Ecl. 4. 58. deinde in Argiâ regione piscatum exercuerat circa Lernam paludem, Æn. 6. 287. denique cum Evandro Arcade venerat in Italiam, tumque erat inter Æneæ auxilia.

520. *Munera.*] *Munia, dignitates.* Pauci quidam legunt, *limina.*

522. *Sonantia lauro.*] Ob crepitum ardentis lauri.

531. *Turbine saxi.*] Saxi, in modum vento turbinis rotati.

540. *Sui.*] *Faventes*, suprà, v. 187.

542. *Laurentes campi, &c.*] Æn. 7. 63. *Argivæ,*

Oppetere, et latè terram consternere tergo:
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hìc tibi mortis erant metæ: domus alta sŭb Idâ,
Lyrnessi domus alta; solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeò conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus, equûm domitor, et fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcadis alæ:
Pro se quisque viri summâ nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
  Hìc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocyùs, et subitâ turbâret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impunè quietam.
Continuò pugnæ accendit majoris imago.
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores: tumulumque capit, quò cætera Teucrûm
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Deponunt: celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora: Jupiter hâc stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
Ni frænum accipere et victi parere fatentur,
Eruam: et æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursúsque velit concurrere victus?
Hoc caput, ô cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces properè, fœdusque reposcite flammis.
  Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densâque ad muros mole feruntur.

*et latè tegere terram dorso. Morieris* tu, *quem Græcæ catervæ non potuerunt dejicere, nec Achilles vastator regnorum Priami. Illic erat tibi terminus mortis: domus sublimis* erat *sub Idâ, domus sublimis* in urbe *Lyrnesso; tumulus* in *terrâ Laurentinâ. Toti etiam exercitus permixti* sunt, *et omnes Latini, et omnes Trojani: Mnestheus, et ardens Serestus, et Messapus subactor equorum, et fortis Asylas, et exercitus Tuscorum, et equitatus Evandri Arcadis: homines* illi *singuli pro se contendunt toto impetu virium: nec* est *mora, nec cessatio: certant immani prælio. Tunc mater* Æneæ *formosissima immisit* ipsi *consilium: ut accederet ad muros, et admoveret exercitum urbi celeriter, et percelleret Latinos improvisâ strage. Ille* Æneas, *postquam circumjecit oculos huc et illuc, quærens Turnum inter turmas remotas: videt urbem expertem tantæ pugnæ et tranquillam absque damno. Statim species majoris prælii inflammat* eum. *Vocat duces, Mnestheum, et Sergestum, et fortem Serestum: et conscendit collem, quo reliquus exercitus Trojanorum congregatur, et spissi non dimittunt clypeos, aut jacula: ipse medius* inter illos sic *loquitur erectus alto è tumulo: Ne sit ulla mora meis jussis: Jupiter hâc* parte *stabit* pro nobis: *et ne ullus mihi sit inertior ob repentinum consilium. Nisi* hostes *volunt admittere frænum et superati obedire, hodie evertam urbem, causam belli,* et *ipsum regnum Latini, et sternam tecta fumantia æquata terræ. Nempe expectabo, dum placeat Turno pugnam ferre nostram, et* dum *victus iterum velit congredi mecum? hæc* urbs, *ô cives,* est *caput, hæc summa belli scelerati. Celeriter inferte faces, et ignibus repetite* fidem *fœderis.* Sic *dixerat: et omnes animis unà pugnantibus formant cuneum, et spissâ multitudine irruunt in muros.*

NOTÆ.

Græcæ, Peloponnesiacæ, Æn. 1. 284. *Meta*, terminus, à Circi metis, Æn. 5. 288. *Ida*, mons Troadis et Phrygiæ, Æn. 2. 801. *Lyrnessus*, urbs Phrygiæ, circa sinum Adramyttenum, quò usque Idæ juga extendebantur, Æn. 10. 128.

551. *Tuscorum, &c.*] Etruscorum, Æn. 8. 479. *Phalanx*, peditum agmen, Æn. 6. 489. *Alæ*, equitum, Æn. 11. 604. Hi omnes aut Trojani, aut Trojanorum socii, præter unum Messapum, Turni socium, Æn. 7. 691.

552. *Opum vi.*] Omni industriâ, virtute, armis, Æn. 9. 532.

558. *Acies.*] Oculorum acies intelligit Servius, alii varias exercitûs partes. *Urbem*, Laurentum, Æn. 7. 63.

563. *Nec scuta—Deponunt.*] Mos notatur militum Romanorum, qui armati concionantem imperatorem audiebant: à quo more sæpe Græcos discedere solitos ostendit Cerdanus.

565. *Jupiter hâc stat.*] Jupiter, vindex violatæ fœderum religionis, hâc parte stat à nobis: siquidem nudam et indefensam urbem nobis objicit.

575. *Dant cuneum.*] Sese in cunei figuram componunt: quæ, primâ fronte acutâ, tum magis ac magis in latitudinem secundùm latera explicatur. Lipsius, de militiâ, l. 4. 7.

Scalæ improvisò, subitusque apparuit ignis;
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnâque incusat voce Latinum:
Testaturque Deos, iterum se ad prælia cogi:
Bis jam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros.
Inclusas ut cùm latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro:
Illæ intus, trepidæ rerum, per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis, tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.
  Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditùs urbem:
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare;
Nusquam acies contrà Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Extinctum: et, subitò mentem turbata dolore,
Se causam clamat crimenque caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab altâ.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines,
Et roseas laniata genas, tum cætera circùm
Turba furit: resonant latè plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.

*Repentè scalæ et subitus ignis visus est. Alii incurrunt ad portas, et occidunt obvios: alii librant jacula, et obscurant aërem sagittis. Ipse Æneas inter primos protendit dexteram ad muros, et increpat altâ voce Latinum: et attestatur Deos, se rursùs cogi ad pugnam, Italos jam bis hostes* esse, *hæc secunda fœdera violari. Dissentio nascitur inter cives timidos: alii jubent* suos *recludere urbem, et aperire portas Trojanis, et trahunt ad muros ipsum regem: alii inferunt arma, et pergunt tutari muros. Veluti quando pastor quæsivit apes inclusas in cavernoso saxo, et implevit* eas *fumo amaro: illæ timentes rebus* suis *volitant intus per suas domos, et excitant iram* suam *magnis fremitibus. Dirus odor diffunditur domo, et saxa resonant intus obscuro murmure: fumus exit in aërem apertum. Prætereà calamitas ista contigit Latinis fatigatis, quæ turbavit penitus dolore totam urbem. Regina, quando videt hostem accedentem* ad *domos, muros infestari, flammas volare ad culmina, exercitum Rutulum nullibi* comparere *contrà, nullas turmas Turni: misera putat juvenem occisum* esse *in contentione prælii: et commota repentino dolore* secundùm *animum, fatetur se* esse *causam et scelus et originem calamitatum: et amens locuta plurima ex tristi furore, lacerat manu vestes purpureas moritura, et suspendit ex altâ trabe laqueum fœdæ mortis. Postquam Latinæ* mulieres *infelices cognoverunt hanc mortem, filia* ejus *Lavinia, prima lacerans manu rutilos capillos et malas roseas, deinde reliqua multitudo furit: domus latè sonat planctu. Hinc fama misera spargitur per totam urbem.*

## NOTÆ.

582. *Hæc altera fœdera rumpi.*] Primò enim Latinus ultrò Æneam socium et generum adsciverat, Æn. 7. 259. Secundò singulare certamen Turni cum Æneâ facto fœdere constituerat, suprà, v. 195.

585. *Ipsumque trahunt, &c.*] Trahunt ad muros Latinum regem suum; vel ut summi discriminis spectator urbem ipse Trojanis aperiendam esse intelligat; vel ut violator fœderis ipse Trojanis dedatur.

587. *Pumice.*] Cavo lapide, Æn. 5. 214.

589. *Trepidæ rerum.*] Æn. 1. 178. *Fessi rerum.*

596. *Incessi muros.*] Infestari ab hostibus imminentibus. Ita lego cum Pierio ex veteribus codicibus. Vulgò legitur, *incendi,* quod pleonasmum efficeret; sequitur enim, *ignes ad tecta volare.* Canterus legit, *inscendi,* legitimo sensu, nullo tamen auctore.

602. *Purpureos amictus.*] Qui color regius est. De *purpurâ,* Geor. 2. 506.

603. *Informis leti.*] Suspendium informe et ignominiosum fuit: quia ex libris Pontificalibus apud Servium, suspensi abjiciebantur insepulti: quia, ex Varrone apud Servium Danielis, iis non parentabatur, nisi suspensis oscillis, quasi ad ludibrium mortis: quia, ex Artemidoro, hos unos in mortuorum cœnis cognati non nominabant.

Demittunt mentes: it scissâ veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruinâ,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans:
Multaque se incusat, qui non acceperit antè
Dardanium Æneam, generumque asciverit ultrò.
Intereà extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minùs atque minùs successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus urbis, et illætabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversâ clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hàc, Turne, sequamur
Trojugenas, quà prima viam victoria pandit.
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint:
Ingruit Æneas Italis, et prælia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O soror, et dudum agnovi, cùm prima per artem
Fœdera turbâsti, teque hæc in bella dedisti:
Et nunc nequicquam fallis Dea; sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi charior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret: Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindi-ne domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextrâ nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem hæc terra videbit?

*Deficiunt animi: Latinus incedit laceratâ veste, territus morte uxoris et clade urbis, fœdans albos crines mixtos sordido pulvere: et multùm damnat se, quòd non admiserit priùs Æneam Trojanum, et ultrò sociaverit* sibi *generum. Interim Turnus pugnans in remoto campo persequitur paucos errantes, jam tardior, et jam minùs ac minùs gaudens celeritate equorum* suorum. *Ventus pertulit illi hunc clamorem confusum incertis terroribus, et sonitus turbatæ urbis, ac murmur minimè lætum, pepulit aures* ejus *attentas. Hei mihi! cur muri turbantur tanto ululatu? et quæ tanta vociferatio erumpit ex urbe dissitâ? Sic loquitur, et territus stat compressis habenis. At verò soror, quippe* quæ *transformata in speciem aurigæ Metisci moderabatur currum, et equos et habenas ejus, respondet illi talibus verbis: Turne, persequamur Trojanos hàc, quà prima victoria aperit iter: sunt alii, qui possunt tutari manu domos. Æneas ruit in Italos, et agitat pugnam; nos quoque manu demus Trojanis crudelem mortem: non exibis inferior aut numero aut gloriâ pugnæ. Turnus* respondet *ad hæc: O soror, et jampridem animadverti, quando prima turbâsti per dolos fœdus, et immisisti te in hanc pugnam; et jam frustrà decipis* me, quamvis sis *Dea. Sed quis jussit te delapsam è cœlo pati tantos labores? an ut spectares crudelem necem infortunati fratris* tui? *nam quid facio? aut quæ sors promittit jam* mihi *salutem? vidi ipse præ oculis meis Murranum, quo nullus alius superest mihi charior, magnum et magno occisum vulnere, mori vocando me. Occidit miser Ufens, ne videret nostram infamiam; Trojani habent cadaver* ejus *et arma. An feram everti domos? hoc unum deërat miseriis; nec refutabo manu criminationes Drancis? vertam terga? et hæc terra spectabit Turnum fugientem?*

## NOTÆ.

612. *Multa.*] Multùm: neutrum pro adverbio, G. 3. 500. *Dardanium,* Trojanum, Æn. 1. 235.

614. *Æquore.*] Plano campo, Æn. 2. 780.

616. *Minùs successu lætus equorum.*] Vel quia minùs jam celeriter currebant: vel quia minùs jam gaudebat, quòd eum à pugnâ tam longè abstulissent.

633. *Fœdera turbâsti.*] Supra, v. 224.

639. *Murranum.*] Regii sanguinis virum, occisum ab Æneâ, suprà, v. 529. *Ufens,* dux Æquicolarum, Æn. 7. 745. occisus à Gyâ Trojano, suprà, v. 460. *Teucri,* Trojani, Æn. 1. 235. *Drancis,* Latini principis: Turno infesti, qui ipsi fugam publicâ oratione objecerat, Æn. 11. 336.

Usque adeóne mori miserum est? Vos ô mihi Manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
  Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages, adversa sagittâ
Saucius ora: ruitque, implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus: miserere tuorum.
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt: mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præthereà regina, tui fidissima, dextrâ
Occidit ipsa suâ, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem: circum hos utrinque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit variâ confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit: æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primùm discussæ umbræ, et lux reddita menti.
Ardentes oculorum acies ad mœnia torsit
Turbidus, éque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat,
Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quò Deus, et quò dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte pati, nec me indecorem, germana! videbis

*An eò usque calamitosum est mori? ô vos* Dii *inferi, estote mihi propitii, siquidem voluntas cœlestium infensa est* mihi. *Pura anima et ignara hujus sceleris, descendam ad vos, nunquam indignus claris patribus. Vix ea locutus erat: ecce Sages vectus equo spumante accurrit per medios hostes, vulneratus sagittâ* secundùm *vultum adversum: et occurrit invocans Turnum nomine: Turne, ultima salus in te* est: *miseresce tuorum: Æneas tonat armis, et minatur* se *eversurum et daturum exitio altas arces Italorum: et jam tædæ volant ad culmina: Latini conjiciunt in te vultus, in te oculos: ipse rex Latinus dubitat, quem appellet generum, quam ad societatem se vertat. Insuper ipsa regina fidissima tibi, occidit suâ manu, et attonita deseruit vitam. Messapus et ardens Atinas soli ante portas sustinent prælium: densa agmina circumstant illos utrinque, et seges ferrea rigescit nudis ensibus: tu volvis currum in solo gramine. Turnus obstupuit turbatus variâ specie rerum, et constitit tacitè intuens: ardet magnus pudor in intimo corde, et amentia mixta dolore, et amor commotus furore, et virtus* sibi ipsi *cognita. Statim atque tenebræ dissipatæ sunt, et lumen redditum est animo: turbatus vertit ad muros orbes oculorum inflammatos, et è curru respexit ad magnam urbem. Ecce autem torrens flammarum elapsus inter contabulationes erumpebat ad cœlum, et hærebat turri, turri quam ipse struxerat trabibus conjunctis, et supposuerat* ei *rotas, et applicuerat altos pontes. O soror,* inquit, *jam jam fata vincunt: desine retinere* me: *eamus, quò Deus, et quò adversa fortuna vocat* me. *Deliberatum est* mihi *conserere manum* cum *Æneâ, deliberatum est tolerare quicquid est asperi* in *morte: nec me videbis ulteriùs inglorium, ô soror:*

## NOTÆ.

646. *Usque adeóne mori, &c.*] Moriar quidem: sed mori malo, quàm eâ me viventem culpâ maculare, quòd fugerim, quòd urbem deseruerim; neque enim adeò misera res est mori. Ergo manes, Dii inferi, excipite me propitii, siquidem superi mea non ampliùs curant. Quibus verbis devovet se pro patriâ. De *manibus,* Æn. 6. 743.

657. *Mussat, &c.*] Vix audet loqui, dubitat. Æn. 11. 345.

662. *Phalanges.*] Pedestres copiæ, Æn. 6. 489.

666. *Æstuat ingens, &c.*] Hos animi motus totidem verbis ac versibus jam tribuit poëta Mezentio, Æn. 10. 870.

672. *Tabulata.*] Turres erant ligneæ, variis contabulationibus eductæ, pontibus inter se conjunctæ, rotis impositæ, ut pro rerum necessitate aliò atque aliò advolverentur.

Ampliùs: hunc, oro, sine me furore antè furorem.
 Dixit, et è curru saltum dedit ocyùs arvis:
Perque hostes, per tela ruit, mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatque solo; sylvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, stridentque hastilibus auræ:
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli, et vos, tela inhibete, Latini;
Quæcunque est fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro.
Discessêre omnes medii, spatiumque dedêre.
 At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces;
Præcipitatque moras omnes; opera omnia rumpit,
Lætitiâ exultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis
Cùm fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice, se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam verò et Rutuli certatim, et Troës, et omnes
Convertêre oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes genitos diversis partibus orbis
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.

*præcor, permitte me exercere hunc furorem ante* mortem. Sic *dixit, et statim desilit è curru* in *agros: et irrumpit per hostes, per arma: et relinquit tristem sororem, et celeri cursu disjicit media agmina. Et quemadmodum quando saxum abruptum vento cadit pronum è montis cacumine, sive pluvia repentina exedit* illud, *sive vetustas dissolvit tempore labente: mons* ille *vastus cadit in abruptum magno impetu, et subsilit humi, rapiens secum arbores, pecora, et homines: sic Turnus inter agmina disturbata currit ad muros urbis; ubi multa terra tincta est fuso sanguine, et aër stridet sagittis: et signum facit manu, et simul altâ voce incipit* loqui: *Abstinete jam, ô Rutuli, et vos Latini cohibete arma: quæcunque est sors* hujus pugnæ, *mea est: justius* est *me solum implere fœdus pro vobis, et dimicare ferro. Omnes* qui erant *in medio recesserunt, et fecerunt spatium. At pater Æneas, audito nomine Turni, relinquit muros, et relinquit altas turres: et accelerat omnes moras, et abrumpit omnia opera, exultans gaudio, et horrendùm sonat armis. Quantus* est *Athos, aut quantus* est *Eryx: aut quantus* est *ipse pater Apenninus, quando sonat ilicibus mobilibus, et gaudet tollens se nivoso cacumine in aërem. Tunc autem et Rutuli, et Trojani, et cuncti Itali certatim converterunt oculos, et qui defendebant sublimes muros, et qui quassabant ariete muros infimos: et demiserunt arma ex humeris. Ipse Latinus obstupescit, magnos* illos *viros ortos è disjunctis regionibus terrarum congredi inter se et dimicare ferro.*

## NOTÆ.

680. *Furere furorem.*] Græca locutio, cujus multa exempla suppeditat Cerdanus.

687. *Improbus.*] Magnus, &c. Geor. 1. 146. *Labor omnia vincit improbus.*

694. *Verius.*] *Æquius*, Livius, l. 32. 33. Sociorum *audiri postulata verum esse.*

701. *Athos.*] Mons Macedoniæ, imminens mari Ægæo, ἄθως, ultimâ longâ, nunc *Monte sancto*, Geor. 1. 332. *Eryx*, mons in Siciliâ post Ætnam maximus, nunc *S. Juliani*, Æn. 3. 707. Æn. 5. 759.

703. *Apenninus.*] Montium perpetua series, ex Alpibus propagata, in Liguribus circa Genuam incipiens: tum continuo dorso mediam Italiam secundùm longitudinem intersecans: et ad fretum Siculum desinens. *Pater* dicitur, tot sylvarum, tot fluminum, quæ in utrumque latus Italiæ ex eo erumpunt. Vel ob dignitatem, quia montium omnium Italiæ maximus est. *Ilex*, *yeuse*, HOLM-OAK, arbor è querno genere. *Coruscis ilicibus*, foliorum motu coruscantibus, Æn. 1. 164.

706. *Ariete.*] Machinâ, quassandis muris comparatâ, Æn. 2. 492.

709. *Cernere ferro.*] Testatur Pierius codices antiquòs ferè omnes habere, *et decernere ferro*, ita ut in versu syllaba redundet. Tamen Seneca legit *cernere:* sic enim, Ep. 58. *Quædam simplicia in usu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant: Virgilius hoc probabit tibi, &c.* Muretus hujus item locutionis exempla affert, ex Ennio et Actio.

Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido conjectis eminùs hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Silâ summôve Taburno,
Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multâ vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
 Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hìc, impunè putans, et corpore toto
Altè sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troës, trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat: fugit ocyor Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cùm prima in prælia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,

*Illi autem, postquam campi aperti sunt spatiosâ planitie, celeri incursu procul vibratis hastis, incipiunt pugnam clypeis æreis sonantibus: terra reddit gemitum: deinde infligunt gladiis frequentes ictus: sors et fortitudo confunduntur simul. Et quemadmodum* in *magnâ Silâ, aut alto Taburno, quando duo tauri obversis capitibus congrediuntur in certamen hostile, pastores timidi fugerunt: armentum totum manet tacitum* præ *timore, et juvencæ mugientes* expectant, *quis dominetur armento, cui tota armenta pareant; illi confundunt inter se plagas multo robore, et obluctantes infigunt cornua, et tingunt colla atque humeros multo sanguine: tota sylva reboat gemitu. Non aliter Æneas Trojanus et heros Dauni filius incurrunt* in *clypeos: magnus fragor ferit cœlum. Ipse Jupiter librat duas lances examine æquato, et addit* lancibus *fata opposita amborum:* ut videat, *cui labor malè succedat, aut quo pondere mors inclinet. Tunc Turnus exilit, et toto corpore exsurgit in gladium altè erectum, existimans* id futurum *impunitum, et ferit Æneam. Trojani et turbidi Latini clamant, et amborum exercitus suspensi. Sed gladius infidus rumpitur, et deserit ferventem in medio ictu, nisi fuga succedat* in *auxilium. Fugit velocior Euro, quando vidit manubrium incognitum, et manum exarmatam. Fama perhibet,* Turnum *inconsultum, cùm conscenderet equos jugatos ad primum certamen, dum properat, omisso gladio paterno, sumpsisse gladium aurigæ* sui *Metisci. Is quidem diu sufficiens* fuit, *dum Trojani objiciebant* ipsi *terga fugientia:*

## NOTÆ.

712. *Clypeis atque ære sonoro.*] Clypeis æreis, ictuum inflictu sonantibus. Sic Geor. 2. 192. *Pateris libamus et auro.*

715. *Silâ—Taburno.*] *Sila*, sylva ingens Apennini montis, adhuc nomen antiquum retinens, in Brutiis nunc *Calabre citérieure;* circa Consentiam urbem, quæ hodie *Consenza. Taburnus*, mons olivifer, in Samnio Campaniæ confini: furcas, sive angustias Caudinas, à septentrione obvallans, nunc *Tabor* vel *Taburo.* Ita Cluverius.

718. *Mussantque juvencæ.*] Timidè et quasi tacitè mugiunt: videturque ipso vocabulo vox juvencarum expressa.

722. *Armos.*] Humeros, Æn. 10. 804.

725. *Daunius.*] Turnus, Dauni filius, Æn. 7. 56.

725. *Æquato examine lances, &c.*] Locus imitatus ex Homero, Iliad. 22. 209. ubi Jupiter Hectoris et Achillis fata lancibus imponit. Is autem morti destinatus putatur, cujus fatum præponderat, et magis ad terram accedit. *Examen* filum est, sive ligula in medio bilancis pendula: cujus momentis judicatur quò pondus vergat.

727. *Quem damnet labor.*] Juxta Scaligerum: *à quo labor frustrà suscipiatur.* Juxta alios, *quem labor infelix addicat morti.* Juxta alios, *quem felix labor damnet votis, obnoxium reddat votis exsolvendis:* quomodo, Ecl. 5. 80. *Damnabis tu quoque votis.* Cæteri nugantur.

733. *Euro.*] Vento orientali, Geor. 1. 371.

736. *Patrio mucrone.*] Quem Dauno, Turni patri, Vulcanus fecerat, suprà, v. 90.

737. *Trepidat.*] Properat, Æn. 9. 114.

738. *Palantia.*] Vaga, Æn. 10. 674.

Suffecit: postquam arma Dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulvâ resplendent fragmina arenâ.
Ergo amens diversa fugâ petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densâ Teucri inclusere coronâ:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minùs Æneas, quanquam tardante sagittâ
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur: trepidique pedem pede fervidus urget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis et latratibus instat:
Ille autem, insidiis et ripâ territus altâ,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum verò exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circà, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans: notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contrà, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc, illuc: nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vitâ et sanguine certant.
Fortè sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hìc steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, et votas suspendere vestes:
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.

*sed quando ventum est ad arma Dei Vulcani, gladius mortali* manu factus *fractus est ictu, veluti glacies fragilis: fragmina relucent* in *fulvâ arenâ. Itaque Turnus attonitus adit fugiens campos remotos: et miscet dubios circuitus, nunc huc, deinde illuc. Nam Trojani undique cinxerunt* eum *spissâ multitudine, et hinc magna palus, hinc alti muri sepiunt. Æneas non segniùs persequitur, et ardens tangit pede pedem timentis: quamvis aliquando genua Æneæ impediant et negent cursum, vulnere sagittæ remorante. Quemadmodum canis venaticus, cùm aliquando repererit cervum deprehensum in fluvio, aut circumdatum formidine plumarum rubrarum, imminet* ei *cursu et latratu: ille verò territus insidiis et alto margine* fluvii, *fugit et refugit* per *mille vias: sed acer* canis *ex Umbriâ adhæret* ipsi *hians, et jam jam apprehendit, et similis apprehendenti insonuit dentibus, et deceptus est vano morsu. Tunc autem clamor emittitur, et ripæ et lacus respondent circum, et totum cœlum sonat tumultu. Ille* Turnus *simul fugit, et simul objurgat omnes, appellans unumquemque nomine* suo, *et petit ensem solitum. Contrà Æneas intentat necem et præsentem ruinam, si ullus adeat* Turnum: *et terret trepidos, minitans se eversurum urbem, et urget* eum licèt *vulneratus. Conficiunt cursu quinque circuitus, et totidem relegunt, huc, illuc: non enim quæruntur præmia tenuia aut ludicra, sed contendunt de vitâ et sanguine Turni. Fortè oleaster frondibus amaris hìc fuerat sacer Fauno, arbor quondam veneranda nautis: ubi* nautæ *erepti è naufragio solebant affigere dona Deo* illi *Laurentino, et suspendere vestimenta devota. Sed Trojani absciderant sine discrimine sacram arborem, ut possent pugnare campo expedito.*

## NOTÆ.

739. *Dei ad Vulcania.*] Vulcani Dei, qui Veneris rogatu ensem, clypeum, galeam, Æneæ fecerat, Æn. 8. 370. 620.

740. *Futilis.*] Fragilis, inutilis, Æn. 11. 339.

746. *Sagittâ.*] Quâ vulneratus fuerat, v. 319. Sanatus ab Iapide et Venere, v. 411.

750. *Puniceæ formidine pennæ.*] Fune, rubris et versicoloribus plumis distincto, ad terrendas feras. *Linea* vocatur à Senecâ Philosopho, et Tragico; *formido,* à Virgilio et Lucano; *pennæ formidatæ* ab Ovidio. De *puniceo colore,* rubro, Ecl. 5. 17.

753. *Umber.*] Canis ex Umbriâ, Italiæ septentrionali regione: à septentrione mari Hadriatico definitâ; à meridie ferè Tyberi et Nare amnibus; Apennini jugis aspera, nunc ferè capit ducatum *Urbinatem, Spoletanum,* et *Anconitanam* Marchiam.

766. *Fauni oleaster.*] De *Fauno.* Deo Laurentinorum, Latini patre aut avo, Æn. 7. 47. &c. *Oleaster,* olea sylvestris, sæpe pro templis constituta, suspendendis donariis: quia vivacitas hujus arboris tanta est, ut multis confixa clavis, nihil tamen lædatur.

768. *Dona.*] Tabulas naufragii testes, et vestimenta. Sic enim Horat. Od. l. 1. 5. 13. *Me tabulâ sacer votivâ paries indicat, uvida suspendisse potenti vestimenta maris Deo.*

771. *Puro campo.*] Vacuo, absque impedimentis. Horat. Epist. l. 2. 2. 71. *Puræ sunt*

*Hasta Æneæ hærebat illic: impetus illam impulerat illuc fixam, et retinebat in radice tenaci. Trojanus* Æneas *institit, et voluit manu extrahere* hastam *ferratam: et assequi hastâ* eum, *quem non poterat attingere cursu. Tum verò Turnus exanimatus metu, ait: O Faune, oro, miserere: et tu, ô bona terra, retine ferrum: si fovi semper vestros cultus, quos Æneas contrà reddidit bello profanos. Dixit: neque imploravit auxilium Dei in vota inutilia. Nam Æneas diu obnixus et moratus in tenaci radice, nullo robore potuit solvere tenacitatem ligni. Dum* Æneas *ardens conatur et urget: Dea filia Dauni, iterum conversa in formam aurigæ Metisci accurrit, et reddit gladium fratri. Venus irata* quòd *id liceret audaci Nymphæ, venit et attraxit hastam è profundâ radice. Illi alti, reparati animis et armis, hic confidens ensi, hic ferox et sublimis hastâ, stant oppositi, anhelantes prælio Martis. Interim rex cœli omnipotentis affatur Junonem, spectantem prælia è rutilâ nube: O uxor, quis nunc finis erit? quid demum superest? tu ipsa nôsti et fateris* te *nôsse indigetem Æneam destinari cœlo, et fatis evehi ad astra. Quid paras? aut quâ spe manes in frigidis nubibus? an decuit Divum* illum *lædi plagâ* inflicta à *mortali? aut gladium subductum reddi Turno, et robur augeri victis: nam quid Juturna posset absque te? cessa nunc denique, et flectaris meo rogatu: nec tantus dolor angat te tacitam, nec mœstæ solicitudines* tuæ *innotescant mihi*

Hìc hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, et lentâ in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides; teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum verò amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores,
Quos contrà Æneadæ bello fecere profanos.
Dixit: opemque Dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer et instat,
Rursùs in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem Dea Daunia reddit.
Quod Venus, audaci Nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque altâ ab radice revellit.
Olli sublimes, armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hastâ,
Assistunt contrà, certamine Martis anheli.
Junonem intereà rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulvâ pugnas de nube tuentem.
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis, ipsa et scire fateris
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut quâ spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?
Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris:
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curæ

## NOTÆ.

*plateæ, nihil ut meditantibus obstet.* Æn. 11. 711.

773. *Lentâ.*] Tenaci. Sic dicitur *Lenta pix*, Geor. 4. 41. *lentum gluten*, ibid. 161.

783. *Morsus roboris.*] Tenacitatem oleaginæ radicis, quasi mordicùs hastam tenentis. *Robur* itaque, durum quodvis lignum est, ut jam notavimus, Geor. 1. 162.

785. *Dea Daunia.*] Juturna, Turni soror, Dauni filia, suprà, v. 139.

791. *Omnipotentis Olympi.*] Æn. 10. 1.

793. *Quæ finis?*] Nomen interdum Virgilio etiam fœmininum, Æn. 5. 384.

794. *Indigetem Æneam.*] Indigetes Dii, qui primò *in* terrâ *degentes*: inde in cœlum traducti fuerant. Talis præcipuè Æneas; quem Livius testatur, non tantùm *indigetem* dictum fuisse, sed etiam *Jovem indigetem*. Geor. 1. 498.

798. *Aut ensem, &c.*] Meritò sanè accusatur Virgilius indiligentiæ, in hoc Turni cum Æneâ certamine. I. Quòd eos armis ita imparibus inter se commiserit. Hinc enim Æneas galeâ, clypeo, ense cœlesti armatus: inde Turnus gladio mortali ac futili. II. Quòd ubi suus Turno gladius, item cœlestis, redditus est: Jovem inducat eâ de re, quasi contra jus facta sit, conquerentem. III. Quòd Turnum ita bonæ rectæque mentis expertem describat, ut recuperato ense suo uti non meminerit, sed eo omisso se saxi impulsu defendat, v. 896.

Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Trojanos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miscere hymenæos:
Ulteriùs tentare veto. Sic Jupiter orsus:
  Sic Dea submisso contrà Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Jupiter, et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëriâ solam nunc sede videres
Digna, indigna pati; sed flammis cincta sub ipsâ
Starem acie, traheremque inimica in prælia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vitâ majora audere probavi:
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.
Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quæ reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cùm jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component: cùm jam leges et fœdera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per sæcula reges:
Sit Romana potens Italâ virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Trojâ.
  Olli subridens hominum rerumque repertor:
Es germana Jovis, Saturnique altera proles,

*sæpè è tuo dulci ore. Ventum est ad ultimum. Potuisti insectari Trojanos terrâ et mari, excitare dirum bellum, fœdare domum* Latini, *et turbare calamitatibus nuptias; prohibeo te aggredi* quicquam *præterea. Sic Jupiter locutus* est: *sic Dea Saturni filia contrà* respondit *dejecto vultu: O magne Jupiter, deserui et Turnum et terras invita, quòd quidem tua voluntas mihi esset cognita;* alioqui, *non videres me jam solam in aëriâ regione tolerare digna et indigna; sed circumdata ignibus essem in ipso exercitu, et vocarem Trojanos in adversa certamina. Fateor, suasi* ut *Juturna auxiliaretur fratri* suo *infortunato, et approbavi ut susciperet majora pro vitâ ejus: non tamen* ita *ut jacula intenderet, neque ut arcum. Juro per originem inexorabilem fontis Stygii, quæ sola religio imposita est Diis cœlestibus. Et nunc quidem cedo, et aversata pugnas relinquo* eas. *Peto à te pro Latio, pro dignitate tuorum* Latinorum, *id quod nullâ lege fatorum continetur;* scilicet *quando jam constituent pacem fausto conjugio* (itaque *sit) quando jam sociabunt leges et fœdera: ne imperes,* ut *Latini indigenæ amittant nomen antiquum: neve* imperes *ut fiant Trojani, et appellentur Trojani, aut* ut *viri* illi *mutent linguam, aut convertant vestimenta. Sit in æternum Latium, sint reges Albani, sit posteritas Romana potens fortitudine; Troja cecidit, permitte etiam* ut *ceciderit cum* suo *nomine. Auctor rerum et hominum respondit illi subridens:* Tu *es soror Jovis, et secunda soboles Saturni:*

## NOTÆ.

804. *Accendere bellum, &c.*] Excitatâ ex inferis furiâ, quæ fœdus Latini cum Æneâ disturbaret, Æn. 7. 323. *Hymenæos.*] Nuptias, Geor. 3. 60.

810. *Nec tu me aëriâ, &c.*] Supple, *nisi tua voluntas mihi nota esset, nisi prohibuisses.*

814. *Suasi.*] Suprà, v. 157.

816. *Stygii, &c.*] Fontis inferni, Æn. 6. 323. Per hunc Dii jurare solent; causam habes, Geor. 3. 551.

817. *Superstitio superis reddita.*] *Superstitio*, gravis et formidolosa religio, metus religiosus. *Reddita*, explicat Servius, *data et imposita;* compositum pro simplici. Explicant Passeratius, Germanus, Cerdanus, *vicissim reposita superis Diis ab inferis:* cùm enim inferi superis subjecti sint multis in rebus: hâc unâ re superi vicissim inferis subditi sunt, ut per Styga jurare cogantur.

823. *Indigenas Latinos.*] Itaque Virgilius Latinorum nomen, non à Latino rege profectum, sed multò antiquius censet: ut diximus, Æn. 1. 6. Quanquam aliter censet Dionysius: aitque vocatos eos, ante Latinum regem, *Aborigenes*, Æn. 7. 181. Æn. 8. 314. ubi quærimus, an re ipsâ *Aborigines indigenæ*, id est, in ipsâ Italiâ nati; an verò aliunde advecti sint. *Teucros*, Æn. 1. 235. *Latium*, Æn. 7. 54. *Albani reges*, ab Ascanio instituti, Æn. 7. 63. Æn. 8. 48.

830. *Es germana Jovis, &c.*] Sensus est juxta Servium: *Tu quidem mea es soror, et filia Saturni; unde non mirum est tantam te iracundiam animo concepisse. Potentissimi enim quique, iræ retinentissimi sunt.* Juxta me secundus versus cum interrogatione legendus est, ut sensus sit, *Tu quidem mea soror es, et Saturni filia: quid ergo irarum tantos volvis sub pectore fluctus?*

*an versas in animo tantos fluctus irarum? sed age, et mitiga furorem frustrà susceptum: concedo quod petis, ac me submitto et sponte, et superatus* tuis precibus. *Itali servabunt linguam patriam et consuetudines, et nomen* eorum *erit, quale est: tantummodo Trojani juncti connubiis* illic *sedebunt: addam modos et ceremonias sacrorum, et faciam omnes Latinos unius linguæ. Videbis posteritatem, quæ hinc orietur mixta sanguine Italo, pietate superare homines, superare Divos. Nec ulla natio adeò celebrabit cultum tuum. Juno assensa est* verbis, *et gaudens convertit animum. Interim abiit ex aëre, et reliquit nubem. His perfectis, pater ipse volvit aliud secum, et meditatur deducere Juturnam à pugnâ fratris. Dicuntur* esse *duæ pestes, nomine Diræ: quas, et infernam Megæram, Nox profunda edidit uno et eodem partu, et implicuit similibus nexibus anguium, et applicuit* eis *alas celeres. Hæ adsunt ante solium Jovis, et in vestibulo severi* illius *regis, et excitant timores miseris hominibus: si aliquando rex Deorum parat horribilem necem ac morbos, aut terret bello urbes* quæ id *meruerunt. Jupiter mittit ex alto cœlo unam illarum velocem, et imperavit offerri Juturnæ quasi portentum. Illa* Dira *volat et labitur in terras veloci impetu: non aliter ac sagitta per aërem immissa nervo, quam Parthus aut Cydon conjicit imbutam felle diri veneni,* ut sit *jaculum immedicabile; trajicit stridens et improvisa leves umbras. Filia Noctis talis intulit se et adivit terras. Quando cernit exercitum Trojanum et exercitum Turni, statim contracta in formam parvæ avis,*

Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verùm age, et inceptum frustrà submitte furorem
Do quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt:
Utque est, nomen erit: commixti corpore tantùm
Subsident Teucri: morem ritusque sacrorum
Adjiciam: faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit.
Intereà excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ:
Quas, et Tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodemque tulit partu: paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris:
Si quando letum horrificum morbosque Deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit;
Stridens, et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subitò collecta figuram:

NOTÆ.

quod affine est iis quæ dicta sunt, Æn. 1. 11. *Tantæne animis cælestibus iræ?*

834. *Ausonii.*] Itali, quos priùs Latinos vocavit, Æn. 7. 54.

835. *Commixti corpore.*] Initis conjugiis.

845. *Cognomine Diræ.*] Apud inferos *Furiæ*, in medio *Harpyiæ*; in cœlo *Diræ* et *Jovis canes* dictæ, Æn. 3. 211. Et verò cùm Virgilius ait eas esse duas numero, eodemque cum Megærâ Furiâ partu editas: innuit Diras ipsas, esse Furias alias duas, *Tisiphonem* et *Alecto*, Æn. 6. 572. Noctis et Acherontis dicuntur filiæ.

846. *Nox intempesta.*] Obscura, media, ad agendum intempestiva, Æn. 3. 587.

857. *Felle veneni.*] Veneno amaro, aut felle venenato.

858. *Parthus, &c.*] Parthi sagittandi arte nobiles, Ecl. 1. 62. *Cydon.*] Incola urbis quæ *Cydon* ipsa quoque dicta est, in Cretâ, sive Candiâ insulâ, Ecl. 10. 59.

862. *Alitis in parvæ, &c.*] *Noctua* ab interpretibus intelligitur: quia, v. 864. dicitur *nocte sedens:* tum quia minor est quàm *bubo*, unde *parva:* tum quia deserta loca incolit, bubo frequenter urbana ædificia. Et licèt *noctua* Atheniensibus boni ominis haberetur; omen erat in volatu faustum, non in cantu: at hìc, *canit importuna: fertque refertque sonans.* De *bustis*, Æn. 4. 494.

Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serùm canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
At procul ut Diræ stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam miseræ superat mihi? quâ tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Letalemque sonum: nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certè, et misero fratri comes ire per umbras,
Jam mortalis ego. Haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit. O quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque Deam demittat ad imos!
Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, et se fluvio Dea condidit alto.
  Æneas instat contrà, telumque coruscat
Ingens, arboreum, et sævo sic pectore fatur;
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominùs armis.
Verte omnes tete in facies; et contrahe quicquid
Sive animis, sive arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cavâ te condere terrâ.
Ille, caput quassans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; Dî me terrent, et Jupiter hostis.
  Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo quod fortè jacebat

*quæ aliquando nocte manens in sepulchris aut in tectis desertis, serò canit ingrata per tenebras: Dira mutata hanc in speciem, fert ac refert se stridens circa vultum Turni, et ferit alis clypeum* ejus. *Novus torpor debilitat ipsi membra timore: et capilli subrecti* sunt *horrore, et vox stetit* in *gutture. At misera Juturna, quando procul animadvertit stridorem et volatum Diræ, lacerat capillos sparsos, turpans vultum unguibus et pectus planctu,* quia erat *soror,* aitque: *O Turne, quomodo tua soror potest jam succurrere tibi? aut quid jam restat infelici mihi? quo artificio producam tibi vitam? an possum objicere me tali portento? nunc, nunc desero exercitum. Ne terreatis me* jam *timentem, ô infaustæ aves: cognosco verbera alarum* vestrarum *et sonitum mortiferum: nec dura imperia magni Jovis decipiunt me. An reddit ista* mihi *pro virginitate* ereptâ? *cur dedit* mihi *vitam perpetuam? cur ablata est* mihi *lex moriendi? jam certè possem terminare tantos dolores, et ire socia fratri misero inter umbras,* si *ego nunc* essem *mortalis. Nihil quicquam meorum* honorum *jucundum erit mihi absque te, ô frater. O quæ terra satis profunda aperietur mihi, et detrudet* me *Divam ad infimas umbras! Eò usque locuta, Dea texit caput viridi velamine, gemens valdè, et immisit se in profundum flumen. Contrà Æneas urget, et quassat hastam magnam, arboream: et sic loquitur duro animo: Quæ jam deinceps est mora? aut quid jam revolvis, ô Turne? non pugnandum est cursu,* sed *propiùs duris armis: muta te in omnes formas, et collige quicquid potes sive virtute sive dolo: opta adire alis alta sidera, et occultare te abstrusum cavâ tellure. Ille* Turnus *commovens caput* ait: *Dure* hostis, *tua superba verba non terrent me: Dii et Jupiter adversus me terrent. Nec locutus plura, aspicit magnum saxum; saxum magnum, vetus, quod fortè jacebat campo,*

## NOTÆ.

876. *Obscœnæ volucres.*] Funestæ, et mali ominis, Æn. 3. 262.

878. *Pro virginitate.*] Quam Juturnæ rapuerat Jupiter, v. 140.

882. *Jam mortalis ego.—Haud, &c.*] Alii codices habent, *immortalis ego! aut, &c.*

884. *Manes.*] Inferos, Æn. 6. 743.

885. *Glauco amictu.*] Ex colore aquarum, quibus præerat Naïs Juturna, v. 139.

886. *Fluvio.*] Tyberi: unde in lacum suum, qui influit in Tyberim, facilis fuit via, v. 139.

887. *Coruscat.*] Activè, Æn. 5. 642.

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens, et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur:
Sic Turno, quâcunque viam virtute petivit,
Successum Dea Dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat et urbem,
Cunctaturque metu: telumque instare tremiscit:
Nec quò se eripiat, nec quâ vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamque sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis: et corpore toto
Eminùs intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens: orasque recludit
Loricæ, et clypei extremos septemplicis orbes:
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
  Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circùm, et vocem latè nemora alta remittunt.
Ille, humilis supplexque, oculos dextramque precantem
Protendens: Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tuâ. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis

*constitutus limes agri, ut dirimeret lites agrorum. Duodecim electi* viri *difficilè sufferrent illud collo,* tales, *qualia* sunt *corpora hominum, quæ terra jam profert. Ille heros assurgens altiùs, et impulsus cursu, mittebat in hostem* hoc saxum *apprehensum manu tremente. Sed neque cognoscit se currentem, neque irruentem, aut erigentem manu, et versantem saxum grande. Genua titubant, sanguis gelidus cogitur frigore. Præterea saxum ipsum, rotatum per aërem, nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim. Et quemadmodum nocte in somnis, quando languida quies clausit oculos, frustrà videmur velle producere cursus optatos, et infirmi deficimus in medio impetu: lingua non viget, vires solitæ non suppetunt* in *corpore: nec vox nec verba erumpunt: sic Dira divina abnuit Turno successum, quâcunque vi tentavit modum. Tunc diversæ sententiæ agitantur* ejus *animo. Respicit Rutulos et urbem: et moratur* præ *timore, et timet hastam imminentem: nec cernit usquam, quò se subducat, nec quo robore irruat in hostem, nec currum, nec sororem aurigam. Æneas incutit moranti hastam letalem, explorans oculis opportunitatem: et procul immittit toto corpore. Nunquam saxa sic sonant, pulsa murali machinâ: nec tanti crepitus eduntur fulmine. Hasta portans sævam mortem volat sicut nigrans procella, et aperit extremitates thoracis, et sinuosos circuitus clypei septemplicis; stridens penetrat per medium femur: Turnus magnus cadit percussus in terram flexo poplite. Rutuli surgunt* cum *lamentis, et mons totus reboat circùm, et profundæ sylvæ latè reddunt vocem. Ille abjectus et supplex, intendens oculos et dexteram supplicantem, ait: Sanè merui, nec precor ut* ne me occidas: *fruere tuâ fortunâ. Si ulla cura miseri patris potest commovere te, oro, miserere senectutis Dauni: fuit quoque tibi talis*

## NOTÆ.

898. *Limes——litem, ut, &c.*] *Limes* dictus est, saxum vel via *lima,* hoc est, *obliqua, transversa,* discernendis agris constituta. Hinc *lis* dicta creditur à *limite,* quòd primæ lites et contentiones de limitibus fuerint. Alia tamen *litis* etyma affert Vossius.

892. *Bis sex, &c.*] Locus ex duobus Homericis expressus, Iliad. 5. v. 302. ubi Diomedes saxum in Æneam immittit, quale vix duo temporis Homerici homines efferrent, Iliad. 21. v. 405. ubi Minerva saxo Martem percutit, qui agris limes erat positus. Quàm indiligenter Virgilius id Turno tribuerit, diximus suprà, v. 798.

924. *Oras loricæ, &c.*] Extremitates loricæ, quæ femur attingunt: et extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altiùs sustulerat.

925. *Septemplicis.*] Septem coriis, aut laminis ferreis æreisve contexti.

Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas
Ausonii vidêre: tua est Lavinia conjux.
Ulteriùs ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris,
Exuviasque hausit: furiis accensus, et irâ
Terribilis: tu ne hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

*Anchises pater: et redde meis,* vel *me* vivum*: vel, si mavis, cadaver privatum luce. Vicisti, et Itali viderunt me victum tendere* tibi *manus: Lavinia tua est uxor. Ne progredere ulteriùs odiis. Æneas constitit ferox in armis, torquens oculos, et retinuit manum. Et jam jam magis sermo* Turni *cœperat commovere morantem Æneam; quando magnus* ac *infaustus balteus Pallantis juvenis apparuit* in *humero* Turni, *et cingulum emicuit notis clavis: quem* juvenem *afflictum vulnere Turnus occiderat, et gestabat humero insigne hostile. Ille* Æneas, *quando percepit oculis monumentum crudelis luctûs et spolia, inflammatus furore, et terribilis irâ,* ait: *An tu, ornate spoliis meorum* sociorum *eripieris hinc mihi? Pallas, Pallas mactat te hoc ictu, et sumit supplicia ex impio sanguine. Hoc dicens, ardens occuluit ferrum intra pectus oppositum: illi autem* Turno *membra deficiunt* præ *frigore, et vita furens abit cum gemitu ad umbras.*

## NOTÆ.

934. *Dauni.*] De illo, Turni patre, v. 44.

942. *Balteus, et notis, &c.*] *Balteus, cingulum* humero laterique circumdatum; ornatum *bullis,* id est, clavis aureis, Æn. 9. 359. Balteum hunc Pallanti à se occiso Turnus eripuerat, Æn. 10. 496. Agnoscit eum Æneas ex picturâ Danaïdum, quarum facinus in eo expressum erat. ibid. Tumque accidit, quod à poëtâ prædictum est, ibid. v. 503. *Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum, intactum Pallanta, et cùm spolia ista diemque oderit.*

952. *Indignata.*] Quòd juvenis morte immaturâ moreretur, quòd victus ab extero, quòd regno et sponsâ privatus, quòd post spem veniæ conceptam.

FINIS.

# INDEX

## Vocabulorum omnium quae in Eclogis, Georgicis, et Æneide Virgilii leguntur.

## LECTORI STUDIOSO.

*DAMUS tibi, amice Lector, novum Virgilii Indicem, cæteris hactenus editis locupletiorem longè et emendatiorem; quod quale sit ipse judicabis. In ipso vel augendo, vel castigando, diligenti operâ usos nos esse, nihilque pro virili parte prætermisisse quod cuique studioso facere satis possit, nemo attendens non fatebitur. Notas numericas et verba ad unum recognovimus, ita ut numeri cum numeris, verba cum verbis Auctoris quàm accuratè fuerint composita. Diversos verborum intellectus, prout eadem postulant, verbis et apposuimus, et sensu faciliori explanavimus. Quod extra Auctoris verba additum, ut locis quibusque obscuris lux adhiberetur, illud Italicè scripsimus. Menda quamplurima quæ in alias editiones irrepserant, multa quoque in iisdem omissa, de integro, et quasi quodam postliminii jure loco atque ordini suo restituimus. Indicem ab Erythræo primùm editum; tum alias ejusdem diverso sub Auctore editiones à primo, ut ita dicam, verbo ad ultimum revisimus et contulimus; sed præ cæteris novum istum Indicem Rotomagi impressum accuratiùs recognovimus, nihil novum operis, laboris nihil oculis sese nostris obtulit, nisi menda non pauca, alia non emendata, addita alia, plura omissa, nonnulla non intellecta, quod ut vel neganti vel dubitanti appareat, tum menda, tum additiones in ejusdem Indicis postremi margine catervatim apposuimus. Hic Index denique ad omnium intelligentiam ita est accommodatus, ut non docti solùm, verùm et pueri, ne dicam rudiores, nullo negotio quæque et cernere valeant et observare. Quòd si de vigiliis et labore nostro sanè judicetur, et hic Index placeat ac legatur, summam votorum attigerimus.* Vale.

*Literæ* E. *Eclogas*, G. *Georgica*, Æ. *Æneidem notant. Numerus prior Eclogam, aut Librum significat, posterior Versum.*

accingunt operi Æ. 2, 235. se prædæ 1, 210
accinxerat ensem lateri Æ. 11, 489
accipe E. 6, 69. 8, 11. Æ. 3, 486. 8, 150. 11, 559. *disce* 2, 65. 6, 136
accipere Æ. 2, 70. 7, 173. 8, 647. mœnibus 11, 885. frænum, *domari*, 12, 568
accipiant me Musæ G. 2, 477
accipiat te orbis potentem tempestatum G. 1, 28
accipiebat illos in porticibus Æ. 3, 353
accipiens sonitum pastor Æ. 2, 308
accipient præmia Æ. 5, 309
accipies hunc cœlo Æ. 1, 290
accipiet me ratibus Æ. 4, 541. reduces læto ubere tellus 3, 96. te Dido gremio 1, 685. secures, *consulatum* 6, 820. vitam Deûm E. 4, 15
accipimus, *discimus*, Æ. 7, 48
accipio Æ. 8, 155. 12, 260. te pectore toto 9, 277. *audio*, 6, 693. 10, 675
accipit Æ. 3, 79. 708. 6, 315. 412. 7, 211. animum quietum mentemque benignam in Teucros 1, 304. Æneam toro præcipuum 8, 178. crines fusos cervix 10, 138. ensem jugulo 10, 907. noctem oculis aut pectore 4, 531. formam aratri ulmus G. 1, 170
accipite Æ. 4, 611. 652. 8, 73. animis 3, 250. 5, 304. 10, 104
accipiter Æ. 11, 721
accipiunt G. 4, 167. Æ. 1, 434. 2, 267. 3, 210. 5, 472. formam *ligna* G. 2, 450. inimicum imbrem omnes Æ. 1, 123. *semina* sulci G. 1, 216. vulnera tergo Æ. 3, 243. redduntque auras follibus G. 4, 172. Æ. 8, 450
accire socios Æ. 12, 38
acciri Æneam Æ. 9, 192
accisam ferro ornum Æ. 2, 627
accisis dapibus Æ. 7, 125
accitis armis Ætolûm Æ. 11, 308
accitos imperio Æ. 11, 235
accitu genitoris Æ. 1, 677
acclive tumulis solum G. 2, 276
acclivis *vel* acclinis arboris trunco Æ. 10, 835
accola Vulturni Æ. 7, 729
accolet saxum Capitolî Æ. 9, 449
accolit gens Nilum G. 4, 288
accommoda fraudi vallis Æ. 11, 522
accommodat lateri ensem Æ. 2, 393
accubat juxtà *Furia* Æ. 6, 606
accubet umbrâ nemus G. 3, 334
accumbens super visceribus Æ. 10, 727
accumbere epulis Æ. 1, 79
accumulem donis animam nepotis Æ. 6, 885
accurrit Æ. 5, 451
acer G. 2, 405. 3, 346. 461. Æ. 5, 254. 402. 507. 7, 672. 8, 342. 9, 171. 779. 10, 308. 577. 897. 11, 518. 612. 869. 12, 549. 661. 783. 938. bellis 10, 411. equo 5, 668. equis G. 3, 8. metus Æ. 1, 362. 3, 682
acerba *nom. fœm.* G. 3, 419. *neut.* Æ. 10, 904. 12, 500
acerba fremens Æ. 12, 398. tuens 9, 794. sonans G. 3, 149
acerbat crimen Æ. 11, 407
acerbi quicquid est Æ. 12, 678
acerbis animis Æ. 5, 462. fatis 11, 587
acerbo casu Æ. 5, 700. funere 6, 429. 11, 28
acerbum *diem* Æ. 5, 49. vulnus 11, 823
acernis trabibus Æ. 2, 112. 9, 87
acerno solio Æ. 8, 178
acerrâ *abl.* Æ. 5, 745
acerrimus Æ. 2, 414. armis 9, 176. 12, 226
Acerris G. 2, 225
acervis G. 1, 263
acervo Æ. 11, 786
acervos cædis Rutulæ Æ. 10, 245. Rutulorum 10, 509. scutorum 8, 562. stragis Teucrorum 11, 384
acervum G. 1, 158. cædis Æ. 11, 207. farris G. 1, 185. Æ. 4, 402. stragis 6, 504
Acestæ *gen.* Æ. 5, 106. 573. 9, 218. 286. *dat.* 5, 771
Acestam Æ. 5, 718
Acesten Æ. 1, 558. 570. 5, 30. 531. 540. 746
Acestes Æ. 1, 195. 550. 5, 36. 61. 63. 73. 387. 418. 451. 498. 519. 630. 711. 749. 757
Achaïca *fœm.* Æ. 5, 623. *neut.* 2, 462
Achatæ *gen.* Æ. 1, 120. 10, 344
Achate *voc.* Æ. 1, 459. *abl.* 1, 312. 696
Achaten Æ. 1, 644. 10, 332
Achates Æ. 1, 174. 188. 513. 579. 581. 656. 3, 523. 6, 34. 158. 8, 466. 521. 586. 12, 384. 459
Acheloïa pocula G. 1, 9
Achemenides Æ. 3, 614. 691
Acheronta Æ. 7, 91. 312
Acheronte Æ. 5, 99. 6, 107. 7, 569. 11, 23
Acherontis G. 2, 492. Æ. 6, 295
Achilleæ stirpis Æ. 3, 326
Achillem Æ. 1, 458. 9, 742. 11, 438
Achillei *gen.* Æ. 1, 30. 3, 87. 6, 839
Achilles E. 4, 36. Æ. 1, 468. 484. 752. 2, 29. 197. 540. 6, 89. 168. 11, 404. 12, 545
Achilli Æ. 1, 475
Achillis G. 3, 91. Æ. 2, 275. 476. 10, 581. 12, 352
Achivi *plur.* Æ. 2, 45
Achivis Æ. 1, 242. 488. 2, 60. 6, 837. 10, 89
Achivos Æ. 2, 102. 5, 497
Achivûm *gen.* Æ. 2, 318. 11, 266
Acidaliæ matris Æ. 1, 720
acidis sorbis G. 3, 380
acie *oculorum* Æ. 6, 200. *exercitu* 7, 574. 10, 178. 11, 449. 498. 12, 305. 812
aciem ferrum Æ. 6, 291. ferri 11, 862. *oculorum* 4, 643. 7, 399. *exercitum* 7, 531. 673. 8, 561. 9, 42. 469. 513. 595. 10, 309. 635. 11, 446. 12, 662
acies falcis G. 2, 365
acies ferri Æ. 2, 333. obtusa stellis G. 1, 395. Vulcania *ignis* Æ. 10, 408. geminas, *oculos*, 6, 788. 12, 558. *exercitus, sing.* 5, 563. 8, 504. 9, 508. 10, 125. *plur.* G. 1, 490. 2, 281. 4, 82. Æ. 1, 489. 2, 30. 599. 6, 829. 7, 42. 296. 426. 523. 643. 695. 703. 796. 8, 540. 9, 27. 550. 639. 10, 360. 364. 543. 643. 691. 11, 618. 632. 898. 12, 137. 224. 227. 369. 548. 597. 731. 861. 875
aclides Æ. 7, 730
Acmon Æ. 10, 128
Acœtes Æ. 11, 30. 85
aconita G. 2, 152
Aconteus Æ. 11, 612. 615
acquirit vires fama Æ. 4, 175
acre genus luporum G. 3, 264. virûm 2, 167
acrem cursibus *equum* G. 3, 119. Molossum 3, 405. sonitum 4, 409. Turnum Æ. 8, 614
acres apros E. 10, 56. arcus Æ. 7, 164. 9, 665. equos 8, 3. stimulos 9, 718. viros 11, 48
acri amore Æ. 12, 392. dolore 7, 291. 11, 709. equo 4, 156. fugâ G. 3, 141. remige Æ. 5, 116. Lycurgo 3, 14. viro 8, 441
acribus oculis Æ. 12, 102
acrior G. 3, 154. Æ. 5, 210. 454. 9, 416. cura G. 3, 538. potentia solis 1, 93
acris equi Æ. 1, 444. Orontei 1, 220
Acrisioneis colonis Æ. 7, 410
Acrisius Æ. 7, 372
acriùs hoc G. 4, 248. Æ. 9, 791
Acron Æ. 10, 719. 730
acta arundo per uterum Æ. 7,

audacem Æ. 9, 3
audaces Æ. 9, 519
audaci Æ. 9, 126. 10, 276. 12, 786
audacibus G. 1, 40. Æ. 7, 114. 475. 9, 625
audacis Æ. 4, 615. 7, 409. 11, 812
audax G. 4, 565. Æ. 5, 67. 8, 110
aude Æ. 8, 364
audeat G. 1, 464. Æ. 4, 284. 9, 399
audebit G. 4, 108
audendi Æ. 12, 159
audendum dextrâ Æ. 9, 320
audent G. 2, 332. Æ. 9, 690. 11, 884. talia fures E. 3, 16
audentem Æ. 2, 349
audentes Æ. 10, 284
audentior ito contrà Æ. 6, 95. ibo 9, 291
audeo Æ. 11, 503
audere Æ. 2, 347. 12, 814
auderent Æ. 9, 42
auderet Æ. 8, 650. 9, 7
audes Æ. 10, 811. 12, 152
audet G. 3, 78. Æ. 1, 493. 5, 379. 383. 9, 802. 11, 808
audetis Æ. 1, 134
audiam Æ. 4, 387
audiat E. 3, 50. G. 3, 188. Æ. 12, 200
audieram E. 9, 7. 45
audierant G. 2, 539
audieras E. 9, 11
audierat Æ. 1, 20. 2, 346
audiit E. 6, 83. G. 1, 475. Æ. 4, 220. 672. 5, 239. 7, 225. 516. 9, 630. 10, 424. 464. 11, 794. 864. 12, 449
audimus Æ. 3, 556
audire G. 3, 184. Æ. 1, 373. 409. 2, 11. 103. 4, 78. 6, 689. 7, 628
audiri G. 1, 358
audis Æ. 4, 562. 6, 791
audisti Æ. 11, 295
audit E. 8, 23. G. 1, 514. 4, 7. Æ. 4, 83. 6, 567. 7, 90. 8, 312. 9, 394. *bis*
audita *fœm. nom.* Æ. 1, 326. 7, 117. *abl.* 9, 778. *neut.* 3, 107. 6, 266
auditæ Æ. 6, 426
audite Æ. 3, 103. 4, 612. 7, 400. 8, 574. 9, 234
auditis G. 4, 435. Æ. 7, 196. 8, 420
auditis *nom.* Æ. 8, 140. 11, 251
audito Æ. 4, 302. 5, 316
auditur G. 4, 72. 260. Æ. 2, 706. 3, 40
auditus *adject.* G. 4, 493
audivit Æ. 11, 911
avecta Æ. 11, 205
avectos Æ. 2, 43
avellere Æ. 2, 165
avelli Æ. 11, 201
avem Æ. 5, 509. 542. 7, 191
avenâ E. 1, 2. 10, 51
avenæ E. 5, 37. G. 1, 77. 154
Aventini Æ. 7, 659. 8, 231
Aventinus Æ. 7, 657
Averna Æ. 3, 442. 5, 732
Averni Æ. 4, 512. 5, 813. 6, 126. 201
Avernis G. 2, 164. 4, 493. Æ. 6, 118. 564. 7, 91
Avernum Æ. 6, 242
aversa Æ. 1, 482. 2, 170. 4, 362. 6, 469. 12, 647
aversi Æ. 6, 224. 11, 871
averso G. 1, 218
aversos Æ. 12, 464. 485
aversum G. 4, 423
aversus Æ. 1, 568. 7, 618
averte dolorem ferro Æ. 4, 547
avertens Æ. 1, 402
avertere E. 8, 66. G. 3, 210. 459. Æ. 1, 38. 4, 394. 10, 78. 11, 703
averteret Æ. 4, 106
avertes G. 3, 320
avertet Æ. 12, 204
avertis Romanis arcibus Indum G. 2, 172
avertit Æ. 1, 104. 472. 4, 389. 8, 208. 9, 78
avertite Æ. 3, 265. 620
avertitur fontes equus, *active,* G. 3, 499
aves G. 1, 156. Æ. 6, 193. 311. 11, 273. 12, 248. 262
avexerat oras *Teucros* Æ. 1, 512
aufert Æ. 4, 389. 9, 332. 10, 508. 11, 744
auferte Æ. 8, 439. 12, 316
aufertur Æ. 11, 713. 867
Aufidus Æ. 11, 405
augent pomis Cereale solum Æ. 7, 111
auget numerum divorum altaribus Æ. 7, 211
augur Æ. 4, 376. 9, 327. 12, 258. 460
augurat si quid veri mens Æ. 7, 273
auguriis Æ. 3, 5
augurio Æ. 5, 523. 9, 328
augurium Æ. 1, 392. 2, 703. 3, 89. 5, 7. 7, 260. 10, 255. 12, 257. 394
augusta mœnia Æ. 7, 153
augustum tectum Æ. 7, 170
Augustus Cæsar Æ. 6, 792. 8, 678
avi G. 4, 209. Æ. 5, 564. 12, 164
avia *loca* G. 2, 328. Æ. 2, 736. 7, 580. 9, 58
aviaria G. 2, 430
avibus G. 1, 271. 2, 60. 328. 3, 546
avidæ G. 2, 375
avidi conjungere dextras Æ. 1, 514
avidis medullis G. 3, 271
avidos cursus Æ. 12, 909
avidum G. 3, 553. Æ. 9, 661
avidus Æ. 3, 132. 6, 210. 12, 290. 430
avis G. 2, 320. Æ. 7, 56. 412. 10, 201
avitæ virtutis Æ. 10, 752
avitis regnis G. 3, 228
avito solio Æ. 7, 169
avium G. 1, 422. 2, 209. 4, 110. 473. Æ. 11, 457
avius lupus Æ. 11, 810
aulâ G. 4, 90. Æ. 1, 140. 4, 328
aulæa G. 3, 25
aulæis Æ. 1, 697
aulaï Æ. 3, 354
aulas G. 2, 504. 4, 202
Aulesten Æ. 12, 290
Auletes Æ. 10, 207
Aulide Æ. 4, 426
Auni Æ. 11, 700
Auno Æ. 11, 717
avo Æ. 2, 457. 4, 258. 5, 550. 6, 777. 7, 220
avolat Æ. 11, 712
avorum G. 4, 209. Æ. 7, 177. 12, 649
avos Æ. 6, 840. 876
aura G. 4, 417. Æ. 1, 546. 3, 339. 6, 204. 12, 370. 617
auræ E. 9, 58. Æ. 2, 728. 3, 356. 530. 5, 844. 7, 8. 9, 312. 745. 11, 801. 12, 691
auraï simplicis ignem Æ. 6, 747
auram Æ. 4, 278. 7, 230. 9, 658
auras E. 1, 57. G. 1, 376. 407. 2, 363. 422. 3, 109. 193. 251. 274. 4, 171. 486. 499. Æ. 1, 59. 387. 2, 158. 259. 699. 759. 791. 3, 422. 576. 4, 176. 226. 270. 357. 378. 388. 417. 494. 504. 5, 257. 377. 427. 503. 740. 861. 6, 82. 194. 363. 554. 733. 761. 7, 287. 466. 543. 593. 8, 24. 449. 535. 9, 52. 112. 409. 645. 10, 634. 819. 892. 898. 11, 455. 558. 617. 795. 799. 863. 12, 84. 253. 267. 592. 703. æthereas G. 2, 291. Æ. 4, 445. 5, 520. 7, 557. cœli 7, 768. 11, 595. luminis G. 2, 47. Æ. 7, 660
aurata *acc.* Æ. 12, 536. *abl.* 1, 741. 9, 627. 11, 858
auratam Æ. 5, 250
auratas Æ. 2, 448
aurati Æ. 12, 163
auratis G. 1, 217. Æ. 8, 655
aurato Æ. 10, 171
auratum Æ. 9, 304
auratus G. 4, 371
aure Æ. 9, 417. 11, 637
aurea E. 3, 71. 8, 52. G. 1, 431. Æ. 1, 492. 2, 488. 4, 139. 240. 6, 13. 604. 7, 210. 278. 8, 168. 348. 672. 9, 50. 11, 774. 832. cæsaries 8, 659. bul-

## B.

## C.

334. 400. 4, 154. 5, 552. 6, 640. 653. 677. 7, 223. 540. 643. 10, 408. 582. 602. 11, 102. 513. 908. campos liquentes 6, 724. campos salis 10, 214
campum G. 1, 72. 77. 126. 2, 198. 3, 103. 161. 522. Æ. 3, 538. 5, 144. 287. 8, 596. 11, 875. 903. 12, 116. 136
campus Æ. 5, 128
camuris cornibus G. 3, 55
cana Fides Æ. 1, 292. pruina G. 2, 376. mala E. 2, 51
canæ Vestæ Æ. 5, 744. 9, 259
canalibus G. 3, 330. 4, 265
canam *verb.* E. 1, 78
canamus E. 4, 1. 9, 61
canas *verb.* Æ. 6, 76
canat Æ. 3, 457
Cancri sub sidere E. 10, 68
cancros G. 4, 48
candente favillâ Æ. 3, 573
candentem taurum Æ. 5, 236. juvencum 9, 628. ensem tinxerat undâ 12, 91
candenti elephanto Æ. 6, 895. corpore cycnum 9, 563
candentis vaccæ Æ. 4, 61. Phœbi 8, 720
candida *nom. fœm.* E. 2, 46. 9, 41. G. 2, 320. Æ. 5, 571. 7, 8. 8, 82. 138. 608. *neut.* E. 6, 75. G. 4, 337. Æ. 6, 708. 9, 432
candidior E. 1, 29. 7, 38
candidus E. 2, 16. 5, 56. G. 1, 217. 3, 387
candore nivali Æ. 3, 538
cane vota Junoni Æ. 3, 438. talia capiti Dardanio rebusque tuis 11, 399
canebam G. 4, 559
canebant Æ. 2, 124. 7, 79. 698. 12, 28
canebat E. 6, 31. 9, 26. G. 4, 466. Æ. 3, 183. 559. 4, 14. 190. 6, 345. 8, 656. 9, 777. canebat geminis temporibus, sparsa senectus 5, 416
canem *acc.* G. 3, 345
canemus E. 9, 67. G. 3, 1
canendo E. 2, 31. 5, 9
canens Æ. 8, 499. 10, 417
canent G. 3, 325
canentem E. 9, 44. Æ. 9, 621. 10, 192
canentes Æ. 6, 657
canenti Æ. 9, 525
canentia G. 2, 13. 120. Æ. 10, 418
canerem E. 6, 3. G. 4, 119
caneret E. 9, 19
canes G. 1, 470. 3, 44. 540. Æ. 6, 257. 7, 494. 8, 462
canet E. 1, 57. 6, 11
canibus E. 1, 23. 3, 67. 6, 77. 8, 28. 10, 57. G. 1, 140. 3, 371. 410. 496. Æ. 3, 432. 7, 479. 9, 485
canimus E. 4, 3. 10, 8
canis montibus G. 1, 43. *astrum* 218. 2, 353. *animal* Æ. 12, 751
canistris G. 4, 280. Æ. 1, 701. 8, 180
canit E. 6, 61. 64. 84. G. 2, 417. Æ. 1, 742. 2, 176. 3, 155. 366. 373. 444. 5, 113. 6, 99. 7, 398. 513. 10, 191. 12, 864
canitiem Æ. 9, 612. 10, 549. 844. 12, 611
canities Æ. 6, 300
cano *nom.* G. 3, 442. Æ. 8, 672
cano *verb.* E. 6, 9. G. 1, 12. 2, 176. Æ. 1, 1. 8, 49
Canopi G. 4, 287
canor G. 4, 71
canoris G. 2, 328. Æ. 6, 120
canoro Æ. 9, 503
canoris G. 4, 150. Æ. 7, 700
cantabitis E. 10, 31
cantabunt E. 5, 72
cantando E. 3, 21. 25. 6, 71. 8, 71. 9, 52
cantantes E. 9, 29. 64. 65
cantantibus E. 10, 75
cantare E. 7, 5. 10, 32
cantaret E. 10, 41
cantari E. 5, 54
cantharus E. 6, 17
canto E. 2, 23
cantu G. 1, 293. 3, 328. 4, 471. Æ. 6, 165. 172. 7, 12. 34. 754. 8, 2
cantum Æ. 9, 618
cantus G. 1, 403. Æ. 1, 398. 7, 641. 757. 8, 285. 456. 10, 163
canum G. 3, 265. 404. Æ. 4, 132
canunt Æ. 2, 239. 7, 271. 10, 310
cape G. 3, 420. *bis* 4, 380. Æ. 2, 294. 717. 3, 488. 5, 712. 6, 377. 10, 242. 11, 590
capella E. 2, 64
capellæ E. 1, 75. 78. 4, 21. 8, 33. 10, 7. 30. 77
capellam E. 2, 63
capellas E. 1, 12. 3, 96. 7, 3. 9, 23. G. 2, 196. 3, 287
Capenos Æ. 7, 697
caper E. 3, 23. 7, 7. G. 2, 380
capere Æ. 1, 396. 673. 9, 139. 267
capessere Æ. 1, 77. 4, 346
capesseret Æ. 5, 703
capessam Æ. 8, 507
capessant Æ. 3, 234
Caphareus Æ. 11, 260
capi Æ. 7, 295
capias Æ. 11, 856
capiendus G. 4, 396
capiere G. 1, 426
capio Æ. 2, 314
capistris G. 3, 188. 399
capit Æ. 4, 242. 5, 185. 6, 754. 7, 466. 9, 644. 10, 106
capita G. 2, 355. Æ. 1, 189. 3, 545. 678. 5, 62. 428. 6, 360. 9, 678. 682. 11, 861. 12, 512
capite *nom.* Æ. 2, 219. 12, 312. *verb.* 7, 403
capiti E. 6, 16. Æ. 6, 524. 7, 668. 689. 8, 484. 570. 9, 810. 10, 135. 270
capitis E. 10, 24. Æ. 3, 371. 4, 354. 640. 10, 639
Capitolia Æ. 6, 836. 8, 347. 653
Capitolî Æ. 9, 448
capitum Æ. 3, 391. 7, 185. 632. 742. 8, 44. 300
capitur Æ. 8, 311
capiunt Æ. 5, 315
capræ Æ. 4, 152
capreæ G. 2, 374
capream Æ. 10, 725
Capreas Æ. 7, 735
capreoli E. 2, 41
caprigenum Æ. 3, 221
capris G. 3, 300
capro E. 9, 25
caprum E. 3, 17. 22
capta Æ. 4, 84. 330. 12, 22
captabis E. 1, 53
captæ G. 4, 348. Æ. 2, 507. 643
captam G. 3, 392. Æ. 4, 326
captant E. 2, 8
captare G. 1, 139
captas Æ. 1, 396
captat Æ. 3, 514
captavit G. 1, 376
capti G. 1, 183. 3, 285. Æ. 2, 196. 7, 295. 9, 599. 635
captiva Æ. 2, 765. 3, 324. 12, 63
captivi Æ. 7, 184
captivo Æ. 10, 520. 11, 779
captivos Æ. 9, 273
capto G. 4, 399. Æ. 2, 64. 75. 11, 783
captos Æ. 2, 384. 4, 194
captum E. 6, 59. Æ. 11, 830
captus E. 6, 10. Æ. 11, 49. 12, 392
Capua G. 2, 224
capulo Æ. 2, 553. 10, 536
caput E. 1, 25. 7, 29. 8, 102. G. 1, 386. 467. 2, 341. 392. 3, 21. 52. 80. 422. 553. 4, 319. 352. 368. 523. Æ. 1, 116. 127. 444. 2, 558. 751. 3, 194. 4, 177. 249. 357. 493. 613. 699. 702. 5, 10, 309. 375. 469. 774. 815. 845. 6, 866. 8, 65. 145. 9, 300. 332. 437. 496. 587. 628. 633. 755. 771. 10, 133. 203. 394. 554. 767. 863. 869. 11, 39. 361. 579. 680. 830. 12, 293. 382. 572. 600. 816. 885. 894
Capyn Æ. 1, 183
Capys Æ. 2, 35. 6, 768. 9, 576. 10, 145
Caras Æ. 8, 725
carbaseos Æ. 11, 776

Cyclopum G. 1, 471. Æ. 3, 569. 675. 6, 630. 8, 418
cycni E. 9, 29. Æ. 7, 699. 11, 458
cycnos G. 2, 199. Æ. 1, 393
cycnum Æ. 9, 563. 10, 189. 12, 250
Cydippe G. 4, 339
Cydon Æ. 10, 325. 12, 858
Cydonia spicula E. 10, 59
cylindro G. 1, 178
Cyllarus G. 3, 90
Cyllenes Æ. 8, 139
Cyllenia proles Æ. 4, 258
Cyllenius G. 1, 337. Æ. 4, 252. 276
cymba G. 4, 506. Æ. 6, 303. 413
cymbæ G. 4, 195
cymbala G. 4, 64
cymbia Æ. 3, 66. 5, 267
Cymodoce G. 4, 338. Æ. 5, 826
Cymodocea Æ. 10, 225
Cymothoë Æ. 1, 144
Cynthi Æ. 1, 498. 4, 147
Cynthius E. 6, 3. G. 3, 36
cyparissi Æ. 3, 680
cyparissis G. 2, 84
Cyprum Æ. 1, 622
Cyrene G. 4, 321. 354. 376. 530
Cyrneas taxos E. 9, 30
Cythera Æ. 1, 680. 10, 51. 80
Cytherea Æ. 1, 257. 657. 4, 128. 5, 800. 8, 523. 615
cytisi G. 2, 431
cytiso E. 9, 31. 10, 30
cytisum E. 1, 79. 2, 64
Cytorum *montem* G. 2, 437

## D.

Da domum, da mœnia Æ. 3, 85. mihi hunc laborem proprium Æ. 7, 331. viam ferro Æ. 10, 421. facilem cursum G. 1, 40. vela pelago G. 2, 41. auxilium Æ. 2, 691. dextram misero Æ. 6, 370. *cum infinitivo, concede* Æ. 5, 689. 6, 66. 9, 83. 10, 62. 11, 789 12, 97. *dic,* E. 1, 19
dabam jura Æ. 3, 137
dabant signa G. 1, 471. vela Æ. 1, 35. thura Æ. 8, 106. *responsa* Æ. 10, 34. terga Æ. 12, 738. labantes juncturas tabulata Æ. 2, 464
dabantur responsa Æ. 2, 376
dabas gemitus Æ. 4, 409. sceptra Æ. 4, 597. dicta Æ. 10, 600
dabat epulas Æ. 4, 485. vires sanguis Æ. 5, 415. jura Æ. 1, 507. responsa Æ. 5, 706 dicta Æ. 5, 852. 9, 431. mandata Æ. 9, 312. genus superbum nobilitas Æ. 11, 341. ore voces Æ. 11, 535. ore colores virgo Æ. 12, 69. suas artes Apollo Æ. 12, 394
dabatur fortuna Æ. 2, 656. spes Æ. 2, 803
dabimus imperium urbi Æ. 3, 159
dabis munera Æ. 5, 355. pœnas Æ. 4, 386. 8, 538
dabit signa G. 1, 439. 463. specimen G. 2, 241. vires G. 2, 286. præcepta G. 4, 398. his finem Æ. 1, 199. Ilia prolem Æ. 1, 274. amplexus Æ. 1, 687. cursus secundos Æ. 3, 460. arma Æ. 9, 273. discrimina Æ. 10, 529. quid dabit indole dignum? Æ. 10, 826. nomen urbi Æ. 12, 194. te bello defensum dextera Æ. 12, 437. ruinas arboribus *turbo* Æ. 12, 453
dabitur unum caput pro multis Æ. 5, 815. quod optas Æ. 7, 260. belli finis Æ. 10, 583. tellus Æ. 10, 650. *permittetur cum infinit.* Æ. 7, 313. 9, 116
dabo Æ. 5, 306. equites Æ. 8, 519. pocula Æ. 9, 263. hæc ego vasta dabo Æ. 9, 323. sacra Deosque Æ. 12, 192. terga Æ. 12, 645
dabunt veniam votis G. 4, 536. jura Æ. 1, 293. arma Æ. 2, 391. se vires Æ. 4, 627. *præmia* Æ. 9, 254
Dacus G. 2, 497
Dædala *fœm.* Circe Æ. 7, 282. *neut.* G. 4, 179
Dædalus Æ. 6, 14. 29
Dahæ Æ. 8, 728
damæ E. 8, 28. G. 3, 539
damas G. 1, 308. 3, 410
damnabis votis E. 5, 80
damnati crimine mortis Æ. 6, 430
damnaverat caput Orco Æ. 4, 699
Damœta E. 3, 1. 58
Damœtas E. 2, 37. 39. 5, 72
Damon E. 3, 23. 8, 16. 62
Damonis E. 3, 17. 8, 1. 5
damus vitam Æ. 2, 145. vela Æ. 3, 191
Danaë Æ. 7, 410
Danai Æ. 2, 5. 108. 117. 327. 413. 495. 505. 757. 802
Danais Æ. 2, 396. 617. 669. 3, 283. 4, 425. 9, 154. classibus Æ. 3, 602
Danaos Æ. 2, 49. 71. 258. 440. 6, 519
Danaûm Æ. 1, 30. 96. 598. 754. 2, 14. 36. 44. 65. 162. 170. 276. 309. 370. 389. 398. 433. 462. 466. 572. 3, 87. 6, 489. 8, 129. 12, 349
dant calamos Musæ E. 6, 69. fœtus sylvæ G. 2, 442. arbuta G. 2, 520. lora G. 3, 107. sonorem sylvæ G. 3, 200. prælia cervi G. 3, 265. signa *equi* G. 3, 503. fontes manibus *nymphæ* G. 4, 376. lymphas manibus famuli Æ. 1, 701. fruges Æ. 12, 173. pœnas Æ. 2, 366. incendia lucem Æ. 2, 569. tela locum Æ. 2, 633. placata maria venti Æ. 3, 70. rami baccas Æ. 3, 650. signum Æ. 4, 167. sonitus Æ. 5, 435. mœnia Parcæ Æ. 5, 798. animos Æ. 7, 386. 9, 144. per colla modus *cycni* Æ. 7, 701. sonitum galeæ Æ. 9, 667. cycni Æ. 11, 458. amnes Æ. 12, 524. ruinam Æ. 11, 614. funera certantes Æ. 11, 646. fugam nubila cœlo Æ. 12, 367. terga Rutuli Æ. 12, 463. cuneum *milites formant* Æ. 12, 575
dantem pœnas Æ. 6, 585. jura Æ. 8, 670
dantur equi Teucris Æ. 8, 551
dapes E. 6, 79. Æ. 3, 227. 234. 301. 5, 92. 6, 225. 7, 109. 8, 175. 186. 11, 738
Daphni, *voc.* E. 5, 25. 27. 66. 9, 46. 50
Daphnide E. 8, 83
Daphnidis E. 3, 12
Daphnim *et* Daphnin E. 2, 26. 5, 20. 51. 52. 7, 7. 8, 68. 72. 76. 79. 84. 85. 90. 93. 94. 100. 102. 104
Daphnis E. 5, 29. 30. 41. 43. 52. 57. 61. 7, 1. 8, 81. 83. 109
dapibus G. 4, 133. Æ. 1, 210. 706. 3, 224. 355. 618. 7, 125
Dardana pubes Æ. 5, 119. 7, 219. *neut. plur.* arma Æ. 2, 618. tela Æ. 6, 57
Dardaniâ *urbe* Æ. 3, 156. *adject.* stratus dextrâ Æ. 10, 326
Dardaniæ gentis Æ. 1, 602. *urbis* Æ. 2, 281. 3, 52. 6, 65. 8, 120. cuspidis Æ. 7, 756. *dativo casu* Æ. 2, 325. *plur.* carinæ Æ. 4, 658
Dardaniam prolem Æ. 6, 756. classem Æ. 7, 289. portam Æ. 9, 695
Dardanidæ *Trojani, plur.* Æ. 1, 560. 2, 59. 72. 445. 3, 94. 5, 45. 386. 576. 6, 85. 482. 7, 195. 9, 293. 660. 10, 263. 12, 549
Dardanides *Æneas* Æ. 10, 545. 12, 775
Dardanidis *Trojanis* Æ. 11, 353. 12, 585
Dardanidûm *Trojanorum* Æ. 2, 242. 5, 622. 10, 4
Dardanii capitis Æ. 4. 640
Dardaniis colonis Æ. 7, 422. telis Æ. 10, 638
Dardanio *Trojano* Æ. 1, 494 617. 6, 169. 8, 14. 9, 88. 647. 10, 814. 11, 400

detrudunt naves scopulo Æ. 1, 145
detrusit ad undas Stygias Æ. 7, 773
detulerat huc *hastam* impetus Æ. 12, 773
detulit armari classem fama Æ. 4, 299. mandata per auras Æ 4, 358. quis te in terras Æ. 9, 19. dictamnum Venus Æ. 12, 417
detur ubi sistere Æ. 3, 7
deturbat præcipitem à puppi Æ. 5, 175. animas *Charon* Æ. 6, 412. terræ caput orantis Æ. 10, 555
Deucalion G. 1, 62
devecta sarmenta G. 2, 408
devenere locos Æ. 1, 365. 6, 638
devenient speluncam Æ. 4, 525
deveniunt speluncam Æ. 4, 166
devexit sylvam arator G. 2, 207
devexo pondere G. 3, 524 Olympo Æ. 8, 280
devexus in Austros mundus G. 1, 241. ab Indis amnis G. 4, 293
devictâ Arisbâ, *fœm. abl.* Æ. 9, 264. Asiâ Æ. 11, 268. *neut.* bella Æ. 10, 370
devinctus amore pater Æ. 8, 394
Deum E. 8, 35. G. 4, 221. Æ. 4, 358. 6, 79. 8, 275. 9, 659
Deûm *pro* Deorum E. 4, 15. 49. G. 2, 148. 473. 3, 486. 4, 276. 448. 521. Æ. 1, 9. 229. 2, 54. 156. 248. 257. 623. 788. 3, 59. 215. 375. 476. 4, 62. 268. 5, 707. 6, 322. 376. 461. 565. 786 7, 58. 239. 306. 584. 620. 8, 7. 36. 41. 698. 9, 82. 10, 101. 228. 252. 470. 875. 11, 4. 233. 785. 12, 199. 851
devolat Iris Æ. 4, 702
devolvunt fusis pensa *Parcæ* G. 4, 349. trabes Æ. 2, 449
devoveo vobis animam hanc Æ. 11, 442
devovet se aris Æ. 12, 234
devota pesti futuræ, *amori Dido* Æ. 1, 712
Deus E. 1, 6. 7. 19. 4, 63. 5, 64. *bis;* 8, 75. 10, 26. 61. G. 1, 29. 2, 392. 3, 392. 4, 315. Æ. 1, 199. 719. 3, 338. 715. 4, 440. 574. 651. 5, 391. 640. 841. 854. 6, 46. *bis;* 348. 749. 7, 498. 8, 31. 352. *bis;* 9, 77. 211. 601. 721. 10, 72. 424. 773. 11, 118. 12, 321. 429. 500. 677
dexter, quis rebus dexter modus Æ. 4, 294. quò tantùm mihi dexter abis, *ad dextram*, Æ. 5, 162. nos dexter adi, *propitius*, Æ. 8, 302. connixus ab aggere dexter Æ. 9, 769
dextera Æ. 4, 307. 6, 879. 7, 366. 474. 9, 289. 747. 10, 333. 341. 395. 11, 172. 178. 339. 12, 428. 436. 538 *via* Æ. 6, 541. *pars* Æ. 9, 469
dextra, *nom.* E. 1, 36. Æ. 4, 597. 8, 567. 10, 610. 773. 11, 118. 385. 12, 97. *abl.* G. 1, 329. Æ. 1, 98. 334. 2, 291. 425. 592. 4, 60. 704. 5, 457. 479. 642. 692. 8, 354. 563. 9, 320. 807. 10, 226. 246. 279. 326. 339. 650. 797. 830. 11, 267. 408. 556. 651. 862. 12, 14. 50. 206. 403. 644. 659. *neut.* sidera cœlo dextra feras, *propitia*, Æ. 4, 579
dextrâ lævâque G. 1, 235. Æ. 1, 611. 6, 486. 656. 9, 677. 11, 528
dextræ, *dat.* Æ. 1, 408. 2, 723. 4, 104. 7, 498. 8, 164. 10, 847. 11, 292. *plur.* Æ. 10, 517
dextram Æ. 1, 408. 3, 610. 670. 4, 314. 5, 443. 6, 370. 697. 7, 234. 8, 124. 164. 278. 558. 9, 741. 10, 414. 823. 11, 277. 672. 750. 12, 196. 311. 579. 734. 930. 939
dextras Æ. 1, 514. 3, 83. 6, 613. 8, 467. 9, 250. 558. 11, 165. 414
dextris Æ. 2, 444. 8, 274. 11, 606. 735
dextro in armo G. 3, 86
dextros sinus Æ. 5, 831
dextrum litus Æ. 3, 413. latus Æ. 3, 420
dia Camilla Æ. 11, 657
Diana, *primâ longâ*, Æ. 1, 499. *primâ brevi*, Æ. 11, 582
Dianæ, *primâ ubique brevi* Æ. 3, 681. 4, 511. 7, 306. 764. 769. 11, 537. 652. 857
Dianam Æ. 11, 843
dic E. 3, 1. 31. 104. 106. 8, 78. Æ. 1, 753. 6, 318. dic properet Æ. 4, 635. dic age Æ. 6, 343. dic in amicitiam coëant Æ. 7, 546
dicabo propriam *tibi* Æ. 1, 73. 4, 126
dicam G. 2, 226. 4, 5. 537. Æ. 2, 712. 3, 388. 6, 722. 11, 348. quid dicam tempestates autumni G. 1, 311. quo te carmine dicam G. 2, 95. quid bella dicam Æ. 4, 43. dicam horrida bella, dicam acies Æ. 7, 41. 42
dicamus amores Galli E. 10, 6. leges fœderis Æ. 11, 322
dicat se victum E. 4, 59. amores E. 10, 34. carmina G. 1, 350
dicatis sibi templis Æ. 5, 60
dicatur, his calamis tibi dicatur origo nemoris, *à te celebretur*, E. 6, 72
dicemus E. 5, 51. musam Damonis E. 8, 5. honorem Baccho G. 2, 393
dicenda sunt carmina E. 10, 3
dicendum et quæ sint arma G. 1, 160
dicens hæc Æ. 2, 550. hoc Æ. 10, 744. 12, 950
dicent sidera surgentia *astrologi* Æ. 6, 850
dicente eo Æ. 10, 101
dicentem talia Æ. 4, 362
dicentur mœnia Trojæ Æ. 5, 633
dicere Æ. 7, 370. 8, 12. 9, 233. 11, 345. facta E. 4, 54. 8, 8. versus E. 5, 2. deductum carmen E. 6, 5. digna Cinnâ E. 9, 35. solem falsum G. 1, 463. pugnas G. 3, 46. multa G 4, 502. Æ. 2, 791. 4, 391. 10, 555. plura Æ. 7, 449. grates Æ. 11, 508. leges pacis Æ. 12, 112
diceret E. 9, 4. Æ. 6, 162
dicet Æ. 12, 40. Romanos de suo nomine Æ. 1, 277
dicetis alternis E. 8, 59
dicetur Æ. 8, 272
dicit te crudelem nomine G. 4, 356
dicite E. 3, 55. 8, 63. Æ. 1, 137. 6, 669. 7, 195. 8, 119. 9, 79.
dicitur Æ. 4, 204. 5, 602. 6, 107. 235. 7, 409. 9, 591
dicta, *nom. fœm.* Æ. 2, 678. fluvii cognomine Gela Æ. 3, 702. *neut.* meæ genti fata, *declarata*, Æ. 6, 73. *verba* Æ. 2, 115. 3, 169. 250. 4, 226. 380. 428. 6, 377. 7, 212. 292. 8, 583. 10, 104. 244. 448. 491. 584. 585. 612. 11, 330. 12, 11. 75. 644. 895. hæc ubi dicta Æ. 1, 81. 5, 32. 315. 8, 175. hæc ubi dicta dedit Æ. 2, 790. 6, 628. 7, 323. 471. 8, 541. 10, 633. 12, 81. 441. dabat Æ. 5, 852. 9, 431. dabas Æ. 10, 600. vix ea dicta Æ. 8, 337
dictæ, *plur.* Graio de nomine Æ. 3, 210
Dictæa arva Æ. 3, 171
Dictææ Nymphæ E. 6, 56
Dictæi regis G. 2, 536
Dictæo antro G. 4, 152
Dictæos saltus Æ. 4, 73
dictam fratris cognomine gentem Æ. 7, 671
dictamnum Æ. 12, 412
dicti, *plur.* Albæ de nomine, *loci* Æ. 9, 387
dictis, *verbis*, Æ. 1, 153. 197. 579. 585. 663. 689. 2, 147. 336. 775. 3, 153. 358. 579. 4, 54. 92. 197. 219. 388. 394. 476. 5, 357. 387. 464. 719. 770. 816. 6, 98. 382. 387. 468. 759. 898. 7, 249. 284.

duplici dorso G. 1, 172. Mæandro, *flexu*, Æ. 5, 251. squamâ Æ. 9, 707

dura, *nom.* ad tactum pellis G. 3, 502. res Æ. 1, 563. gens Æ. 5, 730. silex Æ. 6, 471. conjux Æ. 10, 45. potentia Æ. 10, 72. quies Æ. 10, 745. 12, 309. fortuna Æ. 12, 677. *voc.* *ô crudelis* E. 10, 47. *abl.* gente Æ. 11, 48. *plur.* imperia G. 2, 369. saxa G. 3, 230. limina Æ. 2, 479. vada Æ. 3, 706. sedilia Æ. 5, 837. ossa Æ. 6, 54. prælia Æ. 7, 807. discrimina Æ. 10, 393. rudimenta Æ. 11, 157. dura multa cum corde putabunt Æ. 8, 522

duræ, *gen.* mortis G. 3, 68. Æ. 10, 791. Trojæ Æ. 11, 288. *plur.* quercus E. 4, 30. 8, 52

duram humum G. 3, 297. hyemem G. 4, 239. vim G. 4, 399

duramus gelu Æ. 9, 604

durando, *gerund.* G. 2, 295

durare solum E. 6, 35. per annos G. 2, 100. durare laborem Æ. 8, 577

duras in aures Æ. 4, 428. curas Æ. 4, 488

durat *terram* calor G. 1, 91. humeros ad vulnera G. 3, 257

duratæ Æ. 1, 207

durescere campum G. 1. 72

durescit limus E. 8, 80

duri, *gen.* Martis E. 10, 44. Æ. 12, 73. dentis G. 2, 378. Ulyssei Æ. 2, 7. Atlantis Æ. 4, 247. casus Æ. 6, 377. belli Æ. 10, 146. Halesi Æ. 10, 422. *plur.* Dardanidæ Æ. 3, 94. dolores Æ. 5, 5. Æneadæ Æ. 9, 468

duris cotibus E. 8, 43. G. 4, 203. rebus G. 1, 146. agrestibus G. 1, 160. arvis G. 2, 341. incudibus G. 2, 540. lupatis G. 3, 208. cautibus Æ. 4, 366. stipitibus Æ. 7, 524. glebis Æ. 7, 747. ossibus Æ. 9, 66. contis Æ. 9, 510

durissima regna Æ. 6, 566

duro vomere G. 3, 515. labore G. 4, 114. tergo Æ. 5, 403. vulnere Æ. 5, 436. ferro Æ. 6, 148. robore Æ. 8, 315. 11, 893. tumultu Æ. 8, 371. ligno Æ. 9, 543. Marte Æ. 12, 410

duros bello Scipiadas G. 2, 170. bidentes G. 2, 355. cæstus Æ. 5, 478. labores Æ. 6, 437. 8, 291. agrestes Æ. 7, 504. colles Æ. 11, 348. postes Æ. 11, 890

durum, *masc.* dentem vomeris G. 1, 261. Eurysthea G. 3, 4. saporem Bacchi G. 4, 102. laborem Æ. 8, 380. Cissea Æ. 10, 317. *neut.* genus G. 1, 63. 4, 246. Æ. 9, 603. iter Æ. 6, 688

durus labor G. 2, 412. amor G. 3, 259. Æ. 6, 442. arator G. 4, 512

dux E. 8, 38. Æ. 1, 364. 4, 124. 165. 6, 348. 562. 9, 28

duxere triumphos ad templa G. 2, 148. unde duxere genus Latini Æ. 5, 568

duxerit in montes E. 6, 65

duxi sub mœnia Æ. 8, 165

duxisse senectam Æ. 10, 192

duxisti me crimine dignum Æ. 10, 669

duxit me per omnia Æ. 6, 565. per singula Æ. 6, 888. Ænean subter fastigia tecti Æ 8, 367. *arcum* longè Æ. 11, 860

Dymas Æ. 2, 340. 394. 428

## E.

E *passim, sed nullo singulari sensu*

éque quercu E. 7, 13. éque chao *vel* áque G. 4, 347

ea, eam, eo, eos, eum, *rarius neque ullo singulari sensu*

eadem, *nom. sing.* E. 5, 87. G. 2, 89. 165. 4, 234. Æ. 1, 240. 3, 95. 4, 298. 5. 812. 8, 146. 382. 10, 508. 6, 655. *neut. plur.* E. 2, 35. G. 4, 36. Æ. 4, 77. 678. 6, 647. 8, 9. 302. 10, 741. 11, 96. 132. 12, 197. *abl. sing.* Æ. 10, 487

eamus E. 9. 64

eandem Æ. 4, 124. 165

easdem G. 4, 185. Æ. 7, 69

eat G. 1, 345

ebenum G. 2, 117

ebori Æ. 1, 592

eboris Æ. 11, 333

ebuli E. 10, 27

ebur G. 1, 57. 480. 2, 193. Æ. 10, 137. 12, 68

eburnâ, *abl.* portâ Æ. 6, 898. vagina Æ. 9, 305

eburno humero G. 3, 7. pectine Æ. 6, 647

eburnum ensem Æ. 11, 11

Ebuso, *dat. nom. propr. viri*, Æ. 12, 299

ecce, *cum verb, vel nom. ut* ecce Palæmon E. 3, 50. ecce processit astrum Cæsaris E. 9, 47. 2, 46. 5, 66. G. 1, 108. 407. 3, 515. Æ. 2, 57. 203. 270. 318. 403. 526. 673. 682. 3, 219. 477. 687. 4, 152. 576. 5, 167. 324. 793. 854. 6, 46. 255. 337. 656. 7, 286. 706. 8, 81. 228. 9, 417. 10, 133. 322. 377. 570. 11, 226. 448. 547. 12, 319. 650. 672

Echionium nomen Æ. 12, 515

ecqua est cura Æ. 3, 341

ecquid Æ. 3, 342

ecquis erit modus? E. 10, 28. erit mecum qui Æ. 9, 51

edat nec te dolor Æ. 12, 801

edax ignis Æ. 2, 758

edebat ignis artus G. 3, 566. funera per campos Æ. 10, 602

edendi penuria Æ. 7, 113. amor Æ. 8, 184. rabies Æ. 9, 63

edice, *significa*, Æ. 11, 463

edicit Æ. 10, 258

edico G. 3, 295. Æ. 3, 235

ediderat vix hæc Æ. 5, 693

ediderit funera Æ. 9, 527. strages Æ. 9, 785

edidit hæc Æ. 5, 799. hæc ore Æ. 7, 194. *illum* in auras Æ. 7, 660. Electram Atlas Æ. 8, 137

ediscere E. 6, 83

edissere hæc mihi Æ. 2, 149

editus Austro *campus* G. 2, 188

edoceat Æ. 8, 13

edocet Æ. 5, 748. 10, 152

Edoni Boreæ Æ. 12, 365

educat, *alit*, Æ. 10, 518

educere cœlo, *ad cœlum erigere*, Æ. 2, 186. 6, 178. pubem castris Æ. 11, 20. natos, *alere*, Æ. 8, 413

educet, *pariet*, Æ. 6, 765. 779

educta mœnia caminis Cyclopum Æ. 6, 630

eductam sub astra turrim Æ. 2, 461

eductum, *educatum*, Æ. 7, 763. 9, 584

educunt fœtus G. 4, 163. Æ. 1, 432

edunt puerum in cotibus E. 8, 45. fœtus G. 4, 199

eduræ coryli G. 2, 65

eduram pyrum G. 4, 145

eduxit, *educavit*, Æ. 9, 673 corpore telum Æ. 10, 744

effare Æ. 6, 560

effari Æ. 4, 76

effata, *fœm.* Æ. 4, 30. 456. 499. 5, 653. 6, 262. 7, 456. 12, 601. 885

effatur Æ. 9, 295. 737. 10, 523

effatus G. 4, 450. Æ. 3, 463. 6, 197. 547. 7, 274. 8, 443. 9, 22. 644. 10, 256. 299. 877. 11, 741. 12, 896

effecta res Æ. 11, 14

effer E. 8, 64

effera, *fœm.* Dido Æ. 4, 642. flammis Æ. 7, 787. juventus Æ. 8, 6. mens Æ. 8, 205. vis animi Æ. 10, 898. *neut.* facta Æ. 8, 484

efferre pedem Æ. 2, 657

efferri Æ. 5, 350

D

D 2

exhaustos omnibus casibus Æ. 1, 599
exhaustum satis est pœnarum Æ. 9, 356
exhorrescat vultus amicos Æ. 7, 265
exhortantur sese in arma Æ. 7, 472. equos Æ. 11, 610
exhortarer gnatum *ad id* Æ. 8, 510
exhortata, *fœm.* sic Æ. 12, 159
exierat Æ. 8, 585. è conspectu Æ. 11, 903
exierint, *ubi vites creverint*, G. 2, 368. ad pugnam Æ. 4, 67
exigat annos Æ. 1, 75. ævum Æ. 10, 53. ensem per costas Æ. 10, 682
exigeret ævum Æ. 7, 777
exigit tempus secum ipsa modumque Æ. 4, 476. ensem Æ. 10, 815
exigua, *abl. fœm.* nocte G. 2, 202. *neut.* solatia Æ. 11, 63
exiguæ vires Æ. 8, 473
exiguam urbem Æ. 4, 212. vocem Æ. 6, 493. in Cererem Æ. 7, 113. partem Æ. 10, 128
exigui, *gen.* pulveris G. 4, 87. *plur.* numero Æ. 5, 754
exiguo igni G. 1, 196
exiguum *rus* G. 2, 413
exiguus humor G. 1, 70. mus G. 1, 181. locus G. 4, 295
exiit ad cœlum ramis arbos G. 2, 81. amnis Æ. 2, 497
exilia Æ. 2, 780. 3, 4
exilio G. 2, 511. Æ. 2, 798. 11, 542
exilit in siccum G. 3, 433
exilium Æ. 2, 638. 10, 850
eximet vos ævo nulla dies Æ. 9, 447
eximiæ laudis Æ. 7, 496
eximios tauros G. 4, 538
exin Æ. 6, 890. 7, 341. 8, 306. 12, 92
exinde Æ. 6, 743
exire Æ. 1, 306. 9, 739. servitio E. 1, 41
exiret victima septis E. 1, 34
exis, quocunque exis *ô Tybri* Æ. 8, 75
exit si amnis G. 1, 116. sterilis stirpibus *arbos* G. 2, 53. tela corpore, *eludit*, Æ. 5, 438. ante omnes locus Hippocoontis Æ. 5, 492. urbibus, *fons erumpit in*, Æ. 8, 65. vim viribus Æ. 11, 750
exitiale donum Æ. 2, 31. scelus Æ. 6, 511
exitiis Æ. 7, 129
exitio G. 3, 511. Æ. 5, 625. 9, 316
exitium E. 3, 101. G. 3, 503. 4, 534. Æ. 2, 131. 190. 10, 13. 12, 761
exitus, *finis*, Æ. 2, 554. *casus*, Æ. 5, 523. datur umbris Æ. 6, 894. gravis manet insontem Æ. 10, 630
exolvit se corpore Æ. 11, 829
exolvite me his curis Æ. 4, 652
exoptata stagna Æ. 6, 330
exoptatum parentem Æ. 2, 138
exorat pacem Divûm Æ. 3, 370
exordia E. 6, 33. Æ. 4, 284. pugnæ Æ. 7, 40
exoriare ex ossibus ultor aliquis Æ. 4, 625
exoriens sol G. 1, 438
exoritur clamor Æ. 2, 313. 3, 128. 12, 756. fletus Æ. 5, 765. discordia inter cives Æ. 12, 583
exorsa, *exordia*, G. 2, 46. incepta Æ. 10, 111
exorta *est* lætitia Æ. 3, 99
exorto jubare Æ. 4, 130
exosa victoria manus Æ. 11, 436. pugnas *ego*, Æ. 12, 818
exosum bella juvenem Æ. 12, 517
exosus *est* Trojanos Æ. 5, 687
expecta G. 3, 237
expectant Æ. 2, 358. 4, 134. 9, 46. 130. arbores pressos propaginis arcus G. 2, 27. falcem oleæ G. 2, 421. signum Æ. 5, 137. 6, 614
expectare E. 7, 34. Æ. 11, 738
expectat, *moratur*, Æ. 4, 225
expectata seges G. 1, 226. dies Æ. 5, 104. patri pietas Æ. 6, 687
expectate, *voc.* Æ. 2, 283. 8, 38
expectati triumphi Æ. 11, 54
expectatum, ante expectatum G. 3, 348
expectem Æ. 12, 570
expectent præmia palmæ Æ. 5, 70
expectet fugam facilem Æ. 4, 430
expediam G. 4, 150. 286. Æ. 7, 40. 11, 315. dictis Æ. 3, 379. 6, 759
expedias quod instat Æ. 8, 50
expediat morbi causam G. 4, 397. quis Deus mihi expediat tot acerba Æ. 12, 503
expedient, non expedient arma *cives* Æ. 4, 592
expediet tibi, *explicabit*, Æ. 3, 460
expedior flammam inter et hostes Æ. 2, 633
expediunt arma Cerealia Æ. 1, 178. Cererem canistris Æ. 1, 702. contos Æ. 5, 209. pars latices Æ. 6, 219. manus, *explicant*, Æ. 12, 258
expellere Æ. 10, 354
expendere pœnas Æ. 10, 669. casus Æ. 12, 21
expendimus pœnas scelerum Æ. 11, 258
expendisse scelus Æ. 2, 229
expendunt supplicia Æ. 6, 740
experiamur E. 3, 29
experiar *carmina*, E. 5, 15. *coner*, E. 8, 67. procos priores Æ. 4, 535
experiare licet Æ. 11, 387
experiatur Turnum in armis Æ. 7, 434
experientia G. 1, 4. 4, 316
experière illam *terram* colendo G. 2, 222
experietur amaros amores E. 3, 110
experiuntur laborem G. 4, 157
expers virtutis avitæ Æ. 10, 752
experta, *fœm.* labores G. 4, 340. *eum* dictis Æ. 7, 373
expertem thalami vitam Æ. 4, 550
experti cum sint hæc G. 1, 119. haud ita *sunt* me Æ. 11, 396. *estis* saxa Cyclopea Æ. 1, 202
experto credite Æ. 11, 283
expertos belli juvenes Æ. 10, 173
expertus Æ. 2, 676. bello est Æ. 7, 235
expirans Æ. 10, 731. 11, 820
expirant animas Æ. 11, 883
expirantem Æ. 1, 34. 11, 865
expirare flammam Æ. 3, 580
explebit imperio triginta orbes Æ. 1, 270
explebo numerum Æ. 6, 545
explent oras floribus G. 4, 40. quinque orbes cursu Æ. 12, 763
expleri mentem nequit Æ. 1, 713. *satiari*, Æ. 8, 265. 618
explêrit sanguine pœnas patrias Æ. 7, 766
explêsse animum flammæ ultricis Æ. 2, 586
explet ingluviem ranis G. 3, 431
expletus dapibus Æ. 3, 630
explicat frondes G. 2, 335
explicet quis funera fando Æ. 2, 362
explicuit cohortes legio G. 2, 280
explorant Æ. 7, 150. 9, 170
explorare quid optes Æ. 1, 77. locos Æ. 1, 307
explorat insidias G. 3, 537. ventos Æ. 3, 514
exploratores equitum Æ. 11, 512
exploret robora fumus G. 1, 175
exponit Æ. 6, 416. pontibus socios Æ. 10, 288. viros in undis Æ. 10, 305
exportans G. 3, 402

*E*

G.

H.

vigor venit membris G. 4, 418. clypeus Æ. 12, 432
habitabant vallibus Æ. 3, 110
habitæ oracula quercus G. 2, 16
habitamus lucis Æ. 6, 673
habitans ripas G. 3, 430
habitant urbes Æ. 3, 106. ad litora Æ. 3, 643. *illic* Morbi Æ. 6, 275
habitantes litore Æ. 11, 265
habitantur mœnia Graiis Æ. 3, 398
habitare casas E. 2, 29. sylvas E 6, 2. hic Æ. 7, 151
habitarunt sylvas E. 2, 60
habitat *vultur* sub pectore Æ. 6, 599
habitata mapalia raris tectis G. 3, 340
habitet tecum Æ. 11, 409
habitu Æ. 8, 723
habitum Æ. 1, 315
habitura concilia G. 1, 24
habitus, *acc.* locorum G. 1, 52. Dardanios Æ. 3, 596
habitus, *particip.* auctor Æ. 11, 339
habuere qui vos saltus E. 10, 9. vires suas poma G. 2, 427. fines Latinos Æ. 8, 602
habuisse alium tenorem *dies* G. 2, 337. domos suspectas Æ. 4, 97. dolum fertur Labyrinthus Æ. 5, 590
habuistis si quam spem in armis Æ. 11, 308
habuit me thalamus Æ. 6, 521
hac, hæ, hæc, hanc, harum, has, hi, hic, *pron. et adv.* his, hoc, horum, hos, huic, hujus, hunc, *passim, sed nullo singulari sensu*
hâc *adverb.* Æ. 1, 467. 468. 6, 542. 8, 203. 9, 321. 11, 763. 12, 625
hac *et* tenus *per Tmesin,* hâc celebrata tenus Æ. 5, 603. Troja natenus Æ. 6, 62. *Vide* tenus
hactenus G. 2, 1. Æ. 10, 625. 11, 823
Hadriacas undas Æ. 11, 405
Hæmi G. 1, 492. 2, 488
Hæmon Æ. 9, 685. 10, 126
hærebam cui datus custos Æ. 6, 350
hærebat Æ. 3, 608. in limine conjux Æ. 2, 674
hæredis Iüli Æ. 4, 274
hærens Æ. 5, 852
hærent vix ossibus *oves* E. 3, 102. parietibus scalæ Æ. 2, 442. infixi pectore vultus verbaque Æ. 4, 4. sub foliis *somnia* Æ. 6, 284
hærentem ossibus hastam Æ 10, 384
hæres, *nom.* Æ. 7, 424. *verb.* Æ. 12, 796
hæret curru resupinus Æ. 1, 476. obtutu defixus in uno Æ. 1, 495. hæc oculis *Regina* Æ. 1, 718. in sedibus Æ. 2, 654. lateri arundo Æ. 4, 73. scopulis Æ. 4, 445. hic terminus Æ. 4, 614. solo immobilis Æ. 7, 250. dextram complexus Æ. 8, 559. pede pes Æ. 10, 361. hæret visceribus super accumbens Æ. 10, 726. lacrymans Æ. 11, 150. *ipsi* hians Æ. 12, 754
hæserat Evandro Æ. 10, 780
hæsere attonitis animis Æ. 5, 529. tergo sagittæ Æ. 12, 415
hæserunt arvis *radices* G. 2, 422
hæsit vox faucibus Æ. 2, 774. 3, 48. 4, 280. 12, 868. aspectu conterritus Æ. 3, 597. saxis Æ. 5, 204. sub gutture vulnus Æ. 7, 533. hasta cerebro Æ. 9, 419. postibus Æ. 9, 537. manu Hectoris victoria Graiûm Æ. 11, 290. unguibus Æ. 11, 752. hasta sub papillam Æ. 11, 804. in corpore ferrum Æ. 11, 864
halant sertis aræ Æ. 1, 417
halantes floribus horti G. 4, 109
Halcyonen G. 3, 338
Halcyones *aves* dilectæ Thetidi G. 1, 399
Halesi, *nom. viri,* Æ. 10, 422
Halesum Æ. 10, 417
Halesus Æ. 7, 724. 10, 352. 411. 424
Halium Æ. 9, 767
halitus G. 2, 350. Æ. 4, 684. 6, 240
Halyn Æ. 9, 765
Hamadryadas E. 10, 62
hamis Æ. 3, 467. 5, 259
Harpalyce *Amazon* Æ. 1, 317
Harpalycum Æ. 11, 675
Harpyia Celæno Æ. 3, 365
Harpyiæ Æ. 3, 212. 226
Harpyias Æ. 3, 249
hasta Æ. 1, 478. 2, 530. 6, 167. 9, 411. 576. 610. 746. 10, 340. 522. 553. 579. 588. 736. 877. 11, 644. 674. 799. 803. 12, 96. 270. 293. 493. 537. 789. 924
hastæ Æ. 6, 652. 10, 457. 772. 11, 555. 807
hastam Æ. 2, 50. 175. 8, 625. 9, 744. 10, 335. 383. 391. 11, 91. 284. 565. 637. 767. 12, 93. 398. 431
hastas E. 5, 31. Æ. 7, 396. 9, 763. 10, 715. 11, 605. 12, 130. 330
hastile Æ. 9, 402. 10, 795. 11, 561
hastilia G. 2, 358. Æ. 1, 313. 3, 37. 5, 557. 11, 650. 12, 165. 489
hastilibus G. 2, 447. Æ. 3, 23. 12, 691
hastis G. 2, 142. Æ. 9, 229. 465. 811. 10, 178. 11, 601. 613. 12, 711
haud, *passim, sed nullo peculiari sensu*
haud quicquam Æ. 12, 882
haud quaquam G. 4, 455
hauri hæc animo Æ. 12, 26
hauriat oculis, *videat cum satietate,* Æ. 4, 661
haurit corda pavor G. 3, 105. Æ. 5, 137. huic latus gladio Æ. 10, 314
hauserat Sol medium orbem G. 4, 427
hausere lucem pecudes G. 2, 340
hauserit ensis inimicus *illos* Æ. 2, 600
hausi vocem his auribus Æ. 4, 359
hausit pateram Æ. 1, 738. strepitum Æ. 6, 559. de gurgite lymphas Æ. 9, 23. spem animo Æ. 10, 648. cœlum auras suspiciens Æ. 10, 899. oculis monumenta doloris Æ. 12, 946
haustu aquarum G. 4, 229
haustus ætherios Æ. 4, 220
hausurum supplicia Æ. 4, 383
Hebesum, *nomen viri,* Æ. 9, 344
hebet sanguis Æ. 5, 396
hebetant terreni sensus Æ. 6, 732
hebetat visus obducta tuenti nubes Æ. 2, 605
Hebri, *flum.* Æ. 12, 331
Hebrum, *flum.* E. 10, 65. *nom. viri,* Æ 10, 696
Hebrus G. 4, 463. 524
Hecate Æ. 4, 609. 6, 118. 564
Hecaten Æ. 4, 511. 6, 247
Hector Æ. 1, 99. 2, 270. 282. 522. 3, 312. 343. 5, 371. 9, 155. 12, 440
Hectora Æ. 1, 483, 6, 166
Hectore Æ. 1, 750. 2, 275
Hectoreâ sub gente Æ. 1, 273
Hectoreæ conjugis Æ. 3, 488
Hectorei socii Æ. 5, 190
Hectoreos amnes Æ. 5, 634
Hectoreum, *masc.* tumulum Æ. 3, 304. *neut.* corpus Æ. 2, 543
Hectoris Æ. 3, 319. 6, 166. 11, 289
Hecuba Æ. 2, 515
Hecubam Æ. 2, 501
hei mihi Æ. 2, 274. 11, 57. 12, 620
Helenæ Æ. 1, 650
Helenam Æ. 7, 364
Heleni Æ. 3, 546. 684
Heleno Æ. 3, 329. 334. 433

I.

F

F 2

G

G 2

Æ. 7, 704. vario pectora motu Æ. 12, 217
miscet in turbam Æ. 1, 191. se viris Æ. 1, 440. incendia Æ. 2, 329. magno se corpore *mens* Æ. 6, 727. prælia Æ. 12, 628
miscetis odores E. 2, 55
miscetur gemitu domus interior Æ. 2, 487. pulvere campus Æ. 12, 445
miscuerunt herbas G. 2, 129. 3, 283
miscuit maria cœlo Æ. 5, 791
Misene Æ. 6, 189
Misenum Æ. 6, 162. 212
Misenus Æ. 3, 239. 6, 234
miser involvitur aris Æ. 12, 292
misera ante diem *Dido* Æ. 4, 697
miserabere res fractas, G. 4, 240
miserabile corpus E. 5, 22. Æ. 11, 59. carmen G. 4, 514. exitium G. 4, 532. visu Æ. 1, 111. vulgus Æ. 2, 798. miserabile Æ. 12, 338
miserabilis Orpheus G. 4, 454
miseræ Cremonæ E. 9, 28. *Didoni* Æ. 1, 344. *sibi* Æ. 1, 719. mihi Æ. 4, 315. 420. 12, 873. matri Æ. 9, 216. 484. *matris* Æ. 9, 475. senectæ Æ. 12, 58. *plur.* *ô matres* Æ. 5, 623. cives Æ. 5, 671. primitiæ Æ. 11, 156. Latinæ Æ. 12, 604
miseram me G. 4, 494. Eurydicen G. 4, 526. quam Æ. 9, 285. mortem Æ. 10, 829. 11, 881
miseranda, *nom. fœm.* tempestas G. 3, 478. lues Æ. 3, 138. cultu *forma viri* Æ. 3, 591. manus Æ. 11, 259
miserandæ *Camillæ* Æ. 11, 693
miserande puer Æ. 6, 882. 10, 825. 11, 42. jaceres Æ. 10, 327
miserandus Mnestheus Æ. 5, 509
miserans G. 2, 499. Æ. 5, 452. 10, 823
miserantem incommoda nostra Æ. 8, 74
miserantur iram inanem Æ. 10, 758. iniquam Turni sortem Æ. 12, 243
miserari casûs insontis amici Æ. 5, 350
miserat, quem miserat Æneæ comitem, *dederat,* Æ. 9, 177. quem ad Trojam Æ. 9, 547. quem genitor Æ. 9, 583
miserata, *nom. fœm.* dolorem Juno Æ. 4, 693. *nostri* genitrix Æ. 10, 234. animo repressit juvenem *Juno* Æ. 10, 686. *voc.* ô sola miserata labores Trojæ Æ. 1, 597
miserate labores Trojæ Æ. 6, 56
miseratus agrestes ignaros viæ G. 1, 41. Romam G. 1, 466. est amantem Æ. 4, 370. est ab cœlo *tui Jupiter* Æ. 5, 727. amorem Æ. 6, 28. sortem Æ. 6, 332. euntem est Æ. 6, 476
misêre exitium apibus G. 4, 534. saltu corpora ad terram Æ. 2, 566. quos de collibus Æ. 7, 727. te in prælia Æ. 7, 744. quos populi duces Æ. 11, 430
miserebitur hostis Æ. 2, 645
miserere nil nostri E. 2, 7. laborum Æ. 2, 143. domûs labentis Æ. 4, 318. sororis Æ. 4, 435. natique patrisque Æ. 6, 117. *mei* Æ. 9, 495. 12, 777. precantis Æ. 10, 598. tuorum Æ. 11, 365. 12, 653. parentis Æ. 12, 43. senectæ Æ. 12, 934
miserescimus ultrò Æ. 2, 145
miserescite regis Æ. 8, 575. ô venti Æ. 10, 676
miseret te lapsorum Æ. 5, 354. nec te natæque tuique Æ. 7, 360. Æneæ Æ. 9, 787
miseri, *gen.* unius Æ. 2, 131. Sichæi Æ. 4, 20. fratris Æ. 12, 636. *plur. nom.* parentes G. 3, 262. Troës Æ. 1, 524. nos Æ. 2, 248. Teucri Æ. 2, 459. Latini Æ. 11, 203. *voc.* ô cives Æ. 2, 42. fugite Æ. 3, 639
miseris Æ. 1, 630. 2, 199. 6, 721. 736. 8, 376. 9, 472. 10, 61. mortalibus G. 3, 66. Æ. 11, 182. nautis G. 3, 313. Laurentibus Æ. 8, 537. civibus Æ. 11, 119. agricolis Æ. 12, 452
miserit Orco tot juvenum primos Æ. 9, 785
misero mihi E. 2, 58. Æ. 2, 70. 10, 849. tumultu Æ. 2, 486. fato Æ. 2, 738. da dextram Æ. 6, 370. complexu Æ. 8, 488. patri Æ. 11, 63. *Cupento* Æ. 12, 541. fratri Æ. 12, 813. 881
miserorum culpam morte piabunt Æ. 2, 140. visceribus et sanguine vescitur Æ. 3, 622
miseros cives E. 1, 73. Æ. 11, 360. aconita legentes G. 2, 152. Penates G. 2, 505. artus G. 3, 483. Æ. 2, 215. Troas Æ. 10, 89. meliora sequentur Æ. 12, 153
miserrima ipse Æ. 2, 5. cædes Æ. 2, 411. 11, 885. Dido Æ. 4, 117. soror Æ. 4, 437
miserrime conjux Æ. 2, 519
miserrimus Æ. 2, 655. 6, 618
miserum carmen E. 3, 27. Sinonem Æ. 2, 79. quid laceras? Æ. 3, 41. amorem Æ. 5, 655. 12, 646. (miserum) Æ. 6, 21
misi mala decem E. 3, 71. classem ad Pergama Æ. 4, 426. regem sub Tartara Æ. 8, 563. quos sub Tartara Æ. 11, 397
misit sub amnem G. 4, 362. *me* huc in arma Æ. 2, 87. præceps se corpore ad undas Æ. 4, 254. Irim de cœlo Juno Æ. 5, 606. nos ad limina Æ. 7, 221. quos Æ. 7, 715. quem Æ. 7, 762. regni coronam cum sceptro Æ. 8, 506. Irim de cœlo ad Turnum Æ. 9, 2. cœlo se Æ. 10, 634. mentem Æneæ Æ. 12, 554
missa Trojâ gens G. 2, 385. alnus Pado Æ. 2, 452. hasta Æ. 10, 339. 11, 799
missæ hastæ Æ. 10, 457
missi exploratores Æ. 11, 511
missile, *ferrum,* Æ. 10, 421. 12, 278. telum Æ. 10, 773
missilibus Æ. 9, 520. 10, 718. 802
misso certamine Æ. 5, 286. 545
missos fratres Æ. 12, 516
missu regis Æ. 7, 752
missum te sub pericula Æ. 9, 483
missuram *se* hoc signum Æ. 8, 534
missus aries *in undas, mersus,* G. 3, 447. ad Trojam Æ. 3, 595. à sede angustâ Pelori Boreas Æ. 3, 688. ab Jove Æ. 4, 356. 377. ab æthere Æ. 4, 574. in imperium Æ. 6, 812. ab Argis Æ. 10, 779
mites uvas G. 1, 448
mitescent sæcula positis bellis Æ. 1, 291
mitescere discat malis E. 10, 61
miti Baccho G. 1, 344
mitia poma E. 1, 81
mitigat quam nec pietas Æ. 5, 783
mitis vindemia G. 2, 522. Tybris Æ. 8, 88
mitrâ, *abl.* Æ. 4, 216.
mitræ Æ. 9, 616
mittam altera *mala* E. 3, 71. te in pericula Æ. 9, 200
mittamus funera Teucris Æ. 12, 629
mittant sua sub juga Hesperiam Æ. 8, 148. se in fœdera æterna ambæ gentes Æ. 12, 191
mittatur ad urbem Æ. 11, 27
mitte E. 3, 76. in Venerem pecuaria G. 3, 64. de pectore curam Æ. 6, 85
mittent tumulo solemnia Æ. 6, 380

molitus aratro terram G. 1, 494
molle siler G. 2, 12. pecus G. 3, 299. Æ. 9, 341. feretrum Æ. 11, 64
molles, *nom.* castaneæ E. 1, 82. Sabæi G. 1, 57. somni G. 2, 470. *acc.* somnos G. 3, 435. aditus Æ. 4, 423. thyrsos Æ. 7, 390
molli junco E. 2, 72. acantho E. 3, 45. herbâ E. 3, 55. aristâ E. 4, 28. violâ E. 5, 38. hyacintho E. 6, 53. vittâ E. 8, 64. clivo E. 9, 8. G. 3, 293. lanâ G. 2, 120. collo G. 3, 204. umbræ G. 3, 464. tactu Æ. 2, 683. fronde Æ. 4, 147. amplexu Æ. 8, 388. auro Æ. 10, 138. 818. plumâ Æ. 10, 192
mollia vaccinia E. 2, 50. prata E. 10, 42. oscilla G. 2, 389. haud mollia jussa G. 3, 41. Æ. 9, 804. crura G. 3, 76. pensa G. 4, 348. colla Æ. 11, 622. haud mollia fatu Æ. 12, 25
mollibus foliis E. 5, 31. pratis G. 2, 384. capistris G. 3, 188. stabulis G. 3, 295. villis G. 3, 386. sertis Æ. 7, 488. stratis Æ. 8, 415. pilentis Æ. 8, 666. undis Æ. 9, 817. stimulis haud mollibus Æ. 11, 452. 728
mollior herba somno E. 7, 45. æstas G. 1, 312. undis ibat Euphrates Æ. 8, 726
mollis, *nom.* amaracus Æ. 1, 693. flamma Æ. 4, 66. *gen.* acanthi G. 4, 137. violæ Æ. 11, 69
mollissima, *neut.* vina G. 1, 341. fandi tempora Æ. 4, 293
mollit animos Æ. 1, 57
mollite fructus feros colendo G. 2, 36
molliter ossa quiescant E. 10, 33
molliùs spirantia æra Æ. 6, 847. locuta est Æ. 7, 357
Molorchi G. 3, 19
Molossum G. 3, 405
momordit humum ore Æ. 11, 418
mone Diva vatem Æ. 7, 41
moneat convellere funem G. 1, 457
monebat sic Jupiter Æ. 7, 110
monebo Æ. 3, 436
monent jussa Heleni Æ. 3, 684
monere ita visa est Æ. 4, 557
moneret quid menstrua Luna G. 1, 353. multa horrenda Æ. 3, 712. acres esse viros Æ. 11, 47
moneri te nostrâ voce Æ. 3, 461
monet instare tumultus G. 1, 465. Turnum succurrere Lauso Æ. 10, 439
monile Æ. 1, 654
monilia Æ. 7, 278
monimenta Æ. 3, 102. 486. 4, 498. 6, 26. 512. 8, 312. 356. 12, 945 (*scrib. et* monumenta)
monimentum et pignus amoris Æ. 5, 538. sui Æ. 5, 572
monita Carmentis Nymphæ Æ. 8, 336
moniti, *plur.* Æ. 2, 183. 3, 188. 6, 620
monitis Æ. 4, 331. 8, 504. 10, 110. 689
monitu Æ. 4, 282. 465. 6, 533. 9, 501. 10, 397
monitus datos Æ. 7, 102
Monœci Æ. 6, 830
mons Æ. 1, 105. 3, 92. 105. 12, 687
monstra G. 1, 185. Æ. 3, 59. 588. 6, 285. 729. 7, 270. 8, 283. 698. 9, 128
monstrabat talia Æ. 3, 690
monstrante viam Deâ Æ. 1, 382
monstrantem vulnera Æ. 6, 446
monstrantur campi Æ. 6, 440. hìc specus et spiracula Ditis Æ. 7, 569
monstrârat caput Æ. 1, 444
monstrat Æ. 4, 498. 8, 337. 343. quà semita Æ. 1, 418. fortuna salutis *viam* Æ. 2, 388. flumina inventa Æ. 6, 8. ira conferre manum Æ. 9, 44
monstrata mihi sacerdos Æ. 4, 483. piacula Æ. 4, 636
monstratas aras G. 4, 549
monstrate si quam vidistis sororum, &c. Æ. 1, 321
monstrator puer aratri G. 1, 19
monstrent cœli vias et sidera G. 2, 477
monstris E. 6, 75. Æ. 2, 171. 3, 307. 5, 659. 7, 81. 376. 780
monstro G. 3, 152. Æ. 5, 849. 7, 348. 8, 198. 12, 246. 874
monstrum G. 4, 554. Æ. 2, 245. 680. 3, 26. 214. 658. 4, 181. 5, 523. 7, 328. 8, 81. 9, 120. 10, 637
montana castella Æ. 5, 440
montano flumine torrens Æ. 2, 305
monte G. 3, 240. Æ. 3, 655. 4, 159. 6, 234. 7, 697. 11, 849
montem G. 3, 213. 373. Æ. 1, 81. 2, 804. 7, 713. 8, 231
montes E. 5, 28. 63. 6, 40. 65. G. 1, 283. 2, 260. 3, 254. 270. 412. 535. 4, 461. Æ. 1, 61. 2, 636. 3, 206. 508. 4, 151. 155. 8, 692. 11, 810. 12, 113
monti Æ. 12, 135
montibus E. 1, 84. 2, 5. 21. 5, 8. 6, 52. 71. 7, 56. 10, 32. G. 1, 43. 342. 358. 2, 111. 4, 112. 433. 474. Æ. 1, 607. 2, 626. 3, 6. 225. 644. 675. 4, 164. 491. 6, 182. 774. 7, 387. 563. 758. 8, 53. 321. 692. 9, 92. 674. 10, 544. 707. 766. 11, 569. 836. 12, 523
montis E. 5, 76. 8, 59. G. 2, 186. 4, 361. 419. Æ. 1, 55. 245. 2, 15. 3, 274. 575. 5, 35. 6, 360. 7, 674. 8, 191. 221. 9, 569. 10, 128. 698. 11, 320. 513. 526. 12, 684
montosæ Nursæ Æ. 7, 744
monuisset cornix ab ilice E. 9, 15
Mopse E. 5, 1. 10. 8, 29
Mopso E. 8, 26
mora E. 3, 52. G. 2, 482. 3, 110. 4, 185. 548. Æ. 1, 746. 2, 701. 3, 207. 473. 548. 5, 140. 368. 458. 639. 749. 6, 177. 7, 156. 10, 622. 11, 19. 713. 12, 11. 74. 541. 553. 565. 889
moræ Æ. 2, 282. 3, 453. 9, 143. 232. 10, 400
moram E. 10, 12. Æ. 1, 414. 10, 428
morandi causas innecte Æ. 4, 51
morando sustinuit ipsum Æ. 10, 798
morantem te his terris Æ. 4, 568. Gyam Æ. 5, 184
morantes G. 4, 28. 70. Æ. 7, 620
moranti longo tompore G. 3, 565
morantur nautæ Æ. 5, 207. diem Æ. 5, 766. nec jussa viri Æ. 6, 40. saxa Æ. 11, 297
morari Æ. 6, 487. 12, 676
moras G. 3, 43. Æ. 4, 407. 569. 7, 315. 8, 443. 9, 13. 10, 485. 658. 888. 12, 431. 699
morata paulùm lacrymis et mente Æ. 4, 649
moratur Æ. 4, 235. 7, 253. 9, 368. 439. vocibus Æ. 1, 670. me Æ. 2, 287. quæ segnities Æ. 2, 373
moratus haud multa Æ. 3, 610. 12, 506. nec plura Æ. 5, 381. in stirpe Æ. 12, 731
morbi G. 3, 67. 471. 4, 397. 532. Æ. 6, 275
morbo G. 3, 478. 485. 561. 4, 252. 318
morborum G. 3, 440
morbos G. 3, 552. Æ. 10, 274. 12, 851
morbus G. 3, 504
mordet juncturas laterum fibula Æ. 12, 274
more patrum G. 3, 177. Æ. 11, 186. quo solent G. 3, 461. suo G. 4, 66. feræ Æ. 4, 551. parentum Æ. 6, 223. veteris Dei Æ. 7, 204. hoc Æ. 7, 617. turbinis atri furens Æ. 10, 604. daret jura Æ. 7, 247

N.

## O.

dias illis turmas Æ. 10, 239. se morti Æ. 11, 115. me monstro Æ. 12, 874
opportuna seges pecori G. 4, 129. domus nidis volucrum Æ. 8, 235. loco turris Æ. 9, 531
oppositas moles Æ. 2, 497
oppositi, *nom. plur.* obsedêre angusta viarum Æ. 2, 333.
oppositis aris Æ. 12, 292
oppositum montem G. 3, 213. 373. interimit Abantem Æ. 10, 428
opposuere aciem Æ. 9, 469
opposuit sese Æ. 5, 335
oppressos fluctibus Æ. 1, 129
oppressum rapit Æ. 9, 398
oppugnat molibus urbem Æ. 5, 439
opta sequi astra pennis Æ. 12, 892
optabam tollere Æ. 2, 636
optabis nato funus pater Æ. 11, 57
optanti *tibi* promittere Æ. 9, 6
optantibus nobis Æ. 8, 200
optare locum tecto Æ. 1, 425. ternos juvencos Æ. 5, 247
optas quos portus Averni Æ. 5, 313. dabitur quod optas Æ. 7, 260
optâstis votis Æ. 10, 279
optat aprum descendere monte Æ. 4, 159
optatâ arenâ Æ. 1, 172. luce Æ. 4, 619
optatæ, *gen.* urbis Æ. 3, 509. *plur.* auræ Æ. 3, 530
optate, *verb.* externos duces Æ. 8, 503
optatis, *verb.* Erycis fines Æ. 1, 570
optatis sedibus Æ. 6, 203
optato Tybridis alveo Æ. 7, 303
optatò, *ex voto,* Æ. 10, 405
optatos dedit amplexus Æ. 8, 405
optatum honorem Æ. 5, 201. conjugium Æ. 11, 270
optavere illam nurum, *in nurum,* Æ. 11, 582
optaverit emptum magno intactum Pallanta Æ. 10, 503
optavit locum regno Æ. 3, 109. sumere pœnas Æ. 6, 501
optem tellus priùs dehiscat Æ. 4, 24. dimittere naves Æ. 5, 29
optes quid Æ. 1, 76
optima, *nom. fœm.* frumentis terra G. 2, 205. vinetis satio est G. 2, 319. torvæ forma bovis G. 3, 51. quæque dies ævi G. 3, 66. Dido Æ. 4, 291. mater Æ. 10, 557. *voc.* ô terra Æ. 12, 777. *neut. plur.* putri arva solo G. 2, 262. facta Æ. 10, 791
optime pater Teucrûm Æ. 1, 555. pater Æ. 3, 710. vates Æ. 6, 669. Grajugenûm Æ. 8, 127. Teuthra Æ. 10, 402. regum rex Æ. 11, 294. regum Æ. 11, 353. *pater* Æ. 12, 48
optimus pater Æ. 5, 358. armis Æneas Æ. 9, 40
opto cuncta versibus amplecti G. 2, 42. mortem Æ. 2, 655. *ut cupio,* Æ. 3, 498. hunc illum poscere fata Æ. 7, 273
opulenta castra Æ. 8, 475
opulentia Trojæ Æ. 7, 262
opulentum donis templum, et numine Divæ Æ. 1, 447
opum Æ. 1, 14. 2, 22. 9, 532. 11, 338. 12, 552
opus divini Alcimedontis E. 3, 37. fervet G. 4, 169. Æ. 1, 436. urbis ingentem Chimæram Æ. 5, 119. hoc opus, hic labor est Æ. 6, 129. animis et pectore firmo Æ. 6, 261. majus moveo Æ. 7, 45. grave Martis Æ. 8, 516. non mihi opus est armis Vulcani in Teucros Æ. 9, 149. hoc virtutis Æ. 10, 469
ora, *singul. regio,* G. 2, 225. Æ. 3, 707. Laurens, *litus,* Æ. 10, 706
ora, *plur.* G. 2, 246. 387. 3, 9. 188. 399. Æ. 1, 95. 354. 658. 2, 211. 247. 423. 531. 663. 681. 3, 174. 218. 425. 457. 490. 4, 62. 195. 499. 673. 5, 200. 340. 477. 576. 6, 308. 496. 10, 728. 790. 821. 822. 11, 39. 86. 121. 233. 300. 887. 12, 335. si centum mihi sint G. 2, 43. Æ. 6, 625. fovent illo *mala* Medi *halitum* G. 2, 135. fove G. 4, 230. in septem discurrit Nilus G. 4, 292. ferarum G. 4, 406. tria Cerberus G. 4, 483. resolvit G. 4, 452. ante parentum G. 4, 477. per novem it mare Æ. 1, 245. tenebant Æ 2, 1. tria Dianæ Æ. 4, 511. equorum Æ. 12, 373
orabat Æ. 4, 437. 6, 124. 10, 96
orabunt causas meliùs Æ. 6, 849
oraclum Ortygiæ, *oraculum,* Æ. 3, 143
oracula G. 2, 16. 4, 449. Æ. 2, 114. 3, 456. 7, 81. 8, 131
oræ Siculæ Æ. 3, 410
oram Illyrici æquoris E. 8, 7. primi litoris G. 2, 44. Itali litoris Æ. 3, 396
oramus te prohibe Æ. 1, 525
oranda Divæ numina Æ. 2, 232
orandi modus qui sit G. 4, 537
orando flectes G. 4, 399
orans Æ. 6, 116. multa Deos 9, 24
orant Æ. 5, 617. 9, 231
orantem talibus dictis Æ. 4, 219. multa Æ. 12, 294
orantes Æ. 11, 885. veniam Æ. 1, 519. stabant Æ. 6, 313
oranti Æ. 7, 446. 10, 599. 11, 697. 797
orantis Æ. 10, 536. 554
orare pacem manu Æ. 10, 80
oras *alveariorum* G. 4, 39. 188
oras Libyæ Æ. 1, 158. quas accesserit Æ. 1, 307. alias Æ. 1, 512. Iliacas Æ. 2, 117. et litora circum Æ. 3, 75. Rhœteas Æ. 3, 108. Libycas Æ. 4, 106. Italas Æ. 5, 703. Italiæ Æ. 6, 61. ingentes belli Æ. 9, 528
oras ambiit auro *clypei* Æ. 10, 243. per clypei oras molita viam Æ. 10, 477. per imas clypei subit hasta Æ. 10, 588. summi thoracis Æ. 12, 381. loricæ Æ. 12, 924
orâsse multa Æ. 4, 205
orat à me illos abducere E. 2, 43. mortem Æ. 4, 451
orate serenas hyemes G. 1, 100
oratis pacem Æ. 11, 111
oratores Æ. 7, 153. 8, 505. 11, 100. 331
oratur mora tempusque Æ. 10, 623
oraveris, quas non oraveris urbes Æ. 6, 92
orbe toto E. 1, 67. G. 1, 511. medio refugerit *sol* G. 1, 442. clypei Æ. 2, 227. temporis Æ. 6, 745
orbem E. 3, 41. 4, 17. 8, 9. G. 1, 209. 231. 2, 114. Æ. 1, 457. 602. 4, 119. 231. 5, 65. 7, 258. 11, 257. 694. in orbem vacuum G. 1, 62. labor actus in orbem G. 2, 401. in orbem glomerantur *apes* G. 4, 79. delphinis in orbem æquora verrebant caudis Æ. 8, 673. medium sol hauserat G. 4, 426. medium nox horis acta subibat Æ. 3, 512. fatalis crusti Æ. 7, 115. cœli medium sol conscenderat Æ. 8, 97. totum clypei Æ. 10, 546. per orbem *clypei pervadit hasta* Æ. 10, 783. tot bella *sunt* per orbem G. 1, 505
orbes, *circulos,* G. 1, 337. immensos rapit per humum *serpens* G. 2, 153. junctos G. 3, 173. ferratos G. 3, 361. tardos trahit, *de anguibus,* G. 3, 424. triginta magnos volvendis mensibus Æ. 1, 269. alternos orbibus impediunt Æ. 5, 584. æthereos Æ. 8, 137.

patiar quemvis durare laborem Æ. 8, 577
patiare corpus humo tegi Æ. 10, 904. labores Æ. 12, 33 ·
patiens operum juventus G. 2, 472. tam, *an* sines, &c. Æ. 5, 390. nondum Phœbi vates Æ. 6, 77. manum Æ. 7, 490. operum Æ. 9, 607. pericli Æ. 10, 610
patientem vomeris *terram* G. 2, 223
patiere durescere campum G. 1, 72. labores Æ. 7, 421
patieris inultæ famam Æ 11, 847
patietur humus rastros E. 4, 40
patimur quisque suos manes Æ. 6, 743
patitur G. 2, 318. 3, 216. Æ. 9, 795. 12, 480
patiuntur nautæ multa in alto mari Æ. 7, 200
patre, *primâ longâ*, Æ. 11, 341
patre, *primâ brevi*, Æ. 10, 205. 11, 666
patrem G. 4, 382. Æ. 2, 663. 666. 724. 747. 3, 35. 4, 605
patres G. 2, 473. Æ. 1, 7. 2, 579. 4, 682. 7, 176. 372. 727. 8, 132. 9, 192. 11, 454
patri Æ. 2, 674. 4, 58. 5, 603. 6, 859. 7, 282. 9, 312. 10, 525. 11, 178
patria E. 10, 46. Æ. 1, 357. 540. 2, 241. 3, 325. 4, 347. 633. 5, 632. 7, 122. 299. 8, 333. 10, 75. 351. 11, 797. 12, 44. 236. vi Æ. 2, 491. ex Ithacâ Æ. 3, 613. terrâ Æ. 6, 508. sede Æ. 7, 192. alta Æ. 10, 374
patriæ E. 1, 3. G. 2, 116. Æ. 2, 159. 291. 573. 3, 10. 5, 624. 6, 813. 823. 8, 511. 9, 786. 10, 59. 853. 11, 359. 594. 892. sedis Æ. 2, 634. manus Æ. 6, 33. pietatis Æ. 9, 294. 10, 824. laudis Æ. 10, 371. gentis Æ. 11, 246
patriam E. 1, 4. G. 1, 206. 2, 512. 3, 10. 121. 4, 155. 390. Æ. 1, 51. 380. 2, 137. 576. 6, 621. 660. 7, 182. 10, 436. 11, 127. 249. urbem Æ. 11, 793
patrias Mycenas Æ. 2, 180. 577. palæstras Æ. 3, 281. ad aras Æ. 3, 332. pœnas Æ. 7, 766. preces Æ. 8, 574. artes Æ. 11, 716
patrii Dii G. 1, 498. Æ. 2, 702. 9, 247. Martis Æ. 11, 374
patriis virtutibus E. 4, 17. carminibus G. 2, 394. armis G. 3, 346. Æ. 3, 595. finibus Æ. 1, 620. mensis Æ. 4, 602. Diis Æ. 7, 229. imperiis Æ. 7, 653. arvis Æ. 7, 736. abietibus Æ. 9, 674. muris Æ. 9, 738. oris Æ. 10, 198. 11, 269. 281. mœnibus Æ. 11, 882
patrio limine Æ. 2, 620. ore Æ. 2, 658. regno Æ. 3, 249. marito Æ. 3, 297. adyto Æ. 7, 269. sistro Æ. 8, 696. sepulchro Æ. 10, 558.
patrios fines E. 1, 68. cultus G. 1, 52. Argos Æ. 2, 95. muros Æ. 2, 279. vultus Æ. 2, 539. Penates Æ. 2, 717
patris G. 2, 67. Æ. 1, 665. 2, 663. 4, 238. 351. 427. 5, 31. 827. 863. 6, 116. 7, 102. 8, 550. 10, 460. 534. 688. 11, 62. 12, 22
patrium nemus G. 1, 16. honorem Æ. 5, 601. sidus Æ. 8, 681. sermonem Æ. 12, 834
patrius amor Æ. 1, 643
Patron Æ. 5, 298
patrui Æ. 6, 402
patrum G. 2, 509. 3, 128. 138. 177. Æ. 1, 95. 641. 2, 715. 5, 341. 8, 598. 10, 282. 11, 186. 688
patuere ostia domûs Æ. 6, 81. cavernæ Æ. 8, 242
patuerunt campi Æ. 12, 710
patuit Dea vera incessu Æ. 1, 405
patulæ fagi E. 1, 1. G. 4, 566
patulis naribus G. 1, 376. puppibus G. 3, 362. quadris Æ. 7, 115
pauca vestigia fraudis E. 4, 31. *carmina* E. 10, 2. jugera ruris G. 4, 127. subjicio Æ. 3, 313. tibi è multis *narrabo* Æ. 3, 377. refert Æ. 4, 333. 8, 154. 10, 17. pro re loquar Æ. 4, 337
pauci Æ. 1, 538. 6, 129. 744
paucis relictis Æ. 3, 190. comitate Æ. 10, 186. adverte, docebo Æ. 4, 116. 8, 50. reddidit responsum Æ. 6, 672. hæc Jupiter Æ. 10, 16. animos adhibete, docebo Æ. 11, 315. affatur Amatam Æ. 12, 71
paucos sequitur Æ. 12, 615
pavere regem cœli G. 4, 152
pavidæ matres Æ. 2, 489. 766. 8, 592
pavidam urbem Æ. 9, 473
pavidi nos Æ. 2, 685. *equi* Æ. 7, 780 magistri Æ. 12, 717
pavidos *cervos* G. 3, 72. Æ. 5, 575 agrestes Æ. 8, 349
pavidum se fingit Æ. 11, 406
pavit oves E. 10, 18
pavitans Æ. 2, 107
pavitantem Æ. 6, 498. 11, 813
paulatim E. 4, 28. 6, 36. G. 1, 134. 3, 215. Æ. 1, 720. 2, 630. 6, 358. 7, 529. 8. 326 9, 789. 11, 829
paulisper Æ. 5, 846
paulò majora canamus E. 4, 1
paulùm Æ. 3, 597. 4, 649
pavor G. 1, 331. 3, 106. Æ. 2, 229. 369. 3, 57. 5, 138
pauper pater Æ. 2, 87. senatus Æ. 8, 105. domus Æ. 12, 519
paupere genitore Æ. 3, 615. terrâ Æ. 6, 811
pauperiem Æ. 6, 437
pauperis tugurî E. 1, 69. horti E. 7, 34. Evandri Æ. 8, 360
pausia amarâ baccâ G. 2, 86
peccare Æ. 9, 140
peccata luant Æ. 10, 32
pecora Æ. 4, 158. 7, 679
pecori E. 3, 6. 83. 101. 5, 60 7, 47. 8, 15. G. 1, 4. 263. 444. 2, 233. 435. 3, 72. 125. 155. 159. 326. 419. 4, 129. 402. Æ. 12, 719
pecoris E. 1, 51. 2, 20. 3, 101. 5, 44. 10, 17. G. 2, 529. 3, 75. Æ. 8, 601
pecorum G. 2, 517. 3, 554. 4, 559
pectebat ferum *cervum* Æ. 7, 489
pectine G. 1, 294. Æ. 6, 647. 7, 14
pectora G. 1, 420. Æ. 1, 153. 197. 355. 481. 567. 2, 200. 206. 349. 3, 56. 4, 412. 673. 5, 7. 816. 7, 349. 518. 8, 29. 151. 267. 9, 250. 432. 543. 10, 151. 571. 11, 86. 216. 357. 452. 614. 877. 12, 86. 217. 541. 871
pectore E. 1, 64. G. 3, 373. 426. 4, 83. Æ. 1, 36. 44. 227. 371. 485. 521. 657. 717. 2, 107. 288. 474. 3, 246. 426. 4, 4. 11. 67. 448. 530. 553. 563. 689. 5, 182. 363. 409. 434. 482. 558. 679. 701. 780. 6, 55. 78. 85. 101. 261. 600. 7, 254. 292. 356. 392. 8, 437. 9, 103. 276. 326. 347. 414. 718. 740. 10, 212. 337. 556. 838. 11, 40. 368. 377. 409. 639. 685. 840. 12, 831. 888. 914. 950
pectoribus Æ. 4, 64. 7, 278. 10, 567. 11, 38. 615
pectoris crates Æ. 12, 508
pectunt colla comantia Æ. 12, 86
pectus G. 3, 81. 4, 15. Æ. 1, 502. 3, 298. 4, 589. 5, 781. 6, 48. 7, 338. 9, 700. 10, 422. 425. 485. 601. 11, 370. 667. 12, 5
pecuaria mitte in Venerem G. 3, 64
pecudem Æ. 3, 120
pecudes E. 2, 8. G. 1, 423. 478. 2, 150. 340. 3, 243. 368. Æ. 1, 743. 3, 642. 656. 4, 525. 636. 6, 153. 11, 199. 12, 214

illuc Æ. 9, 755. ex humero dextra Æ. 10, 341
pepercit nec voci iræque Æ. 2, 534
peperere sibi letum manu Æ. 6, 435. nobis hanc patriam suo sanguine Æ. 11, 25
pepigere bis senos dies Æ. 11, 133. nec quæ pepigere, recusent Æ. 12, 12
pepigi, *nec* prima tui tentamenta per artem Æ. 8, 144
pepigit fœdera hæc mihi tecum Æ. 10, 902
peplum ferebant Æ. 1, 480
per, *passim, sed nullo singulari sensu*
per æstum E. 5, 46. per artem G. 1, 122. per astra duodena sol regit orbem G. 1, 232. per ambas secta via G. 1, 238. per cuneos hunc hiantem plausus G. 2, 509. per herbam fusus G. 2, 527. per populos dat jura G. 4, 562. per terram cervixque comæque trahuntur Æ. 1, 478. per ovilia turbans leo, *perturbans ovilia*, vel *tumultuans in ovilibus*, Æ. 9, 339
perque E. 10, 23 *bis.* G. 1, 245, 2 307. Æ. 1, 537 *bis*; 2, 273. 365, 4, 286. 671 *bis*; 6, 269. 565. 7, 499 *bis*; 8, 21. 9, 534. 633. 10, 313. 11, 696 *bis*
peracta quibus est fortuna Æ. 3, 493. *abl.* cæde Æ. 9, 242
peragat inceptum Æ. 4, 452
peragenda, quæ peragenda, accipe Æ. 6, 136
peragrans stabula leo Æ. 10, 723
peragrant saltus sylvasque G. 4, 53
peragrat sylvas saltusque Æ. 4, 72
peragro Libyæ deserta Æ. 1, 384
peragunt iter inceptum Æ. 6, 384
percepi omnia Æ. 6, 105
percepit flammam pectore animus Æ. 7, 356
percipe porrò quid dubitem Æ. 9, 190
perculit victorem Butem Æ. 5, 374
perculsa, *nom. fœm.* mentem formidine G. 4, 357. *abl.* mente Æ. 9, 292. *neut. plur.* cætera jaceant Æ. 11, 310
perculsus amore *Musarum* G. 2, 476. lætitiâque metuque Æ. 1, 513. tanto nomine Pallas Æ. 8, 121. amore laudum Æ. 9, 197
percurrens pectine telas Æ. 7, 14
percurrere nomina pœnarum Æ. 6, 627
percurrit pectine telas G. 1, 294. nimbos Æ. 8, 392
percussa, *fœm. nom.* tellus tridenti G. 1, 13. manu pectus Æ. 4, 589. palmis lacertos Æ. 7, 503. *neut. plur.* litora fluctu E. 5, 83
percussæ pectora matres Æ. 11, 877
percussit pectus manu Æ. 12, 155
percussum quem aureâ virgâ Æ. 7, 190
percussus casu Æneas Æ. 6, 475
perdere gentem Æ. 7, 304. *me occidere*, Æ. 10, 879
perdidit me et te G. 4, 494
perdis, quantum tu perdis? Æ. 11, 58
perdita, *nom. fœm.* bucula E. 8, 88. nescis heu perdita Æ. 4, 541
perditus, *ego imprudens*, E. 2, 59
perducant vaccæ ad stabula *taurum* E. 6, 60
perduxit en quò discordia cives E. 1, 73. nati corpus *ambrosiæ odore* G. 4, 416
pereat nunc Æ. 10, 617
peredit quos amor crudeli tabe Æ. 6, 442
peregi quem dederat cursum fortuna Æ. 4, 653. omnia animo mecum Æ. 6, 105
peregit dona Æ. 5, 362
peregrinâ ferrugine clarus et ostro Æ. 11, 772
peremptâ matre Æ. 10, 315
peremptæ ossa atque cineres insequitur Æ. 5, 787
peremptis tot unâ cæde Æ. 9, 453. Martis sorte Æ. 11, 110
perempto huic plagis G. 4, 301. Pallante Æ. 10, 533. 11, 177
peremptum indignâ morte Æ. 6, 163
perennis fama Æ. 9, 79
pereo manibus hominum Æ. 3, 606
pererrat totum *Æneam* luminibus Æ. 4, 363. arte locum Æ. 5, 441. *eam* totam serpentis malum Æ. 7, 375. circuitum Æ. 11, 766
pererratis finibus E. 1, 62
pererrato ponto Æ. 2, 295
peresa vellera illuvie G. 3, 561
pereunt Hypanisque Dymasque Æ. 2, 428
perfecta, *nom. fœm.* candenti nitens elephanto altera, *porta somni*, Æ. 6, 895. en discordia tibi bello Æ. 7, 545. *neut. plur.* nec dum *carmina* E. 9, 26. cymbia argento Æ. 5, 267. en munera Æ. 8, 612. pocula argento Æ. 9, 263. solido argento *arma* Æ. 9, 357
perfectis votis Æ. 3, 548. divinis rebus Æ. 8, 307
perfecto honore Æ. 3, 178. munere Divæ Æ. 6, 638. temporis orbe Æ. 6, 745
perfer te hinc ad limina reginæ Æ. 1, 389. hæc Turno mandata Æ. 11, 825
perferet te fraus incolumem Auno Æ. 11, 717
perferimus monstra Æ. 3, 584
perferre laborem G. 2, 343. dolorem Æ. 4, 420. 9, 426. pelagi laborem Æ. 5, 617. labores Æ. 6, 437. 12, 177. parentis lacrymas Æ. 9, 289. gnato gaudia sub manes Æ. 11, 181
perfert naves *esse* incensas Æ. 5, 665. minas cœlique marisque Æ. 10, 695
perfertur nuntius Æ. 9, 692
perfice munus susceptum Æ. 6, 629
perficere incepta Æ. 4, 639
perfide Æ. 4, 305. 366
perfidus E. 8, 91. Æ. 4, 421. 7, 362. 10, 231. ensis Æ. 12, 731
perflant terras turbine *venti* Æ. 1, 83
perfodiunt portas Æ. 11, 473
perforat pectus Æ. 10, 485. inguen lævum Æ. 10, 589
perfossum thoraca Æ. 11, 10
perfracta pectora Æ. 11, 614
perfringere, adest perfringere dextrâ, quod votis optâstis, *perficere*, Æ. 10, 279
perfudit nectare Vestam ardentem G. 4, 384. ossaque et artus sudor Æ. 7, 459
perfundat sanguine flammas Æ. 10, 520
perfundere amurcâ semina G. 1, 194
perfundi flumine Æ. 11, 495
perfundit sinu arenam *mare* Æ. 11, 626
perfunditur æquoris æstu *ora* Æ. 3, 397
perfundunt pecus fluviis G. 3, 446
perfurit incensus Æ. 9, 343
perfusa, *nom. fœm.* humeros oleo *juventus*, Æ. 5, 135. genas Æ. 12, 65. *neut. plur.* somno Lethæo papavera G. 1, 78
perfusæ vestes ostro Æ. 5, 112
perfusam pulvere canitiem Æ. 12, 611
perfusi flumine G. 2, 147. sanguine fratrum G. 2, 510
perfusos sanguine currus Æ. 11, 88

portantur opes Æ. 1, 363
portare secum Penates Æ. 4, 598
portarum Æ. 2, 335. 803. 7, 185
portas G. 4, 165. Æ. 1, 422. 2, 612. 6, 631. 7, 617. 621. 9, 39. 45. 159. 169. 309. 693. 10, 23. 11, 142. 473. 879. 883. 890. 12, 577. 584
portas, *verb.* bellum ô terra hospita Æ 3, 539
portâstis munera Æ. 11, 281
portant Æ. 4, 241
portat Æ. 1, 755. 5, 566. 6, 211. 9, 50. 11, 758. 12, 512
portendere *illum* hæc debita nostro generi Æ. 3, 184. bellum populo Æ. 7, 80
portenderet, quæ portenderet ira Deûm Æ. 5, 706
portendi fatis hunc Æ. 7, 256
portenta Æ. 8, 533. 11, 271. Deûm Æ. 7, 58
porticibus Æ. 2, 528. 761. 3, 353. 8, 656. 12, 476
portis G. 4, 78. 185. Æ. 2, 187. 266. 4, 130. 7, 429. 8, 386. 585. 9, 758. 10, 118. 11, 485. 499. 621. 12, 122. 661
portitor Orci G. 4, 502. Charon Æ. 6, 298. 326
porto hæc tibi dona Æ. 10, 881
portu Æ. 3, 72. 78. 292. 300. 378. 5, 243. 7, 132. 201
portum G. 1, 303. Æ. 1, 159. 194. 6, 900. 7, 7
Portunus pater Æ. 5, 241
portus G. 2, 161. 4, 390. Æ. 1, 427. 3, 10. 124. 219. 254. 289. 382. 530. 533. 570. 676. 707. 4, 588. 612. 5, 24. 32. 57. 612. 813. 6, 366. 7, 22. 598. 9, 98
poscamus ventos Æ. 5, 59
poscant acies Æ. 8, 540
poscas precibus oracula Æ. 3, 456
poscat quem Apollo Æ. 2, 121. arma Æ. 7, 340. primos sibi honores Æ. 11, 219
posce Deos veniam Æ. 4, 50
poscebat sibi honorem Divûm Æ. 6, 589
poscens omnia meliora Deos G. 3, 456
poscente nullo ferebat tellus G. 1, 128
pôscentibus fatis Æ. 8, 477
poscere causas veniendi Æ. 1, 414. sic ventos Æ. 5, 26. fata Æ. 7, 272. Turnum in prælia Æ. 8, 614. equos Æ. 9, 12. sibi pretium currus Pelidæ Æ. 12, 350
posceret quæ fatorum ordo Æ. 5, 707
posci fatis regem Æ. 8, 12. certamina Turnum Æ. 11, 221
poscimus te pacem Æ. 11, 362
poscit reddi sibi honorem ereptum Æ. 5, 342. non hoc ista sibi tempus spectacula Æ. 6, 37. socios incendia, *vocat ad*, Æ. 9, 71. quod te Æ. 9, 84. scalas in mœnia Æ. 9, 524. illum in prælia Æ. 10, 661. equos Æ. 12, 82. 326. auxilio viam Æ. 12, 388. solum in certamina Æ. 12, 467
posco supplex tua numina Æ. 1, 666. quæ sit sententia Æ. 3, 59. regna Æ. 6, 66. quæ Æ. 9, 194
poscor ego Olympo Æ. 8, 533
poscunt terræ genitalia semina G. 2, 324. pœnas cum sanguine Æ. 2, 72. fata Æ. 4, 614. bellum Æ. 7, 584. quem numina Æ. 8, 512. nostra sibi bello connubia Æ. 9, 600. manus bella Æ 11, 379. me solum in certamina Æ. 11, 434. arma manu Æ. 11, 453. sic numina Jovis Æ. 11, 901
positâ sic te Æ. 4, 681. urbe Æ. 5, 60
positæ sic ô lauri et myrte, *junctæ*, E. 2, 55. sub nocte silenti pecudes et volucres, &c. *jacentes* Æ. 4, 527
positis arboribus G. 2, 278. seminibus G. 2, 354. castris G. 3, 348. exuviis G. 3, 437. Æ. 2, 473. sagittis G. 4, 344. bellis Æ. 1, 291. aris Æ. 3, 404. îucudibus Æ. 7, 269. armis Æ. 9, 586. 10, 52. insignibus Æ. 11, 89
posito de semine G. 2, 14. certamine Æ. 8, 639. pede super abjectum nixus Æ. 10, 736
positum sic in clauso linquunt *juvencum* G. 4, 303. castris simulachrum Æ. 2, 172. corpus Æ. 2, 644. 11, 30
positura hæc modum exitiis Æ. 7, 129
positus limes agro Æ. 12, 898
posse E. 3, 24. G. 2, 234. Æ. 1, 38. 2, 177. 657. 4, 306. 5, 231. 6, 527. 9, 90. 196. 253. 561. 11, 703
possem Æ. 10, 616. 12, 880
possent G. 2, 343. Æ. 1, 368. 2, 292. 6, 200. 9, 513. 12, 771
posses Æ. 10, 879
possessor agelli E. 9, 3
posset Æ. 1, 413. 5, 807. 11, 155
possim G. 2, 483. 3, 8. Æ. 3, 368. 6, 627
possimus G. 1, 351
possint Æ. 4, 27. Æ. 7, 334. 10, 807
possis G. 2, 226. Æ. 1, 676. 3, 378. 387
possit E. 3, 28. Æ. 1, 682. 2, 187. 362. 4, 85. 116. 296. 5, 6. 6, 78. 754. 8, 413. 9, 322. 421. 10, 286. 11, 386
possum G. 1, 176. Æ. 8, 401. 12, 151. 874
possumus E. 7, 23. 8, 63. G. 1, 253
possunt E. 8, 69. 10, 64. G. 2, 109. 313. 3, 262. 520. 562. Æ. 2, 69. 4, 382. 5, 331. 669. 9. 446. 11, 201. 307. 325. 12, 627
pòst, *cum abl.* E. 1, 30. 68. Æ. 6, 409
pòst tantò G. 3, 476
post, *cum acc.* E. 1, 70. 3, 20. G. 1, 284. 3, 157. 213. 4, 148. Æ. 1, 296. 2, 57. 283. 4, 20. 5, 154. 626. 7, 655. 9, 346. 363. 11, 81. 279
pòst, *adv.* G. 3, 70. 172. Æ. 1, 136. 612. 740. 2, 216. 740. 5, 339. 507. 523. 8, 331. 639. 9, 387. 11, 89. 593. 12, 185
pòst ubi G. 3, 235. 4, 189. 544. 552. Æ. 4, 80. 5, 362
pòst hinc G. 3, 300. Æ. 8, 546
pòst deinde Æ. 5, 321
poste Æ. 5, 360
postera, *nom. fœm.* dies Æ. 3, 588. Aurora Æ. 4, 6. clara dies Æ. 5, 42. orta dies Æ. 7, 148. 12, 113
postes E. 7, 50. G. 2, 463. Æ. 2, 442. 454. 480. 490. 493. 7, 622. 8, 227. 11, 890
posthabitâ Samo Æ. 1, 16
posthabui illorum mea seria ludo E. 7, 17
posthac Æ. 1, 76. 3, 51
posthuma tua proles Æ. 6, 763
postquam E. 1, 29. 5, 34. G. 3, 432. 4, 374. Æ. 1, 154. 216. 520. 723. 2, 90. 3, 1. 37. 57. 192. 212. 463. 518. 662. 4, 17. 151. 648. 5, 577. 6, 168. 226. 7, 6. 406. 661. 709. 8, 184. 10, 298. 710. 11, 94. 146. 248. 631. 12, 432. 604. 739. 861. 945
postrema, *nom. fœm.* nec tibi fuerit cura canum G. 3, 404. Pristis Æ. 3, 427. *neut. plur. agmina* Æ. 9, 27
postremum quem telo dejicis Æ. 11, 664
postremus metito G. 2, 410
posuere præmia G. 2, 383. carinas pandas ratibus G. 2, 445. non posuere vires flammæ atque incendia Æ. 5, 681. cubilia Luctus et Curæ Æ. 6, 274. nec partem suis *divitiarum* Æ. 6, 611. cùm venti posuere Æ. 7, 27. me his locis Æ. 8, 335. vitam in limine portæ Æ. 9, 687. tum Zephyri, *quievere*, Æ. 10, 103
posuerunt mœnia Æ. 3, 399

## Q.

## S.

secundent nostra incepta Dii Æ. 7, 259
secundet eventus G. 4, 397
secundi spirate *Dii maris* Æ. 3, 529. Zephyri Æ. 5, 32
secundis mensis et Diis G. 2, 101. rebus Æ. 1, 207. 9, 301. 10, 502. ventis Æ. 3, 683. 7, 23. ventis et Diis Æ. 8, 682
secundo amni G. 3, 447. Æ. 8, 549. curru Æ. 1, 156. fremitu Æ. 5, 338. clamore Æ. 5, 491. 10, 266. fluvio Æ. 7, 494. rumore Æ. 8, 90. pede Æ. 8, 302. 10, 255. Marte Æ. 10, 21. 11, 899. fluctùque æstuque Æ. 10, 687
secundos sinus implere Æ. 3, 455. zephyros Æ. 4, 562
secundum te nunc habet ista *fistula* E. 2, 38. locum tenuit virtute Æ. 5, 258
secundùm flumina, *juxta*, G. 3, 143
secundus haud ulli veterum virtute Æ. 11, 441. aruspex Æ. 11, 739
secura, *nom. fœm.* quies G. 2. 467. tu Æ. 1, 290. *neut. plur.* otia G. 3, 376
secures Æ. 6, 819. 7, 184. 627
securi, *subst.* Æ. 6, 824. 7, 510. 12, 306
securi, *adj.* pelagi atque mei Æ. 7, 304
securibus G. 3, 364. Æ. 6, 180
securim Æ. 2, 224. 11, 656. 696
securos latices Æ. 6, 715
securus amorum Æ. 1, 350. 10, 326
secùs, non secùs ac G. 3, 346. Æ. 8, 243. 10, 272. 12, 856. haud secùs Æ. 2, 382. 4, 447. 8, 414. 11, 814. 12, 9. haud secùs ac Æ. 3, 236. haud secùs atque Æ. 11, 456. haud secùs quàm Æ. 12, 124. non secùs atque Æ. 8, 391
secuta est concubitus pecudum E. 6, 49. est quam fama E. 6, 74. est per castra alium Æ. 10, 23. fuerit, *nos* Trojana fortuna Æ. 6, 62. hoc sum terrâque marique Æ. 9, 492. manum sagitta excidit Æ. 12, 423. *abl.* mole veniunt ad terram semineces, *mole super incidente*, Æ. 9, 542
secutæ æra *apes* G. 4, 151. quam mille Oreades Æ. 1, 499. quæ quemque acies Æ. 7, 642
secutam extrema ferro Æ. 6, 457
secuti hæc exempla G. 4, 219. Deûm præcepta G. 4, 448. nos te tuaque arma Æ. 3, 156. quemque pueri Æ. 5, 561. qui arma Æ. 6, 612. qui signa Æ. 8, 52. responsa Æ. 10, 33. qui me meaque arma Æ. 10, 672. Pæana conclamant socii, *repetentes, vel persequentes Pæana*, Æ. 10, 738. ducis exemplum eventumque Æ. 11, 758
secutos *ipsum* ex urbe viros Æ. 7, 652
secutum armenta E. 6, 59. arma socia Æ. 11, 161
secutus G. 2, 306. Æ. 3, 327. 5, 296. 6, 170. 10, 893. 12, 301. 354. 380. data fata Æ. 1, 382. est fugientem tali voce Æ. 1, 406. 9, 17. victricia arma Æ. 3, 54. dicta voce Æ. 7, 212. fata extrema Æ. 9, 204. quem cursu teloque Æ. 9, 559
sed tamen E. 1, 19. 9, 55. G. 1, 79. 305. Æ. 3, 541
sed neque G. 2, 103. 136. Æ. 12, 903
sed non G. 3, 209. Æ. 3, 255. 5, 680. 6, 140. 9, 328. 10, 201. 343. 584. 11, 380
sed enim Æ. 1, 19. 2, 164. 5, 395. 6, 28
sedatis amnibus Æ. 9, 30
sedato pectore Æ. 9, 740. corde Æ. 12, 18
sede Æ. 1, 681. 2, 525. 568. 3, 687. 4, 504. 7, 193. 324. 454. 12, 810
sedeant spectentque Latini Æ. 12, 15
sedeat vestibulo custodia Æ. 6, 575
sedebant per juga longa Æ. 6, 411
sedebat Æ. 2, 574. 7, 187. 9, 4
sedebit Theseus Æ. 6, 617
sedem G. 4, 228. Æ. 2, 716. 742. 3, 190. 452. 6, 283. 577. 7, 3. 229. 562. 8, 347. 463. 10, 3. 11, 112
sedens fucus ad pabula aliena G. 4, 244. ramo G. 4, 514. super arma furor Æ. 1, 295. Tisiphone Æ. 6, 555. sede patriâ Æ. 7, 193. limine Phœbi Æ. 8, 720. nube Æ. 9, 640. ipse Æneas Æ. 10, 218. ille victor Æ. 10, 409. nocte in bustis *avis* Æ. 12, 864
sedent in limine Diræ Æ. 4, 473
sedentes pacem laudate Æ. 11 460
sedentis, *equitantis*, Æ. 11, 692
sedere solo Æ. 6, 192. carinæ Æ. 10, 301
sederet animo fixum, immotumque Æ. 4, 15
sedes, *sing.* apibus petenda G. 4, 8. fundatur Veneri Æ. 5, 759
sedes, *plur.* Æ. 1, 205. 247. 415. 557. 2, 232. 437. 642. 760. 785. 3, 123. 167. 6, 431. 639. 7, 52. 158. 175. 8, 362. 11, 44. infernas Æ. 8, 244. Tartareas Æ. 8, 667. ubi ponere? Æ. 3, 88. mutandæ Æ. 3, 161
sedet E. 10, 71. Æ. 1, 56. 4, 186. 10, 159. 11, 237. 726. 837. *otiatur*, G. 3, 456. hoc animo Æ. 2, 660. id Æneæ Æ. 5, 418. circum castella sub armis, *obsidet*, Æ. 5, 440. sedet æternumque sedebit Theseus Æ. 6, 617. si id, *statutum est*, Æ. 7, 368. certa patribus sententia pugnæ Æ. 7, 611
sedetis portu Æ. 7, 201
sedibus G. 4, 65. 471. Æ. 1, 84. 2, 465. 611. 654. 6, 152. 203. 328. 371. 7, 775. 11, 532
sedili gramineo Æ. 8, 176
sedilia saxo vivo Æ. 1, 167
sedilibus G. 4, 350
sedis patriæ Æ. 2, 634
sedit inguine ima *hasta* Æ. 10, 785. hæc sententia Æ. 11, 551
seditio Æ. 1, 149
seditione Æ. 11, 340
seduxerit artus animâ mors Æ. 4, 385
seges G. 1, 47. 4, 129. Æ. 3, 142. virûm G. 2, 142. telorum Æ. 3, 46. atra horrescit strictis ensibus Æ. 7, 526. horret ferrea strictis mucronibus Æ. 12. 663
segetem G. 1, 212. 319. 2, 411. Æ. 2, 304
segetes E. 1, 72. 5, 33. 9, 48. G. 1, 1. 54. 152. 3, 198
segeti G. 1, 270
segetis Æ. 7, 808
segetum G. 1, 112
segnem campum G. 1, 72. Menœten Æ. 5 173. Palmum Æ. 10, 700
segnes G. 4, 198. Æ. 9, 787. 11, 21. 64. 736. jaceant terræ G. 2, 37. rumpe moras G. 3, 42
segnior Æ. 8, 414. 10, 657. 12, 566. 615. non segnior Bacchus in denso ubere G. 2, 275. segnior annis G. 3, 95. haud illo segnior ibat Æ. 4, 149. non cursu segnior Æ. 7, 383
segnis carduus G. 1, 151. defluit amni cætera pars, *lenta*, Æ. 8, 549. mora Æ. 10, 308. fuga Æ. 10, 592
segnities Æ. 2, 374
segniùs, non segniùs Æ. 9, 441. 12, 525
Selinus, *nom. prop. oppidi*, Æ. 3, 705



L

189. miseros meliora Æ. 12, 153
sequere tu deinde E. 3, 58. Italiam ventis Æ. 4, 381
sequeris Clytium Æ, 10, 325
sequestrâ pace Æ. 11, 133
sequetur *te* facilis *ramulus* Æ. 6, 146. quicunque casus factum Æ. 9, 299. nec parva gloria *duces* Æ. 11, 430
sequi G. 1, 39. 308. 2, 361. 3, 466. Æ. 2, 350. 7, 300. Auroram, *persequi Auroræ populos*, Æ. 7, 606. hos arma Æ. 10, 10. bella Æ. 10, 66. telo *eum* Æ. 12, 775. pennis astra Æ. 12, 893
sequimur quem? Æ. 3, 88. te Æ. 4, 576. Italiam fugientem Æ. 5, 629
sequitur E. 2, 63. 64. 6, 55. Æ. 2, 724. 5, 74. 323. 6, 815. 8, 688. 703. 10, 180. 651. 12, 615. de cortice sanguis Æ. 3, 33. tellure repostos eadem cura, quæ fuit vivis Æ. 6, 655. clamor Æ. 9, 504. sequentem Æ. 11, 695. de vulnere sanguis Æ. 12, 51. sic deinde Latinus Æ. 12, 195. ad litora fluctus Æ. 12, 366
sequor et adsum quâ ducitis Æ. 2, 701. avia cursu Æ. 2, 737. vestigia Æ. 2, 754. non sponte Italiam Æ. 4, 361
sequuntur Æ. 1, 185. 747. certissima signa solem G. 1, 439. oculis nubem Æ. 8, 592. fremitu Æ. 9, 54. quemque juvenes Æ. 9, 162. clamore Æ. 9, 466. 636. 10, 799. sanguisque, animusque unâ eâdemque viâ Æ. 10, 487. Teucri Æ. 11, 92. portenta Æ. 11, 271
sera, *nom. fœm.* libertas E. 1, 28. segnities Æ. 2, 373. mea voluptas Æ. 8, 581. meæ senectæ requies Æ. 9, 482. assurgis querelis Æ. 10, 94. *abl.* nocte G. 4, 132. Æ. 7, 16. 492. *neut. plur.* lumina accendit vesper G. 1, 251. comantem Narcissum, *tardè*, Æ. 4, 122. omina Æ. 5, 524
seræ, *dat.* nocti E. 8, 88. G. 3, 467. *plur.* ad fortia vires Æ. 8, 509
seram æstatem G. 4, 138. mortem Æ. 6, 569. quietem Æ. 8, 30
seras frondes G. 2, 403. ulmos G. 4, 144
serat latè circum tecta pinos Æ. 4, 113
sere nudus G. 1, 299. densa G. 2, 275. corylum G. 2, 299
serebant sermone multa inter sese Æ. 6, 160
serebat conductâ tellure Æ. 12, 520
serena aperta G. 1, 393
serenâ, *abl.* luce Æ. 5, 104. æstate Æ. 6, 707. in regione cœli Æ. 8, 528. de parte cœli Æ. 9, 630
serenæ noctis G. 1, 426
serenas hyemes G. 1, 100. ventus agat nubes G. 1, 461
serenat vultu cœlum tempestatesque Æ. 1, 255. spem fronte Æ. 4, 477
sereni cœli Æ. 5, 851
sereno cœlo G. 1, 260. Æ. 3, 518. vere G. 1, 340. cœlo et pelago Æ. 5, 870
serenos vultus fœdavit Æ. 2, 285
serentem sulco Æ. 6, 844
serentes, *satores*, G. 1, 193
serere G. 2, 433
seres farra G. 1, 73. viciam G. 1, 227
Seres, *populi*, G. 2, 121
Seresti Æ. 5, 487
Serestum, Æ. 1, 611. 12, 561
Serestus Æ. 9, 171. 779. 10, 541. 12, 549
Sergesto Æ. 5, 184
Sergestum Æ. 1, 510. 4, 288. 5, 221. 282. 12. 561
Sergestus Æ. 5, 121. 185. 203. 272
Sergia domus Æ. 5, 121
seri, *verb.* messes nec potuere G. 1, 161
seria ludo posthabui E. 7, 17
seris nepotibus G. 2, 58. votis Æ. 7, 597
serit varios rumores Æ. 12, 228
serite hordea campis G. 1, 210
sermo *Turni* cœperat *illum* flectere Æ. 12, 940
sermone Æ. 1, 217. 748. 4, 189. 277. 6, 160. 470. 8, 309. 468. 9, 657
sermonem Æ. 4, 388. 12, 223. 834
sermonum Æ. 8, 464
sero, *nomen*, pingui pasce G. 3, 406
seros hyberni luminis ignes Æ. 1, 291. cantus Æ. 1, 403
serpant contagia, &c. Æ. 3, 469
serpens E. 4, 24. Æ. 2, 214. 5, 91. 273. 11, 753
serpentibus G. 1, 129. 2, 215. Æ. 4, 472. 7. 658
serpentis Æ. 7, 375
serpentum Æ. 8, 436. 12, 848
serpere hanc hederam tibi circum tempora inter lauros E. 8, 13
serpit quies Æ. 2, 269. per agmina murmur Æ. 12, 239
serpylla G. 4, 31
serpyllum E. 2, 11
serræ argutæ lamina G. 1, 143
Serrane, *voc. nom. prop. viri*, Æ. 6, 844
Serrano Æ. 9, 454
Serranum Æ. 9, 335
serta E. 6, 16. 10, 41
sertis E. 6, 19. Æ. 1, 417. 4, 202. 506. 7, 488
serva, *verb.* cœli menses et sidera G. 1, 335. nati communis amorem Æ. 2, 789. altera Trojæ Pergama Æ. 3, 86. mœnia Æ. 11, 506
serva, *nomen*, datur olli Æ. 5, 284. Lycimnia Æ. 9, 546
servabat ramos Æ. 4, 485. filia sedes Æ. 7, 52. corpus Æ. 11, 31
servabit Tityrus hœdos E. 5, 12
servandi hœdorum dies G. 1, 205
servans occasum Solis G. 1, 402. æternum sub pectore vulnus Æ. 1, 36. sub imagine falcem, *tenens*, Æ. 7, 179
servant intus clausos, &c. G. 3, 214. gluten ad hæc munera *apes* G. 4, 41. servant *Nymphæ* G. 4, 383. si fata virum Æ. 1, 546. *fores* Æ. 2, 450. nomen et arma locum, *pro* locus servat, &c. Æ. 6, 507. vices, *portas*, Æ. 9, 222. busta semusta Æ. 11, 200
servantem ripas hydrum G. 4, 459. limina Vestæ Æ. 2, 568
servantissimus æqui Ripheus Æ. 2, 427
servare aris *vitulos* G. 3, 160. quantum possent oculi Æ. 6, 200. castum cubile conjugis Æ. 8, 412. recursus pelagi Æ. 10, 288. modum rebus secundis Æ. 10, 502. incolumem Æ. 10, 616
servarent tutos aggere muros Æ. 9, 43
servas Romana Palatia G. 1, 499 Pyrrhin' connubia? Æ. 3, 319. Pergama Æ. 8, 37
servâsse omnia carminibus E. 9, 10
servâssent has mihi sedes Æ. 2, 642
servat pomis sua nomina G. 2, 240. domus pudicitiam G. 2, 524. mihi Acestem tellus Æ. 5, 30. flumina Charon Æ. 6, 298. sidera Æ. 6, 338. vestibulum Æ. 6, 556. honos tuus sedem Æ. 7, 3. hasta tenorem Æ. 10, 340. te mea dextera Æ. 12, 428
servata, *nom. fœm.* cupressus per annos multos Æ. 2, 715. non servata cineri fides promissa Æ. 4, 552. laurus per annos multos Æ. 7, 60. in hunc dolorem Æ. 11, 159.


L 2

subjecta, *nom. fœm.* gens septem trioni G. 3, 381. ad summum tecti flamma G. 4, 385. *neut. plur.* colla Æ. 2, 721
subjectam facem Æ. 6, 223
subjectat arenam altè G. 3, 241
subjectis flammis Æ. 2, 37. ignibus Æ. 11, 186
subjectis parcere Æ. 6, 853
subiere currum dominæ leones, Æ. 3, 113. pars feretro Æ. 6, 222
subigat absumere, &c. Æ. 3, 257
subigebant arva coloni G. 1, 125
subigit lembum remigiis G. 1, 202. ratem conto Æ. 6, 302. amantes inter se decernere G. 3, 218. fateri Æ. 6, 567
subigunt in cote secures Æ. 7, 627
subjicio pauca furenti Æ. 3, 314
subjicit se alnus E. 10, 74
subjiciunt fragmenta G. 4, 304. pedibus lapsus rotarum Æ. 2, 236. verubus prunas Æ. 5, 103. adorea liba epulis Æ. 7, 110. saxa sudesque Æ. 11, 474. corpora saltu in equos Æ. 12, 288
subiisse humeris parentem Æ. 4, 599
subiit genitoris imago Æ. 2, 560. *menti* Creüsa deserta Æ. 2, 562. palmæ Æ. 5, 346. Alcides limina Æ. 8, 363. mucronem Æneæ Æ. 10, 798. mentem patriæ pietatis imago Æ. 10, 824
subimus tecta Æ. 3, 83. portu Æ. 3, 292
subire operta telluris Æ. 6, 140
subirent litora Æ. 7, 22. illud cervice vix bis sex *viri saxum* Æ. 12, 899
subisset ea cura victorem Æ. 9, 757
subit aspera sylva G. 1, 152. huc Æneas Æ. 1, 171. ostia pleno velo Æ. 1, 400. illa *machina* Æ. 2, 240. ira ulcisci patriam Æ. 2, 575. ponè conjux Æ. 2, 725. gubernaclo rector Æ. 5, 176. Sergestus spatio iniquo Æ. 5, 203. ostia plenis velis Æ. 5, 281. Elymus Æ. 5, 339. ipse Fadumque Hebesumque Æ. 9, 344. huic Alcanor Æ. 10, 338. quæ nunc *spes* Æ. 10, 371. ille astu Æ. 10, 522. hasta per oras clypei Æ. 10, 588. obvius hastâ Æ. 10, 877. dum alter Æ. 11, 672. Aruns Æ. 11, 763. ipsa *Juturna* Æ. 12, 471
subita, *nom. fœm.* dementia G. 4, 488. vox Æ. 7, 95. *abl.* formidine Æ. 3, 259. 6, 290. dulcedine Æ. 11, 538. morte Æ. 11, 796. spe Æ. 12, 325. clade Æ. 12, 556
subitæ, *plur.* crustæ G. 3, 360. Harpyiæ Æ. 3, 225
subitam rabiem Æ. 7, 479. nubem Æ. 9, 33
subitis umbris Æ. 4, 571
subitò, *adverb.* G. 2, 268. 4, 407. 499. Æ. 1, 88. 5, 213. 522. 723. 790. 6, 47. 548. 7, 694. 8, 554. 637. 9, 541. 10, 293. 407. 11, 551. 12, 421. 862. cùm subitò Æ. 1, 509. 535. 3, 590. subitò cùm Æ. 2, 731. 3, 137. 12, 240
subito, *adj.* fragore Æ. 2, 692. furore Æ. 4, 697. visu Æ. 6, 710. 8, 109. tumultu noctis Æ. 9, 397. clamore Æ. 11, 609. dolore Æ. 12, 599
subitum monstrum G. 4, 554. Æ. 2, 680. 8, 81. examen Æ. 7, 67. inceptum Æ. 12, 566
subitus præterit, &c. Æ. 5, 170 tremor Æ. 7, 446. calor Æ. 9, 475. ignis Æ. 12, 576
subjuncta rostro leones *navis* Æ. 10, 157
subjungere curru tigres E. 5, 29. gentem Æ. 8, 502
sublapsa, *nom. fœm.* retrò sublapsa referri spes Danaûm Æ. 1, 269. lues Æ. 7, 354. vetustas Æ. 12, 686. *neut. plur.* retrò referri omnia G. 1, 200
sublata, *voc. fœm.* rebus secundis meos hominum Æ. 10, 502. *abl.* dextrâ Æ. 5, 642. *neut. plur.* reponi pocula Æ. 8, 175
sublatis dolis Æ. 12, 26
sublato pectore Æ. 2, 474
sublatum me inter Trojæ labores, *susceptum et educatum,* Æ. 9, 203. ensem Æ. 9, 749. 12, 729
sublatus ad æthera clamor Æ. 2, 338
sublegi tacitus carmina E. 9, 21
sublevat ipsum terra Æ. 10, 831
subligat ensem humeris Æ. 8, 459. clypeum sinistræ Æ. 11, 11
sublimè, *nom. pro adverb.* ferent ad sidera nomen E. 9, 29. expulsam G. 1, 320. elati G. 3, 108. volans Æ. 10, 664
sublime, *adject.* centum columnis tectum Æ. 7, 170
sublimem feres ad sidera Æneam Æ. 1, 259. portant Æ. 4, 240. gloria tollit Æ. 10, 144. in stramine ponunt juvenem Æ. 11, 67. in nube columbam Æ. 11, 722
sublimes animas Æ. 6, 720. in equis Æ. 7, 285. olli Æ. 12, 788
sublimi vertice Æ. 9, 682
sublimibus armis Æ. 11, 602. portis Æ. 12, 133
sublimis G. 1, 242. 404. Æ. 1, 415. 6, 357
sublucet purpura nigræ violæ G. 4, 275
sublustri noctis in umbrâ Æ. 9, 373
submergere ipsos ponto Æ. 1, 40
submersas puppes Æ. 1, 69
submersum Æ. 1, 585. 5, 125
submissâ *voce* Æ. 10, 611
submisssi petimus terram Æ. 3, 93
submisso vultu Æ. 12, 807
submitte furorem Æ. 12, 832
submittere in spem gentis *equos, seponere,* G. 3, 73. habendo pecori *vitulos, seponere,* G. 3, 159. animos amori Æ. 4, 414
submittite tauros E. 1, 46
submota recessu spelunca Æ. 8, 193
submotis nubibus E. 6, 38
submovet Oceano, &c. Æ. 7, 226
subnecte cervici circlos G. 3, 167
subnectens cingula mammæ Æ. 1, 492
subnectit fibula vestem Æ. 4, 139 fibula gemmâ *pharetram* Æ. 5, 313. circulos auro *crines* Æ. 10, 138
subnexus crinem Æ. 4, 217
subnixa, *nom. fœm.* altè solio *Dido* Æ. 1, 506. muro Petilia *urbs* Æ. 3, 402
subremigat undis Æ. 10, 227
subridens olli Æ. 1, 254. 9, 740. 12, 829. ad quem Æ. 10, 742
subrigit aures Æ. 4, 183
subsedit Acestes galeâ Æ. 5, 498. adulter devictâ Asiâ Æ. 11, 268
subsidens poplite Æ. 12, 492
subsident Teucri Æ. 12, 836
subsidio Trojæ ibant Æ. 10, 214. subeat fuga Æ. 12, 733
subsidunt undæ Æ. 5, 820
subsiste pedes ad muros Æ. 11, 506
subsistere clypeo Æ. 9, 806
subsistit adductis habenis Æ. 12, 622
substiterat uterque, &c. Æ. 11, 609
substitit Æ. 2, 243. 739. 10, 711. 11, 95. 12, 491. undâ tacitâ *Tybris* Æ. 8, 87
subtemine auri vestes picturatas Æ. 3, 483

T.





*M*

V.

N 2

X.



Z.

# HISTORICAL AND GEOGRAPHICAL INDEX.

ped in the deserts of Libya, where he had a famous temple.

Amphīon, the son of Jupiter and Antiŏpe, famous for his skill in music.

Amphitryŏniădes, a surname of Hercules, as the supposed son of Amphitryon.

Amphrȳsus, a river of Thessaly, on the banks of which Apollo fed the flocks of king Admetus.

Amsanctus, a pestilential lake near Capua in Italy.

Amȳclæ, a town of Italy said to have been peopled from Amyclæ, a city of Laconia.

Amȳcus, the name of two of Æneas' companions slain by Turnus.

Amyntas, a shepherd's name in the Eclogues.

Anagnia, a city of the Hernici in Latium.

Anchemŏlus, the son of king Rhœtus, slain by Pallas the son of Evander.

Anchīses, the son of Capys by Themis daughter of Ilus, and the father of Æneas, who saved his life by carrying him upon his shoulders through the flames when Troy was on fire.

Ancus (Martius) the fourth king of Rome, and grandson to Numa.

Androgĕos, a Greek, killed by Æneas and his friends.

Androgĕus, the son of Minos and Pasiphæ, a skilful wrestler, put to death by the Athenians.

Andromăche, the daughter of Ætion, king of Thebe in Mysia, and the wife of Hector, by whom she had Astyanax.

Anguitia, a wood in the country of the Marsi between Alba and the lake Fucinus.

Anio, *Teverone*, a river of Italy, falling into the Tiber.

Anius, the son of Apollo and Rhea, was king of Delos and father of Andrus.

Anna, a Roman goddess; she was the daughter of Belus, and sister of Dido.

Antæus, a friend of Turnus, slain by Æneas.

Antandros, a city of Troas, on the gulf of Adramyttium.

Antemnæ, a city of the Sabines, near the confluence of the Anio and Tiber.

Antēnor, a Trojan Prince, related to Priam, but suspected of betraying his country to the Greeks.

Antenorĭdes, a name given to the three sons of Antenor, all killed in the Trojan war.

Antheus, one of Æneas' companions.

Anthōres, a companion of Hercules, killed in the war of Turnus against Æneas.

Antigĕnes, the name of a shepherd and minstrel in the fifth Eclogue.

Antiphătes, a son of Sarpēdon, slain by Turnus.

Antonius, (Marcus) the Roman triumvir. After his defeat in the battle of Actium, he fled to Alexandria in Egypt where he stabbed himself, B. C. 30.

Anūbis, an Egyptian god, represented with the head of a dog.

Anxur, a city of the Volsci in Latium, sacred to Jupiter.—A friend of Æneas, who lost an arm in the war with Turnus.

Aonia, a district of Bœotia in Greece; hence the Muses were called Aoniæ from Mount Helicon in Bœotia.

Apennīnus, a ridge of high mountains running through the middle of Italy.

Aphidnus, a friend of Æneas, killed by Turnus.

Apollo, the son of Jupiter and Latona, called also Phœbus. He was the god of music, poetry, and eloquence; his most famous temple and oracle was at Delphi in Greece.

Aquĭlo, the north wind, so called from its velocity and keenness.

Arabs, an inhabitant of Arabia, a large country of Asia.

Aracynthus, *Zigo*, a mountain of Ætolia in Greece.

Arar, *Saone*, a river of Gaul, which falls into the Rhone at Lyons.

Araxes, *Arras*, a large river of Asia falling into the Caspian sea.

Arcadia, a district of Peloponnesus; it was a pastoral country, of which Pan was the tutelary deity.

Archippus, a king of Italy.

Arcitĕnens, a name applied to Apollo from his bearing a bow.

Ardĕa, a town of Latium, the capital of the Rutuli.

Arethūsa, the daughter of Oceanus, and one of Diana's attendants; also a fountain in the isle of Ortygia in Sicily.

Argilētum, a place at Rome near the Palatium where tradesmen had their shops.

Argivi, the inhabitants of Argos; often applied to the Greeks in general.

Argo, the name of the ship which carried Jason and his 54 companions to Colchis.

Argos, the capital of Argŏlis in Peloponnesus.

Argus, feigned to have had a hundred eyes, of which only two were asleep at once. Juno set him to watch Io.

Argyrĭpa, the same as Arpi.

Aricia, an Athenian whom Hippolȳtus married after he had been restored to life by Æsculapius.

Arīon, a famous lyric poet and musician of Lesbos.

Arisba, a colony of the Mityleneans in Troas, destroyed by the Trojans.

Aristæus, the son of Apollo and Cyrene. He became enamoured of Eurydice the wife of Orpheus, and was the first who taught the culture of olives and the management of bees.

Arpi, a city of Apulia, built by Diomēdes after the Trojan war.

Aruns, a Trojan who slew Camilla, and was killed by a dart of Diana.

Arvisĭum, a promontory of the island of Chios, famous for its wine.

Ascanius, called also Iulus, was the son of Æneas by Creusa. He accompanied his father to Italy and succeeded him in the kingdom of Latinus.

Ascra, a village of Bœotia in Greece, where Hesiod was born.

Asia, one of the three divisions of the ancient world, generally divided into Asia Major and Asia Minor.

Asīlas, an Augur who assisted Æneas against Turnus.—A Trojan officer in the army of Æneas.

Asius, one of Æneas' companions.

Assărăcus, a Trojan prince, father of Capys, and grandfather of Anchises.

Assyria, an extensive country of Asia.

Astur, an Etrurian who assisted Æneas against Turnus.

Astyănax, the son of Hector and Andromache.

Athămas, one of the Greeks, concealed in the wooden horse at the siege of Troy.

Athĕsis, *Adige*, a river of Cisalpine Gaul; it rises in the Rhætian Alps and falls into the Adriatic.

Athos, *Monte Santo*, a lofty mountain of Macedonia, situated on a peninsula.

Atīna, a city of the Volsci in Italy.

Atlas, one of the Titans, son of Japetus and Clymene. He was king of Mauritania, and upon Perseus shewing him the head of Medusa, was changed into the mountain which bears his name.

Atrīdes, Agamemnon, the son of Atreus; and Atridæ, the sons of Atreus.

Atys, a Trojan, who accompanied Æneas to Italy, and is supposed to have been the progenitor of the family of the Attii at Rome.

Aventīnus, one of the seven hills on which the city of Rome was built. —A son of Hercules by Rhea who assisted Turnus against Æneas.

Avernus, a lake of Campania in Italy, whose waters were so putrid that the ancients made it the entrance of hell.

Aufĭdus, *Ofanto*, a river of Apulia in Italy falling into the Adriatic. The battle of Cannæ was fought on the banks of the Aufidus.

Augustus Cæsar, second emperor of Rome, and nephew of Julius Cæsar. He died at Nola in the 76th year of his age, after reigning 44 years, A. D. 14. Virgil composed the Æneid at the particular request of Augustus.

Aulestes, king of the Etrurians when Æneas came into Italy.

Aulis, a sea-port town of Bœotia in Greece, where the Grecian forces assembled, in the expedition against Troy.

Aurōra, the goddess of the morning, daughter of Hyperion and Thea, or according to others, of Titan and Terra.

Aurunca, a town of Latium in Italy. Hence the ancient Latins are called Aurunci.

Ausonia, an ancient name of Italy, from Auson the son of Ulysses.

Automĕdon, the charioteer of Achilles, and after his death, of Pyrrhus.

B

Bacchus, the son of Jupiter and Semele. He first taught the use of the vine, &c. and was therefore called the god of wine.

Bactra, *Balkh*, the capital of Bactriana in Asia.

Baiæ, a city of Campania in Italy.

Baleāres, a name given to the islands of Majorca and Minorca in the Mediterranean, because the inhabitants were expert slingers.

Barce, the nurse of Sichæus, the husband of Dido.—A city of Cyrene in Africa.

Batŭlum, a town of Campania in Italy.

Bavius and Mævius, two contemptible poets in the age of Augustus.

Bebrȳcia, an ancient name of Bithynia in Asia Minor.

Belgæ, a warlike people of ancient Gaul.

Belĭdes, a name given to Palamēdes, as descended from Belus.

Bellōna, the goddess of war, daughter of Phorcys and Ceto, and according to some the sister and wife of Mars.

Belus, king of Tyre.—The father of Dido.

Benācus, *L. di Garda*, a large lake of Italy, from which the Mincius issues, and flows into the Po.

Berecynthia, a name of Cybele, from Mount Berecynthus in Phrygia where she was worshipped.

Berŏe, one of the Oceanides, attendant upon Cyrene.—The wife of Doryclus, whose form was assumed by Iris when she advised the Trojan women to burn the fleet of Æneas in Sicily.

Biānor, called also Ocnus, the son of

Tiberius and Manto, and king of Etruria.
Bisaltæ, a people of Macedonia or Thrace.
Bitias, a Trojan, son of Alcanor and Hiera, accompanied Æneas to Italy, and was slain by the Rutuli.
Bola, a city of Italy, between Tibur and Præneste.
Borĕas, the name of the north wind. According to the ancient poets he was the son of Astræus and Aurora.
Briăreus, a famous giant, son of Cœlus and Terra. According to the poets he had 100 arms and 50 heads, and was thrown under Mount Ætna for having assisted the giants against the gods.
Britanni, the inhabitants of Britain.
Brontes, one of the Cyclops.
Brutus, (L. Junius), son of M. Junius, and Tarquinia, second daughter of Tarquin Priscus. The expulsion of the Tarquins from Rome was chiefly owing to Brutus.
Busīris, a king of Egypt, son of Neptune and Libya, noted for his cruelty in sacrificing all foreigners who entered his country.
Butes, a descendant of Amycus, king of the Bebryces, and the father of Eryx.—The armour-bearer of Anchises, slain by Turnus.—A Trojan slain by Camilla.
Buthrōtum, *Butrinto*, a sea-port town of Epirus, opposite Corcyra.

C

Cacus, the son of Vulcan and Medusa, a notorious robber, slain by Hercules.
Cæa and Ceos, *Zea*, an island in the Ægean sea, one of the Cyclades.
Cæcŭlus, a son of Vulcan, who built Præneste in Latium.
Cære, a city of Etruria, of which Mezentius was king when Æneas came to Italy.
Cæsar, a surname of the Julian family at Rome which was given to the Roman emperors from Julius Cæsar downwards.
Caïcus, *Grimakli*, a river of Mysia, falling into the Ægean sea.—A companion of Æneas.
Caiēta, *Gœta*, a sea-port town of Latium in Italy.
Calabria, a country in that part of Italy called Magna Græcia.
Calchas, a famous soothsayer, who accompanied the Greeks to the Trojan war.
Cale and Cales, *Calvi*, a town of Campania in Italy.
Calliŏpe, one of the Muses, who presided over eloquence and heroic poetry.
Calȳdon, a city of Ætolia, where Œneus the father of Meleager reigned.
Camarīna, a town and lake of Sicily.
Camēnæ, a name given to the Muses.
Camertium, a town of Umbria in Italy.
Camertes, a friend of Turnus, killed by Æneas.
Camilla, queen of the Volsci, was the daughter of Metăbus and Casmilla. She assisted Turnus in the war against Æneas, and signalized herself by undaunted bravery.
Camillus, a celebrated Roman, was chosen five times dictator, and from his services to his country was called a second Romulus.
Campania, a country of Italy, of which Capua was the chief city.
Canŏpus, a city of Egypt, 12 miles east from Alexandria.
Capēni, the inhabitants of Capena, a town of Etruria on the banks of the Tiber.
Caphăreus, *Cape d'Oro*, a lofty promontory on the south-east coast of Eubœa, an island in the Ægean sea.
Capitōlium, a celebrated temple and citadel at Rome, on the Tarpeian rock.
Caprēæ, *Capri*, an island on the coast of Campania.
Capŭa, the capital city of Campania in Italy.
Capys, a Trojan who accompanied Æneas to Italy, and founded Capua.
Cares, the inhabitants of Caria, a country of Asia Minor, south of Lydia.
Carmentis, a prophetess of Arcadia, mother of Evander, with whom she came to Italy. One of the gates of Rome was named after her.
Carpăthus, *Scarpanto*, an island between Crete and Rhodes.
Carthāgo, a celebrated city of Africa, and the rival of Rome. It was destroyed by Scipio in the third Punic war, B. C. 146.
Casmilla, the mother of Camilla.
Casperia, *Aspra*, a town of the Sabines in Italy.
Cassandra, the daughter of Priam and Hecuba. According to the poets she had the gift of prophecy, while none believed her predictions.
Castalia, a fountain of Mount Parnassus, sacred to the Muses.
Castor, the twin-brother of Pollux, the son of Jupiter by Ledà, wife of Tyndărus, king of Sparta.
Catilīna, a noble Roman, but cruel and of the most depraved habits. He conspired against the liberties of his country, and perished in battle, B. C. 63.
Catillus, a son of Amphiaraus, who, with his brothers Corax and Tiburtus, assisted Turnus against Æneas.
Cato, surnamed *Uticensis*, great-grandson of Cato the censor, was distinguished for his integrity and justice. To prevent his falling into the hands of Cæsar, he stabbed himself at Utica, B. C. 46.
Caucăsus, a chain of lofty mountains, extending between the Euxine and Caspian seas.
Caulon, a city of the Bruttii in Italy.
Caystrus, a river of Asia Minor, which falls into the Ægean sea, near Ephesus.
Cecropĭdæ, an ancient name of the Athenians, as being descended from Cecrops, the founder of Athens, which he called Cecropia.
Celæno, one of the Harpies, daughter of Neptune and Terra.
Celeus, a king of Eleusis, father to Triptolemus, who was taught husbandry by Ceres.
Celenna, a town of Campania in Italy.
Centauri, a people of Thessaly, the offspring of Centaurus, the son of Apollo. They were the first people that tamed horses; hence they are represented as monsters, half men and half horses.
Centaurus, a ship in the fleet of Æneas, which had the figure of a Centaur.
Ceraunia, lofty mountains of Epirus in Greece, stretching far into the Adriatic.
Cerbĕrus, a dog with three heads that watched the entrance into the infernal regions.
Ceres, the goddes of corn and harvests, was the daughter of Saturn and Vesta, and the mother of Proserpine.
Cethēgus, a brave Trojan, killed by Turnus.
Chalcis, *Egripo*, the chief city of Eubœa, joined to Bœotia by a bridge thrown across the Euripus.
Chalȳbes, a people of Pontus in Asia Minor.
Chaonia, a mountainous part of Epirus, which received its name from Chaon, a son of king Priam.
Charybdis, a dangerous whirlpool on the coast of Sicily, opposite Scylla, on the coast of Italy.
Charon, a god of hell, son of Erebus and Nox, who conducted the souls of the dead in a boat over the river Styx to the infernal regions.
Chimæra, a fabulous monster, represented with three heads, that of a lion, of a goat, and of a dragon.—The name of one of the ships in the fleet of Æneas.
Chiron, one of the Centaurs, son of Saturn and Phillyra, famous for his skill in music, physic, and shooting.
Chloreus, a priest of Cybele, who came with Æneas into Italy, and was killed by Turnus.
Chorœbus, a youth of Mygdonia, who was enamoured of Cassandra; he lost his life during the Trojan war.
Chorinæus, the name of two of Æneas' companions.—A priest who accompanied Æneas.
Chromis, a young shepherd in the sixth Eclogue.—A Phrygian, killed by Camilla.
Cicŏnes, a people of Thrace near the Hebrus.
Cimīnus, *Viterbe*, a mountain and lake of Etruria in Italy.
Cinyphus, a river and country of Africa near Tripolis abounding with goats.
Cinna, a grandson of Pompey, the intimate friend of Augustus, and patron of Virgil.
Circæum, *Circello*, a promontory of Latium, the fabled residence of Circe, near a small town, called Circæii, and south of the Pontine marshes.
Circe, a daughter of Sol and Perseis, celebrated for her knowledge of magic and poisonous herbs.
Cissēis, an appellation of Hecuba as the daughter of Cisseus, a king of Thrace.
Cithæron, *Elatea*, a mountain of Bœotia in Greece, sacred to Jupiter and the Muses.
Clanius, *Lagni*, a river of Campania in Italy.
Clarius, a name of Apollo, from Claros a city of Ionia, where he had a famous temple and oracle.
Claudia, a patrician family of Rome, descended from Clausus, a king of the Sabines who assisted Turnus against Æneas.
Clio, one of Cyrene's nymphs.
Clitumnus, a river of Umbria in Italy, falling into the Tinea.
Cloanthus, one of the companions of Æneas, from whom the family of the Cluentii at Rome were descended.
Clonius, the name of two Trojans, killed in Italy.
Clusium, *Chiusi*, a town of Etruria in Italy.
Clymĕne, one of the Nereides.
Clytius, a youth in the army of Turnus, beloved by Cydon.—The name of two Trojans.
Cocles, Pub. Horat. a noble Roman, who greatly signalized himself by alone opposing for a time the whole army of Porsenna.
Cocȳtus, a river of Epirus in Greece, called by the poets, one of the rivers of hell.
Codrus, the 17th and last king of Athens.—A Latin poet, contemporary with Virgil.

Cœus, a son of Cœlus and Terra. He was the father of Latona, &c. by Phœbe.
Conon, a Greek astronomer of Samos. He was intimate with Archimedes, and flourished 247, B. C.
Coras, a brother of Catillus and Tiburtus, who fought against Æneas.
Corinthus, originally called Ephyre, the capital of Achaia, was situated on the isthmus between the Corinthian and Saronic gulfs. This celebrated city was totally destroyed by L. Mummius, the Roman consul, 146 B. C.
Corybantes, the priests of Cybele.
Corydon, the name of a shepherd, often occurring in the Eclogues.
Corytus, and Corythus, a king of Etruria, who gave name to a town afterwards called Cortona.
Cosa, a town of Etruria, on the sea-coast.
Cossus, a Roman tribune who killed Tolumnius, king of the Veii, in battle.
Cremōna, a city of Italy on the northern bank of the Po.
Creta, *Candia*, one of the largest islands in the Mediterranean sea, at the south of the Cyclades. It was anciently famed for its 100 cities, and for the laws of Minos established there.
Creūsa, a daughter of Priam, and the wife of Æneas, who was lost in the streets of Troy; when Æneas made his escape with his father and son.
Crimisus, a river of Sicily near Segesta.
Crustumerium, a town of the Sabines in Italy.
Crustuminum, a town of Etruria, near Veii, famous for pears.
Cuma, a city of Campania in Italy, in the vicinity of which resided the famed Cumæan Sybil.
Cupido, the god of love and the son of Venus.
Cures, a town of the Sabines in Italy.
Cybēle, a goddess, daughter of Cœlus and Terra, and wife of Saturn.
Cyclădes, islands in the Ægean sea, about fifty in number, encircling Delos.
Cyclōpes, a gigantic race of men, sons of Cœlus and Terra. They had but one eye in the middle of the forehead, and are supposed to have lived in the vicinity of Mount Ætna, where they were employed by Vulcan in fabricating the thunderbolts of Jupiter.
Cydon, a friend of Turnus, killed by Æneas.—*Canea*, a city of Crete.
Cyllēne, a mountain of Arcadia, where Mercury was born; hence his surname of Cyllenius.
Cynthus, a mountain in the island of Delos. Apollo was surnamed *Cynthius*, and Diana *Cynthia*, as they were born on the mountain which was sacred to them.
Cyprus, a large island in the Mediterranean sea, south of Cilicia, sacred to Venus
Cyrēne, the daughter of Peneus, who was carried by Apollo to that part of Africa, which is called *Cyrenaica*, where she became the mother of Aristæus.
Cyrnus, *Corsica*, an island in the Mediterranean sea, near the coast of Italy.
Cythēra, *Cerigo*, an island on the coast of Laconia in Peloponnesus, sacred to Venus.
Cytōrus, *Kidros*, a city of Paphlagonia, on the Euxine.

D

Dædălus, a most ingenious artist of Athens, who formed the labyrinth of Crete, and invented the wedge and many other mechanical instruments, also the masts and sails of ships.
Dahæ, a people of Scythia, on the south-eastern coast of the Caspian sea.
Damœtes, a shepherd frequently mentioned in the Eclogues.
Damon, a shepherd frequently mentioned in the Eclogues.
Danăe, the daughter of Acrisius, king of Argos. She fled to Italy and founded the city Ardea.
Danăi, the Greeks were so called from Danaus king of Argos.
Daphnis, a name given by the poets to shepherds, and persons fond of rural employments, from Daphnis a shepherd of Sicily, the son of Mercury.
Dardănia, a district of Troas in Asia Minor, from which the Trojans were called *Dardani* and *Dardanidæ*.
Dardănus, the son of Jupiter and Electra, who fled to Asia Minor, where he built the city of Dardania, and became the founder of the kingdom of Troy.
Dares, one of the companions of Æneas, celebrated as a pugilist. He was slain by Turnus.
Daunus, a son of Pilumnus and Danăe, and father of Turnus. He came from Illyricum into Apulia, where he reigned over part of the country, from him called Daunia.
Decii, Decius Mus, a Roman consul, his son, and grandson, who devoted themselves to death for the safety of their country.
Deiopēia, one of the nymphs that attended upon Juno.—One of the attendants of Cyrene.
Deiphŏbe, the Cumæan Sybil, daughter of Glaucus, who conducted Æneas into the infernal regions.
Deiphŏbus, a son of Priam and Hecuba, eminently distinguished himself in the Trojan war, and after the death of his brother Paris, married Helen.
Delos, a small but celebrated island of the Ægean sea, nearly in the centre of the Cyclades. It was the birth place of Apollo and Diana; hence the former is frequently called *Delius* and the latter *Delia*.
Demŏleus, a Greek, killed by Æneas in the Trojan war.
Demŏphoon, a friend of Æneas, killed by Camilla.
Dercennus, an ancient king in Latium.
Deucālion, a son of Prometheus, and king of Thessaly, who, with his wife Pyrrha, was preserved from the deluge which happened in his age.
Diana, the goddess of hunting, daughter of Jupiter and Latona, and the twin sister of Apollo.
Dicte, a mountain in the island of Crete, where Jupiter was worshipped; hence he was called Dictæus, and Crete itself was sometimes styled *Dictæa arva*.
Dido, called also Elisa, the daughter of Belus king of Tyre, and the wife of Sichæus. She was the founder and queen of Carthage where she hospitably entertained Æneas who had been shipwrecked on her coast.
Didymāon, an artist who excelled in making suits of armour.
Dindymus, a mountain of Galatia in Asia Minor, where Cybele was worshipped, and hence was called *Dindymēne*.
Diŏmēdes, the son of Tydeus and Deiphyle, was king of Ætolia, one of the most renowned of the Grecian chiefs in the Trojan war, where he performed many heroic deeds.
Dionæa, a surname of Venus, supposed to be the daughter of Jupiter and Dione.
Diōres, a friend of Æneas, who was killed by Turnus.
Diræ, the Furies, daughters of Acheron and Nox.
Dirce, the wife of Lycus, king of Thebes.—A fountain of Bœotia, near Thebes.
Dis, a name of Pluto, the god of hell.
Discordia, daughter of Nox, and the goddess of discord.
Dodōna, an ancient city of Epirus in Greece, where was a celebrated oracle and temple of Jupiter.
Dolon, a Trojan remarkable for his swiftness. Having been sent as a spy to the Grecian camp, he was seized, and put to death by Diomedes.
Dolŏpes, a people who inhabited Mount Pindus, on the borders of Thessaly and Epirus.
Donysa, an island in the Ægean sea, one of the Cyclades, famous for its green marble.
Doris, a country of Greece; sometimes applied to Greece in general.—A sea nymph, daughter of Oceanus and Tethys, and mother of the Nereides; often used to express the sea itself.
Dorўclus, a brother of Phineus, king of Thrace, who married Beroe.
Drances, a friend of Latinus, remarkable for his eloquence and weakness.
Drepănum, *Trapani*, a town on the western coast of Sicily, near Mount Eryx, where Anchises died.
Drusi, the surname of the family of the Livii at Rome.
Dryădes, nymphs who presided over the woods.
Drymo, a sea nymph, one of the attendants of Cyrene.
Dryŏpes, a people of Greece, in the vicinity of Mount Œta and Parnassus.
Dulichium, an island of the Ionian sea, one of the Echinădes, part of the kingdom of Ulysses.
Dymas, a Trojan, who joined Æneas when Troy was taken, but being dressed in Grecian armour was, through mistake, killed by his countrymen.

E

Echionius, an epithet applied to a native of Thebes, as being founded with the assistance of Echion.
Egeria, a nymph of Aricia in Italy, where Diana was particularly worshipped.
Electra, a daughter of Atlas and Pleione. After death she was placed in the constellation Pleiades.
Eleusis, a town of Attica in Greece, celebrated for the festivals of Ceres, who is hence styled *Eleusina mater*.
Elis, a district of Peloponnesus in Greece; famous for its breed of horses; also the chief city of the district.
Elisa, a name of Dido, queen of Carthage.
Elymus, a youth at the court of Acestes in Sicily, who engaged in the foot races at the tomb of Anchises.
Elysium, a place in the infernal regions where, according to the mythology of the ancients, the souls of the virtuous were placed after death. The Elysian fields, according to Virgil, were situated in Italy.
Emathia, an ancient name of Macedonia and Thessaly.
Encelădus, the son of Titan and Terra, and the most powerful of all the

giants who conspired against Jupiter

Enīpeus, a river of Thessaly, falling into the Peneus.—A river of Elis in Peloponnesus.

Entellus, a friend of Æneas, who entered the lists against Dares in the funeral games of Anchises in Sicily.

Eōus, a name of Aurora, also applied to the eastern parts of the world.

Epēus, a son of Panopeus, who fabricated the famous wooden horse which proved fatal to Troy.

Ephy̆ra, the ancient name of Corinth, which it received from Ephyre, one of Cyrene's attendants.

Epidaurus, *Pidavra*, a city of Argolis in Peloponnesus.

Epīrus, *Albania*, a country of Greece, famous for its fine breed of horses.

Epytīdes, a name of Periphas, the son of Epytus, and the companion of Ascanius.

Equicŏlus, a Rutulian distinguished for the brightness of his armour, who fought against Æneas.

Erĕbus, a god of hell; often used to signify hell itself.

Erētum, a town of the Sabines, near the Tiber.

Ericthŏnius, a son of Vulcan, the fourth king of Athens. The invention of chariots is ascribed to him.

Eridănus, called afterwards Padus, *Po*, the largest river of Italy, which falls into the Adriatic.

Erigŏne, a daughter of Icarius. After her death, she became the constellation Virgo.

Erinnys, a name applied to the Furies.

Eriphy̆le, a sister of Adrastus, king of Argos, and the wife of Amphiaraus.

Eryx, a king of Sicily, son of Butes and Venus.—A town and mountain of Sicily. On the summit of Mount Eryx, *Giuliano*, stood a famous temple of Venus, who is hence called Erycina.

Etrūria, *Tuscany, &c.* a country of Italy, lying west of the Tiber.

Etrusci, the inhabitants of Etruria, *Tuscans*.

Evadne, the wife of Capaneus, who threw herself on his funeral pile, and perished in the flames.

Evander, a king of Arcadia, subsequently of that part of Italy where Rome was afterwards founded. He assisted Æneas against the Rutuli.

Evas, a native of Phrygia, slain by Mezentius.

Eubœa, *Negropont*, a large island in the Ægean sea, separated from the continent of Greece by the Eurīpus.

Euboĭcus, an epithet applied to Cumæ in Italy as having been built by a colony from Chalcis a city of Eubœa.

Eumēdes, a Trojan, son of Dolon, who accompanied Æneas into Italy where he was slain by Turnus.

Eumenĭdes, a name given to the Furies.

Eumēnius, a Trojan killed by Camilla in Italy.

Euphrātes, a celebrated river of Asia, which rises in the mountains of Armenia, and discharges itself into the Persian gulf.

Eurōpa, one of the three divisions of the ancient world.

Eurōtas, *Vasili Potamo*, a river of Laconia washing Sparta, and falling into the Laconic gulf.

Euryălus, a Trojan who went to Italy with Æneas, and immortalized himself by his friendship with Nisus.

Eury̆dĭce, a daughter of Nereus and Doris, and the wife of Orpheus.

Eurypy̆lus, a soothsayer in the Grecian camp before Troy.

Eurystheus, a king of Argos and Mycenæ, who imposed upon Hercules the most perilous enterprizes, well known by the name of the twelve labours of Hercules.

Eurytĭon, a son of Lycaon, who signalized himself during the funeral games exhibited in Sicily by Æneas.—A silversmith mentioned in the 10th Æneid.

F

Fabăris, *Farfa*, a river of Italy in the country of the Sabines.

Fabii, a noble and powerful family at Rome of whom sprung Quintus Fabius, surnamed Maximus, the opponent of Hannibal.

Fabricius, (C. L.) a celebrated Roman, who conquered Pyrrhus, king of Epirus.

Falernus, a fertile mountain and plain of Campania, famous for its wine.

Falisci, a people of Etruria, originally a Macedonian colony.

Fauni, rural deities, who presided over the fields.

Faunus, the son of Picus, who is said to have reigned in Italy about 1300 B. C.

Ferōnia, a Roman goddess, the mother of Herilus, who had the care of woods and orchards.

Fescennĭa, *Galese*, a town of Etruria in Italy.

Fidēnæ, a town of the Sabines, on the Tiber, north of Rome.

Fides, the goddess of faith and honesty, worshipped by the Romans.

Flavinĭa, a town of Etruria, which assisted Turnus against Æneas.

Forŭli, a town of the Sabines.

Fucĭnus, *L. di Celano*, a lake of Italy in the country of the Marsi.

G

Gabii, a city of the Volsci, between Rome and Præneste, where Juno was worshipped, who was hence called Gabīna.

Gætŭlia, a country of Africa, south of Numidia.

Galatēa, a sea nymph, daughter of Nereus and Doris.—A country girl mentioned in the Eclogues.

Galēsus, a river of Calabria, flowing into the bay of Tarentum.—A rich person of Latium, accidentally killed by the friends of Ascanius.

Gallus, (Cornelius) a Roman knight, the patron of Virgil, himself a poet.

Galli, the Gauls, a warlike nation of Europe, who invaded Italy, &c. under Brennus.

Gangarĭdæ, a people of Asia, near the mouths of the Ganges.

Ganges, a celebrated river of India, which has its rise in the Himalah mountains, and after a course of 1500 miles and receiving numerous large streams, discharges itself into the bay of Bengal.

Ganymēdes, the son of Tros, king of Troy, feigned to have been taken up to heaven by Jupiter and there became the cup-bearer of the gods in the place of Hebe.

Garămantes, a people in the interior of Africa now called Zaara.

Gargānus, *St. Angelo*, a lofty mountain of Apulia, projecting in the form of a promontory into the Adriatic sea.

Gargăra, a town and mountain of Troas in Asia Minor.

Gela, a town at the south of Sicily on the river Gelas.

Gelōni, a people of Scythia, descended from Gelonus, a son of Hercules.

Genius, a spirit or demon, supposed by the ancients to preside over the birth and life of every man.

Germānia, an extensive country of Europe, to the east of Gaul, and north of Italy.

Gēryon, a celebrated monster, whom Hercules slew. He was represented by the poets as having three bodies and three heads.

Getæ, a people of European Scythia, inhabiting that part of Dacia, near the mouth of the Ister.

Glaucus, a son of Hippolochus, and grandson of Bellerophon. He assisted Priam in the Trojan war, and was slain by Ajax.—Son of Neptune and Nais, a fisherman of Anthēdon in Bœotia, but changed into a sea deity.—A son of Sisyphus, king of Corinth, torn to pieces at Potnia in Bœotia, by his own mares.—The father of Deiphŏbe the Cumæan sybil.

Gnossus, a famous city of Crete; often applied to the whole island.

Gorgŏnes, the three daughters of Phorcys and Ceto, named Stheno, Euryăle, and Medūsa, who were all immortal except Medusa. According to the ancients, their hair was entwined with serpents, and they turned into stone all that looked upon them.

Gorty̆na, *Metropoli*, an inland city of Crete.

Gracchus, T. Sempronius, the father of Tiberius and Caius Gracchus, distinguished both in the senate and the field.

Gradīvus, a surname of Mars.

Græcia, a celebrated country of Europe, surrounded on three sides by two great arms of the Mediterranean, called the Adriatic, Ionian and Ægean seas, and comprehended in the largest sense, Macedonia, Epirus, Thessaly, Greece proper or Hellas, and Peloponnesus, with the circumjacent islands.

Graii and Grajugĕnæ, Grecians, inhabitants of Greece.

Graviscæ, a maritime town of Etruria which assisted Æneas against Turnus.

Grynēum, a town on the coast of Asia Minor, where was a celebrated temple and oracle of Apollo, on account of which he is called *Grynæus*.

Gyărus, a small island of the Ægean sea, one of the Cyclades.

Gyas, one of the companions of Æneas, who distinguished himself at the games exhibited after the death of Anchises in Sicily.—A Rutulian, son of Melampus, killed by Æneas in Italy.

Gylippus, an Arcadian, who, with his nine sons, assisted Æneas in the Rutulian war.

H

Hadria, *Adria*, a town of Italy, near the mouths of the Po which gives name to the Adriatic gulf.

Hæmon, a Rutulian, engaged in the wars of Turnus.—A Lycian who assisted Æneas against Turnus.

Hæmus, *Balkan*, an extensive chain of mountains separating Thrace from Mœsia.

Halcyŏnes, Halcyone, daughter of Æolus, and her husband Ceyx, who were changed into the birds so called.

Hamadry̆ădes, rural nymphs who presided over trees.

Harpăly̆ce, daughter of Harpalycus, king of Thrace, a woman of the most undaunted courage.

Harpyiæ, fabulous monsters, daughters of Neptune and Terra. They

were three in number, Aello, Ocypete, and Celæno.

Hebrus, *Maritza*, the largest river of Thrace; it rises in Mount Hæmus and runs into the Ægean sea.

Hecăte, the daughter of Perses and Asteria, or rather of Jupiter and Latona, who was called Luna in heaven, Diana on earth, and Hecate or Proserpine in hell.

Hector, the son of Priam and Hecuba, was the most valiant of all the Trojan chiefs. For a long time he gloriously sustained the destinies of Troy, till at last he fell by the hand of Achilles, who dragged the body with insulting triumph three times round the tomb of Patroclus and the walls of Troy.

Hecŭba, daughter of Dymas, a Phrygian prince, or according to others of Cisseus, a Thracian king, was the second wife of Priam, king of Troy.

Helĕna, the daughter of Tyndărus, king of Sparta, and the wife of Menelaus, was the most beautiful woman of her age. In the absence of her husband, Paris son of king Priam carried her away, which was the cause of the ten years war against Troy, and the destruction of that celebrated city.

Helĕnor, a Lydian prince who accompanied Æneas to Italy, and was killed by the Rutulians.

Helĕnus, a celebrated soothsayer, the only one of Priam's sons who survived the ruin of his country. Æneas on his way to Italy was kindly received by Helenus, who then reigned over Chaonia.

Helicon, *Zagora*, a famous mountain of Bœotia, sacred to Apollo and the Muses, who were thence called Heliconiădes.

Hellespontus, the *Dardanelles*, the narrow strait between Asia and Europe, which connects the Propontis with the Ægean sea.

Helōrus, *Abisso*, a river of Sicily, south of Syracuse.

Hercŭles, the most celebrated hero of fabulous history, the son of Jupiter and Alcmēna, was, after a life spent in achieving the most perilous enterprizes, ranked among the gods, and received divine honours.

Herĭlus, a king of Præneste, son of the nymph Ferōnia.

Hermiŏne, the daughter of Menelaus and Helen.

Hermus, *Sarabat*, a river of Lydia in Asia Minor, whose sands were mingled with gold. It receives the waters of the Pactōlus near Sardis, and falls into the Ægean sea, northwest of Smyrna.

Hernĭci, a people of Campania, who were inveterate enemies to the Romans.

Hesiŏne, a daughter of Laomedon, king of Troy, and sister to Priam. Hercules having delivered her from a sea monster to which she was exposed, gave her in marriage to Telămon, king of Salamis.

Hespĕria, a name applied to Italy by the Greeks, and to Spain by the Romans.

Hesperĭdes, three celebrated nymphs, daughters of Hesperus. They presided over the garden which contained the golden apples that Juno gave to Jupiter on the day of their nuptials.

Hespĕrus, a son of Iapĕtus, and brother to Atlas. The name of Hesperus is applied to the planet Venus, or the evening star.

Hiĕra, the mother of Pandărus and Bitias by Alcānor.

Himella, a river of the Sabines, falling into the Tiber below Cures.

Hippocoon, son of Hyrtăcus, a friend of Æneas who distinguished himself at the funeral games in honour of Anchises.

Hippodăme, a daughter of Œnŏmaus, king of Pisa in Elis, who married Pelops the son of Tantălus.

Hippolўte, queen of the Amazons, given in marriage to Theseus by Hercules who had conquered her.

Hippolўtus, the son of Theseus and Hippolyte, said to have been restored to life at the request of Diana by Æsculapius, after which he assumed the name of Virbius.

Homŏle, a lofty monntain of Thessaly, once the residence of the Centaurs.

Hortĭnum, or Horta, *Orte*, a town of the Sabines, near the confluence of the Nar and Tiber.

Hyădes, five daughters of Atlas, king of Mauritania, who after death were changed into stars, and placed in the constellation Taurus.

Hybla, a mountain and town of Sicily, famous for honey and bees.

Hydaspes, a river of Persia mentioned in the fourth Georgic; some suppose it to be the Choaspes and others the Araxes.

Hydra, a monstrous serpent which infested the neighbourhood of the lake Lerna in Peloponnesus, and was killed by Hercules.

Hylas, a river of Bithynia, flowing into the Propontis near Cius, in which Hylas, a son of Theodămas king of Mysia, was drowned.

Hylæus, a Centaur killed by Hercules.

Hymĕnæus and Hymen, the god of marriage, was the son of Bacchus and Venus, or according to others of Apollo and one of the Muses.

Hypănis, *Bog*, a river of European Scythia which falls into the Euxine.

Hyrcānia, a country of Asia on the south-east of the Caspian sea.

Hyrtăcus, a Trojan of Mount Ida, father of Nisus and Hippocoon, who are hence styled Hyrtacĭdes.

## I

Iacchus, a surname of Bacchus.

Janicŭlum, one of the seven hills at Rome, on which Janus built a town of the same name.

Janus, the most ancient king of Italy, a native of Thessaly, and according to some, the son of Apollo. After death he was ranked among the gods. His temple at Rome, where he was chiefly worshipped, was always shut in time of peace, and open in time of war.

Iapĕtus, a son of Cœlus or Titan, by Terra, the father of Prometheus, &c.

Iāpis, an Ætolian who founded a city on the banks of the Timāvus.—A Trojan, the son of Iasus, and a favourite of Apollo who instructed him in medicine.

Iapyx, a son of Dædalus, who conquered a part of Italy which he called Iapygia, the ancient name of Apulia.—Also used for a wind which blew from Apulia, and was favourable to such as sailed from Italy towards Greece.

Iarbas, a son of Jupiter and Garamantis, king of Gætulia, from whom Dido bought land to build Carthage. He was a lover of the queen at the time Æneas came to Carthage.

Iasĭdes, a name given to Palinŭrus, as descended from Iasius.

Iasius, a son of Jupiter and Electra, who reigned over part of Arcadia.—The father of Palinŭrus.

Ibĕri, Spaniards, so called from Ibērus, the *Ebro*, a large river of Spain.

Icărus, the son of Dædalus, who, with his father fled with wings from Crete to escape the resentment of Minos, but he fell into that part of the Ægean sea which bears his name.

Ida, a mountain of Crete, the highest in the island where Jupiter is said to have been educated by the Corybantes, who on that account were called Idæi.—A celebrated mountain, or ridge of mountains in Troas extending to the vicinity of Troy. From Mount Ida issued the Simois, Scamander and other rivers, and here it was that Paris adjudged the prize of beauty to the goddess Venus.

Idæa, a surname of Cybele, because she was worshipped on Mount Ida in Crete.

Idæus, a surname of Jupiter.—The charioteer of king Priam, killed during the Trojan war.

Idălium, *Dalin*, a town of Cyprus at the foot of Mount Idălus, with a grove sacred to Venus, who was hence called *Idalœa*.

Idas, a Trojan killed by Turnus.

Idmon, the herald of king Turnus.

Idomĕneus, king of Crete, the son of Deucalion and grandson of Minos. Having left Crete, after his return from the Trojan war, he came to Italy, and founded the city of Salentum on the coast of Calabria.

Idumæa, a country of Syria, on the south of Judæa, famed for its palm trees.

Ilia or Rhea, a daughter of Numĭtor, king of Alba, and the mother of Romulus and Remus by Mars.

Iliŏne, the eldest daughter of Priam who married Polymnestor, king of Thrace.

Iliŏneus, a Trojan, the son of Phorbas, was distinguished for his eloquence, and accompanied Æneas into Italy.

Ilium or Ilion, the citadel of Troy, generally taken for the city itself, so named from Ilus, one of the Trojan kings. Hence Iliădes, a name given to the Trojan women.

Illўricum, and Illўria, an extensive country on the eastern shores of the Adriatic sea, opposite Italy.

Ilva, *Elba*, an island of the Tyrrhene sea, between Italy and Corsica, famous for its iron mines.

Ilus, the fourth king of Troy, was son of Tros and Callirhoe, and father of Themis and Laomedon.—A name of Ascanius while he was at Troy.—A friend of Turnus slain by Pallas.

Imbracĭdes, a surname of Asius, as son of Imbracus.

Imbrasĭdes, a surname of Glaucus and Lades, as the sons of Imbrasus.

Inăchus, a son of Oceănus and Tethys, and father of Io. He founded the kingdom of Argos, and gave his name to a river of Argŏlis, now called the *Phanitza*.

Inarĭme, *Ischia*, an island near the coast of Campania, with a mountain, under which Jupiter is feigned to have confined the giant Typhœus.

India, an extensive country of Asia, divided by the ancients into India intra Gangem, the modern *Hindoostan*, and India extra Gangem, the *Birman Empire*, &c.

Inŏus, a surname of the god Palæmon, as son of Ino.

Inui Castrum, a town of Latium, on the shores of the Tyrrhene sea.

Io, daughter of Inachus, and priestess of Juno at Argos. According to the poets she was changed into a heifer by Jupiter, but was afterwards restored to her own form, when she married Telegonus or Osiris king of Egypt, and after death was worshipped under the name of Isis.
Iolas, a shepherd mentioned in the Eclogues.—A friend of Æneas, killed by Catillus in the Rutulian wars.
Ionĭum mare, a part of the Mediterranean sea, at the bottom of the Adriatic, lying between Sicily and Greece.
Iōpas, an African chief, one of the suitors of queen Dido.
Iphĭtus, a Trojan who survived the ruin of his country, and fled with Æneas to Italy.
Iris, daughter of Thaumas and Electra, was one of the Oceanĭdes, and messenger of the gods, more particularly of Juno. Iris was the goddess of the rainbow.
Ismăra and Ismărus, a mountain in the south of Thrace covered with vines and olives, with a town of the same name. Hence Ismarius is used for Thracian.
Ismărus, a Lydian who accompanied Æneas to Italy, and distinguished himself against the Rutuli.
Ister, *Danube*, the largest river of Europe, rises in the black forest in *Suabia*, and running from west to east through the greatest part of Europe, after a course of about 1600 miles, discharges itself into the Euxine sea. The ancients gave the name of Ister to the eastern part of the Danube after its junction with the *Saave* at *Belgrade*.
Itălia, a celebrated country in the south of Europe, bounded on the north by the Alps and on the other sides by the Adriatic and Tyrrhene seas. It was divided into several districts or states, though known under the three greater divisions of Cisalpine Gaul, Italia Propria and Magna Græcia. This country has been called the garden of Europe, and contains many interesting monuments of its former celebrity.
Itălus, an Arcadian prince, who is said to have established a kingdom in Italy which from him was called Italia.
Ithăca and *Theaki*, an island in the Ionian sea, north-east of Cephallenia, famous for being part of the kingdom of Ulysses, who was hence styled Ithăcus.
Itȳræa or Itūræa, a province of Syria whose inhabitants were famous archers.
Itys, a Trojan who came to Italy with Æneas and was killed by Turnus.
Iūlus, a name given to Ascanius, the son of Æneas.
Juno, a celebrated deity among the ancients, the daughter of Saturn and Ops, and the sister and wife of Jupiter.
Jupĭter, the supreme god of the ancients, son of Saturn and Ops.
Juturna, a sister of Turnus king of the Rutuli, changed into a fountain of the same name, the waters of which were used in the sacrifices of Vesta.
Ixīon, a king of Thessaly, son of Phlegȳas, married Dia, daughter of Eiŏneus or Deiŏneus, whom he treacherously murdered. He is the supposed father of the Centaurs. Jupiter, according to the poets, struck him with his thunder for having attempted to seduce Juno, and ordered Mercury to tie him to a wheel in hell which was perpetually in motion, expressive of the eternity of his punishment.

## L

Labīcum, *Colonna*, a town of Latium between Gabii and Tusculum.
Lacæna, an epithet applied to a female native of Laconia, and among others to Helen.
Lacedæmon, called also Sparta, a famous city of Peloponnesus in Greece, and the capital of Laconia. It is now called Misitra or Mistra.
Lacinium, *Cape delle Colonne*, a promontory of Magna Græcia in Italy. Here Juno Lacinia had a famous temple which the Crotonians held in great veneration.
Lades, a Lycian, the son of Imbrasus, killed by Turnus.
Ladon, an Arcadian who followed Æneas into Italy, where he was killed by Halēsus.
Lāertes, a king of Ithaca, the reputed father of Ulysses.
Lagus, a Rutulian, slain by Pallas, son of Evander.
Lamus, a Latian chief, killed by Nisus in the Rutulian war.
Lamȳrus, one of the auxiliaries of Turnus, killed by Nisus.
Lāŏcoon, a son of Priam and Hecuba, and priest of Apollo, who with his two sons was destroyed by two enormous serpents, while he was sacrificing to Neptune. This punishment was believed to be inflicted upon him for his temerity in dissuading the Trojans to bring into the city the fatal wooden horse, as also for his impiety in hurling a javelin against its sides as it entered within the walls.
Laodamīa, a daughter of Acastus, and the wife of Protesĭlaus, whose departure for the Trojan war and subsequent fall by the hand of Hector, caused her death from excessive grief.
Laomĕdon, king of Troy and the father of Priam who is hence styled *Laomedontiădes*, and the Trojans, *Laomedontiădæ*.
Lapĭthæ, a people of Thessaly who inhabited the country about Mount Pindus and Othrys, and were excellent horsemen.
Larīdes, a son of Daucus who assisted Turnus against Æneas, and had his hand cut off at one blow by Pallas the son of Evander.
Larīna, an Italian virgin who accompanied Camilla in the war against Æneas.
Larissæus, an epithet applied to Achilles from Larissa, the capital city of Thessaly.
Larĭus, *Como*, a beautiful lake of Cisalpine Gaul, through which the Addua runs, in its way to the Po above Cremona.
Latīnus, the son of Faunus, king of the Aborigines in Italy, who from him were called Latini. He was succeeded on the throne of Latium by Æneas who had married his daughter Lavinia.
Latium, *Campagna di Roma*, a country of Italy, on the east of the Tiber. The Latins rose into importance when Romulus had founded the city of Rome in their country.
Latōna, the mother of Apollo and Diana by Jupiter. Hence Diana is called Latonia and Latōis.
Lavīnia, the daughter of Latinus and Amata. She was betrothed to her relation king Turnus, but was given to Æneas after the death of Turnus.
Lavĭnium, *Pratica*, a town of Latium built by Æneas, and called by that name in honour of Lavinia.
Laurentum, *Paterno*, the capital of Latium in the reign of Latinus. Hence Laurentes and Laurentīni, the inhabitants of Laurentum or Latium.
Lausus, a son of king Mezentius, killed by Æneas.
Leda, the wife of Tyndărus, king of Sparta, and the mother of Pollux, Helena, Castor and Clytemnestra; the two former were deemed the offspring of Jupiter, the latter of Tyndarus.
Lelĕges, a wandering people who originally inhabited Caria in Asia Minor, and who fought in the Trojan war under their king Altes.
Lemnos or *Stalimene*, an island in the Ægean sea, sacred to Vulcan, called *Lemnius pater*, because he fell there when kicked down from heaven by Jupiter.
Lenæus, a surname of Bacchus, from *ληνὸς, a wine-press*.
Lerna, *Molini*, a lake of Argolis in Greece, where Hercules killed the famous hydra.
Lesbos, *Mytiline*, a large island in the Ægean sea, off the coast of Mysia, celebrated for its wines.
Lēthe, one of the rivers of hell.—A river in Bœotia whose waters were drunk by those who consulted the oracle of Trophonius.
Leucaspis, one of Æneas' companions, lost during a storm in the Tyrrhene sea.
Leucāte, *Cape Ducato*, a high promontory of Leucadia, an island in the Ionian sea, from which desponding lovers threw themselves into the sea, hence called the lovers' leap. Here was a famous temple of Apollo.
Liber, a surname of Bacchus, as being the god of wine.
Libethrĭdes, a name given to the Muses from the fountain Libethra, near Mount Helicon.
Liburnia, *Croatia*, a province of Illyricum at the head of the Adriatic.
Libȳa, an extensive country of Africa lying between Egypt and the Syrtis Major. It is frequently applied to Africa by the ancients.
Ligēa, one of the Nereides.
Liger, a Trojan who slew Emathion.—A Rutulian, slain by Æneas.
Ligūria, part of *Piedmont*, a country on the west of Italy, between the Po, and the Mediterranean.
Lilȳbæum, *Cape Boeo*, a famous promontory, and *Marsala*, a town on the western coast of Sicily.
Linus, a shepherd and celebrated musician of Thebes, the son of Apollo.
Lipăra, the largest of the Æolian islands on the coast of Sicily, which are now called the Lipari isles.
Liris, a Trojan warrior slain by Camilla.
Locri, a colony of Locrians who settled on the coast of Libya.
Lucăgus, a Rutulian, who, with his brother Liger, was slain by Æneas.
Lucetĭus, a Rutulian, killed by Ilioneus.
Lucĭfer, the name of the planet Venus, or morning star.
Lucīna, a goddess, daughter of Jupiter and Juno, who presided over the birth of children. Diana and Juno were also sometimes called Lucina.
Lucrīnus, a lake in Italy, near Cumæ on the coast of Campania. During an earthquake, A. D. 1538, the Lucrine lake disappeared and in its place was formed a mountain, two miles in circumference and 100 feet high.

Lupercal, a place at the foot of Mount Aventine sacred to Pan, whose festivals called Lupercalia were celebrated annually, and the priests who assisted at them were called Luperci.

Lyæus, a surname of Bacchus, the god of wine.

Lycæus, a mountain of Arcadia sacred to Jupiter, and also to Pan, whose festivals called Lycæa (the same as the Lupercalia of the Romans) were celebrated there.

Lycāon, the first king of Arcadia, whose daughter Calisto, was changed by Juno into a bear, but Jupiter made her the constellation *Ursa Major*.

Lycaonia, a district of Phrygia in Asia Minor.

Lycas, a priest of Apollo in the interest of Turnus, killed by Æneas.—An officer of Turnus.

Lycia, a country of Asia Minor between Caria and Pamphylia. The epithet *hiberna* was applied to Lycia, because Apollo had a celebrated temple at Patăra, its capital, where he resided during the winter, as he did at Delos during the summer.

Lycīdas, a Mantuan shepherd mentioned in the Eclogues.

Lycōrias, one of the attendant nymphs of Cyrene.

Lycōris, a freedwoman of the senator Volumnius, also called Cytheris and Volumnia, celebrated for her beauty and intrigues. The poet Gallus was greatly enamoured of her, but she forsook him for Mark Antony, by whom she was in turn abandoned for Cleopatra.

Lyctus, *Licto*, a town of Crete, the native place of Idomeneus, whence he is often called *Lyctius*.

Lycurgus, a king of Thrace, son of Dryas, who it is said drove Bacchus out of his kingdom.

Lycus, one of the companions of Æneas lost in a storm on the coast of Carthage.—Another of his friends killed by Turnus.

Lȳdia, a country of Asia Minor, south of Mysia. The epithet Lydius is applied to the Tiber, because it passes along the borders of Etruria whose inhabitants were originally a Lydian colony.

Lyncēus, one of the companions of Æneas killed by Turnus.

Lyrnessus, a city of Troas, the native city of Briseis. It was taken and plundered by Achilles and the Greeks during the Trojan war.

M

Machāon, a celebrated physician, son of Æsculapius and brother to Podalirius. He went to the Trojan war where he performed many wonderful cures on the wounded Greeks, and was one of those concealed in the wooden horse.

Mæcēnas, a Roman knight, descended from the kings of Etruria, but more distinguished as the favourite of Augustus, and the friend of learning and of men of genius, particularly of Horace and Virgil.

Mænălus, *Roina*, a mountain of Arcadia sacred to Pan. It was covered with pine trees.

Mæon, one of the seven sons of Phorcus, who was slain by Æneas.

Mæonia, a name of Lydia in Asia Minor. The Etrurians as being descended from a Lydian colony are often called *Mæonidæ*.

Mæōtis Palus, *Sea of Asoph*, a large lake or more properly part of the sea between Europe and Asia, north of the Euxine, with which it communicates by the Cimmerian Bosphorus.

Mævĭus, a poet of inferior note in the age of Augustus.

Magus, an officer of Turnus, killed by Æneas.

Maĭa, a daughter of Atlas and Pleiōne, and mother of Mercury by Jupiter. She was one of the Pleiădes, and the most luminous of the seven.

Malea, a promontory of Peloponnesus on the south of Laconia, dangerous to navigators.

Manlius, surnamed *Torquātus*, a celebrated Roman, but whose severity in putting to death his son because he had engaged the enemy without his permission, though he had obtained an honourable victory, has been deservedly censured.—Marcus, also a celebrated Roman, surnamed *Capitolinus*, for his gallant defence of the Capitol against the Gauls under Brennus. Manlius was afterwards accused of ambitious designs, and having been condemned, he was thrown down from the Tarpeian rock.

Manto, a daughter of the Theban prophet Tirēsias, endowed with the gift of prophecy. Having visited Italy, she married Tiberinus, the king of Alba, or according to the poets, the god of the river Tiber by whom she had Ocnus who built Mantua, which he named after his mother.

Mantua, a city of Italy, in the vicinity of which Virgil was born. It is situated on the Mincius to the north of the Po.

Marcellus, Marcus Claudius, a famous Roman general, signalised himself against the Gauls, having obtained the *spolia opima* by killing with his own hand their king Viridomărus. After achieving the conquest of Syracuse, he was opposed in the field to Hannibal but fell in an ambuscade.—Marcellus, the son of Octavia, the sister of Augustus. He married Julia, the emperor's daughter, and was intended for his successor, but died suddenly at the early age of 18. Virgil procured himself great favours by celebrating the virtues of this amiable prince.

Marica, a nymph of the river Liris in Italy. She married Faunus, by whom she had king Latīnus, and was afterwards called Fauna or Fatua, and honoured as a goddess.

Marii, the Marian family; the chief of whom was Caius Marius, who from a peasant became one of the most powerful and cruel tyrants that Rome ever beheld during her consular government.

Marpēsus, a mountain in the island of Paros, famed for its white marble.

Marrŭbium, *S. Benedetto*, a town of the Marsi on the banks of the lake Fucīnus in Italy.

Mars, the god of war among the ancients, was the son of Jupiter and Juno, or of Juno alone according to Ovid. Among the Romans this deity received the most unbounded honours.

Marsi, a people of Germany, who emigrated to Italy, and settled near the lake Fucīnus. They were greatly addicted to magic.

Massĭcus, a mountain of Campania, famed for its fine wine.—An Etrurian prince who assisted Æneas with 1000 men against Turnus.

Massȳli, a people of Mauritania in Africa, near Mount Atlas.

Mavors, a name of Mars, the god of war.

Maūrusii, the people of Maurusia, also called Mauritania, *Fez*, in Africa.

Medi, Medes, inhabitants of Media, a celebrated country of Asia, on the south of the Caspian sea.

Megæra, one of the Furies, daughter of Nox and Acheron.

Megara, a town of Sicily, north of Syracuse founded by a colony from Megara in Greece.

Melampus, a celebrated soothsayer, and physician of Argos, son of Amythāon and Idomenea or Dorippe.—The father of Cissēus and Gyas.

Melibœa, a maritime town of Magnesia in Thessaly, near Mount Pelion, famous for dyeing wool. The epithet of *Melibœus* is applied to Philoctetes because he reigned there.

Melibœus, a shepherd introduced in the Eclogues.

Melicerta, the son of Athamas and Ino, changed into a sea god known by the names of Palæmon and Portumnus.

Melĭte, one of the Nereides.

Mella, a small river of Cisalpine Gaul, falling into the Ollius, and with it into the Po.

Memmii, an illustrious plebeian family at Rome, dscended, according to some accounts, from Mnestheus, the friend of Æneas.

Memnon, a king of Æthiopia, son of Tithōnus and Aurora. He came with a body of 10,000 men to assist his uncle Priam in the Trojan war where he displayed great courage, and killed Antilŏchus, Nestor's son, but was himself afterwards slain by Achilles in single combat.

Menalcas, a shepherd frequently mentioned in the Eclogues.

Menelāus, king of Sparta, and brother to Agamemnon. He married Helen the daughter of Tyndărus, and with her received the crown of Sparta; this, however, he had enjoyed only a short time, when Helen was carried away by Paris the son of Priam, which laid the foundation of the Trojan war, where Menelaus behaved with great spirit and courage.

Menœtes, the pilot of the ship of Gyas, at the naval games exhibited by Æneas in honour of his father's death.—An Arcadian killed by Turnus in the wars of Æneas.

Mercŭrius, a celebrated god of antiquity, the son of Jupiter and Maia. He was the messenger of the gods, and of Jupiter in particular.

Merops, one of the companions of Æneas, killed by Turnus.

Messāpus, a son of Neptune, who left Bœotia and came to settle in Italy, where he assisted Turnus against Æneas. He gave the name of Messapia to that part of Italy which was also called Calabria.

Metăbus, king of Prevernum, a city of the Volsci in Latium, and father of Camilla.

Methymna, *Molivo*, a town in the island of Lesbos, the vicinity of which produces excellent wines.

Metiscus, a charioteer to Turnus, whose form was assumed by Juturna the sister of Turnus.

Metius, dictator of Alba in the reign of Tullus Hostilius, who became subject to the Romans by the combat of the Horatii and Curatii, but afterwards proving faithless, Tullus put him to death by placing him between two chariots which were drawn by four horses different ways.

Mezentius, a king of the Tyrrhenians. Expelled by his subjects on account of his cruelties, he fled to Turnus, who employed him in his war against the Trojans. He and his son Lausus were slain by Æneas.

Milētus, a city of Asia Minor, the ancient capital of Ionia; famous for its excellent wool, hence *Milesia vellera*.

Mimas, a Trojan, son of Amȳcus and Theano, and the intimate friend of Paris. He accompanied Æneas to Italy, and was slain by Mezentius.

Mincius, *Mincio*, a river of Italy flowing from the lake Benăcus and falling into the Po below Mantua.

Minerva, the goddess of wisdom, war, and all the liberal arts, was produced from Jupiter's brain, without a mother. Among the many names by which she was known among the ancients, those of Minerva and Pallas were the most general.

Minio, *Mignone*, a river of Etruria, falling into the Tyrrhene sea.

Minos, a celebrated king and lawgiver of Crete, son of Jupiter and Eurōpa. According to the poets, he was rewarded for his equity, after death, with the office of judge in the infernal regions, with Æăcus and Rhadamanthus.

Minōtaurus, a fabulous monster, half a man, and half a bull.

Misēnus, a son of Æolus, the trumpeter of Hector, after whose death he followed Æneas to Italy, and was drowned on the coast of Campania.

Mnasȳlus, a youth who assisted Chromis in binding Silēnus whom they found asleep in a cave.

Mnestheus, a Trojan descended from Assarăcus. He obtained a prize at the funeral games of Anchises, and was the progenitor of the family of the Memmii at Rome.

Mœris, the name of a shepherd mentioned in the Eclogues.

Molorchus, an old shepherd near Cleōnæ in Argolis, who kindly received Hercules, and in return the hero slew the Nemæan lion, which laid waste the country.

Molossia or Molossis, a district in the south of Epirus, celebrated for its fierce breed of dogs.

Monœcus, *Monaco*, a maritime town on the south-west coast of Liguria where Hercules had a temple.

Mopsus, a shepherd mentioned in the Eclogues.

Morini, a people of Belgic Gaul, on the shores of the British ocean.

Mulciber, a name of Vulcan.

Murrānus, a friend of Turnus, killed by Æneas.

Musæ, the nine Muses—goddesses who presided over poetry, music, dancing, and the liberal arts, daughters of Jupiter and Mnemosȳne.

Musæus, an ancient Greek poet, supposed to have been the son or disciple of Linus or Orpheus, and to have lived about 1410 years B. C.

Mutusca, a town of the Sabines, famous for its olives.

Mycēnæ, near *Krabata*, a city of Argolis in Peloponnesus, once the capital of a kingdom, and the residence of Agamemnon.

Mycon, a shepherd mentioned in the Eclogues.

Mycŏne or Mycŏnos, an island in the Ægean sea, one of the Cyclădes, north of Delos.

Mygdonĭdes, a name of Corœbus as the son of Mygdon, a brother of Hecuba, Priam's wife. He reigned over part of Thrace.

Myrmĭdŏnes, a people in the southern parts of Thessaly, who accompanied Achilles to the Trojan war.

Mysia, a country of Asia Minor lying between Æolia and the Propontis, with the Ægean on the west.

N

Naiădes, nymphs—goddesses who presided over rivers and fountains.

Napææ, nymphs of the meadows and groves.

Nar, *Nera*, a river of Umbria, rises in the Apennines, and forming a junction with the Velinus, flows with great rapidity and falls into the Tiber. Its waters are celebrated for their sulphureous properties.

Narcissus, a beautiful youth, son of Cephīsus and the nymph Liriŏpe. On seeing his image reflected in a fountain, he became enamoured of it, thinking it to be the nymph of the place. After his death he was changed into a flower, which still bears his name.

Narȳcia, a name applied to Locri, a town of Magna Græcia, built by a colony of Locrians after the fall of Troy. Near it were forests of pines and other trees.

Nautes, a Trojan soothsayer who consoled Æneas when his fleet had been burnt in Sicily. He was the progenitor of the Nautii, at Rome, a family to whom the Palladium of Troy was afterwards entrusted.

Naxos, *Naxia*, a celebrated island of the Ægean sea, the largest and most fertile of all the Cyclades.

Nealces, a friend of Turnus in his war against Æneas.

Nemæa, a town of Argolis in Peloponnesus near which Hercules performed his first labour by killing the celebrated Nemæan lion.

Neoptŏlĕmus, a name given to Pyrrhus, king of Epirus, son of Achilles and Deidamia. After the death of his father, he came to the Trojan war, where he became conspicuous for his bravery, and for his cruelty to Priam and his family.

Neptūnus, the god of the sea, son of Saturn and Ops, and brother to Jupiter and Pluto. He, with Apollo, assisted Laomedon in building the walls of Troy.

Nereĭdes, sea deities or nymphs; the fifty daughters of Nereus and Doris.

Nēreus, a sea god, son of Oceănus and Terra, and husband of Doris, by whom he had fifty daughters, the Nereids. The word *Nereus* is sometimes taken for the sea itself.

Nerīne, the nymph Galatæa, daughter of Nereus.

Nerĭtos, *Anoi*, a mountain in the island of Ithaca. The word is often applied to the whole island of Ithaca, and also to Ulysses, the king of it. The people of Saguntum are called *Neritia proles*, as descended from a Neritian colony.

Nesæa, one of the Nereides.

Nīlus, a great river of Africa, and one of the most celebrated in the world, is generally supposed to have its sources in that immense chain of mountains in central Africa called the *Mountains of the Moon*. Its course runs in a northerly direction flowing through Nubia and Egypt; a little below *Cairo* it divides itself into two great branches which enclose the Delta, and fall into the Mediterranean; the western branch at *Rosetta*, and the eastern at *Damietta*. Of the seven mouths of the Nile known to the ancients, only these two at present exist.

Niphæus, an Italian chief thrown from his chariot and killed, by his horses taking fright.

Niphātes, a mountain of Armenia, part of the range of Taurus, from which the Tigris takes its rise.

Nisa, a shepherdess mentioned in the eighth Eclogue.

Nisus, a king of Megara, son of Mars, or more probably of Pandion, was, according to the poets, changed into a hawk, and his daughter Scylla into a lark.—The son of Hyrtăcus, who accompanied Æneas to Italy where he signalised himself against the Rutulians, but at last perished in attempting the rescue of his friend Euryalus who had fallen into the enemy's hands.

Noēmon, a Trojan killed by Turnus.

Nomădes, a name given to those uncivilized and wandering tribes scattered over the ancient world. Those of Africa were afterwards called Numidians.

Nomentum, *La Mentana*, a town of the Sabines in Italy.

Norĭcum, part of *Austria*, a country of Europe, south of the Danube.

Numa, a Rutulian chief killed by Nisus and Euryalus.

Numānus, surnamed Remŭlus, a Rutulian who accused the Trojans of effeminacy. He had married a sister of Turnus, and was killed by Ascanius.

Numīcus, *Torto*, a small river of Latium near Lavinium, where the dead body of Æneas was found, and where Anna, Dido's sister, drowned herself.

Numidia, a country of Africa on the shores of the Mediterranean, which now forms the kingdom of *Algiers*.

Numĭtor, king of Alba, the father of Rhea Silvia, and grandfather of Romulus and Remus.—A son of Phorcus who fought with Turnus against Æneas.

Nursæ, *Norcia*, a town of the Sabines.

Nymphæ, certain female deities among the ancients, generally divided into two classes, nymphs of the land, and nymphs of the sea.

Nysa, a town of Æthiopia, or according to others, of Arabia, which with another city of the same name in India was sacred to Bacchus.

O

Oaxes, a river in the south of Crete which received its name from Oaxus, the son of Apollo.

Oceănus, a powerful deity of the sea, son of Cœlus and Terra, and husband of Tethys by whom he had a number of daughters who were called from him Oceănĭdes and Oceanitĭdes.

Ocnus, the son of Tiber and Manto, who assisted Turnus against Æneas. He built a town which he called Mantua after his mother's name.

Œagrus, the father of Orpheus by Calliope. He was king of Thrace, and from him Mount Hæmus and the river Hebrus received the appellation of *Œagrius*.

Œbălia, the city of Tarentum in Italy was so called, because built by a colony under Phalanthus who came from Œbalia, the ancient name of Laconia.

Œbălus, a son of Telon and the nymph Sebēthis, who reigned at Capreæ near Neapolis in Italy.

Œchalia, a country of Laconia in Peloponnesus, with a town of the same name where Eurytus reigned

and which was destroyed by Hercules.

Œnōtria, that part of Italy which was afterwards called Lucania. The name of Œnotria is sometimes applied to Italy.

Œta, a celebrated mountain, or more properly, chain of mountains between Thessaly and Greece proper. Its height has given occasion to the poets to feign that the sun, moon, and stars rose behind it.

Oileus, a king of the Locrians, and father of Ajax who was called from him *Oileus*, to distinguish him from Ajax the son of Telamon.

Oleăros, *Antiparo*, an island in the Ægean sea, one of the Cyclades, south-west of Paros.

Olympus, *Elymbo*, a lofty mountain on the confines of Thessaly and Macedonia, separated from Ossa by the vale of Tempe. The ancients supposed that it touched the heavens with its top, and on that account the poets made it the residence of the gods.

Olympia, a city and plain of Elis in Peloponnesus, on the Alpheus, where the Olympic games were celebrated.

Omŏle. See Homŏle.

Onythes, a friend of Æneas, killed by Turnus.

Opheltes, the father of Euryalus.

Opis, a nymph among Diana's attendants who avenged the death of Camilla by shooting Aruns, by whose hand the queen had fallen. —A sea-nymph in Cyrene's train.

Orcus, a name of Pluto, generally used to signify the infernal regions.

Oreădes, mountain nymphs who attended upon Diana, and accompanied her in hunting.

Orestes, the son of Agamemnon, and the faithful friend of Pylădes. Having slain his mother Clytemnestra and her paramour Ægisthus because they had murdered his father, Orestes was tormented by the Furies, and exiled himself to Argos, the throne of which he afterwards ascended.

Orĭcum, *Ericho*, a town of Epirus, on the Ionian sea. The tree which produces the turpentine abounded in the neighbourhood.

Orīon, a celebrated giant, was one of the attendants of Diana. After death, Orion was placed in heaven, and became one of the constellations.

Orithyia, a daughter of Erechtheus, king of Athens, and wife of Boreas king of Thrace. She was called *Actias*, as being a native of Attica.

Ornĭtus, a friend of Æneas, killed by Camilla in the Rutulian wars.

Orōdes, one of the friends of Æneas, killed by Mezentius.

Orontes, a friend of Æneas, who commanded the Lycian fleet, and suffered shipwreck in the voyage to Italy.

Orpheus, a son of Œagrus king of Thrace, by the muse Calliope; others suppose him to have been the son of Apollo, to render his birth more illustrious. The poets feign him to have descended into the infernal regions to recover his wife Eurydice, when he so charmed Pluto and Proserpine with the music of his lyre that they consented to restore her, provided he forbore looking behind until he had gained the upper regions; but he forgot his promises, and his Eurydice instantly vanished. He was torn to pieces by the Thracian women who threw his head into the Hebrus.

Orsilŏchus, a Trojan killed by Camilla in the Rutulian wars.

Ortygia, a small island of Sicily, within the bay of Sicily, in which was the fountain Arethusa.—An ancient name of the island of Delos. Diana, and also Apollo were called *Ortygia* as being born in Delos.

Ortygius, a Rutulian killed by Cæneus the friend of Æneas.

Osci, a people between Campania and the country of the Volsci, who assisted Turnus against Æneas.

Osinius, a king of Clusium, who assisted Æneas against Turnus.

Osīris, a friend of Turnus, killed in the Rutulian war.

Ossa, *Kissovo*, a lofty mountain of Thessaly, between Mount Olympus and Pelion, once the abode of the Centaurs.

Othryădes, Pantheus, the Trojan priest of Apollo, so called from his father Othrys.

Othrys, *Hellovo*, a mountain, or rather a chain of mountains in Thessaly, stretching from the Pelasgic gulf, westwards to Mount Pindus.

## P

Pachȳnus, *Cape Passaro*, the south-eastern promontory of Sicily.

Pactōlus, a river of Lydia in Asia Minor, issuing from Mount Tmolus, and falling into the Hermus below Sardis. The sands of the Pactolus, like those of the Hermus, were mingled with gold.

Padus, the *Po*, anciently called also Eridănus, the largest river of Italy, rises in Mount Vesŭlus, one of the highest mountains of the Alps, and after an easterly course of nearly 400 miles and receiving numerous tributary streams, discharges its waters into the Adriatic, about 30 miles south of the city of *Venice*.

Padūsa, the most southern mouth of the Po, from which there was a cut to the town of Ravenna.

Pæan, a name given to Apollo, from the *pæan*, or triumphal hymn, which was sung in his honour because he had killed the serpent Python.

Pæon, a famous physician who cured the wounds which the gods received during the Trojan war; from him physicians are sometimes called *Pæonii*, and medicinal herbs, *Pæoniæ herbæ*.

Pæstum, *Pesto*, a town of Lucania, on the *gulf of Salerno*, where the roses blossom twice a-year.

Pagăsus, a Trojan killed by Camilla.

Palæmon, son of Athamas and Ino. His original name was Melicerta, and he assumed the names of Palæmon and Portumnus after he had been changed into a sea deity by Neptune.

Palamēdes, a Grecian chief, son of Nauplius, king of Eubœa. He was shamefully put to death at the instigation of Ulysses, who to avoid going to the Trojan war had feigned madness, but the deceit was discovered by Palamedes.

Palatīnus mons, the largest of the seven hills on which Rome was built. Here Evander resided before Romulus founded Rome.

Pales, the goddess of sheepfolds and of pastures.

Palĭci, two deities, sons of Jupiter by Thalia, who were worshipped with great ceremonies by the Sicilians.

Palinūrus, son of Iasius, was pilot of Æneas' ship. He fell overboard while asleep, and after being three days exposed to the tempests, he reached the shore near Velia when he was murdered by the inhabitants. A promontory of Lucania on which a monument was raised to him received the name of Palinurus.

Pallădium, a celebrated statue of Pallas, said to have fallen from heaven upon Troy, and on the preservation of which depended the safety of that city.

Pallantēum, a town or citadel built by Evander on Mount Palatine, from whence the hill obtained its name.

Pallas, a daughter of Jupiter, the same as Minerva, which *see*.—A son of king Evander, sent with a body of troops to assist Æneas, and after performing many gallant deeds, killed by Turnus.

Pallēne, a peninsula of Macedonia.

Pan, the god of shepherds, was the son of Mercury by Dryope, according to Homer. He was sometimes called *Tegeæus* from Tegēa a city, and *Lycæus*, from a mountain, of Arcadia where he was worshipped.

Panchæa, or Panchaia, a district of Arabia Felix celebrated for the myrrh, frankincense, and perfumes which it produced.

Pandărus, a son of Lycaon, who assisted the Trojans in their war against the Greeks, and was slain by Diomēdes.—A son of Alcanor, killed with his brother Bitias by Turnus.

Pangæus, a mountain on the confines of Macedonia and Thrace.

Panŏpēa, a sea nymph, one of the Nereides.

Panŏpes, a famous huntsman among the attendants of Acestes, who engaged in the games exhibited by Æneas.

Pantagias, a small but rapid river on the eastern coast of Sicily.

Pantheus, or Panthus, the son of Othrys, and the priest of Apollo at Troy.

Paphos, *Baffa*, a city on the western coast of Cyprus where Venus was worshipped, who was hence called *Paphia*.

Parcæ, the Fates—deities who presided over the birth and the life of mankind. They were three in number, Clotho, Lachĕsis and Atrŏpos, daughters of Nox and Erebus, or of Jupiter and Themis.

Paris, the son of Priam, king of Troy, by Hecuba. Having visited Sparta, where he was kindly received, he persuaded Helen, in the absence of her husband Menelaus, to elope with him; this gave rise to the Trojan war which ended in the ruin of his family and country.

Parnassus, *Lyakoura*, a lofty mountain of Phocis in Greece, sacred to Apollo and the Muses. The city of Delphi was situate on the south-west side of Parnassus, near the Castalian fountain.

Paros, an island in the Ægean sea, one of the Cyclades, famed for its beautiful white marble.

Parrhăsia, a town in the south-west of Arcadia; hence Parrhasius, *Arcadian*.

Parthĕnius, a mountain of Arcadia. —A friend of Æneas killed in Italy.

Parthenopæus, a son of Meleager and Atalanta, was one of the seven chiefs who accompanied Adrastus, king of Argos, in his expedition against Thebes.

Parthenŏpe, afterwards called Neapolis, *Naples*, a celebrated city of Campania in Italy. It received the name of Parthenope from one of the Sirens who was buried there.

Parthia, a country of Asia, to the south of the Caspian sea. The

Parthians, originally Scythians, were naturally strong and warlike, and were esteemed most expert horsemen and archers.

Pasiphäe, the daughter of Sol and Perseis, and the wife of Minos, king of Crete.

Patāvium, *Padua*, a city of Venetia in Italy, celebrated as the birthplace of Livy.

Patron, an Arcadian who engaged in the games exhibited by Æneas in Sicily.

Pelasgi, the ancient inhabitants of Greece.

Pelethrŏnium, a town of Thessaly at the foot of Mount Pelion, inhabited by the Lapĭthæ.

Pelias, a Trojan chief wounded by Ulysses during the Trojan war, and who followed the fortune of Æneas.

Pelīdes, a name of Achilles, and of his son Pyrrhus, as being descended from Peleus.

Pelion, *Plesnid* or *Zagora*, a celebrated mountain of Thessaly, once the abode of the Centaurs.

Pella, the capital of Macedonia in the time of Alexander the Great, who was born there.

Pelops, a celebrated prince, son of Tantălus, king of Lydia. He settled in the southern part of Greece which from him was named Peloponnesus, i. e. the *island of Pelops.*

Pelōrus, *Cape Peloro*, one of the three principal promontories of Sicily.

Pelūsium, *Tineh*, a town of Egypt at the extreme eastern or Pelusian mouth of the Nile. It was the key of Egypt on the side of Palestine.

Penātes, household gods—certain inferior deities among the Romans who presided over houses and the domestic affairs of families.

Peneus, *Salembria*, a river of Thessaly, which rises in Mount Pindus, and after flowing between Mount Olympus and Ossa through the vale of Tempe, falls into the Thermæan gulf.

Penthesīlēa, a queen of the Amazons, daughter of Mars, who assisted Priam, and was slain by Achilles.

Pentheus, son of Echion and Agāve, was king of Thebes in Bœotia. In consequence of his refusal to acknowledge the divinity of Bacchus, he was torn to pieces by the bacchanals.

Pergămus and Pergăma, the citadel of Troy; often used for Troy itself.

Peridīa, a Theban woman whose son was killed by Turnus in the Rutulian war.

Periphas, a native of the island of Scyros, who, with Pyrrhus, attempted to burn the palace of Priam.

Permessus, a river of Bœotia, issuing from Mount Helicon, and sacred to the Muses.

Persis, a province of Persia; often taken for Persia itself.

Petīlia, *Strongoli*, a town of the Bruttii on the bay of Tarentum; built or repaired by Philoctetes, after his return from the Trojan war.

Phæācia, called also Corcyra, *Corfu*, an island of the Ionian sea near the coast of Epirus, of which Alcinous was king when Ulysses was shipwrecked upon it.

Phædra, a daughter of Minos and Pasiphäe, who married Theseus. Her criminal passion for Hippolytus, and the tragical end of that young prince, so stung her with remorse that she hanged herself.

Phaëton, the son of Phœbus and Clymēne, who, according to the poets, was entrusted by his father with the chariot of the sun for one day, when, by his unskilful driving, he nearly set the world on fire, upon which Jupiter struck him with a thunderbolt, and he fell into the river Po.

Phalāris, a Trojan killed by Turnus.

Phanæus, a promontory of the island of Chios, famous for its wines; so named from Phanæus king of the island.

Phasis, *Phaz* or *Rhion*, a river of Colchis, rising in Mount Caucasus and falling into the Euxine.

Phēgeus, the name of three Trojans, two of whom were slain by Turnus.

Pheneus, *Phonia*, a town of Arcadia, near Mount Cyllene.

Pheres, a friend of Æneas killed by Halēsus.

Philippi, a city of Macedonia, east of the Strymon, famed for the defeat of Brutus and Cassius by Antony and Augustus, B. C. 42.

Phillўrīdes, a name of Chiron, the celebrated Centaur, from his mother Philyra.

Philoctētes, the son of Pæan king of Melibœa in Thessaly. After his return from the Trojan war, he settled in Italy where he built the town of Petilia in *Calabria.*

Philomēla, a daughter of Pandion king of Athens, and sister to Procne, said to have been changed into a nightingale.

Phineus, a king of Thrace, or according to some, of Bithynia, who put out the eyes of his two sons, for which he was struck blind by the gods, and tormented by the Harpies.

Phlegĕthon, one of the rivers of hell.

Phlegўas, a son of Mars, king of the Lapĭthæ in Thessaly, who plundered and burnt the temple of Apollo at Delphi; for this impiety he was killed by Apollo, who placed him in hell where a huge stone was suspended over his head which kept him in continual alarms.

Phœbe, a name of Diana or Luna; and Phœbus, a name given to Apollo or Sol.

Phœbigĕna, a surname of Esculapius, as the son of Phœbus or Apollo.

Phœnicia, a province of Syria on the eastern coast of the Mediterranean sea, of which Tyre and Sidon were the principal cities.

Phœnissa, a name given to queen Dido as being a native of Phœnicia.

Phœnix, son of Amyntor, king of Argos, the preceptor and companion of Achilles whom he accompanied to the Trojan war.

Pholŏe, a female servant of Cretan origin who, with her two sons, was given to Sergestus by Æneas.

Pholus, one of the Centaurs, who mortally wounded himself with one of the arrows of Hercules.—A friend of Æneas killed by Turnus.

Phorbas, a son of Priam killed in the Trojan war by Menelaus. The god Somnus assumed his shape when he deceived Palinurus, and threw him into the sea.

Phorcus, a sea deity, son of Pontus and Terra and father of the Gorgons.—A man whose seven sons assisted Turnus against Æneas.

Phrygĭa, a large country of Asia Minor, between Lydia and Cappadocia, and to the south of Bithynia. It was called Phrygia Major to distinguish it from that part of Mysia near the Hellespont denominated Phrygia Minor in which Troy stood. Hence the name of Phrygians applied to the Trojans.

Phthia, a town of Phthiōtis in Thessaly, where Achilles was born.

Phyllis, a country woman introduced in the eclogues.

Phyllŏdŏce, one of Cyrene's attendants.

Picus, a king of Latium, son of Saturn, and father of Faunus, changed by Circe into a woodpecker.

Piĕrĭdes, a name given to the Muses, from their supposed father Pierus, or from Pieria in Macedonia where they were born.

Pilumnus, a deity worshipped at Rome, from whom Turnus boasted of being lineally descended.

Pinārius, an Arcadian, who, with Potitius, came with Evander to Italy. They were priests of Hercules.

Pindus, a mountain or rather chain of mountains between Thessaly and Epirus, sacred to Apollo and the Muses.

Pirĭthous, a son of Ixion, and king of the Lapĭthæ, whose friendship with Theseus king of Athens was proverbial. According to the poets, the two friends descended into the infernal regions to carry away Proserpine, but Pluto who was apprized of their intentions, bound Pirithous to his father's wheel, and Theseus to a huge stone.

Pisa, an ancient city of Elis in Peloponnesus, on the ruins of which Olympia is supposed to have been built.

Pleiădes, a name given to the seven daughters of Atlas and Pleione, made a constellation in the heavens.

Plemmўrium, *Massa Oliveri*, a promontory in the bay of Syracuse.

Pluto, son of Saturn and Ops and brother to Jupiter and Neptune. In the division of the empire of Saturn he received as his portion the kingdom of hell.

Podalirius, a Rutulian engaged in the wars of Æneas and Turnus.

Pœni, (Phœni, Phœnices) a name given to the Carthaginians who were of Phœnician origin.

Polītes, one of Priam's sons, killed by Pyrrhus in his father's presence.

Pollio, C. Asinius, a Roman consul, who distinguished himself by his martial exploits but more by his eloquence and writings. He was the friend of Augustus and the patron of Virgil and of other learned men, and was the first who formed a public library at Rome.

Pollux, the son of Jupiter by Leda, and the twin brother of Castor. He was called Amyclæus from Amyclæ a city of Laconia where he was born.

Polybœtis, one of the Trojans whom Æneas saw when he visited the infernal regions.

Polydōrus, the youngest son of Priam and Hecuba, assassinated by Polymnestor king of Thrace who had been entrusted with the care of the young prince.

Polyphēmus, a son of Neptune, was a celebrated Cyclops with one eye in the middle of the forehead which Ulysses put out with a firebrand while he was asleep.

Pometii, a town of the Volsci in Latium, totally destroyed by the Romans because it had revolted.

Pontus, a country of Asia Minor bordering on the Euxine; it was the kingdom of Mithridates the Great.

Populōnia, a maritime town of Etruria.

Porsenna, a king of Etruria who made war upon the Romans in favour of Tarquin and attempted

in vain to replace him on the throne.

Portūnus or Portumnus. See Melicerta and Palæmon.

Potitius and Pinarius were entrusted with the sacrifices of Hercules.

Potnia, a village of Bœotia where Glaucus was torn to pieces by his own mares; hence *Potniādes quadrigæ.*

Præneste, *Palestrina*, a city of Latium, about 24 miles east from Rome, supposed to have been built by Cæculus, the son of Vulcan.

Priămus, the son of Laomedon, and the last king of Troy, was slain by Pyrrhus the son of Achilles, the night on which Troy was taken.

Priāpus, a deity among the ancients, who presided over gardens. He was the son of Bacchus and Venus, and was chiefly worshipped at Lampsăcus on the Hellespont where he was born.

Privernum, *Piperno Vecchio*, a town of the Volsci in Italy, whose inhabitants were called *Privernates.*

Privernus, a Rutulian, killed by Capys in the war between Æneas and Turnus.

Procas, a king of Alba, father of Amulius and Numītor.

Prochўta, *Procida*, an island of Campania between the island of Inarīme and the coast.

Procne or Progne, a daughter of Pandion king of Athens, and wife of Tereus, king of Thrace, by whom she had a son called Itys.

Procris, a daughter of Erechtheus, king of Athens and wife of Cephălus.

Prœtīdes, the three daughters of Prœtus, king of Argolis, who became insane for neglecting the worship of Bacchus, or according to others, for preferring themselves to Juno.

Promētheus, a son of Iapĕtus and Clymene and brother to Atlas, surpassed all mankind in cunning and fraud, deceiving Jupiter himself. He is said to have made a man of clay which he animated with fire stolen from heaven; for this impiety he was chained to a rock on the top of Mount Caucasus, where a vulture continually preyed upon his liver.

Proserpīna, the daughter of Ceres by Jupiter, and the wife of Pluto, who stole her away while she was gathering flowers in the plains of Enna in Sicily.

Protēus, a sea deity, son of Oceănus and Tethys. He possessed the gift of prophecy, and also the power of assuming different shapes.

Psўthia, an ancient town of Greece, famous for its grapes.

Pygmalion, a king of Tyre, son of Belus, and brother to Dido whose husband Sichæus he murdered.

Pyracmon, one of Vulcan's workmen in forging the thunderbolts of Jupiter.

Pyrgi, an ancient town of Etruria on the sea coast.

Pyrgo, the nurse of Priam's children who followed Æneas in his flight from Troy.

Pyrrha, the wife of Deucalion, in whose age all mankind was destroyed by a deluge, these two alone excepted. On consulting the oracle of Themis, they were directed to repair the loss by throwing stones behind their backs; those which Pyrrha threw were changed into women, and those of Deucalion, into men.

Pyrrhus, the son of Achilles and Deidamia daughter of king Lycomēdes. He was also called Neoptolĕmus.

Q

Quercens, a Rutulian who fought against the Trojans.

Quirīnus, a name given to Romulus, after he was deified.

Quirītes, a name given to the citizens of Rome after admitting the Sabines who inhabited the town of Cures, and who on that account were called Quirites.

R

Rapo, a Rutulian chief who slew Parthenius.

Remŭlus, a chief of Tibur whose arms were seized by the Rutulians and became part of the plunder which Euryalus obtained.—A friend of Turnus, trampled to death by his horse which Orsilochus had wounded.

Remus, the brother of Romulus, who was exposed at the same time with Romulus by the cruelty of his grandfather.—One of the auxiliaries of Turnus against Æneas.

Rhadamanthus, a son of Jupiter and Europa who reigned over the Cyclades and some of the Greek cities in Asia, and for his justice and equity was made one of the judges of hell.

Rhætia, the *Tyrol*, &c. a mountainous country of Europe, to the north of Italy, and east of Helvetia.

Rhamnes, a king, skilled in augury, who assisted Turnus against Æneas, and was killed in the night by Nisus.

Rhea, a nymph of Italy who was the mother of Aventinus by Hercules.

Rhenus, a celebrated river of Europe, the ancient boundary between Gaul and Germany. It rises in the Alps to the east of *M. St. Gothard*, and after a course of 600 miles, discharges itself by two branches into the German ocean.

Rhesus, a warlike king of Thrace, who marched to the assistance of Priam king of Troy, but the Greeks surprised him on the night of his arrival, slew him in his tent, and carried away his horses in triumph to their camp.

Rhodŏpe, a chain of high mountains in Thrace. Rhodope, according to the poets, was the wife of Hæmus king of Thrace, who was changed into this mountain because she preferred herself to Juno in beauty.

Rhodus, a large and fertile island in the Carpathian sea near the coast of Caria, celebrated for a colossal statue of Apollo.

Rhœbus, the war horse of Mezentius.

Rhœtēum, a promontory of Troas on the Hellespont, near which the body of Ajax was buried.

Rhœtus, one of the Centaurs killed at the nuptials of Pirithous by Bacchus.—A Rutulian slain by Euryalus in the night.—A king of the Marrubii in Italy, and the father of Anchemŏlus.

Riphæi or Rhiphæi, mountains in the north of Scythia, near the rivers Tanais and Rha. The name was applied to any cold mountain in a northern country.

Ripheus, a Trojan, distinguished for his love of justice, who joined Æneas the night that Troy was burnt, and after a brave resistance was at last slain by the Greeks.

Roma, the chief city of Italy, and the capital of the Roman empire, situate on the banks of the Tiber, about 16 miles from the sea. It was founded on Mount Palatine by Romulus, B. C. 753, and became in time mistress of the world, rivalling, both in extent and magnificence, the most celebrated cities of antiquity. At the division of the Roman empire by Constantine, A. D. 328, Constantinople became the seat of the eastern empire, and Rome continued to be the capital of the western emperors. A. D. 800, imperial Rome with part of Italy, was delivered by Charlemagne into the hands of the Roman Pontiff, who still continues to hold the sovereignty under the name of the Ecclesiastical States.

Romŭlus, a son of Mars and Ilia, grandson of Numītor, king of Alba, was born at the same birth with Remus. He was the founder of Rome, and the first king of the Romans, who from him were called *Romulidæ*. After his death, Romulus was ranked among the gods and received divine honours.

Rufæ or Rufræ, a town of Campania, whose inhabitants were called Rufreni.

Rutŭli, a people of Latium, anciently known as well as the Latins, by the name of Aborigines. They supported Turnus their king in the war which he waged against Æneas.

S

Saba, a town of Arabia, famous for frankincense, myrrh, and aromatic plants. The inhabitants were called Sabæi.

Sabelli, a people of Italy descended from the Sabines, or from the Samnites. Hence the epithet of *Sabellicus.*

Sabīni, an ancient people of Italy, reckoned among the Aborigines, or those inhabitants whose origin was unknown. Their country was situated between the rivers Tiber, Nar, and Anio, having the Apennines on the east. The Sabines are celebrated in ancient history as being the first who took up arms against the Romans to avenge the rape of their females at the games to which they had been invited.

Sabīnus, a Lacedæmonian from whom the Sabines were named. He received divine honours after death, and was one of those deities whom Æneas invoked when he entered Italy.

Sacrāni, a people of Latium, who assisted Turnus against Æneas.

Salamis, or Salamīna, *Coulouri*, an island in the Saronic gulf, near the coast of Attica. Teucer and Ajax, sons of Telamon, who joined the rest of the Greeks in the Trojan war, were natives of Salamis.

Salentīni, a people of Italy on the southern coast of Calabria.

Salii, an order of priests at Rome who had the charge of the sacred shields called *Ancilia* which they carried every year, on the first of March, in a solemn procession round the walls of Rome, dancing, and singing praises to the god Mars.

Salius, an Acarnanian who engaged in the games exhibited by Æneas in Sicily, and who, according to some, instituted the *Salii* in honour of Mars.

Salmŏneus, a king of Elis, son of Æŏlus and Enaretta, who, for his impiety in imitating the thunder of Jupiter, was feigned to have been struck with a thunderbolt, and placed in the infernal regions near his brother Sisyphus.

Same, called also Cephallenia, an island in the Ionian sea, whose in-

habitants went with Ulysses to the Trojan war.

Samos, *Samo*, an island in the Ægean sea, near the coast of Ionia. It is extremely fertile and is famous as being the birth-place of Pythagoras. Samos was sacred to Juno, who had here a magnificent temple.

Samothrăcia, an island in the Ægean sea, off the coast of Thrace.

Sardĭnia, a large island of the Mediterranean sea, on the south of Corsica, which received its name from Sardus, a son of Hercules; hence Sardŏus, *Sardinian*.

Sarnus, *Sarno*, a river of Italy, dividing the country of the Picentīni from Campania, and falling into the bay of *Naples*.

Sarpēdon, a son of Jupiter by Eurōpa, and brother to Minos, who went to the Trojan war to assist Priam, and was slain by Patroclus. According to some authors, Sarpēdon who assisted Priam was king of Lycia, and son of Jupiter by Laodamia the daughter of Bellerophon.

Sarra, an ancient name of the city of Tyre in Phœnicia; hence the epithet *Sarranus*, Tyrian.

Sarrastes, a people of Campania on the Sarnus, who assisted Turnus against Æneas.

Saticŭla, a town of Samnium in Italy, east of Capua.

Satŭra, a lake of Latium, forming part of the Pontine marshes.

Saturnĭa, a name given to Italy, because Saturn had reigned there during the golden age.—A name given to Juno as being the daughter of Saturn.—An ancient town of Italy, supposed to have been built by Saturn on the Tarpeian rock.

Saturnus, the son of Cœlus and Terra, married his sister Ops who is also called Rhea and Cybēle. He was dethroned and imprisoned by his brother Titan, but was restored to liberty and to his throne by his son Jupiter, who, however, afterwards banished him from his kingdom which he divided with his brothers Neptune and Pluto. Saturn fled to Latium in Italy, where his reign was so mild that mankind have called it the golden age.

Satўri, a kind of rural demi-gods, who chiefly attended upon Bacchus.

Scæa, one of the gates of Troy where the tomb of Laomedon was seen.

Scipiădæ, a name applied to the two Scipios, who obtained the surname of *Africanus* from the conquest of Carthage.

Scylacæum, *Squillace*, a town of the Bruttii, south-west of Crotona, built by an Athenian colony.

Scylla, a daughter of Nisus, king of Megara, who became enamoured of Minos, as that monarch besieged her father's capital; she was feigned to have been changed into a lark.—A daughter of Typhon, or according to some, of Phorcys who was changed by Circe into a frightful monster, when throwing herself into the sea between Italy and Sicily she became a rock which was deemed by the ancients as very dangerous to mariners

Scyros, *Skyro*, an island in the Ægean sea, north-east of Eubœa. Here Achilles was concealed, disguised in female dress, to prevent him from going to the Trojan war.

Scythia, a general name given by the ancients to a large portion of the northern parts of Asia.

Sebēthis, one of the nymphs who frequented the banks of the river Sebētus in Campania, and who was the mother of Œbălus by Telon.

Selinus, a city in the south-west of Sicily, the vicinity of which abounded with palm trees.

Seres, a nation of Asia, between the Ganges and the eastern ocean; the modern Tibet, or probably China.

Serestus, a Trojan chief who followed the fortunes of Æneas.

Sergestus, a sailor in the fleet of Æneas, from whom the family of the Sergii at Rome was descended.

Serrānus, a surname given to Cincinnatus who was found *sowing* his fields when informed that the senate had chosen him dictator.—One of the auxiliaries of Turnus killed in the night by Nisus.

Sevērus, a mountain in the country of the Sabines in Italy, near the Farfaris.

Sibyllæ, certain women supposed to be inspired, who flourished in different parts of the world. According to Varro, the number of the Sibyls was ten, of whom the most celebrated was that of Cumæ in Italy.

Sicānia, an ancient name of Sicily which it received from the Sicani, a people of Spain, who first passed into Italy, and afterwards into Sicily, where they established themselves.

Sichæus, the husband of Dido, and the priest of Hercules, whom Pygmalion his brother-in-law murdered to obtain his riches.

Sicĭlia, the largest and most celebrated island in the Mediterranean sea, at the south of Italy, and separated from it by the straits of *Messina*. It is of a triangular form, and from its three promontories was called Trinacria. Its name Sicilia was derived from the Siculi, a people of Italy who settled in it. The Muses are called *Sicelides*, because Theocritus, a celebrated writer of pastoral poetry, was a native of Sicily.

Sicўon, *Basilico*, an ancient city of Peloponnesus, the capital of Sicyonia, situated on the gulf of Corinth. *Sicyonia bacca*, the olive, with which the district abounded.

Sidicinum, *Teano*, a town of Campania, called also Teanum.

Sidon, *Sayda*, a very ancient city, long the metropolis of Phœnicia, on the shores of the Mediterranean, 18 miles north of Tyre. Dido, as a native of Sidon, is called *Sidonis;* and Carthage is called *Sidonia urbs*, because built by Sidonians.

Sigēum, a town and famous promontory of Troas in Asia Minor, at the entrance of the Hellespont, where the Scamander fell into the sea. Here was the tomb of Achilles, and near it were fought many of the battles between the Greeks and Trojans.

Sila, a large wood in the country of the Bruttii, abounding with pitch.

Silărus, *Sele*, a river of Italy, separating Lucania from the territory of the Picentīni. Its banks were much infested with the gad-fly.

Silēnus, a demi-god, who was the nurse, the preceptor, and the attendant of the god Bacchus. The Fauns and Satyrs were often called Sileni.

Simæthus or Symæthus, *Giaretti*, a river of Sicily which falls into the sea between Catăna and Leontini. In its neighbourhood the gods Palici were born, and particularly worshipped.

Simŏis, a river of Troas, which rose in Mount Ida, and fell into the Scamander below Troy

Sinon, a crafty Greek, who prevailed on the Trojans to admit into the city the wooden horse which was filled with armed Greeks.

Sirēnes, three fabulous sisters who usually resided in a small island near cape Pelōrus in Sicily, and by their melodious voices decoyed mariners to their destruction on the fatal coast. Ulysses, having, by an artifice, escaped their fascination, the disappointed Sirens threw themselves into the sea, and perished.

Sisўphus, the son of Æolus, who married Merope, the daughter of Atlas. According to the mythologists, Sisyphus, after his death, was condemned in hell to roll a huge stone to the top of a hill, which it had no sooner reached, than it rolled down to the bottom again.

Sithonia, a small peninsula of Chalcidice in Macedonia, originally a part of Thrace, and often applied to Thrace.

Somnus, son of Erebus and Nox, and the god of sleep.

Sophŏcles, a celebrated tragic poet of Athens, was also distinguished as a warrior and a statesman. He was the contemporary of Pericles and Euripides, and died, B. C. 4 6.

Soracte, *M. S. Oreste*, a mountain of Etruria, about 26 miles north of Rome, sacred to Apollo.

Sparta, see Lacedæmon.

Sperchīus, *Ellada*, a river of Thessaly, which rises in Mount Œta, and runs into the Malian gulf, north of Thermopylæ.

Spio, one of the Nereides.

Sterŏpes, one of the Cyclops.

Sthenēlus, a son of Capaneus, who was one of the Epigoni, and of the suitors of Helen. He went to the Trojan war, and was one of those who were shut up in the wooden horse.

Stimĭcon, a shepherd mentioned in the fifth Eclogue.

Strophădes, *Stamphane*, two small islands in the Ionian sea, south of Zacynthus, near which the fleet of Æneas stopped.

Strўmon, *Stroma*, a river of Macedonia, the ancient boundary between that country and Thrace.

Styx, a celebrated river of hell, round which it was said to flow nine times. The gods held the waters of the Styx in such veneration, that they always swore by them; an oath which was inviolable.

Sulmo, *Sulmona*, an ancient town of the Peligni, founded by one of the followers of Æneas.—A Latian chief, killed in the night by Nisus.

Sybăris, a friend of Æneas killed by Turnus.

Sylvānus, a rural deity, who presided over woods, and whose worship was established only in Italy, where he is said to have reigned in the age of Evander.

Sylvia, a daughter of Tyrrheus, shepherd of king Latinus, whose favourite stag was killed by Ascanius, which was the cause of war between Æneas and the Latins.

Sylvĭus, a son of Æneas by Lavinia, from whom afterwards the kings of Alba were called *Sylvii*.

Syracūsæ, a celebrated city, the ancient capital of Sicily, situated on the eastern side of the island. After a siege of three years it fell into the hands of the Romans under Marcellus, B. C. 212.

Syrĭa, a country of Asia along the eastern shore of the Mediterranean,

generally considered as including Phœnicia and Palestine, which were reckoned two of its provinces.

Syrtes, two gulfs on the northern coast of Africa, one called Syrtis Minor, the gulf of *Cabes;* the other called Syrtis Major, the gulf of *Sidra.* They were deemed most dangerous in navigation, therefore the word has been used to denote any part of the sea of which the navigation was attended with danger.

## T

Taburnus, a mountain of Campania which abounded with olives.

Tænărus, *Cape Matapan,* a promontory of Laconia, where Neptune had a temple in the form of a grotto, with a statue. Near it was a large and deep cavern, which the poets have imagined was one of the entrances of hell.

Tanăgrus, *Negro,* a river of Lucania in Italy remarkable for its cascades and its beautiful meandrings.

Tanais, the *Don,* a large river of *Russia,* which divides Europe from Asia, and falls into the Palus Mæōtis.—A Rutulian killed by Æneas.

Tapsus, or Thapsus, a peninsula, with *Magnisi,* a town, on the eastern coast of Sicily.

Tarchon, an Etrurian chief, who assisted Æneas against the Rutuli.

Tarentum, *Tarento,* a maritime city of Calabria in Italy, situated on a noble bay of the same name.

Tarpeia, the daughter of Tarpeius, a governor of the Capitol of Rome.—The Tarpeian rock, from whence the Romans threw down their condemned criminals,received its name from Tarpeia, who was buried there.—One of the warlike female attendants of Camilla in the Rutulian war.

Tartărus, the infernal regions, where, according to the ancients, the most impious and guilty among mankind were punished.

Tatius, Titus, king of Cures among the Sabines, made war against the Romans after the rape of the Sabine women. Peace having been made between the two nations, Tatius shared the royal authority with Romulus.

Taygĕtus, a mountain of Laconia in Peloponnesus, on which were celebrated the orgies of Bacchus. It hung over the city of Sparta, and extended from Tænărus to Arcadia.

Tegæa, *Piali,* a town of Arcadia, where Apollo and Pan were worshipped; hence the latter is called Tegæus.

Teleboæ or Teleboes, a people of Ætolia in Greece, who settled in the island of Capreæ.

Telon, a king of the Teleboæ who married Sebĕthis, by whom he had Œbălus.

Tempe, a most delightful vale in Thessaly between Mount Olympus and Ossa, through which the river Peneus flows into the Ægean.

Tenĕdos, a small but fertile island of the Ægean sea, opposite Troy. Here the Greeks concealed themselves to make the Trojans believe that they had abandoned the siege.

Tereus, a king of Thrace, son of Mars and Bistonis. He married Procne, whose sister Philomela he afterwards violated.—A friend of Æneas killed by Camilla.

Tethys, the chief of the sea-deities, was the wife of Oceănus, and daughter of Urănus and Terra. The word is used by the poets to express the sea.

Tetrĭca, a mountain of the Sabines near the river Fabaris.

Teucer, a king of Phrygia, son of Scamander by Ida. Troy was called from him *Teucria,* and the Trojans were called *Teucri.*—One of the Grecian chiefs, son of Telamon, king of Salamis, by Hesione, and brother to Ajax. After his return from the Trojan war, he retired to Cyprus where he built a town which he called Salamis after his native country.

Teuthras, one of the companions of Æneas in Italy.

Teutŏni or Teutŏnes, a powerful people of Germany who with the Cimbri made incursions upon Gaul, but were at last defeated by the consul Marius.

Thalīa, one of the Muses who presided over festivals, pastoral and comic poetry.—One of the Nereides.

Thasos, an island of the Ægean sea, on the coast of Thrace, celebrated for its wine and marble.

Thaumantĭas, a name of Iris, as being the daughter of Thaumas.

Theāno, a Trojan who was the wife of Amycus, and the mother of Mimas.

Thebæ, *Thiva,* a famous city of Greece, the capital of Bœotia, founded by Cadmus on the banks of the river Ismēnus.

Thermōdon, *Thermeh,* a river of Pontus in Asia Minor, in the country of the Amazons, falling into the Euxine near Themiscyra.

Theron, a Rutulian who perished in the attempt to kill Æneas.

Thersĭlŏchus, son of Antenor, and leader of the Pæonians, slain by Achilles.—A friend of Æneas, killed by Turnus.

Theseus, king of Athens, and son of Ægeus by Æthra, was, next to Hercules, the most celebrated of the heroes of antiquity.

Thestȳlis, a country woman mentioned in the second Eclogue.

Thetis, one of the sea-deities, daughter of Nereus and Doris, and mother of Achilles. Thetis is sometimes applied to the sea.

Thoas, one of the Grecian chiefs, who was concealed in the wooden horse.—A friend of Æneas in Italy killed by Halēsus.

Thracia, *Rumelia,* a large country of Europe to the east of Macedonia, and south of Mount Hæmus. Orpheus is called by way of eminence *Threicius Sacerdos.*

Threissa, a name applied to Opis, also to Harpalyce, as being natives of Thrace.

Thule, an island in the most northern parts of the German ocean to which the ancients gave the epithet of *ultima.* Some suppose that it is the island of Iceland, or part of Greenland, while others imagine it to be the Shetland isles.

Thyas, the first woman who was priestess of the god Bacchus; hence Thyădes, a name of the bacchanals.

Thymbra, a plain in Troas, through which the river Thymbrius flowed in its course to the Scamander. Apollo had there a temple, and thence he is called *Thymbræus.*

Thymœtes, a Trojan prince, whose wife and son were put to death by Priam; in revenge, he persuaded his countrymen to bring the wooden horse into the city.

Tibĕris, Tiber, or Tibris, a celebrated river of Italy on whose banks the city of Rome was built. It was originally called *Albula* from the whiteness of its waters, and afterwards Tiberis, when Tiberinus, or Tibris, king of Alba had been drowned there. The *Tiber* rises in the Apennines, and, after dividing Latium from Etruria, falls into the Tyrrhene sea 16 miles below Rome.

Tibur, *Tivoli,* an ancient city of the Sabines, about 16 miles north-east of Rome, delightfully situated on the banks of the Anio, and the favourite country residence of the Romans. It was founded by Tiburtus the son of Amphiaraus, and the inhabitants were called *Tiburtes.*

Tigris, a large and rapid river of Asia, which, after a course of 800 miles, forms a junction with the Euphrates.

Timāvus, *Timavo,* a river of Italy, falling into the gulf of *Trieste.* At the mouth of the Timavus are small islands with hot springs.

Tirynthius, a name of Hercules, from Tirynthus, a town of Argolis in Peloponnesus, where he generally resided.

Tisandrus, one of the Greeks concealed with Ulysses in the wooden horse.

Tĭsiphŏne, one of the Furies, who was the minister of divine vengeance, and punished the wicked in Tartarus.

Titan, a son of Cœlus and Terra, and brother to Saturn. Titan is a name sometimes applied to the sun.

Tithōnus, a son of Laomedon, king of Troy, was so beautiful that Aurora became enamoured of him, and carried him away to Ethiopia.

Titȳrus, a shepherd introduced in the Eclogues.

Titȳus, a celebrated giant, son of Terra, or, according to others, of Jupiter by Elara.

Tmolus, a mountain of Lydia in Asia Minor in which the river Pactōlus rises. It abounds in vines, saffron, &c.

Tolumnius, an augur in the army of Turnus against Æneas.

Torquātus, a surname of Titus Manlius. See Manlius.

Trinacrĭa, one of the ancient names of Sicily from its three promontories.

Triptŏlĕmus, the son of Celeus, king of Attica, who was taught the art of agriculture by Ceres.

Triton, a powerful sea deity, son of Neptune and Amphitrite. Many of the sea deities were called Tritons, but the name was generally applied to those only who were half men and half fishes.

Tritōnia, a surname of Minerva from Tritōnis, a lake and river of Africa, near which she had a temple.

Trivia, a name given to Diana, because she presided over all places where three roads met.

Troas, a district of Mysia in Asia Minor, of which Troy was the capital. *Troes* and *Troădes,* Trojans, inhabitants of Troas.

Troja or Ilium, one of the most renowned cities of antiquity, the capital of Troas in Asia Minor, was built on a small eminence near Mount Ida, between the Simois and Scamander, a short distance above the confluence of the two rivers, and about four miles from the Ægean shore. Of ancient Troy not a vestige now remains, and even its site has become matter of uncertainty.

Trojāni, and Trojugĕnæ, the inhabitants of Troy.



P

Tros, a son of Erichthonius, king of Troy, which was called Troja from him, and the country itself Troas.

Tulla, one of Camilla's attendants in the Rutulian war.

Tullus Hostilius, the third king of Rome. He succeeded Numa, and was of a warlike disposition.

Turnus, a king of the Rutuli, son of Daunus and Venilia. He made war against Æneas who was his rival for the hand of Lavinia, daughter of Latinus; but was defeated and at last slain by Æneas in single combat.

Tusci, the inhabitants of Etruria in Italy. The Tiber is called *Tuscus amnis*.

Tyber and Tybĕris. See Tiberis.

Tydeus, a son of Œneus, king of Calydon, was one of the seven chiefs of the army of Adrastus in the Theban war, where he behaved with great courage, but was slain by Melanippus. He was father to Diomēdes, who was therefore called Tydides.

Tymber, a son of Daunus, who assisted Turnus, and was slain by Pallas.

Tyndăris, Helen was so called from king Tyndărus.

Typhœus, a famous giant, son of Tartarus and Terra, said to have had a hundred heads like those of a serpent or a dragon. He made war against the gods, but Jupiter put him to flight with his thunderbolts, and crushed him under Mount Ætna in Sicily, or according to some, under the island Inarīme.

Tyres, the brother of Teuthras who assisted Æneas against Turnus.

Tyrrhēni, the inhabitants of Etruria, so called from Tyrrhēnus, the son of Atys, who led a colony from Lydia in Asia Minor into Italy.

Tyrrhēnus, a friend of Æneas, slain by Camilla.

Tyrus, *Soor*, an ancient city of Phœnicia in Asia, celebrated for its commerce and numerous colonies, and for the invention of scarlet and purple colours.

U—V

Valĕrus, a friend of Turnus against Æneas, and who slew Agis.

Varus, Quintilius, a Roman proconsul, and a friend of Virgil, was descended from an illustrious family. He was first appointed governor of Syria, and afterwards commander of an army in Germany, where he lost his life, with three whole legions, A. D. 10.

Ucalĕgon, a Trojan chief, praised for the soundness of his counsels and his good intentions, though accused by some of betraying his country to the Greeks.

Velia, a maritime town of Lucania near Cape Palinurus. It was founded about 600 years after the arrival of Æneas in Italy.

Velinus, *Velino*, a river of Italy in the country of the Sabines, which rises in the Apennines, and by its stagnant waters forms a lake near the town of Reate, and falls into the Nar near Spoletium.

Venilia, a nymph, sister to Amata, and mother of Turnus, by Daunus.

Venŭlus, an ambassador sent by Turnus to demand the assistance of Diomēdes.

Venus, one of the most celebrated deities of the ancients, the goddess of love and beauty. She was the wife of Vulcan, and passionately loved Adonis and Anchises; by the latter she became the mother of Æneas.

Vesta, daughter of Rhea and Saturn, and sister to Ceres and Juno, was the goddess of fire, and the patroness of the vestal virgins among the Romans.

Vesŭlus, *Viso*, a large mountain in the range of the Alps, between Liguria and Gaul, where the Po takes its rise.

Vesuvius, a mountain of Campania, about six miles south-east of Naples, celebrated for its volcano. The first great eruption on record, which was accompanied by an earthquake, took place A. D. 79, when the towns of Herculāneum, Pompeii, and Stabiæ were overwhelmed, being buried under showers of lava and ashes. The discovery of these towns, after having lain more than 1600 years buried and unknown, has furnished the world with many curious and valuable remains of antiquity. Vesuvius rises to the height of 3780 feet above the sea.

Ufens, *Uffĕnte*, a river of Latium, falling into the Tyrrhene sea, near Tarracina.—A prince who assisted Turnus against Æneas, slain by Gyas.

Virgilius Maro, Publius, the prince of the Latin poets, was born at Andes, a village near Mantua, on the 15th of October, B. C. 70, and died at Brundusium, on the 22d of September, in the 51st year of his age, B. C. 19. He was buried at Naples in a tomb on which was engraved the following simple inscription, written by himself a few moments before he expired;

*Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc*
*Parthenope: cecini pascua, rura, duces.*

The character of Virgil, as a poet, may be best learned from his works, which will remain an imperishable monument of his genius. They consist of ten Eclogues, the Georgics in four books, and the Æneid in twelve books.

Ulysses, the son of Laertes and Anticlēa, king of the islands of Ithăca and Dulichium, and the husband of Penelope. During the Trojan war, he was distinguished among the Grecian chiefs for his superior prudence and sagacity. After the fall of Troy, setting sail for his native country, he was exposed to incredible perils and misfortunes, and at last reached home, without a single companion, after an absence of 20 years. The adventures of Ulysses, in his return to Ithaca from the Trojan war, are beautifully depicted by Homer in the first twelve books of the Odyssey.

Umbro, a general of the Marrubii who assisted Turnus and was slain by Æneas.

Volscens, a Latin chief, who attacked Nisus and Euryalus as they returned from the plunder of the Rutulian camp. He killed Euryalus, but was immediately slain by Nisus.

Volsci, a people of Latium, who, with their warlike queen Camilla, assisted Turnus against Æneas.

Vulcania, a name given to the islands between Sicily and Italy, now called *Lipari*.

Vulcānus, the son of Jupiter and Juno, or of Juno alone, and the husband of Venus, was the god of fire, and the patron of all artists who worked in iron and metals. He is said to have been cast down from heaven, and by his fall in the island of Lemnos, to have broke his leg, and ever after remained lame of one foot The Cyclops in Sicily were his workmen, and with him they fabricated, in his forges which were supposed to be under Mount Ætna, not only the thunderbolts of Jupiter, but also arms for the gods and the most celebrated heroes. The word Vulcanus, by the poets, is frequently applied to *fire*.

Vulturnus, *Volturno*, a river of Campania, rising in the Apennines, and falling into the Tyrrhene sea, after passing near the city of Capua.

X

Xantho, a sea-nymph, one of Cyrene's attendants.

Xanthus, *Mendere*, a river of Troas in Asia Minor, rising in Mount Ida, and falling into the sea at Sigæum. It is the same as the Scamander, but according to Homer, it was called Xanthus by the gods, and Scamander by men.—A river of Lycia, anciently called Sirbes. It was sacred to Apollo, and fell into the sea near Patāra.

Z

Zacynthus, *Zante*, an island in the Ionian sea, to the south-east of Cephallenia.

Zephўrus, son of Astræus and Aurora.—The name of the west wind.



FINIS.

Printed by Oliver & Boyd,
Tweeddale-Court, High Street, Edinburgh.